CORPUS REFORMATORUM.

VOLUMEN LII.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XXIV.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN).

1882.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU SCRIPTORUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS
ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS
INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XXIV.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN).

1882.

IOANNIS CALVINI
OPERA EXEGETICA ET HOMILETICA

AD FIDEM

EDITIONUM AUTHENTICARUM

CUM PROLEGOMENIS LITERARIIS

ANNOTATIONIBUS CRITICIS ET INDICIBUS

EDIDERUNT

EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS PAULUS LOBSTEIN
THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOL. II.

CONTINETUR HOC VOLUMINE:

COMMENTARIORUM IN QUINQUE LIBROS MOSIS. PARS II.: MOSIS RELIQUI LIBRI QUATUOR IN FORMAM HARMONIAE DIGESTI A IOANNE CALVINO. CUM EIUSDEM COMMENTARIIS. PARS I.

MOSIS RELIQUI LIBRI

QUATUOR IN FORMAM HARMONIAE

DIGESTI A

IOANNE CALVINO:

CUM EIUSDEM COMMENTARIIS.

PRAEFATIO.

Nisi iam ab initio consilii mei in texendo hoc opere rationem exposuero, in multorum reprehensiones haud dubie incurret. Neque tantum a malevolis et invidis carpetur: (quod esset minime curandum) sed nonnulli forte reperientur nullo alioqui odio, aut animi pravitate infecti, qui tamen existiment inconsiderate adeoque temere ordinem, quem spiritus sanctus nobis praescribit, a me fuisse mutatum. Neque enim dubium est, quod optimum erat, et in omni utilitatis genere perfectissimum, dictatum fuisse Mosi. Ego autem quod ille quatuor libris tradidit, ita in hoc commentario et colligere et digerere statui, ut primo intuitu, re nondum bene perspecta, videri possim melius aliquid tentare: quod sacrilegae audaciae foret. Malignos, quibus propositum est obtrectandi materiam ex nihilo captare, et occasionem arripere summa voluptas est, secure praetereo. Hos vero non nisi errore iniquos, modo quam sequutus sum rationem placide audire sustinuerint, placare difficile non erit. Neque enim aliud mihi propositum est quam hac serie dirigere lectores nondum satis exercitatos, ut facilius commodiusque et maiore cum fructu in libris Mosis versentur. Denique quisquis fructum ex labore nostro capere optabit, sciat a lectione cuiusque libri se minime abduci: sed tantum compendio deduci ad certum scopum, ne vagetur (sicuti multis contingere solet) propter ignorationem methodi.

Duae sunt horum quatuor librorum partes, historiae narratio, et doctrina qua instituitur ecclesia in vera pietate, (quae fidem et invocationem in se continet) item in timore et cultu Dei: atque ita sancte iusteque vivendi regula traditur, et urgetur unusquisque ad praestandum officium. Hanc [1]) distinctionem non tenet Moses in suis libris, quia nec historiam uno contextu refert: doctrinam vero ipsam sparsim tradit pout tulit occasio. Fateor quidem, quidquid ad vitam firmandam spectat decem praeceptis comprehendi: sed quia non omnibus datum est, quae extra decem praecepta docentur quorsum tendant prudenter discernere, et singula referre in suam classem, nihil eos adiuvare prohibet, ut admoniti de sancti prophetae mente et consilio in eius scriptis melius proficiant.

Porro totius quae in quatuor libris recitatur historiae duplex est utilitas. Nam liberatio veteris populi illustre nobis speculum est tam incomparabilis Dei potentiae quam immensae bonitatis in erigenda et quasi gignenda ecclesia. Quod autem continuis beneficiis illum eundem populum optimus pater usque in finem prosequutus est, atque etiam cum scelesta impietate, malitia detestabili foedaque ingratitudine subinde certavit, ut non desineret erga pravos et ingratos plusquam liberalis esse, inaestimabilis eius misericordiae luculentum est documentum. Quam vero indefessus sit gratiae eius tenor in fovendis, tuendis, ornandis et servandis quos semel amore complexus est, in continua gubernatione cernitur. Hinc nobis haurienda est fiduciae materia: hinc et fiducia precandi elicienda. Iam, ne dubitemus quae olim experti sunt Israelitae gratiae Dei testimonia tam in primo exordio quam per longos progressus hodie quoque ad nos pertinere, causam in gratuita adoptione statuit Moses, quae nobis cum illis est communis: ex quo unigenitus Dei filius diruta maceria caput nostrum esse voluit. Altera ex parte ad Dei reverentiam nos instituunt, ac metum nobis incutiunt horrendae et memorabiles poenae quae passim referuntur:

---

1) Hanc distinctionem . . . . . proficiant. *Haec absunt ab exemplari gallico.*

ne peccandi licentia nobis indulgentes, falso nos esse Dei filios gloriemur. Nam quum tam severe ultus sit Deus idololatriam, pravas cupiditates ac libidines, contumaciam, aliaque scelera: hinc discendum est, nusquam Deum luculentius sua iudicia exserere [1]) quam in ecclesia: ut quod fallacibus Iudaeis contigit, ad omnes nostrae aetatis hypocritas accommodemus.

Doctrinae partitio quatuor praecipue membris comprehenditur. Nam ut ad docilitatem animos comparet, multis elogiis commendat legis autoritatem. Quaecunque igitur sententiae occurrent de legis dignitate, praefationis vice ponuntur, ut iustam reverentiam Deus obtineat: ideoque ordine praecedunt legis praecepta, et in hac prima classe locanda erunt.

Sequuntur decem praecepta, quibus pie iusteque vivendi regulam, breviter quidem, sed in solidum complexus est Deus: modo ne separemus quas sparsim interpretationes addidit legislator. Multa enim extra duas tabulas leguntur, quae sensu tamen nihil differunt: ideoque adhibenda est prudentia ut singula annexa suis praeceptis legem integram nobis conficiant.

Tertium caput doctrinae constat ex appendicibus, qua voce intelligo, prioris quidem tabulae respectu, caeremonias et externa pietatis exercitia: deinde secundae respectu leges politicas: quoniam non alio tendit utraque pars, nisi ut legis moralis observationem adiuvent. Atque hoc cognitu non parum utile est, nihil caeremonias vel iudicialem doctrinam mutare, vel detrahere de regula decem verbis tradita: sed tantummodo adminicula esse quae ad Deum rite colendum, et ad iustitiam cum hominibus colendam nos quasi manu ducant. Scimus continuum olim prophetis fuisse certamen cum populo Iudaico, quod caeremoniis strenue incumbens, ac si inclusa illis esset perfecta religio et sanctitas, veram iustitiam negligebat. Itaque negat Deus se quidquam de sacrificiis praecepisse: ac omnes externos ritus pro inutilibus nugis ducit, si illis vel minimum pretii seorsum a decem praeceptis tribuitur. Unde certius colligimus quod attigi, non esse ex substantia legis, (ut loquuntur) nec per se ad Dei cultum valere, nec eas a legislatore ipso exigi quasi necessarias, vel etiam utiles, nisi in gradu inferiore subsidant. In summa, accessiones sunt, non quae legi vel unum apicem addant, sed quae pietatis cultores retineant in spirituali cultu, qui fide, poenitentia, Dei invocatione, et laudibus quae gratitudinem demonstrant, crucis etiam tolerantia continetur. In politicis omnibus praeceptis nihil plane reperietur quod aliquid secundae tabulae ad perfectionem addat. Sequitur itaque, ad regulam bene recteque vivendi, praeter decem verba, desiderari nihil posse.

Ultima pars finem usumque legis ostendit: ac proinde eius utilitas latissime patet. Qui denim nobis prodesset ad iuste vivendum institui, nisi culpae et reatus agnitio nos ad quaerendum remedium traheret? Quod ergo promissionibus tam blande et suaviter nos Deus allicit, quod rursum maledictionibus fulminat, partim nos reddit inexcusabiles, partim omni iustitiae fiducia exspoliatos deiicit, ut gratuitum eius foedus amplexi, ad Christum legis finem confugere discamus. Huc spectant promissiones quibus se propitium fore testatur, ut parata sit peccatis venia: deinde spiritum regenerationis offert. Unde pendet illa sententia: Christum esse finem legis. Neque tamen hanc classem a superioribus discerno, ac si nihil haberet cum illis commune et promiscuum. Antequam enim eo perventum fuerit, attingere saepius necesse erit tam miserrimam humani generis cladem, quam peculiare adoptionis beneficium, et continuam seriam paterni favoris, quo Deus suos prosequitur. Neque enim aliud sibi volunt omnes expiationes, quam Deum semper fore misericordem, quoties ad veniae asylum confugerit peccator. Sed quam necessaria fuerit haec distributio, melius ex contextu intelligetur. Canticum et mors Mosis, quatuor librorum erit clausula.

1) *Edd.* exercere.

EXODUS.

CAPUT I.

1. *Haec sunt nomina filiorum Israel qui venerunt in Aegyptum cum Iahacob: quisque cum familia sua venit.* 2. *Reuben, Simeon, Levi et Iehudah,* 3. *Issachar, Zabulon et Beniamin,* 4. *Dan, Nephthali, Gad et Asser.* 5. *Fuerunt autem omnes animae egressae ex femore Iahacob, septuaginta animae. Ioseph autem erat in Aegypto.* 6. *Mortuus vero est Ioseph, et omnes fratres eius, et tota aetas illa.* 7. *Porro creverunt filii Israel, et aucti sunt et multiplicati, et roborati quamplurimum: adeo ut plena ipsis esset terra.*

1. *Haec sunt nomina.* Consilium quidem Mosis est mirificam liberationem populi describere: (unde et nomen a Graecis libro inditum) sed antequam illuc veniat, breviter admonet quod non vana fuerit promissio Abrahae data, aequabitur semen tuum ad numerum stellarum coeli et arenae maris (Gen. 15, 5). Hoc igitur exordium libri est: quamvis migratio ex terra Chanaan in Aegyptum, ad tempus visa fuerit quasi foederis Dei interitus et abolitio, eum tamen quod servo suo pollicitus fuerat de sobolis incrementis suo tempore large praestitisse. Nominat autem solum duodecim patriarchas qui cum patre suo Iacob profecti sunt: deinde summam capitum colligit, cuius aliis duobus locis fit mentio: Deut. 10. et Gen. 46. Atque optime supputatio convenit, si Iacob inter animas triginta sex primo catalogo censeatur. Nam quod Rabini Iochebed matrem Mosis accersunt ut numerum expleant, longe petitum est: ac minime consentaneum, mulieri quae in Aegypto postea nata est, locum dari inter viros, quos secum Iacob adduxit. Si quis obiiciat septuaginta dici egressos ex femore Iacob, facile diluitur repugnantia ex communi usu synecdoches. Ipsum vero a quo progeniti sunt reliqui, non excludi, ex verbis Mosis elicimus. In septuaginta quinque animabus ingressi sunt patres tui in Aegyptum: et ecce nunc te multiplicavit Deus (Deut. 10, 22). Quinque vero superaddi, (ut legitur in concione Stephani apud Lucam) nulla ratio sinit. Nec mirum est, in notulis quae numeros signant, vel in una litera obrepsisse hunc errorem. Quod si quis contentiosus rixandi ansam captet, meminerimus non frustra vetare spiritum, per os Pauli, ne occupemur circa genealogias (1. Tim. 1, 4).

6. *Mortuus vero est Ioseph.* Inscite colligunt ex hoc loco Rabini: Ioseph primum ex fratribus mortuum fuisse: quia quum solus tunc excelleret, nomen eius diserte exprimi honoris causa, aliis praeteritis, apparet. Quanto tempore fuerint patri superstites, non narrat Moses: sed initium mutationis tantum notat: ac si diceret, humaniter tractatos fuisse Israelitas longo temporis spatio, ut tolerabilis fuerit eorum conditio qui descenderant cum Iacob, quia ab omni iniuria et tyrannide immunes, hospitio sibi concesso tranquille fruebantur. Simul admonet, potuisse, aetate illa consumpta, emori apud posteros desiderium et memoriam terrae Chanaan, quam nunquam conspexerant, nisi violenter ad eam expetendam expergefacti essent. Et certe ut in meditandis Dei beneficiis obliviosus et socors erat populus ille, non potuit eius saluti melius consuli, quam ubi Deus crudeliter illum vexari affligique passus est: alioqui, perinde ac si oriundus esset ex Aegypto, perpetuum illic nidum optasset: qua desidia in eorum cordibus obliterata fuisset spes haereditatis promissae.

7. *Porro creverunt filii.* Quousque excreverint, duodecimo capite narrat Moses, nempe ad sexcenta usque millia, exceptis pueris et mulieribus. Incredibile certe augmentum tam exiguo tempore. Nam quum anni inter foedus cum Abraham percussum et populi exitum numerentur quadringenti triginta, dimidiam vero partem effluxisse constet antequam Iacob in Aegyptum descenderet: inde conficitur, ducentis tantum annis, vel paulo plus, hoc est annis decem vel circiter, Israelitas fuisse inquilinos illius terrae. Qui ergo fieri potuit, ut tam exiguo tempore excresceret familia una in tot myriadas? Larga fuisset ac insolita multiplicatio, si ex una-

quaque tribu prodiissent dena millia. Haec autem quadruplo longe excedit. Itaque Mosis narrationi, quia communem generandi modum transgreditur, quasi fabulosae fidem abrogant nasuti homines, qui Dei virtutem nonnisi ex suo sensu et experientia aestimant. Ea enim est hominum malignitas, ut vel spernendis Dei operibus semper occasionem inveniant: ea etiam improbitas et petulantia, ut acumen suum absque pudore exerceant in obscuranda eius gloria. Si ratione comprehendant fieri posse quod pro miraculo narratur, naturae adscribunt: (ita virtutis suae laude spoliatur ac fraudatur Deus) si illis incomprehensibile est, quasi portentum repudiant. Atqui si Dei potentiam agnoscere non sustinent, nisi cuius magnitudine reddantur attoniti, cur sibi verum esse non persuadent quidquid respuit communis sensus? Rogant quomodo id potuerit accidere. Quasi vero aequum sit, Dei manum restringi ne in eius arbitrio sit operari supra humani ingenii captum. Quin potius quia tam male pro nostra tarditate in ordinariis eius operibus proficimus, necesse est insolita documenta nobis proponi, quae in admirationem nos rapiant. Summa sit, quia non de naturali sobolis procreatione hic disserit Moses, sed miraculum prius inauditum celebrat, quo Deus suae promissionis fidem sancivit, quum reverenter suspicere conveniat quod sensus omnes nostros immenso spatio transcendit, perverse de eo et maligne ex rationis nostrae modulo iudicium fieri. Quare potius id in memoriam veniat quod incredulo populo exprobrat Deus apud Isaiam (51, 1). Nam ut probet sibi non esse difficile, ex paucitate ad quam redacti erant Iudaei, producere ingentem multitudinem, iubet eos attendere ad cavernam unde excisi erant, nempe ad Abraham et Saram, a quibus traxerant originem, quos solitarios et steriles multiplicaverat. Rabbini quidam suo more divinant quaternos foetus editos fuisse. Quoties enim aliqua in re perplexi haerent, libenter confingunt quidquid placuit, deinde somnia sua pro certis testimoniis obtrudunt: stulte quoque et importune disputant, secundum physicam rationem id esse probabile. Hos quoque nonnulli ex nostris parum considerate imitati sunt, dum contendunt experientiae esse consentaneum quod scribit Moses, quia non multum absimilis sit quarundam gentium foecunditas. Insignibus quidem exemplis confirmari interdum cernimus quod in Psalmo (107, 37) traditur, Deum locare famelicos in deserto, qui illic aedificent urbes, serant vites ac seminent triticum, ac multiplicentur valde: sicuti rursum terras habitabiles in deserta convertit et incolis nudat: sed consilium Mosis est, docere, nullam fuisse unquam foecunditatem, quae non inferior esset incrementis populi Israel. Atque huc pertinet comparatio inter animas septuaginta, et multitudinem quae inde profluxit, ut haec Dei benedictio ab aliis omnibus separetur: deinde verborum congeries, quae proculdubio ad amplificationem valet, quod fructificaverint, multiplicati sint, creverint et roborati sint supra modum, ut replerent terram. Nam repetitio adverbii Meod Meod, copiam minime usitatam notat. Quod in verbo שרץ nonnulli metaphoram esse volunt a piscibus sumptam, non reprehendo: nescio tamen an satis firmum sit, quia generaliter pro quavis multiplicatione capitur.

8. *Surrexit autem rex novus super Aegyptum, qui non noverat Ioseph:* 9. *Dixitque ad populum suum: Ecce, populus filiorum Israel multus et robustus prae nobis.* 10. *Agedum, prudenter nos geramus erga illum, ne multiplicetur: ne accidat, si obvenerit bellum, iungatur ipse quoque hostibus nostris, et pugnet contra nos, ascendatque e terra.* 11. *Constituerunt igitur super illum praefectos vectigalium, ut affligerent illum oneribus suis: exstruxeruntque urbes munitas* [1]) *Pharaoni, Pithom et Rhameses.*

8. *Surrexit autem rex novus.* Quum centum anni et plures feliciter transacti essent in libera quiete, mutari coepit in deterius electi populi conditio. Exordium autem calamitatum Moses ab aemulatione et invidia, falsoque Aegyptiorum metu fluxisse narrat: quia sibi periculum a gente extera impendere finxerint, nisi eam mature opprimerent. Verum antequam illuc descendit, praefatur, beneficii quod a Ioseph acceperant deletam fuisse memoriam: quae si viguisset, poterat truculentiam aliquatenus mitigare. Credibile autem est, modestia Ioseph factum esse ut oblivio haec obruerit gratiam illi debitam: quia si magna suis privilegia postulasset, atque a tributis et vectigalibus immunitates, multis saeculis celebris fuisset fama, salutem ab homine israelitico regioni fuisse allatam: sed apparet contentum fuisse humano hospitio, ut commode et sine molestia fratres sui habitarent in terra Gosen: quia scilicet inquilinos esse voluit donec veniret tempus liberationis. Atque optime eorum saluti hoc modo prospexit, ne talibus illecebris capti, exitiales laqueos induerent. Sed quo minus invidiae et querimoniis obnoxia fuit sancti viri moderatio, eo minus excusabilis eorum ingratitudo, dum paulo post saeculum unum obliviscuntur rei tam memorabilis: quae publicis tabulis consignanda passim fuerat, ne quando intercideret nomen Ioseph. Non ferenda igitur impietas, quod eius cognatis et posteris apud se peregrinari non concedunt, quibus, post Deum, vel sub Dei manu et auspiciis, suam et terrae salutem adscribere debuerant. Sed hic morbus semper fere in mundo grassatus est: ac nobis certe expedit

1) *In margine additur:* Vel, recondendae annonae. Ed. 1617: Vel, perdendae annonae.

malam semper mercedem ab hominibus rependi benefactis, ut discamus in officiis praestandis Deum unum respicere: quia alioqui vel ad conciliandum nobis favorem et plausum, vel ad captandas terrenas utilitates plus aequo sumus addicti. Quanquam non vulgare fuit praemium quod ultra centum annos liberaliter habiti sunt in gratiam Ioseph Israelitae, ut in gente superba, avara et crudeli commode viverent. Caeterum, quidquid accidat, ut non solum compensatione omni fraudemur, sed conspirent in nostram perniciem multi de quibus bene meriti erimus, nunquam recte fecisse nos poeniteat. Interea discamus nihil efficacius esse ad cohibendam nocendi libidinem coniunctionis vinculis, quibus nos Deus mutuo adstringit. Etsi autem apud omnes evanuerat gratia Ioseph, probrum tamen ac crimen ingratitudinis praecipue in regem confertur: cui plus quam turpe fuit ignorare cuius industria et opera tam uberem quotannis proventum perciperet. Nam quum agrorum fundos emisset sanctus patriarcha, inde regi annuum tributum acquisierat quintam frumenti partem. Verum ita solent tyranni quidquid illis penditur ingurgitare, neglecta iuris sui inquisitione.

9. *Dixitque ad populum.* Nempe in conventu solenni, quales a regibus haberi solent, ubi de publico statu consultandum est. Quasi diceret Moses caput hoc deliberationis apud ordines propositum a rege fuisse: nempe, quia timendum sit ne filii Israel multitudine sua et robore freti insurgant, res novas moliantur, ac si quid turbatum sit excusso iugo Aegyptum relinquant, praeveniendos esse, ac premendos duris oneribus, ne quid tentare audeant. Hoc vocat Pharao, prudenter se gerere. Etsi enim verbum חכם saepe in malam partem sumitur pro Callide circumvenire: hic tamen honesto titulo quam statuit inferre iniuriam praetexit: prudenter dispiciendum esse, ne sua ignavia vel cessatione Aegyptii grave sibi damnum accersant. Fuit quidem hoc vulgare apud profanas gentes, in capiendis consiliis pluris esse honestum quam utile: sed ubi ad rem ventum est, omnes fere ita excaecat cupiditas ut praeterito honesti respectu, ad sua commoda ferantur praecipites. Adde quod ex utili faciunt necessarium: deinde sibi persuadent rectum esse quidquid suscipere coguntur. In promptu enim occurrit et facile decipit speciosus ille sed fallax color, ubi aliquid imminet periculi, obviam eundum esse. Scelestis quidem et deploratis tribuitur apud tragicos poetas vox ista detestabilis, occupandum esse scelus: quia natura dictat id iniustum esse ac praeposterum. Sed haec vulgo optima videtur esse cavendi ratio, ut neminem providum censeant, nisi qui securitati propriae cum alterius damno, si ita res ferat, consulit. Ex hoc fonte manant fere bella omnia: quia, dum quisque principum sibi a vicinis metuit, haec trepidatio impellit eum in horrorem, ut terram humano sanguine operire non dubitet. Hinc et inter privatos fraudandi, caedendi, rapiendi, mentiendi licentia: quia nimis sero repelli iniurias putant, nisi dum quisque antevertit. Atqui haec nimis improba est calliditas (licet fucosa providentiae specie tegatur) ut nobis bene sit, inique aliis molestos esse. Hunc vel illum metuo, quia et facultas nocendi suppetit, et de eius animo sum incertus: itaque ut securus sim ab omni noxa, quacunque potero arte illum opprimere conabor. Nempe contemptissimus etiam quisque et maxime imbecillis, si ad maleficium inclinet, erit armatus in nostram perniciem: ac proinde de maiori hominum parte dubitabimus. Si ita suae diffidentiae omnes indulgeant, dum pro se quisque machinabitur dubiis hostibus aliquid iniuriae, nullus erit scelerum modus. Quare immodicis curis et anxietatibus, quae ab aequitatis studio nos abstrahunt, opponenda est Dei providentia: in quam si recumbimus, nullus unquam periculi timor ad iniquum facinus aut vafram consultationem nos impellet. In verbis Pharaonis omnia contraria: nam ubi admonuit, Israelitas, si velint, posse damnum inferre, suadet vires eorum quovis modo esse frangendas. Neque enim quaeritur fas sit necne, ubi semel statutum est, prospicere suis commodis, vel otio, vel saluti.

10. *Ecce populus.* Non raro contingit Dei benedictionibus quasi aculeis pungi ad aemulationem improborum animos, imo quasi flabellis eorum rabiem accendi. Neque tamen ideo vel minimum divini favoris testimonium minus amabile nobis esse debet, quia occasio sit improbis in nos gravius saeviendi. Atque ita consulto suam liberalitatem Deus temperat, ne simus terrenae prosperitati nimium affixi. Ita Iacob ex domo patris et haereditate promissa in exsilium eiecit benedictio, ex qua pendebat tota eius felicitas: sed hoc uno solatio lenivit suos dolores, quod sciret Deum sibi esse propitium. Ita et posteri, quo Deum magis beneficum experti sunt, eo infestiores senserunt Aegyptios. Pharao autem, ut eos reddat exosos vel suspectos, eorum potentiam in medium proferens, eos insimulat defectionis, cuius nullum signum dederant. Neque tamen eos dicit fore rebelles, ut imperium armis occupent: sed ut alio migrent. Unde coniicere licet, spem quam de reditu fecerat Deus non dissimulasse. Haec autem visa est plausibilis excusatio, minime aequum esse, ut qui sponte concesserant in fidem regis, liberi dimitterentur: sicuti etiam commemorat Isaias 52, 4.

11. *Constituerunt igitur.* Hoc remedium Aegyptii excogitarunt atterendis paulatim filiis Israel. Subditi sunt, licet igitur vectigalium oneribus eos gravare, ne caput attollant: haec servitus eos debilitabit et imminuet. Verum subiectio non eo usque trahenda

erat, ut innoxiis hominibus, quibus concessa fuerat libera habitatio, nova tributa imponerent. Erat enim primo loco considerandum qua lege fuissent admissi. Fuit igitur iam per se iniqua exactio, qua violavit Pharao datam fidem, sed in fine gravius peccatum, quod lucrum non simpliciter quaesivit, sed voluit affligere onerum gravitate miserum populum. Nec vero ad pendendum modo tributum coacti sunt Israelitae, sed ad serviles operas, ut continuo post addit Moses. Quantum ad duas urbes spectat, quo sensu vocentur Miscenoth, dubium est. Accipitur hoc nomen interdum pro cellis et horreis, vel reconditoriis omnium rerum quae ad annonam necessariae sunt: verum quia aliquando munitiones quoque significat, non male conveniet sensus: claustra suis manibus exstruere iussos esse, quae eos arcerent ab exitu. Nam Rhameses fuisse in illa parte regionis sitam constat ex pluribus locis, et postea videbimus filios Israel ex Rhameses profectos esse (Gen. 47, 11. Exod. 12, 37. Num. 33, 3).

12. *Quo autem magis premebant eum, magis crescebat et augebatur: et anxietate constricti sunt propter filios Israel.* 13. *Itaque adegerunt in servitutem filios Israel cum saevitia.* 14. *Proinde amara illis fuit vita ipsorum in servitute dura, in caemento, in lateribus, et in omni opere agresti: quia servitium omne eorum quo serviebant illis, erat cum saevitia.*

12. *Quo autem magis.* Conflictum narrat Moses inter Dei gratiam et crudelitatem regis Aegyptii. Quum ergo tyrannice vexarentur miseri Israelitae, Deum illis opitulatum fuisse dicit, et quidem ita potenter ut praevaluerit eius auxilium. Ita frustratus est improbum illud et fraudulentum consilium: quod de ecclesia delenda inter se Aegyptii ceperant. Unde et spes nobis concipienda est, quidquid in nos moliantur impii, fore irritum, quia superior et victrix erit Dei manus. Sed nobis patienter ferendae sunt afflictiones, quia Deus nos contra pondus nobis impositum vult eniti et assurgere. Quia vero proprium Dei munus est se opponere iniustis consiliis, ut successu careant, discamus ab omni fraude et violentia nos abstinere, ne Deum quasi data opera provocemus. Sed hic locus praecipue ad piorum consolationem valet, ut aequiore animo ad crucis tolerantiam sint parati: quia instructus est Deus ad ferendas suppetias, quibus impiorum furorem demum cedere necesse erit. Quod dixit secunda parte versus, anxios fuisse Aegyptios, significat magis sollicitos fuisse, quum nihil se proficere viderent, quia inopinata multiplicatio maius discrimen minitabatur. Nam quum eos prius metuerent quibus nihil fecerant iniuriae, non mirum est eos trepidare ne lacessiti vicem rependant. Atque hinc utilis colligitur doctrina, dum per horrenda maleficia grassantur scelerati, quo sibi tranquillitatem acquirant, hanc demum iustissimam illis mercedem divinitus rependi, ut maior eos anxietas excruciet. Quidam vertunt: Aegyptios abominatos fuisse populum Israeliticum: et ita apud Hebraeos interdum sumitur verbum קוץ: verum circumstantia loci sensum quem reddidi postulat.

13. *Itaque adegerunt in servit.* Docet Moses adeo metu non fuisse ad clementiam flexos, ut magis obduruerint et stimulati fuerint ad maiorem immanitatem. Neque enim sentiunt impii, dum illis infeliciter cedunt perversi conatus, Deum sibi esse adversum: et, si quando tangantur hac cogitatione, caecus tamen amentiae impetus eos raptat, ut non dubitent, vel repugnante Deo obstinata libidine perrumpere: sicut ex historiae progressu melius liquebit. Rigor exactionum exprimitur, ubi dicit oppressis amaram fuisse vitam, qua nihil est dulcius. Extremas igitur et intolerabiles miserias fuisse apparet, quae vivendi taedium attulerint. Hoc idem aliis verbis confirmat: species etiam onerum commemorat, quod miscendo caemento, conficiendis lateribus, aliisque similibus servitiis addicti fuerint. Bis autem repetit, fuisse tractatos cum saevitia: quod tantundem valet ac duriter.

15. *Dixit etiam Pharao rex Aegypti ad obstetrices Hebraeas, quarum unius nomen erat Sephera, alterius Puah.* 16. *Sic dixit: Quando adiuvabitis ad partum Hebraeas, et videbitis in illis quod sit masculus, interficite eum: si autem sit femina, vivat.* 17. *Timuerunt vero obstetrices Deum, nec fecerunt sicut praeceperat illis rex Aegypti: conservaruntque masculos in vita.* 18. *Et vocans Pharao obstetrices, dixit illis: Quare fecistis rem hanc, et servastis masculos?* 19. *Responderunt obstetrices Pharaoni: Quia non sunt Hebraeae mulieres ut Aegyptiae: sunt enim vegetae, et priusquam veniat ad eas obstetrix, pariunt.* 20. *Benefecit ergo Deus obstetricibus: et multiplicatus est populus, et roborati sunt vehementer.* 21. *Et factum est, quia timuerunt obstetrices Deum, fecit illis domos.* 22. *Tunc praecepit Pharao cuncto populo suo, dicens: Omnem natum masculum in flumen proiicite: omnem vero feminam vivam servabitis.*

15. *Dixit etiam Pharao.* A vi et truculentia aperta, quae nihil profuit, nunc descendit tyrannus ad occultas fraudes et insidias. Foetus enim ex utero prodeuntes iubet clam interfici: atque obstetricibus mandat ut tam dirae et barbarae crudelitatis sint ministrae. Nullum tam detestabile severitatis [1]) exemplum a mundo condito legitur. Contigit, fateor, non semel, ut victores urbe aliqua capta, ne pueris quidem et infantibus parcerent: nempe in

1) *Lege:* feritatis.

ipso pugnae fervore, et quia nimis pertinax fuerat defensio, et multos ex suis amiserant, quorum volebant mortem ulcisci. Contigit ut patruus quoque, vel frater, vel tutor, impia regnandi cupiditate ad puerorum caedes impellerentur. Contigit denique in odium tyranni, ut ad delendam familiae memoriam tota soboles interempta fuerit: et eo saevitiae quidam progressi sunt contra hostes suos ut ex uberibus matrum teneros foetus avellerent. Sed nunquam ab hoste quantumvis implacabili ita saevitum fuit contra totam unam gentem, ut in media pace foetus omnes masculos exstingui iusserit. Haec certe fuit tentatio quae summae constantiae viros graviter concutere posset, nedum labefactare debilem populum, quem iam vivere taedebat. Nam primo intuitu putaret quisque illis fuisse utilius et magis optabile, subsidere in mediocri vel etiam humili statu, quam Dei benedictione provocari in eos tantam hostium rabiem. Ac probabile est, qua erant animi mollitie, fuisse non tantum graviter perculsos, sed prope obstupefactos. Hoc enim solum restabat, ut morientibus viris absque spe sobolis, paulo post intercideret nomen et genus Abrahae, atque ita omnes Dei promissiones in nihilum reciderent. Hodie quia nobis similes fere insultus sustinendi sunt, dum obiicitur nobis desperatio, ac si penitus abolenda mox esset ecclesia, opponere instar firmi clypei hoc exemplum discamus: non esse novum si propinquus interitus nobis immineat, donec repente et ex inopinato appareat in rebus extremis coeleste auxilium. Iosephus falso existimat obstetrices fuisse Aegyptias, quae ad explorandum missae fuerint: quum diserte narret Moses, ministras Hebraeis mulieribus et adiutrices fuisse ad pariendum. Et ex toto contextu plane refellitur illa divinatio, praesertim quia retentae fuerunt Dei timore, ne libidini tyranni morem gererent. Unde sequitur pietate aliqua fuisse ante imbutas. Verum alia quaestio exoritur, quum sit verisimile in tanta multitudine multas fuisse obstetrices, cur duae tantum nominentur. Duplex afferri potest ratio, vel quod duas aggressus sit tyrannus, quae longius spargerent imperii terrorem: vel quod clandestina fraude agere instituens, duorum animos tentaverit, quarum obsequio si potitus esset, alias sperabat eodem facile pertractum iri. Quominus enim palam et omnibus promiscue mandaret obstitit pudor.

17. *Timuerunt Deum.* Non intelligit Moses, tunc primum fuisse Dei timore tactas, sed causam assignat cur non paruerint iniusto mandato, quia scilicet pluris apud illas fuit vel praevaluit Dei reverentia. Et certe, ut hoc fraeno optime reguntur omnes nostri affectus, ita et aptissimus est ad repellendas omnes tentationes clypeus, et firma animorum fultura, ne in periculis vacillent. Porro facinus hoc exhorruerunt non solum tanquam crudele et inhumanum: sed quia vigebat in illarum cordibus sincerior religio et pietas. Sciebant autem divinitus electum et re ipsa expertae erant benedictum esse Abrahae semen: unde sentire promptum erat, exstinguere in ipso Dei gratiam, sacrilegae esse impietatis. Iam notanda est antithesis inter timorem Dei et poenae formidinem, quae ipsas ab officio dimovere poterat. Quando non facile patiuntur tyranni contemni sua imperia, morte ante oculos obiecta, puras tamen a scelere manus continent. Ita Dei reverentia erectae et suffultae Pharaonis mandatum et minas fortiter spreverunt. Itaque quos a recto cursu abripit hominum terror, sua mollitie produnt inexcusabilem Dei contemptum, sacrosanctis eius placitis hominum gratiam praeferendo. Latius etiam patet doctrina multos plusquam praepostere sapere, dum subiectionis praetextu, praeter ius et fas improbae regum libidini obtemperant, dum alii avaritiae et rapacitatis, alii crudelitatis sunt ministri: imo, ut caducis mundi regibus gratificentur, Deum pro nihilo ducunt, adeoque puram religionem (quod est omnium deterrimum) ferro et ignibus ex professo oppugnant. Quo magis detestabilis est eorum impudentia, quod dum Christum crucifigunt scientes et volentes in suis membris, putidam tamen excusationem obtendunt, se ex Dei verbo principibus suis obedire. Quasi vero principes ordinando, ius illis suum resignaverit: ac non potius optimo iure in ordinem cogatur terrena quaevis potestas, ubi in coelum se effert. Quando autem hoc tantum captant ut probrum apud homines effugiant scelerati obsequii, non longis rationibus coarguendi sunt, sed ad mulierum iudicium mittendi, quia obstetricum exemplum abunde ad eorum damnationem sufficit: praesertim ubi eas suo elogio commendat spiritus, quod regi non obsequutae sint quia timebant Deum.

18. *Et vocans Pharao.* Non aequitate nec clementia ad moderate agendum inductus fuit: sed quia palam non audebat miseros et innoxios foetus ex utero prodeuntes ad trucidationem proiicere, ne tanta atrocitas ad ulciscendi rabiem Israelitas accenderet. Clanculum igitur feminas accersit, ac interrogat cur non exsequutae sint quod praeceperat de necandis in ipso partu infantibus. Quanquam non dubito seditionis metu fuisse cohibitum magis quam pudore. In obstetricum responso duo vitia notanda sunt, quia nec satis ingenue professae sunt suam pietatem, et mendacio, quod gravius est, elapsae sunt. Nam fabula quam excogitant Rabbini ad purgandam earum culpam, repudianda est: non venisse in tempore, quia admonuerant omnes mulieres Hebraeas de impia regis machinatione: atque ita factum esse ut parientibus non adessent. Quid enim hac divinatione frigidius? Atqui Moses sua narratione mentitas fuisse ostendit. Quidam genus

hoc mendacii, quod officiosum nominant, volunt reprehensione carere: quia culpam abesse putant ubi nihil fraudis ad nocendum admittitur. Ego autem statuo, quidquid Dei naturae repugnat vitiosum esse: qua ratione damnatur omnis simulatio tam in dictis quam in factis, ut fusius in legis explicatione (si Dominus tempus concesserit) disseram. Quare utrumque tenendum est, et mentitas fuisse duas mulieres, et quia displicet mendacium Deo, peccasse. Nam ut in aestimandis sanctorum factis dextros humanosque interpretes esse nos decet, ita rursum in tegendis eorum delictis cavendus est superstitiosus zelus, qui saepe in apertam scripturae autoritatem impingit. Neque vero si quando lapsi sunt fideles, fallaci patrocinio levari appetunt, quorum iustitia in simplici et libera culpae deprecatione consistit. Nec obstat quod bis laudatur in illis Dei timor, et ipsas Deus remuneratus esse dicitur: quia Deus, ut paterne indulget filiis suis, eorum virtutes, quamvis aliqua sordium mixtura inquinatas, in pretio nihilominus habet ac si purae essent. Nullum quidem ita absolutum est opus cui non adhaereat aliquid maculae: sed in quibusdam id clarius apparet. Fide impulsa fuit Rachel* ut ius primogeniturae transferret in filium Iacob. Pium certe desiderium, et consilium laude dignum, ad oraculi effectum ardenter eniti: neque tamen astutiam et dolum laudabimus, quibus vitiari poterat tota actio, nisi gratuita venia intercessisset. Plena est talibus exemplis scriptura, quae excellentissimum quodque opus particulari interdum vitio aspersum fuisse docent. Talibus autem naevis, qui alioqui foedarent omnes fere virtutes, Deum pro sua indulgentia ignoscere mirum non est, ac mercede ornare quae laude atque etiam favore indigna erant opera. Ita quum pusillanimes in suis verbis ac nimis timidae fuerint mulieres, quia tamen re ipsa cordate et viriliter egerant, vitium quod merito damnasset, in illis toleravit Deus. Hac doctrina additur nobis alacritas ad recte agendi studium, quando tam benigne infirmitatibus nostris Deus parcit, et simul monemur summa attentione cavendum esse ne ubi recte agere cupimus, aliquid obrepat vitii quod virtutem obscuret, adeoque contaminet: sicuti non raro accidit ut qui in rectum finem tendunt, claudicent tamen vel impingant, et aberrent a via. Denique quisquis se probe examinabit in optimo etiam conatu defectum aliquem reperiet. Porro quod Deus praemium rependit, hoc prospero successu ad fiduciam animemur, ne pro officii nostri fide periclitari nobis grave sit. Nec certe nos terrebit ullum discrimen, si modo hoc penitus cordibus nostris insideat, quamvis odium in mundo pariat beneficentia: Deum tamen sedere in coelo eius remuneratorem.

21. *Fecit illis domos.* De mulieribus exponi mihi nullo modo placet: ac miror in re non dubia tam crasse hallucinatos fuisse multos interpretes. Inter omnes convenit masculini generis esse pronomen: ideoque secundum communem usum referri ad viros debere: sed quia vicissim inter se mutantur duae literae ם et ן, uno contextu totum versum putarunt ad mulieres spectare. Atqui nulla cogebat necessitas: quando optime fluit oratio, auctos fuisse Israelitas et valde crevisse, et quia timuerunt Deum obstetrices, fecisse illis domos, nempe Israelitis: ac si diceret, mulierum pietate adeptos esse felicem propagationem. Et quia nonnulli ex falsa interpretatione vix posse commodum sensum elici videbant, finxerunt Dei inspiratione exstructas illis fuisse domos bene munitas a populo, ubi tutae essent ab hostili incursu. Quo figmento nihil est magis puerile. Verum ne in re non admodum perplexa frustra se torqueant lectores, videndum est quid apud Hebraeos valeat haec loquutio: Domum facere. Quum promittit Deus (1. Sam. 2, 35) se facturum Samueli domum fidelem, non dubium est quin firmum sacerdotii statum designet. Quum alibi (2. Sam. 7, 27) se pronunciat domum aedificaturum Davidi, et paulo post in precatione Davidis legitur: Domine tu in aurem servi tui revelasti quod domum facturus mihi esses (1. Sam. 25, 28): certe intelligitur regia dignitas. Atque ita vulgo loquutos fuisse, ex sermone Abigail constat, ubi se scire dicit Deum facturum Davidi certam ac stabilem domum. Id certe in sexum muliebrem non competit, sicuti neque nomen, ut femina caput familiae efficiat. Unde apparet violenter torqueri verba si dicamus Deum fecisse obstetricibus domum. Toti autem populo aptissime conveniet, quod a Deo fuerit multiplicatus, ut instar perfecti aedificii consurgeret ad suam altitudinem. Summa est, quod salvi et superstites fuerunt Israelitae: Imo quod floruerunt, id duarum mulierum opera esse factum: quo melius eluceat Dei gloria, qui tam mirabiliter per infirma organa suos servavit, quia minimum abfuerant ab interitu. Ponit autem Moses domos numero plurali, quia per singulas familias prole subolescente aedificatus est populus.

22. *Tunc praecepit Pharao.* Nisi correptus amentia fuisset ac caecitate percussus, sensisset adversam sibi esse Dei manum. Sed ubi semel reprobi in furorem divinitus coniecti sunt obstinate pergunt in suis maleficiis: neque id modo, sed maiore audacia ut vertiginosi vel phrenetici adversus quaevis obstacula perrumpunt. Est quidem hoc usitatum ut crudelitas innoxio sanguine imbuta maiorem sitim colligat, imo in genere, ut scelerati homines quasi suo cursu incitati magis ebulliant (ita illis nullus est peccandi finis, vel modus) sed hic nobis in tam desperata rabie consideranda est Dei ultio, quod tyrannum diabolo praecipitandum dederit: deinde tam probandae suorum patientiae

quam virtutis suae illustrandae consilium. Quia insidiis et occulta fraude nihil profecit, iam excusso timore ad vim apertam prosilit: et teneros foetus raptari iubet ab uberibus et sinu matrum, et flumine submergi. Ne desint carnifices, omnibus Aegyptiis, quos sciebat plus satis esse propensos, has partes iniungit. Feminis parcit, ut Aegyptiis mancipatae et addictae servos dominis pariant: quia per eas salvum non poterat stare genus ac nomen. Hic temporis nostri similitudinem expendere operae pretium est. Antichristus enim, cum suis omnibus sicariis, eos qui perfido silentio Christum abnegant, et parati sunt serviliter omne impietatum genus amplecti, quietos sinit: nec suam crudelitatem, quamvis sit insatiabilis, exercet ubi nihil cernit virile: atque ubi effeminatos iacere videt quibus ad fidem profitendam aliquid fuerat animi, quasi voti compos exsultat et triumphat. Atqui nobis satius est centies interfici, et retinere in morte masculam virtutem, quam vitam redimere, in qua turpiter diabolo serviamus.

CAPUT II.

1. *Abierat autem vir ex domo Levi, et acceperat filiam Levi.* 2. *Concepit autem mulier illa, et peperit filium: vidensque eum esse pulchrum, abscondit tribus mensibus.* 3. *Et quia illum abscondere amplius non poterat, accepit ei arcam arundineam, et oblevit eam bitumine et pice, et reposuit in ea infantulum: exposuitque in carecto, iuxta ripam fluminis.* 4. *Stetit vero soror eius eminus, ut cognosceret quid ei fieret.* 5. *Porro descendit filia Pharaonis ut lavaret se in flumine: (deambulabant autem puellae eius secus ripam fluminis:) et videns arculam in medio carecti, misit ancillam suam quae illam tolleret.* 6. *Quumque aperuisset, vidit ipsum infantulum: et ecce, puer flebat: et miserta illius dixit: Hic ex pueris Hebraeorum est.* 7. *Tunc dixit soror eius ad filiam Pharaonis: Ibone ut vocem tibi mulierem nutricem ex Hebraeis quae tibi lactet infantulum?* 8. *Respondit ei filia Pharaonis: Vade. Profecta est igitur puella, et vocavit matrem pueri.* 9. *Cui filia Pharaonis dixit: Tolle infantulum hunc, et lacta eum mihi, et ego dabo tibi mercedem. Tunc accepit mulier infantulum, et lactavit eum.* 10. *Crevit autem infantulus, et adduxit eum ad filiam Pharaonis, cui factus in filium, et vocavit nomen eius Moseh, dicens: Quoniam ex aquis extraxi eum.*

1. *Abierat.* Tempus verbi plusquamperfectum reddere malui, tollendae ambiguitatis causa. Nisi enim dicamus Mariam et Aharon ex alia matre natos, verisimile alioqui non esset coniugium hoc a promulgatione edicti fuisse contractum. Iam ad triennium pervenerat Aharon quum natus est Moses, et palam et secure fuisse educatum facile coniicitur. Atqui dubium non est quin saevitum atrocius fuerit inter principia. Quare si uterini fuerunt fratres, non aliud restat nisi ut dicamus καθ' ὕστερον πρότερον nunc demum narrari quod ante acciderat. Solius autem Mosis fit mentio, quia tunc primum capitale esse coeperat masculos foetus alere. Abeundi aut proficiscendi verbo utuntur Hebraei dum negotium serium et maioris momenti susceptum fuisse significant, vel dum agitur de re aliqua meditata. Nec supervacuum est quod narrat Moses, patrem suum duxisse uxorem ex tribu sua: quia duplex coniunctionis vinculum eos debuerat ad sobolem servandam confirmare. Paulo post autem videbimus quam timide egerint. Puerum ad tempus breve occultant rapido amoris impetu magis quam constanti affectu. Tribus elapsis mensibus, postquam evanuit fervor ille ut discrimen effugiant, puerum fere abiiciunt. Etsi enim eius lactandi causa, si illic pernoctasset, postridie forsan ventura erat mater: pro derelicto tamen eum innumeris noxis exposuerat. Hoc exemplo docemur quanto terrore perculsi fuerint omnium animi, ubi vir et uxor propinqua cognatione inter se devincti, communem foetum, cuius pulchritudo eos ad misericordiam flexerat, ferarum, coeli, aquae, et omne genus iniuriis obiicere malunt quam una cum eo perire. Caeterum de hoc facto disputatur in utramque partem: satiusne fuerit a se reiicere pueri curam quam exspectare quidquid ex occulta custodia instabat discriminis. Fateor quidem, sicuti in rebus perplexis difficile est rectum consilium capere, ita de eo quod captum est, diversa solere ferri iudicia. Ego tamen timiditatem parentum Mosis, qua illis inducta est officii sui oblivio, perperam dico absolvi. Tantum videmus divino instinctu feris quoque et brutis animalibus inditam sobolis suae tuendae et fovendae sollicitudinem, ut mater propriam vitam pro foetus sui defensione saepe negligat. Quo turpius est homines ad imaginem Dei creatos, metu ad eam immanitatem adigi ut liberos fidei suae tutelaeque commissos deserant. Qui obtendunt, nihil fuisse melius quam in re desperata recumbere in Dei providentiam, neque nihil, neque totum dicunt. Solatium praecipuum est fidelibus, sollicitudines suas exonerare in Dei sinum: nempe, ut interea munus suum exsequantur, neque fines suae vocationis excedant, neque deflectant a via sibi proposita: sed perverse obtenditur Dei providentia cessationi et ignaviae. Potius sperare debuerant in futurum tempus Mosis parentes suam et pueri salutem Deo fore curae. Magna sedulitate confecit mater arcam, et oblevit: quorsum? nisi ut in ea filium sepeliret? Semper quidem de ipso est sollicita, fateor, nempe ut ridiculum sit eius consilium, quod profectu caruisset, nisi praeter opi-

nionem e coelo Deus apparuisset deploratae salutis vindex. Neque tamen, ut in rebus tranquillis, iudicium tam de patre quam de matre ferendum est. Coniicere enim promptum est quam acerbo luctu prosequuti sint infantis funus. Imo (ut verius loquar) vix concipere licet quam diris tormentis cruciati fuerint. Itaque ubi narrat Moses arculam a matre contextam et aptatam fuisse, patrem ita moerore fuisse obrutum subindicat ut nullis iam partibus sufficeret. Hoc modo clarius patefacta fuit Dei virtus, ubi sola mulier, exanimato marito, in se recepit totum onus. Neque enim, si commune fuisset factum, Moses eius laudem matri in solidum tribueret. Maritum quidem apostolus (Heb. 11, 23) socium laudis adiungit: et merito, quia verisimile non est nisi eo conscio et volente educatum fuisse puerum. Verum Deus qui solet infirma mundi eligere, feminam potius quam virum spiritus sui fortitudine instruxit, ut praeiret. Eadem etiam ratio valet in puella sorore, cui mater summum et ultimum actum resignat. Ita dum Maria, quae ob teneram aetatem exempta esse a discrimine videbatur, custos praeficitur vitae fratris, utriusque parentis officium deficere apparet.

2. *Vidensque eum esse pulchrum.* Non dubium est hac forma divinitus fuisse insignitum, quae animos parentum ad eum servandum magis alliceret: ut interdum solet Deus, ubi suos videt esse ad officium tardiores, eorum pigritiem blanditiis excitare. Quanquam ex testimonio apostoli constat, non hanc solam illecebram valuisse ad provocandam misericordiam: sed imbecillae fidei fuisse adminiculum. Fide enim Mosen custoditum fuisse docet a parentibus. Siquis obiiciat fidem et pulchritudinis respectum, res esse non tantum longe diversas, sed prope contrarias: respondeo, mirabili Dei indulgentia factum esse ut fidem iuvaret impedimentum quod eam obnubilare poterat: quando in solas promissiones intenta et fixa esse debet. Ergo si pura et liquida luxisset fides in eorum cordibus, formam nihil morati essent, rursum nisi promissio viguisset, imo primas tenuisset, non erat in corporis venustate tantum efficaciae ut eos traheret ad mortem libenter oppetendam. Sequitur ergo, quum bene de redemptione sibi promissa sperarent, animum illis obiecta pulchritudine fuisse addictum, et ita provocatos ad misericordiam ut remoras omnes vincerent. Atque ita saepe operari solet Deus, ut suos quasi caecos in tenebris manu ducat, ubi destituti consilio et animis liquefacti vacillant. In summa, amor ex forma elicitus adeo pars fidei non fut ut merito eius laudem obscuret. Verum Deus, qui pro mirifica sua sapientia convertere electis omnia potest in bonum: nutantem eorum fidem sustinuit ac firmavit hac fultura.

4. *Stetit vero soror eius.* Hanc fuisse Mariam probabile est. Quod autem stationem sibi elegit ad exspectandum rei eventum, hinc apparet spem aliquam fuisse residuam parentibus, quanquam ea exigua fuit. Nam quisquis illuc ex Aegyptiis appulisset, futurus haud dubie erat pueri carnifex, tam ex regis edicto, quam ex communi odio gentis adversus Hebraeos. Videtur ergo locata in excubiis fuisse Maria a parentibus, magis ut spectatrix esset fraternae caedis, quam ut pueri saluti consuleret. Verum quia paulo ante vidimus in tenebris tristitiae et desperationis micuisse fidei scintillas, mater filiolum in ripa deponens, non abiecit eius curam, sed obvii cuiusque misericordiae commendare eum voluit: hac de causa filiam procul statuit ut novum consilium ex eventu caperet. Nam si audisset ad noctem usque puerum illic iacere, clam ad eum lactandum venisset. Atque haec quidem deliberatio, ut in rebus perplexis et confusis, evanida fuit: sed Deus mirabiliter in servando puero manum suam exseruit. Nec enim dubium est quin occulta providentia filiam regis traxerit ad flumen, quae puerum alendum suscipere auderet: atque etiam ad clementiam flexerit eius animum, ut parceret eius vitae: totam denique hanc actionem gubernaverit. Nam quod non inquirit diligentius quibus parentibus progenitus sit puer, unde nutrix tam subito se offerat: (quia promptitudo illa merito suspicionem facere poterat) tantae huius facilitatis Deum fuisse autorem pii omnes fatebuntur. Ita quod emersit puer salvus ex arcula, non sine pluribus miraculis factum est. Fortuito accidisse omnia dicerent profani, quia perversus error mentes eorum occupat, ut ad conspicua Dei opera caecutiant, dum putant casu temere versari genus humanum. Nobis vero principium illud tenendum est, quum Deus sua providentia cunctos mortales regat, peculiari tamen cura electos suos dignari, et ad eos liberandos et fovendos intentum esse. Quod si prudenter singula expendimus, facile ratio dictabit, eius ductu et auspiciis, arcanoque spiritus instinctu disposita fuisse omnia quae ad Mosis liberationem facerent. Neque enim minus absurdum est tam concinuam ex vario et multiplici adiumentorem concursu moderationem fortunae adscribere, quam fingere cum Epicuro mundum ex atomis conflatum. Certe Mosen, qui futurus erat populi redemptor, quasi e sepulchro eduxit, ut probaret exordium salutis ecclesiae esse veluti creationem ex nihilo. Hoc etiam ad divinae liberalitatis cumulum accessit, quod non modo permissum matri fuit impune filium lactare, sed data etiam fuit merces.

10. *Crevit autem infantulus.* Hic vero iam renovatur moeror, quod Mosen a se iterum abdicare coguntur parentes, atque ita a visceribus suis avelli. Hac enim lege tunc Moses in gentem Aegyptiacam transiit, ut non modo alienus esset a gente sua, sed

uno capite augeret hostium numerum. Et certe credibile vix erat posse diu tolerari in aula tyranni, et inter saevissimos Israelis inimicos, quin se profiteretur eiusdem odii socium. Scimus quibus corruptelis scateant aulae, quanta fuerit Aegyptiorum superbia satis notum est, quam proclive sit optimas etiam quasque naturas deliciis fascinari, experientia docet: quo magis mirum est Mosen ubi in illos gurgites demersus fuit, rectum integrumque tamen perstitisse. Certe hic spes redemptionis iterum potuit quasi novam eclipsin pati, quia in contrariam partem aversus erat cursus: sed ita Dei providentia, quo magis videtur per obliquos flexus se circumagere, eo tandem mirabiliter apparet, dum a recto fine nunquam aberrat, aut caret suo effectu, ubi matura est opportunitas. Quanquam Deus quasi extenta manu servum suum ad se et ecclesiae corpus retraxit, ubi in nomine suggessit originis suae memoriam. Neque enim filia regis sine praeeunte Dei spiritu nomen hoc indidit: unde cognosceret Moses se fuisse extractum e fluvio ubi mox periturus erat. Quoties ergo nomen suum audivit, recordari oportuit ex quo populo esset genitus. Acriore etiam stimulo pungi debuit, quum omnibus passim res nota esset. Minime quidem id spectavit filia regis, quae potius sepultam esse generis memoriam optasset: verum Deus quia verba dictavit ac formavit asinae Balaam, idem impulit linguam huius feminae ut celebri praeconio testis foret eius rei quam maluisset esse incognitam: et quamvis Mosen vellet apud se retinere, directrix tamen eidem esset ac magistra ad repetendum genus suum. Iam si quis miretur quod patris iracundiam non fuerit verita, quasi monumentum statuendo violati edicti, facilis responsio est, nullam tyranno fuisse causam offensionis, qui libenter tulisset multa sibi nasci mancipia, abolito Israelis nomine. Quorsum enim feminis concesserat vitam, nisi ut ex ancillis nascerentur Aegyptii? Et quia Mosen duxit hoc loco, non putavit filiae facto violatum suum edictum: quin potius gavisus est sic imminui gentem Israeliticam ut cresceret Aegyptus numero hominum. Tantum restat una quaestio, qui venerit in mentem filiae Pharaonis nomen Hebraicum Mosi imponere, quum certum sit ex Psalmo 81, 6 magnum inter duas illas linguas fuisse dissidium: Venit populus meus in Aegyptum: linguam quam non noverat audivit. Ad haec, scitur Ioseph interprete fuisse usum apud fratres, dum se Aegyptium simulabat (Gen. 42, 23). Probabilis est coniectura, vocem quae significationi conveniret, petiisse a matre Mosis. Nisi magis placeat, redditam fuisse Aegyptiacam vocem servata etymologia: quod secundum magis amplector. Exsul deinde Moses impositum a matre nomen recepit.

11. *Factum autem est diebus illis, quum adolevisset Moses, ut egrederetur ad fratres suos, et vidit onera ipsorum, viditque virum Aegyptium percutientem quendam Hebraeum ex fratribus suis.* 12. *Tunc respexit huc et illuc, et videns quod nemo adesset, percussit Aegyptium, atque abscondit in arena.* 13. *Et quum egressus esset postridie, ecce, duo viri Hebraei rixabantur: tunc dixit malefico: Quare percutis propinquum tuum?* 14. *Qui respondit: Quis te constituit principem et iudicem super nos? an ut me occidas tu loqueris, sicut occidisti Aegyptium? Itaque timuit Moses, ac dixit: Certe innotuit haec res.* 15. *Pharao etiam audito hoc sermone, quaerebat interficere Mosen. Et fugiens Moses a facie Pharaonis mansit in terra Madian, seditque iuxta puteum.*

11. *Factum autem est, quum adolevisset.* Iam specimen illud fidei quod celebrat apostolus proferre se incepit, quum spretis aulae delitiis et opibus maluit Christi opprobrium subire Moses, quam extra populi electi societatem censeri beatus. Neque enim solo gentis suae amore, sed promissionum fide adductus, curam hanc suscepit, qua sciebat exosum se fore cunctis Aegyptiis. Etsi autem non statim se abdicavit divitiis, honoris gradu, favore et potentia, fuit tamen quoddam praeludium, ac si sponte fallacibus illecebris se exueret. Unde et apostolus (Hebr. 11, 24) dicit noluisse censeri in regia sobole. Certe non dubium est quin professus sit reditum se ad veram et genuinam cognationem, a qua avulsus fuerat, appetere. Ex contextu etiam colligimus non venisse ad fratres suos tantum ut eorum sortem miseraretur, sed ut solatii aliquid adferret, adeoque se adiungeret socium. Neque enim tam propinqua erat aula, ut quotidie quasi animi gratia ambulando ipsos viseret. Atqui dicit postridie se rediisse. Ergo furtim se ex aula subduxit, vel petito commeatu subire invidiam maluit, quam non aliquando pium dilectionis erga suos affectum detegere. Refert autem se vidisse illorum onera vel molestias, ut merito deberet iniusta oppressio eum ad ferendas suppetias pungere. Addit alterum stimulum, quod Hebraeum unum ab Aegyptio percuti viderit. Est autem verisimile nisi ad opus essent celeres, dure fuisse ab exactoribus mulctatos, deinde ut erant expositi improborum libidini, passim quibuslibet data fuit similis violentiae impunitas.

12. *Tunc respexit huc et illuc.* Hinc clarius patet venisse Mosen eo consilio ut miseris fratribus succurreret, eosque levaret suo auxilio ac iuvaret: quando caede Aegyptii ultus est iniuriam uni quidem illatum, sed totius gentis communem. Quamvis autem ad hoc facinus edendum instructus fuerit rara fortitudine spiritus: simul tamen coniuncta fuit infirmitas, quae arguit, non absque haesitatione eum fuisse aggressum quod tamen suae vocationis esse noverat. Nam Stephanus testis est (Act. 7, 25)

Mosen non fuisse temerario zelo impulsum ut caedem perpetraret: sed quia noverat se divinitus esse genti suae destinatum vindicem ac ministrum salutis. Circumspicit tamen an quispiam adsit spectator, nec audet maleficium punire, nisi caede clandestina. Itaque videmus non omni ex parte fuisse magnanimum ut decebat, sed cum sua timiditate luctatum esse. Rursus ex vacillatione colligitur fidei debilitas: ne putemus ita laudari ab apostolo quasi nihil ad perfectionem defuerit. Primo igitur tenendum est, Mosen non temere arripuisse gladium, sed armatum fuisse coelesti mandato, et conscium legitimae vocationis, recto iudicio has partes suscepisse, quarum habebat Deum autorem. Unde sequitur, perperam facturos homines privatos, et illius exemplo minime iuvari, si vi et manu compescant iniurias. Huc usque nos Mosis imitatores esse decet, ut praesto simus laborantibus et oppressis, quoad suppetet facultas, nec dubitemus improborum odia in nos provocare, dum eorum audaciae nos opponimus: gladium vero pro eorum defensione exserere permittamus iudicibus, qui publico imperio praediti sunt. Si eorum auxilio fraudentur innoxii dum inique laeduntur, nostrum est gemere: sicuti neque Mosi ultra progredi licuisset, nisi datus fuisset populo vindex et redemptor. Quod ad metum spectat, in quo signum dedit pusilli animi, necdum bene comparati ad munus suum exsequendum, discamus, sanctorum obsequia, quae vitiis permixta sunt, nihilominus interdum per indulgentiam placere Deo: ac proinde quamvis in officio praestando nos carnis ignavia retardet, ne tamen obniti desinamus. Haec enim fiducia non parum valere debet ad nos animandos, ubi persuasi sumus, cunctationi nostrae, modo ne cedamus, paratam esse veniam.

13. *Ecce duo viri Hebraei.* Haec perseverentia demonstrat Mosen firmo constantique animi proposito quaesiisse reditum ad fratres, ut aulae valediceret ac consulto repudiasse illius splendorem, opulentiam ac lautitias, quum tamen minime ignarus esset quantis se miseriis obiiceret, ac quam dura et aspera, imo et ignominiosa eum maneret conditio. Quare nihil mirum si dicat apostolus (Heb. 11, 25. 26), eum maluisse ultro Christi probra perferendo, affligi una cum populo Dei, quam temporarii peccati commodis frui. Adde quod tristis aspectus violentiae tyrannicae et onerum quibus premebantur fratres, nihil remorae attulit quominus pergeret: quia spe futurae remunerationis ad crucis tolerantiam compositus, praesentem metum devicit. Caeterum non exsequitur, ut antea, iudicis partes: sed officium praestat quod ab unoque exigit caritatis regula: dum pacificator accedit ad litigantes, et utrumque ad concordiam hortatur, praesertim vero maleficum obiurgat. Non fuit hoc Mosi peculiare, sed piis omnibus commune officium est ubi vident innoxios violenter premi, se offerre patronos, et quantum in se est intercedere: ne robustior praevaleat. Fieri hoc vix potest quin exasperemus eos qui prompti sunt ad nocendum: sed nihil tanti esse nobis debet ut eorum protervia obruatur aequitas, nobis tacentibus. Nam dissimulatio in hac parte species est consensus. Modice autem et lenibus verbis eum castigat Moses, qui fratri erat iniurius: quia non tam exprobrare vult culpae gravitatem quam remedium quaerit sedandae eius ferociae.

14. *Quis te constituit.* Nihil mirum si homo scelestus ac nequam adeo placidam admonitionem contumaciter repellit. Sic enim solent quibus ius et fas perrumpere decretum est, simul atque arguuntur, tumultuari, et conviciis abigere probos monitores. Et certe rarae virtutis est culpam agnoscere, et modeste admittere correctionem. Quo autem quisque deterior est atque gravius peccavit, eo magis superbit admonitus, et maiore licentia iurgatur: ideoque ad hanc indignitatem ferendam paratos esse oportet quicunque ad compescendos improbos se accingunt. Et tamen ex petulantia unius colligere licet quam perversa fuerint totius fere gentis ingenia. Qua ratione Stephanus dicit (Act. 7, 35) Mosen fuisse a suis reiectum, unde omnes ingratitudinis convincit. Verum ut populo parcatur, docemur hoc exemplo quam indomabilis sit eorum natura quos Deus non mansuefecit. Neque enim minus duriter castigationes repellit eorum pervicacia, quam ab incude excipitur ictus mallei. Quando igitur ita sunt praefracti ut decies fracti nunquam tamen corrigantur: nihil mirum si Deus in illos asperius saeviat, quemadmodum facturum se denunciat per os Davidis (Psal. 18, 27). Hoc ne experiamur, mature nos submittamus Dei ferulis: et quando non omnibus datum est rogemus ut nos ad veram docilitatem formet. Quid enim proficiemus contra stimulum calcitrando? Adde quod talem contumaciam sequitur comes belluina quaedam immanitas, ut in hoc exemplo iterum cernimus. Rogat Mosen vile et abiectum mancipium quis eum constituit iudicem super Hebraeos: ac si non esset ipse cum toto suo genere expositus omnium contumeliis. Colaphum si quis incussisset ex infima plebe aegyptiaca, non ausus esset mutire: contra blandam admonitionem non minus imperiose protervit ac si ab omni subiectione esset liber. Deterius etiamnum quod sequitur, an vis me occidere sicut Aegyptium? Debuerat Mosen, ob tale pii studii documentum, non secus ac Dei angelum amplecti: atqui beneficium in crimen vertens, non modo odiose exprobrat quod laude prosequi aequum erat, sed etiam minatur. Interea dubium non est quin perculsus fuerit sanctus vir impetuosa tentationis machina, ubi in gente sua deprehendit tantam barbariem. Aegyptios quidem sciebat sibi professos

fore hostes, si innotuisset facinus: verum a fratribus, quorum miseriae succurrere voluerat, nunquam exspectasset tam indignam mercedem: ideoque incredibilis constantiae fuit tantum obstaculum superare.

15. *Pharao etiam.* Timorem fatetur Moses, sed quo retractus non fuit a vocatione sua. Diximus ante eius zelum fuisse infirmitati admixtum, sed praevaluisse, ut nihilominus iniunctum sibi officium viriliter simul ac timide praestaret. Haec autem altera est constantiae probatio, quod eum facti non poenitet, ut studeat regem placare, sed ad exsilium se comparat: neque sic expavescit in tanto discrimine ut attonitus vel consilii inops desideat, sed concedit in terram Madian, ac per deserta mavult errare quam hostibus electi populi reconciliari. Quanquam autem videtur hoc circuitu Deus a consilio liberandi populi deflectere: mirabiliter tamen opus suum promovet. Certe Mosen tam arduis quae eum manebant certaminibus, nondum fuisse maturum satis iam cognovimus: imo in aula molliter et delicate habitus, nondum ad ingentes et continuas molestias assueverat, quarum fuisse victorem contextus historiae ostendet. Deus itaque eum quodammodo subduxit, ut paulatim obeundae tantae provinciae idoneum ac parem redderet. Usus enim quadraginta annorum in laborioso et austero vitae genere non parum profuit ad quidvis ferendum: ut merito desertum censeri debeat schola in qua eruditus fuit, donec ad provinciam magis difficilem accerseretur. Quod dicitur sedisse iuxta puteum, interpretor ob lassitudinem illic sole ad occasum vergente interquievisse, ut circa vesperam inquireret de hospitio ab incolis, quos ad hauriendam aquam venturos sperabat. Ex quo infausto accessu coniicere promptum est quam commoda habitatio sperari ab eo potuerit.

16. ***Erant autem sacerdoti Madian septem filiae, quae venerunt, et hauserunt, impleveruntque canales, ut potarent oves patris sui.*** 17. ***Et venerunt pastores qui repulerunt eas: et surgens Moses auxiliatus est ipsis, potavitque oves illarum.*** 18. ***Et quum venissent ad Bethuel patrem suum, dixit ille: Quare hodie tam cito rediistis?*** 19. ***Responderunt, vir Aegyptius liberavit nos e manu pastorum, atque etiam hauriendo hausit nobis, et praebuit potum ovibus.*** 20. ***Dixit ille ad filias suas: Et ubi est ille? quare sic dereliquistis virum? convocate eum ut comedat panem.*** 21. ***Et consensit Moses habitare cum viro illo, qui dedit Sephoram filiam suam Mosi.*** 22. ***Quae quum peperisset filium, vocavit nomen eius Gerson, dicens: Peregrinus sum in terra aliena.***

16. *Erant autem sacerdoti.* Hunc occursum prosperae fortunae adscriberent profani homines in quo tamen vivam providentiae suae imaginem repraesentat nobis Deus, ac si extenta e coelis manu gradus servi sui regeret. Quotidie ad puteum ventitabant puellae illae: et Moses quaerendi hospitii causa prope aquam substitit: ad quam probabile erat concursum incolarum vesperi fore in regione arida. Quod tamen opportune adest puellis ad ferendas suppetias, et Iethro eum hospitaliter invitat, minime fortuitum est: sed erranti servo suo dux itineris fuit Deus, ut non diurnum modo hospitium, sed ad finem exsilii usque tolerabilem habitationem pararet. Nam Iethro (quem ex epitheto constat non vulgari apud suos dignitate praeditum) non modo eius operam conduxit, sed elegit sibi generum. Et quanquam sordidum erat munus pastorale, splendida tamen affinitas non parvo solatio fuit. De voce כהן non convenit inter omnes. Chaldaeus paraphrastes male vertit principem: quia non quadraret eius filiabus molestos et infestos fuisse loci pastores. Nec magis consentaneum est, virum primarium et opulentum caruisse famulis, ut filias suas cogeretur quotidianis pastorum contumeliis et rixis exponere. Sacrificum ergo fuisse existimo, quae etiam receptior est sententia. Dubitatur tamen, falsosne deos, an verum et unicum coluerit. Certe probabiles multae rationes ad hanc coniecturam nos adducunt, non sacrificasse idolis: quia vix unquam persuasus fuisset Moses, non modo ut habitaret in domo foedis sacrilegiis polluta, sed etiam ut affinitatem contraheret. Et postea in Iethro ipsius sermone multa pietatis indicia se ostendent. Quanquam ut totus fere orbis tunc ad multas corruptelas prolapsus erat, mihi verisimile est vitiatum aliqua ex parte sacerdotium eius fuisse. Unicus tempore Abrahae Dei vivi sacerdos fuit Melchisedech. Abraham ipse ex profundo idololatriae gurgite, in quo demersa erat familia, extractus fuit. Vix itaque fieri potuit ut Madianitae purum cultum retinuerint: atque adeo ex aliis locis liquet idolis fuisse deditos. Quare omnibus probe expensis, mihi nihil magis probabile occurrit quam sub sacerdotio Iethro cultum fuisse unicum Deum ut regula tradita fuerat per manus, non tamen pure: quia tunc ubique contaminata erat religio variis superstitionibus. Est autem discrimen aliquod inter idololatriam et impurum Dei cultum ac degenerem in una parte. Dico igitur unius Dei fuisse cultores, quia non prorsus desciverant a principiis religionis, quamvis ex errorum qui paulatim obrepserant lacunis nonnihil hausissent. Agitatur inter interpretes de nomine Iethro alia quaestio. Qui putant Bethuel [1]) diversum fuisse a Iethro, nullo negotio refelluntur. Nam proximo capite Mosen de eodem homine loqui, sub vario licet nomine, clare apparet.

---

1) *Sic edd. latinae hic et deinceps omnes. Gallica versio bene:* Raguel.

Neque vero quadraret in coniugio prorsus taceri nomen patris: et violentum est commentum, in tam propinquo contextu duos homines eodem affinitatis gradu censeri. Adde quod si Iethro filius erat Bethuel, easdem aedes inhabitans, membrum fuisset familiae, non caput, ac proinde non diceretur Moses pavisse eius gregem. Iam probabile est Hobal (qui postea vocabitur filius Bethuel, Num. cap. 10) fuisse levirum Mosis, vel uxoris fratrem: unde colligitur Iethro fuisse binominem, quod satis usitatum est. Nam Hobal esse quem hic Moses Iethro nominat, absurdum est, et absque ratione fingitur. Venisse Iethro in desertum ut Mosi gratularetur, postea videbimus, sed narratur ibidem fuisse dimissum. Et certe non ita humanum fuisset, urgere hominem senio confectum ut ipsum in expeditione comitaretur. Nam si Mosen aetate superabat, vix tum fuisset minor nonagenario. Seni autem decrepito promittere laboris mercedem, postquam ventum esset in terram Chanaan, cuius fuisset prudentiae? Verum tota controversia in uno verbo facile dirimitur, quod scribit Moses Iethro fuisse reversum: Hobal vero persuasum fuisse ut maneret, ac precibus obtemperasse. Optime autem convenit senem Bethuel, quia ferendae longae peregrinationi et molestae impar erat, domum statim rediisse, relicto apud Mosen filio, qui speculator foret ac dux itineris.

18. *Et quum venissent ad Bethuel.* Non arbitror vitio esse vertendum filiabus Bethuel quod Mosi non obtulerint hospitium: quia et puellas decet modestia, et patre inscio introducere hominem exterum et incognitum, nimiae audaciae fuisset. Verum Deus inspirat patris animo gratitudinis affectum, ut iubeat illum accersi. Ita Moses a puteo abductus domum reperit in qua et commode habitet, suoque labore vivat, et iure affinitatis humaniter tractetur. Et certe medela aliqua opus fuit, quae multiplices curas et dolores leniret: quando dura erat tentatio, et quae non modo diros cruciatus pareret, sed desperatione centies obrueret sanctum virum, nisi aliunde fuisset suffultus, exsilium quadraginta annorum perferre. Quantum in tam diuturna mora esset taedii, cuivis nostrum ex proprio sensu coniicere promptum est: praesertim quum videret florem aetatis defluxisse, et iam concidere robur, ut parum idoneus in posterum esset in rebus gerendis. Difficile igitur erat, intentum esse ad eam vocationem, quae videri poterat quadraginta annorum spatio abrogata vel obsoleta. Mitigantur aliqua ex parte tam graves molestiae et anxietates, non sic tamen quin recurrant subinde multae cogitationes in diversam partem. Quo mirabilior est Dei gratia, quae inter tot perturbationes quietum et placidum continuit, ut tempus incognitum expectans, vili et abiecta sorte contentus foret: et quotidie ad exsequendum redemptoris munus, quasi in procinctu staret. De verbo יאל non convenit inter ipsos quoque Hebraeos: quia multi consensum notari putant duntaxat, alii accipiunt pro iurare. Et forte noluit hospiti incognito filiam suam dare Bethuel, nisi se iurando obstringeret illic habitaturum: quia timendum alioqui erat ne Moses alio mox uxorem abduceret. Ita coniugii pignus fuit manendi promissio. Unde perspicitur saeculi illius integritas, quod tanta viguerit iurisiurandi religio ob nominis Dei reverentiam, ut hoc vinculo utrinque contenti fuerint.

22. *Vocavit nomen eius Gerson.* Quod putant gratulatorium esse nomen ad levandam exsilii molestiam, mihi non probatur: quia potius sentio Mosen, ut tam se ipsum quam socerum et uxorem commonefaceret, alibi se patriam quaerere, illic vero esse inquilinum, nomen imposuisse filio. Nec obstat promissio habitandi cum socero, qua se non ita obligavit ut iugum excuteret divinae vocationis, vel abrumperet. Tantum adhibita fuit cautio in hunc finem ne Moses domum, ubi fuerat tam comiter exceptus, levitate desereret. Iam credibile non est eum de causa exsilii sui tacuisse: partim ut maleficii suspicionem averteret, ac testimonium redderet suae innocentiae, partim ut praeco esset singularis gratiae, qua Deus populum Israel dignatus erat. Ergo nunc in nomine filii assiduum (ut vocant) memoriale sibi occurrere voluit, quo excitaretur ad spem redemptionis promissae. Terram enim in qua videtur tranquillam stationem et iucundum nidum reperisse, peregrinam sibi esse pronunciat. Nec vero comparat Madian Aegypto, quia utriusque terrae perinde erat inquilinus: sed ubicunque habitet, extraneum se esse declarat, donec adeptus sit quam Deus promiserat haereditatem. Et sane absurdum fuisset, respectu Aegypti, terram vocare alienam, ubi stabile erat domicilium: praesertim quum fide impulsus, teste apostolo (Heb. 11, 27) reliquisset terram illam. Denique videmus fovendae simulque testandae suae fidei materiam quaesivisse, ubi professus est se peregrinari in aliena regione.

23. *Accidit autem diebus illis multis, mortuus est rex Aegypti: et suspiraverunt filii Israel propter opus, et vociferati sunt: ascenditque, clamor eorum ad Deum propter opus.* [1]) 24. *Et audivit Deus clamorem eorum, recordatusque est Deus pacti sui cum Abraham, Isaac, et Iacob.* 25. *Viditque Deus filios Israel, et cognovit eos.*

23. *Accidit diebus illis.* Demonstrativo pronomine utitur ad notandos quadraginta annos, quibus suspensum tenuit Deus servum suum ac si eum abdicasset. Addendo multos, propinquum illius

1) *In margine:* Vel, a servitute

intermedii temporis finem exprimit. Ergo quum ad octogesimum aetatis annum provectus esset, ductaque uxore consenuisset in terra Madian, filiis Israel intolerabilis tyrannidis saevitia novos gemitus et clamores extorsit: non quod tunc primum coeperint dolere et lamentari: sed quia magis expergefacti fuerunt, et diuturnitas addidit stimulos acriores. Scimus dulce miseriarum condimentum esse spem laetioris exitus. Ea quodammodo tristitiam mulcebat afflicti populi, si tyranno mortuo succederet quispiam humanior. Ubi vero regis mutatio nulla ex parte oppressionem levavit, auctus est moeror, qui ad clamandum eos solito ardentius coegit. Sic igitur verba Mosis interpretor, mortuo tyranno nihilo clementius vel mitius fuisse tractatos filios Israel, ideoque vehementius clamasse. Quanquam mihi verisimile est: Pharaonem illum qui primus gravia onera cum tributis imposuerat, ac caedi destinaverat infantes, non eo usque vixisse: quia superasset eius regnum annos octoginta, quod accidere non solet. Antequam nasceretur Moses, iam pluribus annis misere vexati fuerant Israelitae. Neque enim primo die ad tantam atrocitatem prosiliit ut iuberet masculos omnes interfici: sed postquam expertus erat se nihil proficere aliis imperiosis edictis hoc extremum tentaverat. Post natum Mosen, usque ad tempus quod hic describitur, praetereunt anni circiter octoginta. Unde coniicere licet, antequam instaret liberatio fuisse medium aliquem successorem, vel plures. In illa multiplici rerum conversione, quum eadem esset vel deterior populi conditio, insolitam lamentationem expressit ultima necessitas: atque etiam desperatio eos ad preces compulit: non quod ante nulla penitus esset Dei invocandi cura, sed quia nimis huc et illuc circumspectabant, donec, praecisis omnibus terrenis mediis, in coelos violenter ad quaerendum serio auxilium tracti sunt. Quo exemplo docemur, quamvis nos malorum gravitas tristitia et luctu conficiat, non tamen protinus ad Deum vota nostra dirigi, sed nostram segnitiem pluribus stimulis opus habere. Admonet etiam Moses, nihil esse mirum si Deus ad opitulandum non citius accurrerit, quando in suis malis torpebant filii Israel. Proinde hoc exemplo discamus, ut Deus gratiam suam proferre maturet, statim ad eum confugere.

Ascenditque clamor. Commendat Dei clementiam Moses hac circumstantia, quod pigritiam eorum non ultus fuerit, ut digna erat, sed lentis clamoribus se praebuerit exorabilem. Ac omnino in hac historia contemplari licet quod Psalmo 107 legitur, stupidissimos etiam quosque in rebus extremis vota sua demum ad Deum convertere, et quidem vehementia doloris magis quam rite composito fidei affectu. Dicit a servitute, quia proprium Dei est succurrere oppressis, liberare vinctos, et miseros erigere: atque has sibi partes ubique vindicat. Quod addit, Deum recordatum esse foederis, causae redditio est cur eorum gemitus audierit, nempe ut gratuitam promissionem sanciret datam Abrahae et posteris. Tres enim patriarchas diserte recenset, quia foedus suum Deus apud eos deposuit, sed quod per continuas aetates vigeret. Et sane ut Deus mera sua liberalitate ad nos iuvandos propensus est ita se offert nosque ultro invitat: ideoque non aliunde quam ab eius promissionibus petenda est exorandi fiducia. Sic copula in particulam illativam resolvi debet, quod exaudierit Deus gemitus, quia recordatus est foederis. Recordatio quatenus competat in Deum, a contrario discendum est. Oblivisci dicitur Deus, ubi re ipsa et palam ad auxiliandum non apparet nec manum exserit: ergo Recordari praesentem auxilii sensum notat: ac proinde utrumque ad effectum refertur. Eodem pertinet respicere, cui opponitur Tergum obvertere: quia tunc demum sentimus nos respici ubi actualiter nobis succurrit.

CAPUT III.

1. *Pascebat autem Moses oves Iethro soceri sui sacerdotis Madian, duxitque, oves post desertum, et venit ad montem Dei,* nempe *Horeb.* 2. *Et visus est ei angelus Iehovae in flamma ignis e medio rubi: et vidit, et ecce rubus ardebat in igne, et rubus ipse non consumebatur.* 3. *Dixit itaque Moses: Divertam nunc ut videam visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* 4. *Et vidit Iehova quod diverteret ad videndum: vocavitque, eum Deus e medio rubi, dicens, Moses, Moses. Et respondit: Ecce ego.* 5. *Tunc dixit: Ne appropinques huc: solve calceamenta e pedibus tuis: quia locus in quo stas terra sancta est.*

1. *Pascebat autem Moses.* Diu pastoritio munere functum esse antequam oblata fuerit visio (nempe ad annos circiter quadraginta) ante diximus. Ergo laudatur sancti viri tolerantia in hoc continuo actu. Non quod Mosi propositum fuerit, iactanter celebrare suas virtutes, sed quod nobis utile erat dictavit spiritus, et quasi in os illius suggessit, ut quae gessit et passus est, exemplo essent in omnes aetates. Fuit enim cum taedio longi temporis asperum certamen, quum instaret senectus, quae reddit corpus emarcidum. Pauci enim illo quoque saeculo vegeti fuerunt post annum vitae octogesimum. Iam utcunque frugalis esset victus, non potuit tamen vel robustissimum corpus temperies defendere contra tot noxas: quia et sub dio victitare, et perferre calorem, frigus, inediam, continuas fatigationes, curam pecudum, et alia incommoda, fere nullis datum est. Ac Deus quidem mirabiliter sustinuit

sanctum virum, ut tam arduo muneri sufficeret: sed non cessabat interior illa disceptatio: Cur tamdiu differt ac suspendit Deus quod pridem statuit? Fuit igitur rarae virtutis, hos contrarios occursus, qui subinde novam molestiam ingerebant, superare: et interea non solum victitare tenuiter, et habitare in tugurio vel caulis, sed per loca tesca et aspera saepe errare, quum a pueritia usque ad virilem aetatem lautitiis assuevisset: sicuti nunc refert, deserto peragrato se gregem ductasse ad montem Horeb, quod certe fieri non potuit quin humi cubando algeret, quin sudaret interdiu. Porro appellatio montis Dei *κατὰ πρόληψιν* in posterum tempus refertur: nempe dum illic promulgata lex fuit, quae locum illum consecravit. Satis notum est Horeb eundem esse montem qui Sinai dicitur: nisi quod nomen in diversis et oppositis lateribus mutatur: quia proprie in situ orientali dicitur Sinai, qua autem parte vergit ad occasum: Horeb. Quum ergo illic apparuerit Deus, tot praeclara coelestis suae gloriae signa dederit, quum foedus percusserit cum populo, regulam perfectae sanctitatis prodiderit, singularis quaesita fuit loco dignitas.

2. *Et visus est ei angelus.* Vel apparuit: quod idem valet. Visibilem porro formam induere necesse fuit, ut conspiceretur a Mose non qualis erat in essentia, sed qualem capere poterat humanae mentis infirmitas. Sic enim tenendum est, quoties apparuit Deus olim sanctis patribus, descendisse quodammodo ex sua altitudine, ut illis se patefaceret quatenus utile erat, et ferebat eorum captus. Idem et de angelis dicendum, qui etsi sunt spiritus invisibiles, ubi Deo visum fuit, faciem aliquam sumpserunt in qua agnoscerentur. Videndum tamen quisnam fuerit hic angelus, quia paulo post non modo se Iehovam nominat, sed gloriam sibi vendicat aeternae et unicae divinitatis. Etsi autem excusabilis est illa loquendi ratio, quod angeli transferant in se Dei personam, quatenus obeunt partes sibi ab ipso iniunctas: quia tamen notum est ex pluribus locis: praesertim ex primo Zachariae capite inter angelos statui unum principem et caput, qui aliis imperat: recte senserunt veteres ecclesiae doctores, aeternum Dei filium ita vocari, respectu personae mediatoris, quam licet vere demum una cum carne susceperit, figuram tamen gestavit ab initio. Et Paulus huius mysterii nobis idoneus est interpres, qui palam asserit (1. Cor. 10, 4) Christum fuisse ducem populi in deserto. Quanquam ergo tunc, proprie loquendo, nondum nuncius patris erat, praedestinatio tamen ad officium iam tunc ita vigebat, [1]) ut patribus sub hoc habitu cognoscendum se exhibuerit. Nec sane alia unquam sanctis fuit communicatio cum Deo quam per mediatorem promissum. Itaque nihil mirum si aeternus Dei sermo, unius cum patre deitatis et essentiae, nomen angeli mutuatus sit futurae legationis respectu. De visione, magna est opinionum varietas. Nimis violenti sunt allegoristae, qui ex rubo faciunt corpus Christi, quod coelestis maiestas non consumpsit, quum sibi elegit pro domicilio. Coacte etiam alii hoc torquent ad praefractum gentis ingenium, quod similes fuerint Israelitae spinis, quae igni non cedunt. Verum ubi germanus sensus in medium prolatus fuerit, alienos refellere non erit necessarium. Conveniunt autem optime haec visio et altera prior quae oblata fuerat Abrahae (Gen. 15, 17). Vidit ille lampadem fulgentem in medio fornacis caliginosae. Ratio exprimitur, quod Deus populum suum in tenebris exstingui non sinet. Eadem analogia respondet rubo suam integritatem retinenti in media flamma. Rubi species erat in humili et contempto populo. Igni non absimilis erat tyrannica oppressio, quae consumptionem secum traxisset, nisi mirabiliter obstitisset Deus. Itaque Dei praesentia rubetum ab incendio incolume evasit, sicuti in Psalmo 46, 4 dicitur, quamvis ecclesiam impetant turbulenti fluctus, qui naufragium minantur, ipsam tamen non moveri: quia Deus in medio eius habitat. Sic apte repraesentata fuit populi immaniter afflicti imago, qui totus igne correptus ardorem quidem sentiebat, sed absque clade: quia praesenti Dei auxilio custodiebatur.

3. *Dixit itaque Moses: Divertam.* Certum est religione tactum fuisse Mosis animum, non temere, sed divino instinctu. Quanquam nondum visionibus assueverat, agnoscit tamen non inane esse spectrum, sed mysterium aliquod notari spectaculo illo, cuius cognitio minime sibi esset negligenda, ad quam divinitus vocabatur. In quo etiam notanda est eius docilitas, ubi propius accedit ad discendum. Saepe enim accidit ut frustra Deus nobis occurrat, quia tantam gratiam maligne respuimus. Ideo discamus Mosis exemplo, quoties signo aliquo nos ad se Deus invitat, sedulo attendere, ne socordia nostra lux oblata suffocetur. Quum vero magnam visionem appellat, inde colligimus, arcana inspiratione fuisse edoctum de altitudine mysterii quod nondum innotuerat. Sed Deus hoc modo eius animum ad reverentiam paravit, quo celerius proficeret.

4. *Vocavitque eum Deus e medio rubi.* Primo loco observent lectores quod omnibus fere visionibus commune est, non fuisse mutum spectaculum sancto viro territando, sed additam fuisse simul doctrinam quae eius mentem colligeret. Nulla enim signorum esset utilitas, si suspensos tenerent eorum a quibus cernuntur sensus. Caeterum quamvis servum suum obstupefacere nolit Deus, reverentiam tamen futuro suo sermoni et autoritatem conciliat duobus modis: quia Mosen bis nomine compellans, in eius animum

1) *Princeps male:* urgebat.

penitus se insinuat, ut tanquam ad Dei tribunal citatus, sit ad discendum attentior: deinde calceos exuere iubens admiratione et metu ad humilitatem ipsum erudit ac format. Quanquam de hoc posteriore membro certatur inter multos, quos oblectant allegoriae. Non referam quid singuli proferant, quia simplex veri sensus expositio futiles omnes argutias discutiet. Nempe calceos solvere iussus est Moses, ut ipsa pedum nuditas religionem incuteret eius animo. Non secus de loci sanctitate fuit admonitus, quod in precibus genu flexio capitisque detectio nos ad Dei venerationem excitat. Quod ex ratione mox addita satis liquere arbitror, terram in qua stabat Moses, sanctam esse, ideoque non temere vel profano more calcandam: unde colligimus, externo adorationis symbolo edoctum fuisse, ut trepidus et supplex in Dei conspectum accederet. Dixerat quidem: Ecce ego (quod docilitatis et paratae in obsequium mentis testimonium erat), acrius tamen utile fuit expergefieri, ut Deum maiore metu veneraretur. Quod si tali praeparatione opus habuit nobilissimus Dei Propheta, nihil mirum si Deus variis adminiculis, ubi de legitimo eius cultu agitur, nostram segnitiem exerceat. Etsi autem non omnibus idem quod Mosi praecipitur, discamus tamen hunc omnium caeremoniarum finem esse, ut Dei maiestas probe et serio animis nostris concepta ius suum obtineat, et pro dignitate sua rite suspiciatur. Si cui placeat anagoge, non posse Deum audiri, donec affectus terrenos exuerimus, non repugno: modo praecedat genuinus ille sensus: Mosen iuberi calceos sibi detrahere, quo sese ad Deum audiendum maiore reverentia accingat. Nunc si de loci sanctitate quaeritur, facilis responsio est, singulari hoc ornari elogio tantum in gratiam visionis. Non igitur naturaliter propria aliqua sanctitate excelluit mons Sinai: sed quia Deus qui omnia sanctificat, illic dignatus est praesentiae suae signum dare. Sic Bethel praeclaro encomio celebratus fuit a Iacob (Gen. 28, 17), quod terribilis esset locus: Dei sanctuarium, et porta coeli: nempe quatenus in peculiarem revelationis usum consecratus fuerat. Nam ubicunque perspicimus signum aliquod Dei gloriae, hunc admirationis sensum elicit ex cordibus nostris pietas. Interea, ut sumus in superstitionem nimium proclives, duo hic cavenda sunt vitia, ne crassa imaginatione Deum velut e coelis detractum affigamus terrenis locis: deinde ne sanctitatem putemus esse perpetuam quae temporalis est. Prioris mali remedium est expendere Dei naturam: secundi vero, consilium eius observare, quatenus et in quem usum loca sanctificet. Neque enim, quum spiritualis sit Dei natura, terrenum quidquam de ea vel crassum imaginari fas est, neque eius immensitas loco includi patitur. Rursum ad manifestationis finem restringenda est sanctitas; ut mons Horeb sanctus fuit legis promulgatae respectu, quae verum De cultum praescribit. Hoc si considerassent posteri Iacob, nunquam opposuissent Bethel quasi locum sacrum Sioni: quia sicuti Deus semel patriarchae apparuit, tamen locum illum non elegerat: ideoque quod singulare erat, perperam in commune exemplum traxerunt.

6. *Ego Deus patris tui: Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob. Et operuit Moses faciem suam, quia timuit aspicere ad Deum.* 7. *Et dixit Iehova: Videndo vidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto, et clamorem eorum audivi a facie exactorum eius: certe cognovi* [1]) *dolores eius.* 8. *Descendi itaque ad liberandum eum e manu Aegyptiorum, et educendum e terra ista in terram fertilem ac latam, in terram fluentem lacte et melle, in locum Cananaei et Hitthaei et Amorrhaei et Pheresaei et Hivaei et Iebusaei.* 9. *Nunc ecce clamor filiorum Israel venit ad me: atque etiam vidi afflictionem qua Aegyptii opprimunt eos.*

6. *Ego Deus patris tui.* Non tantum se aethereum aliquod numen esse pronunciat, nec tantum in genere sibi vendicat Dei nomen, sed foederis sui olim cum patribus sanciti memoriam renovans, prosternit omnia idola et fictitios Deos, et Mosen in recta fide confirmat. Hinc enim certo cognovit se non frustra sperasse in Deo quem coluerant Abraham et alii patres, et qui adoptionis privilegio segregaverat genus ipsorum a cunctis gentibus. At ne longo temporis tractu obsoletum esse putet Moses, quod de Abraham traditum per manus fuerat, diserte fidem suam adhuc constare exprimit: Deum se patris eius vocando. Quia vero redemptionis spem facturus, foederis memoriam renovat, inde colligitur non obliteratum fuisse in corde Mosis: quia absurdum fuisset de re incognita verba facere: nec profuisset quidquam obiicere promissiones, quarum nullius in corde Mosis viguisset cognitio. Quoniam ergo a foedere, quod olim pepigerat Deus cum patriarchis, pendebat spes redemptionis electi populi, commemorat non frustra sibi creditum esse, quia pactio non erit irrita. Quod Moses faciem suam texit, non tantum reverentiae fuit signum, sed etiam terroris. Uterque tamen affectus nobis considerandus est, quod subito exhorruerit ad Dei conspectum, et eius maiestatem sponte veneratus sit. Religione vero tangi ac percelli eius animum operae pretium fuit, ut ad obediendum esset propensior. Velare etiam angelos faciem suam, quia immensam Dei gloriam non ferunt, legimus apud Isaiam 6, 2. Nihil itaque mirum si mortalis homo eam aspicere ausus non fuerit. Dei porro nomen

1) *In margine:* Vel, quia cognovi.

pro visibili specie, qua eius maiestas obtegebatur, positum est.

7. *Et dixit Iehova.* Antequam partes liberandi populi Deus Mosi iniungat, pluribus verbis ad spem victoriae et prosperi eventus eum erigit. Scimus enim ut dubitatio animos cura et anxietate retardet ac debilitet. Non potuit igitur Moses negotium strenue vel suscipere, vel aggredi, nisi coelestis auxilii fiducia instructus. Ergo Deus se ducem fore profitetur, ut talibus auspiciis fretus ad militandum intrepide se accingat. Unde elicienda nobis est communis doctrina: quantumvis lenti naturaliter ac haesitabundi ad praestanda Deo obsequia simus, ubi tamen de successu nos reddit certiores, fas non esse quidquam detrectare: quia nullus potest esse acrior stimulus hac promissione, manum eius semper fore paratam ubi sequimur quo vocat. In hunc finem Deus praefatur antequam vocationis faciat mentionem, ut Moses de felici exitu factus certior, alacriter ad opus descendat. Porro ubi Deus redemptionis fidem in gratuito foedere, ac proinde in mera sua liberalitate fundavit, nunc alterum argumentum sumit a sua iustitia: quia fieri non potest quin mundi iudex miseris et calamitosis subveniat, ubi indigne opprimuntur, praesertim ubi opem eius implorant. Hoc in genere verum est: Deum iniustae cuiuslibet crudelitatis fore vindicem, sed peculiare eius auxilium a fidelibus sperandum est, quos in fidem patrociniumque recepit. Itaque merito, postquam dixit, adoptione populi se moveri ne eum in extrema necessitate deserat, simul adiungit secundam confirmationem, se venisse auxilio ad cohibendam tyrannidem, quia clamorem inopum exaudierit. Hoc quidem semel animandi Mosis causa dictum est: sed non vulgari solatio lenire debet nostros omnium dolores, ubi sub iniusto onere gemimus. Neque enim Deus qui tunc oculatus fuit, hodie caecutit, quin observet omnes iniurias ac supplicum misereatur. Quanquam autem hebraismus est in verbi repetitione: Videndo vidi, significat tamen, ubi poenam differt ac suspendit, conniventiam hanc non obstare quominus e coelis speculetur hominum facta, ut tandem opportuno tempore iudex appareat. Notatur enim continua animadversio: quasi diceret, se tunc quoque vidisse dum quiescendo visus fuit populi aerumnas negligere. Clamorem se audisse dicens, oblique perstringit populi socordiam: quem non legimus ante clamasse quam rebus extremis ac deploratis coactus fuerit. Itaque nihil mirum si prope contabuerit sub malis suis, antequam subveniretur, quia vix post longum tempus exortae fuerunt preces. Quanquam ne tunc quoque serio precatos esse verisimile est (ut ante dixi), sed Deus clementiae suae et fidei maiorem habuit rationem quam iustae et solidae eorum praeparationis. His quidem verbis Dei invocationem nobis commendat spiritus, ne torpeamus in curis et moeroribus, sed recta confugere discamus ad sacram hanc anchoram: sicuti etiam in Psalmo 34, 16 dicitur: Oculi Dei super iustos, et aures eius ad precationem illorum intentae. Et sicuti alibi testatur se Deum esse qui preces exaudit (Psal. 65, 2): ita quoties duriter urgemur, ad hoc remedium quaerendum nos sollicitat. Ubi dicit populum suum esse in Aegypto, species repugnantiae quae videtur subesse, ad confirmationem non parum valet: quia huc tendit quod de terra Chanaan possidenda Abrahae promissum fuit, irritum non fore. Peregrinari enim in Aegypto populum cui data erat alibi haereditas, non convenit cum Dei veritate: nisi praescripto tempore liberetur. Posset etiam adversative capi. Quamvis populus in Aegypto habitans exsultet a terra Chanaan, ideoque ita videatur a me quodammodo remotus, audivi tamen clamorem. Sed probabile est illud, quia indignum sit populum terrae sanctae haeredem alibi semper manere inquilinum, brevi Deum redemptorem adfore. In fine versus repetitio est aliis verbis, quod Deus cognoverit dolores, sed cum amplificatione.

8. *Descendi ut liberarem.* Clarius iam explicat sibi propositum esse non praesenti modo calamitati succurrere, sed praestare datam Abrahae fidem de possessione terrae Chanaan. Finem ergo redemptionis notat, ut fruantur quiete et haereditate sibi promissa. Nota est phrasis, Deum ad nos descendere, ubi re ipsa virtutem suam profert, seque nobis propinquum ostendit, ac si diceret, palam sensuros Israelitas sibi auxilium praesto esse. Terra lata videtur opponi angustiis in quas coniecti erant. Nam etsi fertilis et commoda erat terra Gosen, crescenti tamen turbae vix ad habitationem sufficere poterat: deinde illic serviliter, non secus atque in ergastulo, clausi tenebantur. Tandem iterum confirmat se cum illis benigne acturum, quia gemitus exaudierit, et eorum aerumnas non ignoret, quamvis longo tempore vindictam distulerit.

10. *Veni itaque, et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel ex Aegypto.* 11. *Et dixit Moses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel ex Aegypto?* 12. *Et respondit: Quia tecum ero, et hoc tibi signum quod ego miserim te: Quum eduxeris populum ipsum ex Aegypto, coletis Deum prope montem hunc.* 13. *Et ait Moses ad Deum: Ecce, ubi ego venero ad filios Israel, et dixero eis, Deus patrum vestrorum misit me ad vos: tunc si dixerint: Quod nomen eius est: quid dicam illis?* 14. *Tunc respondu Deus Mosi: Sum qui sum. Et ait: Sic dices ad filios Israel: Sum* [1]) *misit me ad vos.*

---

1) *Gallice:* Si suis-ie

10. *Veni itaque.* Postquam servum suum, quo se alacrius ad opus accingeret, promissionibus Deus instruxit, nunc addit mandata, eumque ad munus cui destinatus est obeundum vocat. Atque haec optima est ad officium animandi ratio, ubi Deus certiores de prospero successu reddit qui dubitatione segnes alioqui essent. Nam etsi simplicibus Dei iussis absque haesitatione et mora obtemperandum est: tarditati tamen nostrae consulere volens, promittit non vanos fore nec inutiles nostros conatus. Et certe hoc omnibus naturaliter est ingenitum ut fiducia prosperi exitus ad agendum incitentur. Ac proinde, quamvis Deus interdum servos suos, probandae ipsorum obedientiae causa, spe destituens, praecise iubeat hoc vel illud facere: saepius tamen felicem eventum pollicendo, cunctationem eximit. Sic igitur nunc spe redemptionis proposita Mosen ad iussa exsequenda erexit. Ideo copula in particulam illativam resolvi debet: quia a promissione haud dubie pendet mandatum et vocatio.

11. *Quis sum ego.* Quod imbecillitatis suae conscius, se non esse idoneum respondet, atque ita provinciam detrectat, nondum inobedientiae fieri potest reus. Comparatio eius cum Pharaone augebat recusandi praetextum. Modestiae itaque et humilitatis videtur esse haec excusatio. Ego certe non modo culpa vacare, sed laude dignam esse arbitror. Nec obstat quod Deum sibi autorem sciebat esse tam ardui operis. Miratur enim, quando in Dei manu tot sunt millia, non alium potius deligi. Sed alia nascitur quaestio, cur nunc timide sufficere se neget ad liberandum populum, qui quadraginta ante annis adeo promptus fuerat in occidendo Aegyptio: dum vocatione Dei fretus tam periculosum facinus ausus est. Vigorem ipsius senio refrixisse (sicuti naturaliter fervidi sunt iuvenes, aetas autem frigus et cunctationem affert) probabile non videtur. Sed alio vitio laborasse apparet, quod principio non satis se ipsum excutiens, neque facultates suas vel negotii magnitudinem aestimans, confestim properavit. Quanquam autem laude digna est talis festinatio, saepe tamen in medio cursu deficit, quemadmodum fructus praecoces vel ad maturitatem non perveniunt, vel non diu permanent. Quamvis ergo generosae indolis specimen praebuerit Moses, quum Deo suam operam festinanter impendit: nondum tamen ea constantia instructus erat quae eum ad finem usque fulciret: quia fides quae in eius corde florebat, nondum egerat satis profundam radicem, nec ipse penitus examinaverat quid posset. Itaque in rem praesentem adductus trepidat, qui difficultate nondum perspecta fuerat confidentior. Ita quotidie nos, qui extra telorum iactum videmur nobis probe animati, tandem ubi cominus pugnandum est expavescimus: quia sentire incipimus pericula quae nos procul non movebant. Nihil ergo mirum si Moses, qui paratus ad obsequium fuerat ante quadraginta annos, seque assidue exercuerat in hoc sancto affectu, dum in arenam descendere iubetur, novum terrorem concipit.

12. *Et respondit: Quia ero tecum.* Notandum quod, ad superandos omnes metus et eximendos omnes scrupulos, solam opis suae praesentiam Deus opponit, ac si diceret, non referre quis sit Moses, vel quid ferant eius vires: modo sit eius ductor. Quibus verbis docemur, iusto eum honore tunc demum a nobis affici, ubi solo eius auxilio contenti, nullam fiduciae materiam extra ipsum quaerimus: et dum nos turbat propria imbecillitas, satis tamen habemus a parte nostra ipsum stare. Hinc celebres illae sanctorum voces. Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, etc. (Psal. 23, 4). Item: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi caro (Psal. 56, 5). Item: Si me circumsteterint millia hostium, confidam (Psal. 3, 7). Item: Si Deus pro nobis, quis contra nos (Rom. 8, 31)? Ideo ut quisque optime in fide profecit, ubi ad maximum quodque discrimen ventum est, Dei virtutem extollens una exsurgit, quo toti mundo audacter insultet. Atque hinc firmus et infatigabilis obedientiae tenor, si vox haec radicitus infixa sit cordibus nostris, Deum nobis adesse. Postquam autem iussus est Moses a se ipso mentis considerationem avertere, ut in promissum Dei auxilium omnes suos intuitus defigeret, signo etiam confirmatur, triduo postquam egressi fuerint ex Aegypto Israelitae, sacrificaturos Deo in monte Horeb. Videtur tamen minime apta esse vel opportuna haec promissio cuius effectus nonnisi re peracta exstitit. Coactos [1]) sensus, quos vitandae absurditatis causa quidam accersunt, omitto: quia recte et prudenter alii observant, non inutilem esse nec vanam confirmationem a signis posterioribus, cuius etiam alibi occurrunt exempla. Davidem ungens Samuel promittit fore regem populi (1 Sam. 16, 13): atque hoc signum fore pronunciat, quod unctio sit a Deo. Diu et dubiis casibus bellandum fuit, antequam hoc signo frueretur David: neque tamen supervacuum censebitur, quia suo tempore comprobata fuit Dei gratia. De solvenda urbis obsidione Isaias 37, 30, disserens, signum adiungit: Comedetis hoc anno, quae ponte nascentur: altero quae ex sponte nascentibus pullulaverint: tertio anno seminabitis, plantabitis vineas, et comedetis fructum. Dictum fuit Ioanni baptistae, super quem videris spiritum descendere, hic est qui baptizat in spiritu et igni (Ioh. 1, 33). Atqui antequam signum illud conspiceret, iam cognoverat Christum esse filium Dei. Neque enim eum latebant utriusque parentis vaticinia. Sed absurdum non est, fidem quae in verbo fundata est,

1) *Princeps:* Cunctos.

pro visibili specie, qua eius maiestas obtegebatur, positum est.

7. *Et dixit Iehova.* Antequam partes liberandi populi Deus Mosi iniungat, pluribus verbis ad spem victoriae et prosperi eventus eum erigit. Scimus enim ut dubitatio animos cura et anxietate retardet ac debilitet. Non potuit igitur Moses negotium strenue vel suscipere, vel aggredi, nisi coelestis auxilii fiducia instructus. Ergo Deus se ducem fore profitetur, ut talibus auspiciis fretus ad militandum intrepide se accingat. Unde elicienda nobis est communis doctrina: quantumvis lenti naturaliter ac haesitabundi ad praestanda Deo obsequia simus, ubi tamen de successu nos reddit certiores, fas non esse quidquam detrectare: quia nullus potest esse acrior stimulus hac promissione, manum eius semper fore paratam ubi sequimur quo vocat. In hunc finem Deus praefatur antequam vocationis faciat mentionem, ut Moses de felici exitu factus certior, alacriter ad opus descendat. Porro ubi Deus redemptionis fidem in gratuito foedere, ac proinde in mera sua liberalitate fundavit, nunc alterum argumentum sumit a sua iustitia: quia fieri non potest quin mundi iudex miseris et calamitosis subveniat, ubi indigne opprimuntur, praesertim ubi opem eius implorant. Hoc in genere verum est: Deum iniustae cuiuslibet crudelitatis fore vindicem, sed peculiare eius auxilium a fidelibus sperandum est, quos in fidem patrociniumque recepit. Itaque merito, postquam dixit, adoptione populi se moveri ne eum in extrema necessitate deserat, simul adiungit secundam confirmationem, se venisse auxilio ad cohibendam tyrannidem, quia clamorem inopum exaudierit. Hoc quidem semel animandi Mosis causa dictum est: sed non vulgari solatio lenire debet nostros omnium dolores, ubi sub iniusto onere gemimus. Neque enim Deus qui tunc oculatus fuit, hodie caecutit, quin observet omnes iniurias ac supplicum misereatur. Quanquam autem hebraismus est in verbi repetitione: Videndo vidi, significat tamen, ubi poenam differt ac suspendit, conniventiam hanc non obstare quominus e coelis speculetur hominum facta, ut tandem opportuno tempore iudex appareat. Notatur enim continua animadversio: quasi diceret, se tunc quoque vidisse dum quiescendo visus fuit populi aerumnas negligere. Clamorem se audisse dicens, oblique perstringit populi socordiam: quem non legimus ante clamasse quam rebus extremis ac deploratis coactus fuerit. Itaque nihil mirum si prope contabuerit sub malis suis, antequam subveniretur, quia vix post longum tempus exortae fuerunt preces. Quanquam ne tunc quoque serio precatos esse verisimile est (ut ante dixi), sed Deus clementiae suae et fidei maiorem habuit rationem quam iustae et solidae eorum praeparationis. His quidem verbis Dei invocationem nobis commendat spiritus, ne torpeamus in curis et moeroribus, sed recta confugere discamus ad sacram hanc anchoram: sicuti etiam in Psalmo 34, 16 dicitur: Oculi Dei super iustos, et aures eius ad precationem illorum intentae. Et sicuti alibi testatur se Deum esse qui preces exaudit (Psal. 65, 2): ita quoties duriter urgemur, ad hoc remedium quaerendum nos sollicitat. Ubi dicit populum suum esse in Aegypto, species repugnantiae quae videtur subesse, ad confirmationem non parum valet: quia huc tendit quod de terra Chanaan possidenda Abrahae promissum fuit, irritum non fore. Peregrinari enim in Aegypto populum cui data erat alibi haereditas, non convenit cum Dei veritate: nisi praescripto tempore liberetur. Posset etiam adversative capi. Quamvis populus in Aegypto habitans exsultet a terra Chanaan, ideoque ita videatur a me quodammodo remotus, audivi tamen clamorem. Sed probabile est illud, quia indignum sit populum terrae sanctae haeredem alibi semper manere inquilinum, brevi Deum redemptorem adfore. In fine versus repetitio est aliis verbis, quod Deus cognoverit dolores, sed cum amplificatione.

8. *Descendi ut liberarem.* Clarius iam explicat sibi propositum esse non praesenti modo calamitati succurrere, sed praestare datam Abrahae fidem de possessione terrae Chanaan. Finem ergo redemptionis notat, ut fruantur quiete et haereditate sibi promissa. Nota est phrasis, Deum ad nos descendere, ubi re ipsa virtutem suam profert, seque nobis propinquum ostendit, ac si diceret, palam sensuros Israelitas sibi auxilium praesto esse. Terra lata videtur opponi angustiis in quas coniecti erant. Nam etsi fertilis et commoda erat terra Gosen, crescenti tamen turbae vix ad habitationem sufficere poterat: deinde illic serviliter, non secus atque in ergastulo, clausi tenebantur. Tandem iterum confirmat se cum illis benigne acturum, quia gemitus exaudierit, et eorum aerumnas non ignoret, quamvis longo tempore vindictam distulerit.

10. *Veni itaque, et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel ex Aegypto.* 11. *Et dixit Moses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel ex Aegypto?* 12. *Et respondit: Quia tecum ero, et hoc tibi signum quod ego miserim te: Quum eduxeris populum ipsum ex Aegypto, coletis Deum prope montem hunc.* 13. *Et ait Moses ad Deum: Ecce, ubi ego venero ad filios Israel, et dixero eis, Deus patrum vestrorum misit me ad vos: tunc si dixerint: Quod nomen eius est: quid dicam illis?* 14. *Tunc respondu Deus Mosi: Sum qui sum. Et ait: Sic dices ad filios Israel: Sum* [1]) *misit me ad vos.*

1) *Gallice:* Si suis-ie

10. *Veni itaque.* Postquam servum suum, quo se alacrius ad opus accingeret, promissionibus Deus instruxit, nunc addit mandata, eumque ad munus cui destinatus est obeundum vocat. Atque haec optima est ad officium animandi ratio, ubi Deus certiores de prospero successu reddit qui dubitatione segnes alioqui essent. Nam etsi simplicibus Dei iussis absque haesitatione et mora obtemperandum est: tarditati tamen nostrae consulere volens, promittit non vanos fore nec inutiles nostros conatus. Et certe hoc omnibus naturaliter est ingenitum ut fiducia prosperi exitus ad agendum incitentur. Ac proinde, quamvis Deus interdum servos suos, probandae ipsorum obedientiae causa, spe destituens, praecise iubeat hoc vel illud facere: saepius tamen felicem eventum pollicendo, cunctationem eximit. Sic igitur nunc spe redemptionis proposita Mosen ad iussa exsequenda erexit. Ideo copula in particulam illativam resolvi debet: quia a promissione haud dubie pendet mandatum et vocatio.

11. *Quis sum ego.* Quod imbecillitatis suae conscius, se non esse idoneum respondet, atque ita provinciam detrectat, nondum inobedientiae fieri potest reus. Comparatio eius cum Pharaone augebat recusandi praetextum. Modestiae itaque et humilitatis videtur esse haec excusatio. Ego certe non modo culpa vacare, sed laude dignam esse arbitror. Nec obstat quod Deum sibi autorem sciebat esse tam ardui operis. Miratur enim, quando in Dei manu tot sunt millia, non alium potius deligi. Sed alia nascitur quaestio, cur nunc timide sufficere se neget ad liberandum populum, qui quadraginta ante annis adeo promptus fuerat in occidendo Aegyptio: dum vocatione Dei fretus tam periculosum facinus ausus est. Vigorem ipsius senio refrixisse (sicuti naturaliter fervidi sunt iuvenes, aetas autem frigus et cunctationem affert) probabile non videtur. Sed alio vitio laborasse apparet, quod principio non satis se ipsum excutiens, neque facultates suas vel negotii magnitudinem aestimans, confestim properavit. Quanquam autem laude digna est talis festinatio, saepe tamen in medio cursu deficit, quemadmodum fructus praecoces vel ad maturitatem non perveniunt, vel non diu permanent. Quamvis ergo generosae indolis specimen praebuerit Moses, quum Deo suam operam festinanter impendit: nondum tamen ea constantia instructus erat quae eum ad finem usque fulciret: quia fides quae in eius corde florebat, nondum egerat satis profundam radicem, nec ipse penitus examinaverat quid posset. Itaque in rem praesentem adductus trepidat, qui difficultate nondum perspecta fuerat confidentior. Ita quotidie nos, qui extra telorum iactum videmur nobis probe animati, tandem ubi cominus pugnandum est expavescimus: quia sentire incipimus pericula quae nos procul non movebant. Nihil ergo mirum si Moses, qui paratus ad obsequium fuerat ante quadraginta annos, seque assidue exercuerat in hoc sancto affectu, dum in arenam descendere iubetur, novum terrorem concipit.

12. *Et respondit: Quia ero tecum.* Notandum quod, ad superandos omnes metus et eximendos omnes scrupulos, solam opis suae praesentiam Deus opponit, ac si diceret, non referre quis sit Moses, vel quid ferant eius vires: modo sit eius ductor. Quibus verbis docemur, iusto eum honore tunc demum a nobis affici, ubi solo eius auxilio contenti, nullam fiduciae materiam extra ipsum quaerimus: et dum nos turbat propria imbecillitas, satis tamen habemus a parte nostra ipsum stare. Hinc celebres illae sanctorum voces. Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, etc. (Psal. 23, 4). Item: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi caro (Psal. 56, 5). Item: Si me circumsteterint millia hostium, confidam (Psal. 3, 7). Item: Si Deus pro nobis, quis contra nos (Rom. 8, 31)? Ideo ut quisque optime in fide profecit, ubi ad maximum quodque discrimen ventum est, Dei virtutem extollens una exsurgit, quo toti mundo audacter insultet. Atque hinc firmus et infatigabilis obedientiae tenor, si vox haec radicitus infixa sit cordibus nostris, Deum nobis adesse. Postquam autem iussus est Moses a se ipso mentis considerationem avertere, ut in promissum Dei auxilium omnes suos intuitus defigeret, signo etiam confirmatur, triduo postquam egressi fuerint ex Aegypto Israelitae, sacrificaturos Deo in monte Horeb. Videtur tamen minime apta esse vel opportuna haec promissio cuius effectus nonnisi re peracta exstitit. Coactos [1]) sensus, quos vitandae absurditatis causa quidam accersunt, omitto: quia recte et prudenter alii observant, non inutilem esse nec vanam confirmationem a signis posterioribus, cuius etiam alibi occurrunt exempla. Davidem ungens Samuel promittit fore regem populi (1 Sam. 16, 13): atque hoc signum fore pronunciat, quod unctio sit a Deo. Diu et dubiis casibus bellandum fuit, antequam hoc signo frueretur David: neque tamen supervacuum censebitur, quia suo tempore comprobata fuit Dei gratia. De solvenda urbis obsidione Isaias 37, 30, disserens, signum adiungit: Comedetis hoc anno, quae ponte nascentur: altero quae ex sponte nascentibus pullulaverint: tertio anno seminabitis, plantabitis vineas, et comedetis fructum. Dictum fuit Ioanni baptistae, super quem videris spiritum descendere, hic est qui baptizat in spiritu et igni (Ioh. 1, 33). Atqui antequam signum illud conspiceret, iam cognoverat Christum esse filium Dei. Neque enim eum latebant utriusque parentis vaticinia. Sed absurdum non est, fidem quae in verbo fundata est,

1) *Princeps:* Cunctos.

accessione signi crescere. Denique suum beneficium Deus amplificat novo alio superveniente, ac si cumulum mensurae superadderet. Et sane insigni documento sancita fuit vocatio Mosis, quum eodem in loco ubi tunc stabat, populus eius opera manuque eductus solenne sacrificium obtulit. Caeterum Deus medio tempore servum suum suspendit, ac si diceret, sine me quod decrevi perficere: satis tempestive cognosces non frustra te fuisse missum, ubi populum incolumem huc adduxeris.

13. *Ecce, ubi ego venero ad filios Israel.* Si credimus Mosen loquutum esse ex proprio sensu, negat se posse verba rite facere de incognito Deo: quod minime consentaneum videtur. Quis enim existimet in sancto Propheta sic exinanitam fuisse fidem ut veri Dei, quem ex animo coluerat, oblitus foret? Quin potius in nomine primogeniti filii testimonium reddiderat seriae memoriae, quum sponte inquilinum se profiteretur in terra Madian. Nihilo hoc magis competere videtur in filios Israel, quibus semper in ore erat foedus cum patribus percussum. Si dixerimus, fidem tam Mosis quam Israelitarum velut contracta rubigine obscuram fuisse, non erit a probabili ratione alienum. Erat ipse apud socerum expers omnis doctrinae, quae in peculiari cultu eum retineret, ac notitia illa quam imbiberat in Aegypto. Totus vero populus longe deflexerat a patrum imitatione. Nam etsi non in totum obruta erat verae et antiquae religionis claritas, vix tamen micabant tenues scintillae. Quamvis autem suam ignorantiam tacite fateatur Moses, quod non satis familiariter exercitatus fuerit in doctrina a sanctis patriarchis tradita: quia tamen venturus ad populum erat tanquam extraneus quispiam, se repudiatum iri colligit, nisi notam tesseram afferat. Narrabo, inquit, quod iubes me a Deo patrum esse missum: ridebunt ac spernent legationem, nisi certius aliquod symbolum protulero, ex quo discant nomen tuum a me non temere praetexi. Nomen ergo quaerit quod ad notam discriminis valeat: quia non de syllabis aut voce agitur, sed de testimonio, quo persuadeat Israelitis, propter foedus patrum fuisse exauditos.

14. *Sum qui sum.* Futurum verbi tempus legitur Hebraice: Ero qui ero: sed quod praesenti aequipollet, nisi quod designat perpetuum durationis tenorem. Hoc quidem satis liquet, Deum sibi uni asserere divinitatis gloriam, quia sit a se ipso ideoque aeternus: et ita omnibus creaturis det esse, vel subsistere. Neque enim vulgare quidquam vel commune aliis de se praedicat, sed aeternitatem vendicat propriam solius Dei, idque ut pro sua dignitate celebretur. Proinde continuo post neglecta ratione grammaticae, idem verbum primae personae loco substantivi usurpat, et verbo tertiae personae annectit: ut admiratio subeat animos, quoties incomprehensibilis essentiae fit mentio. Etsi autem de hac aeternitate magnifice disserunt philosophi, et Plato constanter affirmet, Deum proprie esse τὸ ὄν, hoc tamen elogium non scite, neque ut decet, in suum usum accommodant, nempe ut unicum esse Dei absorbeat quascunque imaginamur essentias: deinde ut accedat simul summum imperium et potestas gubernandi omnia. Unde enim falsorum Deorum turba, nisi quod pravis figmentis divisum numen in partes impie laceratur? Ergo ut solide apprehendamus unum Deum, scire primum necesse est, quidquid in coelis est vel in terra, precario suam essentiam vel subsistentiam ab uno qui solus vere est, mutuari. Ex illo autem esse nascitur et posse: quia si Deus omnia virtute sustinet, arbitrio quoque suo regit. Et quid profuisset Mosi arcanam Dei essentiam quasi coelo inclusam speculari nisi de eius omnipotentia factus certior clypeum fiduciae sibi inde fecisset? Docet ergo Deus se unum esse sacrosancto nomine dignum, quod perperam ad alios translatum profanatur: deinde immensam suam virtutem commendat, ne dubitet Moses sub eius auspiciis se fore omnium victorem. De nomine Iehova, quod ex hac radice deductum est, videbimus sexto capito.

15. *Et dixit rursum Deus ad Mosen: Sic dices filiis Israel, Iehova Deus patrum vestrorum, Deus Abrahae, Deus Isaac, et Deus Iacob, misit me ad vos: Hoc est nomen meum in perpetuum, et memoriale meum in saeculum et saeculum.* 16. *Vade et congrega seniores Israel, et dices illis: Iehova Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abrahae, Isaac et Iacob, dicendo: Recordando recordatus sum vestri, et quid vobis factum fuerit in Aegypto.* 17. *Propterea dixit Educam vos ex afflictione Aegypti ad terram Chananaei, et Hitthaei, et Amorrhaei, et Pheresaei, et Hivaei, et Iebusaei, ad terram fluentem lacte et melle.*

15. *Et dixit rursum.* Iterum ex foedere quod pepigerat cum Abraham et eius posteris cognomen sibi Deus assumit: ut sciant Israelitae se non hallucinari in Deo incerto, modo a patrum pietate non degenerent: et quemadmodum ad vexillum conveniunt milites, ut ordinem servent, ita iubet eos respicere in peculiarem adoptionis gratiam, ut sciant electum se esse divinitus populum, quia sunt Abrahae filii: ac, ne in Deo quaerendo vagentur, his illos cancellis circumdat. Scimus enim, quidquid de divinitate persuasum fuit inter gentes, non solum multis erroribus fuisse implicitum, sed ambiguum quoque: ut semper fluctuarent inter receptas opiniones. Aliam religionem exigit Deus a populo suo, nempe in cuius certitudine gradum figant. Ad haec longa in Aegypto habitatio, quanquam non deleverat notitiam veri Dei, illam tamen manifesta-

tionis lucem quae fuerat in patribus, multum obscuraverat. Adde quod, dum in tanta malorum abysso pridem demersi, nihil auxilii senserant, videri poterat obsoleta promissio: qua ratione haud dubie accepta a patribus fides refrixerat. Ergo ut in eam recumbere discant, nominat se Deum patrum, et testatur hoc elogio velle se perpetuo celebrari. Neque enim referri placet ad illud magis remotum, quod Deus sit is qui est: neque etiam contextus hoc patitur. Hinc vero colligi debuit incomparabilis Dei amor erga electum populum, quod cunctis terrae gentibus relictis uni se addixerit. Caeterum meminerimus, quamvis Abrahae et patriarchis, honorificum fuerit Deum ab illis cognomen sibi asciscere, hoc tamen praecipue spectare ad stabiliendam promissionis fidem. Videtur tamen non congruere quod dicit: Hoc erit memoriale meum omnibus saeculis: quia successit in Christi persona memoriale longe praestantius. Respondeo, quia Christi adventu exhibita fuit veritas foederis cum Abraham percussi, atque ita clare apparuit firmum et ratum, eius memoriam renovatam fuisse magis quam deletam: itaque superstitem vigere in evangelio, quia hodie quoque sub uno capite non desinit Abraham esse fidelium pater. Summa est, Deum nolle fieri mentionem sui in terra,. nisi appareat gratuitae adoptionis effectus, unde probetur fidelis esse ac verax.

16. *Vade et congrega.* Quia nec facile erat totam plebem colligere in unum locum, et in illa ingenti multitudine vix audita fuisset legatio, iubetur Moses incipere a senioribus, et apud eos concionari de futura redemptione, ut illi deinde sua autoritate turbam ad bene sperandum adducant. Oportuit enim missionem peti a rege nomine publico, et omnium animos parari ad discessum. Nisi autem praemoniti fuissent in tempore, nullus ad amplexandam Dei gratiam futurus erat consensus. Magnopere ergo interfuit Mosis vocationem probe esse cognitam, ut ducem sibi a Deo praefectum intrepide sequerentur. Non abs re autem exprimit, Deum qui sibi visus est, esse Deum Abrahae, Isaac et Iacob: quia ex antiquo foedere quod fuerat apud illos depositum, pendebat visio, cui alioqui vix fuisset a populo creditum. Ergo ut verbis suis fidem conciliet Moses, commemorat iam olim in manu Abrahae, Isaac et Iacob, redemptionem de qua nunc acturus est, et cuius creatus est a Deo minister, fuisse promissam. Denique quia difficulter admittere solemus quod novum est ac insolitum, ideo principium sumit Moses a veteribus oraculis quae dubitatione carebant. Repetit autem quod prius sibi fuisse dictum narravit, ut quod privatim audierat, quo suae vocationis fuerit certior, perferat nunc ad alios. Scimus, ubi non statim miseriis nostris succurrit Deus, moerore tabescere animos et collabi in desperationem: quia putamus nullam esse nostri curam Deo. Ergo ne animos despondeant Israelitae, iubetur Moses illis dicere suum esse Deo reminiscendi tempus: et quamvis ad tempus conniveat, non tamen perpetuo suorum oblivisci. Ad confirmationem valet quod additur, venisse coram Deo in rationem illatas ab Aegyptiis iniurias. Nam quia iudex est mundi, fieri non potest quin post longam tolerantiam iniustae tyrannidis vindex exsurgat. Discamus nos quoque ex hoc loco, ubi a nobis avertere faciem suam videtur Deus auxilium suum differendo, patienter exspectare, dum nos opportune respiciat: quia dum nos hostium libidini permittit, nonnisi temporalis est eius oblivio. Quomodo autem intelligi debeant hae figurae, alibi admonui, nempe ex aestimatione sensus nostri Deo tribui quod in eum proprie non competit.

17. *Propterea dixi.* Hoc verbo admonuit Deus se in arcano suo consilio decernere quid facturus sit, ideoque iniiciendum esse fraenum votis nostris quae alioqui nimis properant: ut libere et pro suo arbitrio statuat quod factu optimum esse cognoscit, non quod opus habeat tempus ad deliberandum sumere, sed ut nos ab eius providentia pendere discamus. Porro hoc decreto edocti fuerunt filii Israel iam adesse finem malis suis: quia nihil est quod Deum ab opere suo prohibeat. Breviter autem loquitur tanquam de re nota: quia non prorsus exciderat quod de manu in manum traditum fuerat a patribus de futura liberatione. Plures autem gentes enumerat, quarum terras illis daturus est, ut hac illecebra melius eos incitet ad migrandum. Eodem sensu affirmat totam illam regionem fluere lacte et melle, ne illius sterilitas metum incutiat, quoniam fames inde ipsorum patres expulerat. Caeterum quamvis sponte fertilis fuerit tota Chanaan, non dubium est tamen quin praecipua eius ubertas fuerit ex Dei benedictione. Summa est, amplum illis domicilium paratum fore: quia in illorum gratiam multas gentes Deus expellet, ut omnium sedes occupent: deinde non esse timendam inopiam quia Deus large victum suppeditabit: perinde ac si irrigua esset tota illa regio fluviis lactis et mellis.

18. *Et postquam audierint vocem tuam, ingredieris tu et seniores Israel ad regem Aegypti, dicetisque ei, Iehova Deus Hebraeorum occurrit nobis: nunc igitur, eamus per iter trium dierum in desertum et sacrificemus Iehovae Deo nostro.* 19. *Ego autem novi quod non permittet vobis rex Aegypti ut eatis, nisi in manu forti.* 20. *Ideo mittam manum meam, et percutiam Aegyptum cunctis miraculis meis quae facturus sum in medio eius: atque ita postea dimittet vos.* 21. *Et dabo gratiam populo huic in oculis Aegyptiorum: et accidet ut abeundo non abeatis vacui.* 22. *Et postulabit mulier a vicina sua, et ab hospita domus suae,*

vasa argentea et vasa aurea, et vestes: quae imponetis filiis vestris et filiabus vestris: et spoliabitis Aegyptum.

18. *Et postquam audierint vocem.* Ad verbum est, audient vocem tuam: quod ita multi accipiunt ac si Deus obsequentes fore promitteret. Sed prior sensus videtur melius quadrare, ut priore loco iubeat doceri voce Mosis, deinde comites se adiungere ad exponendum Pharaoni mandatum. Antequam enim illis iniungeretur tam difficile negotium, operaepretium fuit Dei autoritatem illis proponi, ne illud susciperent vacillantibus animis. Summa autem mandati est, ut petant a Pharaone commeatum sacrificandi causa. Porro ne temerario impulsu putentur id facere, iubentur ita praefari, Deum sibi venisse obviam, idque iussisse. Nam occurrendi verbum tantundem valet ac sponte se offerre. Ingemuerant quidem prius, et saepius imploraverant fidem et misericordiam Dei: vere tamen hic fuit voluntarius occursus, quum praeter spem omnium se liberatorem fore professus est. Diximus enim clamasse impetu doloris magis quam exorandi fiducia. Iam suggeritur illis praetextus, quo suspicionem et invidiam a se avertant. Neque enim liberi discessus, unde gravis iactura instabat tyranno, unquam permissa fuisset facultas. Adde quod tam aequum postulatum negando, regio iure imperioque se privavit, quum Deo summo regi suum honorem eriperet. Etsi enim sub eius ditione erant Israelitae, non tamen hac lege in eos dominabatur ut Deum iusto cultu fraudaret. Atqui utile fuit nonnisi optima de causa populum invito rege egredi, ne in futurum tempus daretur subditis quibuslibet excutiendi iugi libertas. Aliud quidem suspicatus est Pharao, nempe meram esse fallaciam quod de sacrificio obtendebant: qui tamen diffidentia haec ex tyrannide oriebatur: satis in eo convicta fuit eius ingratitudo, quod sibi male conscius Deum coli vetuit. Iam quidquid illi in mentem venerit, miraculis tamen quae verbo addita erant edoctus, ignorare non debuit a Deo profectam esse hanc legationem. Si tantum loquuti essent Israelitae, nec interposita fuisset ulla sermonis comprobatio, merito forsan sibi a fraude cavisset: verum ubi palam ostendit Deus se huius profectionis esse autorem, seque extra Aegypti fines sacrificium exigere, cessat omnis excusationis color, atque ita purgatur a calumnia populi discessio. Si quis obiiciat, alienum fuisse a Dei natura astute quidquam obtendere, facilis est responsio, Deum nulla fuisse necessitate obstrictum ut tyranno consilium suum patefaceret. Speciem mendacii his verbis fuisse inclusam falso quidam iactant. Nihil enim simulare populum suum voluit Deus, tantum (quod iure suo poterat) tyrannum celavit quid ultra facturus esset: atque hoc modo impiam eius pervicaciam detexit, ac in lucem prodidit. Denique certamen pro Israelitis suscepit Deus, non de terrenis controversiis: sed de religione, cui omnia regum iura cedere oportet. Se autem vocat Iehovam Deum Hebraeorum, ut sciat Pharao huic genti peculiarem esse Deum, et formam pietatis ab Aegypti consuetudine diversam: deinde unum illum esse verum Deum, alios omnes commentitios.

19. *Ego autem scio quod rex Aegypti.* Praemunit suos Deus, ne repulsam primo congressu passi labascant: et desperatione fracti iniunctum sibi opus deserant. Durum quidem auditu fuit, frustra se expeditionem suscipere: perinde ac si verba apud stipitem facerent, quia nulla erat spes proficiendi apud aures obstinatas: sed longe hac tentatione durius perculsi fuissent, si ex inopinato deprehensa fuisset in rege contumacia. Praedicit ergo Deus nihil verbis suis effecturos: sed ex adverso denunciat se admirabili virtute fore superiorem. Si cui videtur esse absurdum, supervacuo labore fatigari miseros homines, ut cum ludibrio et contumelia repellantur: respondeo spectasse hoc ad exemplum, et utile fuisse ad illustrandam Dei gloriam, ut rex humaniter rogatus impiam contumaciam proderet: quia nihil iustius fuit quam extorqueri ab invito quod iniuste negabat. Caeterum de verborum sensu dissentiunt interpretes: quidam enim vertunt sicut hebraice ad verbum legitur: Neque in manu valida: quasi diceret Deus inexpugnabilem fore regis superbiam, quia nulla vi aut potentia subigeretur: sed contextus alium sensum postulat, quia mox opponitur remedium: Ego vero extendam manum meam: et subiicitur eventus, quod Pharao plagis tandem domitus populum dimittet. Convenit etiam grammaticae ratio: quia Hebraei ולא pro nisi accipiunt. Quamvis igitur Pharao non statim obtemperet, iubet suos tamen Deus firmos stare et constantes: quia velit rarae virtutis specimen in ipsis liberandis edere. Interim ad sperandum eos hortatur promisso felici exitu: quia Pharaonem vi coget ad cedendum.

20. *Et dabo populo huic gratiam.* Hoc etiam liberalitatis cumulo Israelitas allicit, ut animosius contendant ac nitantur: quia alioqui grave fuisset cum tanta regis duritie confligere. Ergo non modo libertatem, sed opum quoque et pretiosae supellectilis copiam promittit. Verum quia res erat difficilis creditu: Aegyptios infestissimos populi hostes, tam comes et benignos fore ut quidquam beneficentiae praestarent, admonet Deus sui arbitrii esse flectere quocunque velit hominum corda. Facturum igitur se pronunciat ut Aegyptii repente ex lupis fiant oves, et qui solebant rapere et vorare, nunc lac ex suis uberibus, et lanam ex tergo suppeditent. Locus

autem hic continet uberem amplamque doctrinam: quoties in nos atrociter homines saeviunt, non sine Dei consilio hoc accidere, quia momento mansuefacere eos posset: dare igitur licentiam eorum saevitiae quia ad nos castigandos vel humiliandos ita expedit. Rursum hinc colligimus nullos esse nobis hostes tam immanes et barbaros, quorum ferociam cicurare Deo facile non sit ac promptum. Hoc si nobis vere persuasum esset, arcano Dei instinctu huc et illuc verti hominum corda, non ita expavesceremus ad eorum odia, minas et terrores, nec eorum metu tam leviter ab officio deflecteremus. Atque haec trepidatio iusta est incredulitatis merces, ubi in Dei providentia non quiescimus. Etsi autem nostrarum partium est dare operam ut comiter nobis omnium gratiam conciliemus, sciendum tamen est, nostra industria non conciliari favorem, nisi Deus corda inclinet.

22. *Et postulabit mulier.* Quibus videtur haec ditandi populi ratio iustitiae Dei parum consentanea, parum ipsi considerant quam late pateat iustitia de qua loquuntur. Fateor eius esse proprium, tueri ius suum cuique, prohibere furta, damnare fraudes et rapinas. Sed videamus quidnam sit cuiusque. Quis suum esse iactabit nisi quod a Deo datum est? et quidem ut precario possideant singuli quod Deo placet, cui liberum est singulis momentis auferre quod dedit. Spoliarunt Hebraei Aegyptios: si hi querantur factam sibi iniuriam, expostulent cum Deo quod sua beneficia ab ipsis ad alios transtulerit. Audiendane erit haec querimonia, Deum, in cuius manu sunt fines terrae, qui pro imperio gentibus fines terminat, qui reges ad inopiam redigit, privasse quosdam homines supellectile et vasis? Affertur a quibusdam alia defensio, quod nihil alienum rapuerint Hebraei, sed debitam sibi mercedem acceperint: quia inique adacti fuerant ad operas serviles, et tenuiter victitaverant de suo. Et certe aequum fuit aliquo pretio eorum laborem pensari. Sed nihil opus est ex lege communi aestimare Dei iudicium, quando iam visum est ipsius esse omnes mundi copias, ut singulis eroget quantum libuerit. Neque tamen hoc modo eum facio exlegem, etsi supra omnes leges eminet eius potestas, quia tamen voluntas eius certissima est perfectae aequitatis regula, rectissimum est quidquid facit: atque ideo legibus solutus est, quia ipse sibi et omnibus lex est. Neque etiam simpliciter dico cum Augustino, mandatum Dei esse de quo non est iudicandum, sed cui est obtemperandum, quia novit quam iuste mandet: servi autem est obedienter facere quidquid mandat. Vere quidem hoc dicitur, sed tenendum est illud altius principium, quum sola Dei liberalitate singuli possideant quod suum vocant, nullum esse iustiorem possidendi titulum quam ex eius donatione. Non dicemus ergo praedatas esse mulieres Hebraeas quod eas sumere iussit Deus, et quod illis largiri voluit: quia autem non nisi de suo largitus est, iniustus non censebitur. Ubi verti hospitem, quidam cohabitatricem ponunt: nec magnopere ad rem pertinet, quia ex altera voce colligitur permixtos fuisse Hebraeis Aegyptios. In fine versus, quia hebraice legitur: Ponetis super filios vestros et super filias vestras, fere interpretantur omnes Ornare. Ego vero potius arbitror notari magnam opum congeriem, ac si dictum esset: Non modo impetrabitis quantum poteritis humeris gestare, sed onerabitis etiam filios vestros et filias.

CAPUT IV.

1. *Tunc respondit Moses, et dixit: Sed ecce non credent mihi, neque obedient voci meae quia dicent: Non apparuit tibi Iehova.* 2. *Et dixit ad eum Iehova: Quid est hoc in manu tua? Et dixit, Baculus.* 3. *Tunc dixit: Proiice eum in terram. Et proiecit in terram, et factus est serpens et fugit Moses a conspectu eius.* 4. *Et dixit Iehova ad Mosen: Extende manum tuam, et apprehende caudam eius. Et extendit manum suam, et apprehendit eum: et factus est baculus in manu eius.* 5. *Ut credant quod apparuerit tibi Iehova Deus patrum ipsorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob.* 6. *Et dixit Iehova illi rursum: Induc nunc manum tuam in sinum tuum. Et induxit manum suam in sinum suum, et ecce manus eius leprosa quasi nix.* 7. *Et ait: Reduc manum tuam ad sinum tuum. Et reduxit manum suam ad sinum suum: et postquam extraxit e sinu suo, ecce, reversa est sicut caro eius.* 8. *Et erit si non crediderint tibi, neque obedierint voci signi prioris, credent voci signi posterioris.* 9. *Erit autem, si non crediderint etiam duobus signis istis, neque obedierint voci tuae, tunc accipies ex aquis fluvii, et effundes in aridam: et erunt aquae quas sumpseris e fluvio, erunt* inquam *sanguis in arida.*

1. *Tunc respondit.* Recitat hoc capite Moses quam cunctanter Deo paruerit, non pervicacia, sed timiditate. Neque enim, ut solent refractariae bestiae, iugum excutit, sed huc illuc declinat, ne sibi aptetur. Atque hinc melius perspicere licet quanta infirmitate laboraverit, ut fides eius prope esset suffocata. Ab una quidem parte voluntarius fuit ac propensus ad obsequium; sed quum arduae difficultates contra obsisterent, ex hac lucta emergere non potuit, donec tergiversando effugia omnia tentasset. Nec certe est cur valde miremur eum ad tempus restitasse: quum vix ullum cerneret operae suae pretium. Debuit quidem, fateor, clausis

oculis pergere quo iubebat Deus, a cuius solo nutu pendere pios omnes convenit: debuit non ex suo sensu de re incredibili facere iudicium, sed ex Dei voce. Nec certe vel fidem abrogavit loquenti Deo, vel impositum sibi onus reiicere voluit, sed quum ex altera parte discrimina cerneret quibus explicare se non poterat, hinc mens eius distracta fuit in diversas partes. Nec quisquam est piorum qui non saepe in confusas disceptationes trahatur, quoties ex intuitu obstaculorum mentibus offunditur caligo. Fuit igitur in Mose voluntas et studium, alacritas autem et constantia defuit: quia ut erat debilis, ad objectas sibi remoras subsistere coactus est. Ac prudenter discernere necesse est inter timiditatem quae cursum impedit, et recusandi audaciam, cui adiunctus est contemptus. Multi dum molestiam fugitant, sic retrahuntur ab officio ut obdurescant in sua segnitie. Qui autem recte agere cupiunt, quamvis anxietate vel metu in speciem retrocedant, simul tamen aspirant ad ulteriorem progressum: denique sic alternant ut se nunquam prorsus subducant Dei imperio. Videtur quidem Moses obstrepere ipsi Deo, et cum eo altercari: sed haec sive audacia, sive simplicitas, plus in se habuit modestiae quam si latebras in silentio captasset: sicuti multos diximus tacendo fovere detrectandi licentiam. Hic enim certe fuit scopus, ut inde expeditior esset ad pergendum. Angebat sanctum virum haec cura, quod populares suos expertus fuerat pravos et fere intractabiles: hac cura se exonerans in sinum Dei, nova promissione erigi cupit, ut hoc impedimento solutus alacriter currat.

2. *Quid est hoc in manu.* Ex more linguae hebraicae fusius nunc explicat Moses et distinctius prosequitur quod prius summatim attigerat de signis. Porro in signis tribus quae refert consideranda nobis est analogia. Pedum pastorale quod in manu gestabat proiectum in terram, vertitur in serpentem: rursus in manum receptum naturam suam recuperat. Mihi non dubium est quin docere voluerit Deus, quamvis abiecta et despicabilis esset Mosis conditio, formidolosum tamen fore regi Aegypti. Baculus enim ille, pastoris insigne erat. Quid autem magis contemptibile quam prodire ovium custodem e deserto, et pedum suum, quo vix se et gregem tueri solebat a feris bestiis opponere sceptro potentissimi regis? Caeterum admonet Deus, quamvis destituatur splendore terreno opibus et potentia, fore tamen horribilem Pharaoni, quasi diceret, timendum non esse ne hominem rusticanum spernat Pharao, vel pro nihilo ducat: quia baculus in serpentem conversus plus terroris afferet quam mille gladii. Quod dicit Moses se perterritum fugisse, voluit haud dubie Deus percellere metu servum suum, ut melius aestimaret ex animi sui sensu qualis futura esset Dei virtus ad terrendum superbum illum regem. Hic ergo fuit miraculi finis, non esse opus magnis copiis, quia ad conspectum solius baculi expavesceret Pharao: neque opus esse baculum agitari et valide concuti, quia proprio motu et iactatione satis incuteret timoris. Altera pars miraculi, quum rediit baculus in pristinam formam, huc tendebat ut sciret Moses, quod hosti infestum ac damnosum erat, sibi adiumento et praesidio fore. Idem itaque baculus Mosen instruxit fortitudine, hostem vero deiecit ac prostravit. Quod autem Dei voci confestim obtemperans serpentem apprehendere audet, ex obedientia colligitur singularis fides: atque etiam clarius ex subita mutatione, quod virulentum et noxium animal, a cuius conspectu nuper fugerat metu consternatus, provocare non veretur, caudam eius premendo. Ergo pusillus animus magnae fiduciae capax fuit, et alternis vicibus nunc timiditas, nunc pietas fructus suos protulerunt. Atque hoc in primis notatu dignum est, praesentia Dei erectum fuisse Mosen: sed quum ad indomita gentis suae ingenia et superbam Aegypti dominationem reflecteret oculos, fuisse debilitatum. Nunc quaeritur fueritne vera et substantialis conversio baculi in serpentem: an exterior forma duntaxat fuerit mutata. Ego, etsi nolim pertinacius contendere de re levis momenti, amplector tamen quod magis probabile est, non modo fuisse obiectam imaginem vel spectrum, sed Deum, qui ex nihilo creavit omnia, dedisse baculo novam naturam, et rursus ex serpente fecisse baculum: quod nihilo fuit difficilius quam uxorem Lot vertere in statuam salis (Gen. 19, 26). Hoc quum Dei potentiae promptum ac facile sit, verisimile mihi non videtur spectris eum lusisse. Quod vero idem imitati sunt magi, de eorum praestigiis dicemus suo loco.

5. *Ut credant, quod apparuerit.* Non ergo semel tantum Mosi spectaculum hoc propositum fuit, sed data quoque potestas fuit eiusdem miraculi saepius edendi: tam ut apud Israelitas fidem acquireret, quam ut reprimeret Pharaonis audaciam. Quamvis autem abscissa sit oratio, nulla tamen est in sensu ambiguitas: nempe armari Mosen coelesti potestate, quo certa sit eius vocatio, nec quisquam dubitet prophetam esse divinitus missum. Hic de usu miraculorum ex professo disserere longum esset: hoc breviter tenere sufficiat, non nunquam illa valere ad fidei praeparationem, aliquando vero ad confirmationem. Utriusque exemplum in baculi conversione cernimus, qua magis animatus et erectus fuit Moses ut robur colligeret, quum iam Dei promisso fidem haberet: Israelitae vero, qui et increduli erant et parum dociles, aptati et subacti fuerunt ad credendum. Denique miraculum ianuam fidei aperuit apud Israelitas, ut persuasi de prophetico eius munere, doceri se sustinerent, ipse autem

ad maiorem certitudinem et constantiam perductus est. Nam quod altius illud principium repetit de veterum patrum adoptione, tametsi ad fundandam spem redemptionis spectabat, non tamen ideo sequitur fuisse praeparatos ad recipiendum Mosen, donec autoritas eius ministerio parta fuit. Quare dixi fidem in illis fuisse miraculo inchoatam.

6. *Induc nunc manum tuam in sinum tuum.* Hoc signo edoctus fuit Moses, quod maxime vegetum est arescere protinus ad Dei nutum, et rursus quod aridum est restitui pristino vigori: denique comprobata fuit illa Pauli sententia, Deum vocare ea quae non sunt, tanquam sint (Rom. 4, 17). Haec fuit species leprae, quum ex aula relegatus fuit Moses in deserta Madian, ubi gregem circumegit per loca tesca et aspera, inter sentes et rubos. Postquam annos quadraginta similis semimortuo transegit, quum nulla esset in eo dignitas, nullum nomen, quasi postliminio recepit quod amiserat. Itaque nunc ei promittit Deus se quod abstulerat mox redditurum. Haec simplex est signi analogia cum suo effectu, qua contentus erit modestus lector, valere iussis aliorum argutiis. Hoc enim apprime cognitu necessarium fuit, stare et cadere Dei arbitrio cunctos mortales: dum maxime videntur robusti, marcescere repente eorum vires, ac tabescere: deinde simulac Deo visum est, in florentem et nitidum statum ex deformi et caduco redire. Hoc modo didicit sanctus vir, sicuti ad tempus iacuerat obscurus, quia Dei manu abductus fuerat ab hominum consortio, et coniectus in solitudinem, ita non esse desperandum quin eadem manu fieret novus homo. Haec etiam conditio ad totum populi corpus aliquatenus pertinuit: sed quia melius quadrat Mosis personae, hunc sensum retinere praestat, ne praesentem duntaxat facultatem aestimans, quia sordidus est pastor, se parem fore diffidat obeundo muneri, sed decus et fortitudinem a Deo exspectet. Porro non Mosi tantum privatim consulere voluit Deus (ut dictum est) sed eum asserere a contemptu coram populo, ne exsilium quo deformatus fuerat eius splendor, gratiam et autoritatem detraheret: sed quia Dei vocatio instar resurrectionis in sancto viro fulgebat, ut ei simul constaret existimatio et dignitas.

8. *Et erit, si non crediderint.* His verbis Deus ansam dubitandi praecidit Mosi: quasi diceret satis esse instructum et munitum ad vincendam populi pervicaciam, et tamen ut supra iustam mensuram emineat cumulus, tertium signum mox superaddit, unde Moses plenam fiduciam concipere debuit, ne quid amplius remorae pio eius studio obstaret. Hoc porro insigne est documentum indulgentiae Dei, quod tam liberaliter signa signis addere dignatus est, ut cum populi malitia certaret, donec torpentes forti manu traheret ad credendum. Certe neglecto primo miraculo, indigni erant quibus Deus alterum potentiae suae specimen proponeret. Mirae igitur patientiae fuit adhuc insistere ad corrigendam eorum socordiam. Aeque etiam clementer hodie tarditati nostrae ignoscit: quia ubi minus quam decebat reverenter excipimus testimonia quibus gratiam suam demonstrat, non ulciscitur tam foedam ingratitudinem, sed nova potius subsidia adiungit, quae nostrae incredulitati medeantur. Iam vero sicut duobus miraculis ostendit Deus potentiam, quam volebat per manum Mosis exserere, ita hoc tertio docuit qualis erga Aegyptios futurus esset. Ac proinde intus et extra confirmatus fuit Moses cum toto populo. Summa igitur est, ubi Deus manum suam contra Aegyptios extulerit, adeo nihil illis virium ad resistendum fore, ut munitiones quibus confisi superbiebant, sibi adversas esse sentiant ac noxias. Scimus quam multa et varia commoda ex Nilo perciperent. Erat enim regio ab una parte quasi opposito claustro tuta et inexpugnabilis: multi portus mutuo commeatu ad merces exportandas et importandas gentem ditabant: ex inundatione agrorum fertilitas: denique Aegyptus praecipuam felicitatis suae partem locabat in Nilo. Nunc autem admonet Deus non modo nihil profuturum Aegyptiis, sed in manu sua esse commoditates omnes vertere in noxas: ac si fluvius ipse, qui terram sua irrigatione foecundam reddere solebat, eam sanguine foedaret atque operiret. Quod attinet ad verba, improprie vox signi ponitur pro demonstratione potentiae Dei, qua doceri Israelitas oportuit, Mosen sibi a Deo liberatorem esse missum. Quamvis enim baculus in serpentem conversus non loqueretur, tamen plusquam sonora voce clamabat non fore Deo arduum quod prorsus impossibile Israelitae putabant. Alii particulam אם sic resolvunt: Si non credunt voci propter signum: sed altera interpretatio magis genuina. Ratio tamen loquutionis paulo post subiicitur, in hac distinctione, si non crediderint signis duobus, neque obedierint voci tuae: quasi diceret Deus potentiam suam tonare vel clamare in miraculis, ut audientia fiat doctrinae servi sui.

10. *Tunc dixit Moses ad Iehovam: Obsecro Domine, ego non sum vir disertus, neque a die hesterno, neque nudiustertius, neque ex quo loquutus es servo tuo: quoniam ore lento et lingua lenta ego sum.* 11. *Respondit autem illi Iehova: Quis posuit os in homine? aut quis statuit mutum, vel surdum aut videntem, vel caecum? annon ego Iehova?* 12. *Nunc igitur proficiscere, et ego adero ori tuo, et te docebo quae loquaris.* 13. *Et dixit: Obsecro Domine, mitte per manum per quam mittes.* 14. *Et iratus est furor Iehovae contra Mosen, et dixit: Annon Aharon fratrem tuum Levitam novi, quod loquendo loquuturus sit ipse? Atque etiam ecce egredietur in occursum tuum, et te*

aspiciens laetabitur in corde suo. 15. *Loqueris igitur ad eum, et pones verba in os eius, et ego ero cum ore tuo et cum ore eius, et ostendam vobis quae sitis facturi.* 16. *Et loquetur ipse pro te ad populum, eritque tibi pro ore, et tu eris illi pro Deo.* 17. *Et baculum hunc accipies in manu tua, ut facias per eum* [1]) *signa.*

10. *Obsecro Domine.* Omnes tergiversandi modos captat Moses, ut onus sibi impositum avertat: non quod imperium detrectare in animo sit, sed quia gravitatem formidat. Virium igitur suarum diffidentia eum ita lentum ac trepidum reddit. In promptu remedium erat, statuere apud se, quum certo sciret nihil se temere aggredi, Deum, cuius mandato parebat, quantum satis esset virtutis suppeditaturum. Hoc ergo vitiosum fuit non reiicere in Deum omnes curas, et posthabita sua infirmitate, sperare praeter spem Abrahae exemplo, qui non consideravit corpus suum effoetum, nec emortuam vulvam Sarae, sed Deum posse credidit praestare quod promiserat (Rom. 4, 19). Modestiae quidem fuisset hunc quem obtendit defectum reputare, modo tantum suppetias a Deo rogasset: sed quum ultra progreditur, ut immunitatem impetret, Deo facit iniuriam, ac si servis suis plus imponeret oneris quam sint ferendo, vel inconsiderate quidvis mandaret. Merito itaque damnatur haec sollicita cautio, quamvis aliquid habeat virtutis admixtum: quia quaecunque nobis occurrat difficultas, solatium hoc sufficere debet, formari et instrui a Deo, qui nullam ad rem idonei sunt quoties eos eligit ministros. Timere quidem licet in rebus perplexis, modo ne parendi studium impediat anxietas: sed quidquid iniungit Deus recusare nunquam fas est quocunque praetextu. Caeterum videmus ut quae minime apta videntur instrumenta, praecipue in usum suum applicet, quo melius refulgeat eius potentia. Poterat Mosen, si eo volebat legato uti, facundum ab utero creare: saltem ubi ad opus mittit, correcta balbutie formare eius linguam. Videtur ergo per ludibrium balbo mandare loquendi partes: sed hoc modo (ut dixi) se non aliunde adiutum omnia posse ostendens gloriam suam clarius illustrat. In verborum sensu variant interpretes: hoc membrum: Ex quo loquutus es ad servum tuum: quidam amplificandi causa additum fuisse putant, quasi post visionem oblatam impeditior esse coeperit Mosis lingua: sed quum particula גם ter repetatur, simpliciter interpretor Mosen ab infantia usque nunquam fuisse disertum, neque etiam nunc donatum nova eloquentia.

11. *Quis posuit os in homine?* Hic causa exprimitur cur reprehensione digna fuerit Mosis cunctatio: nempe quod in propria infirmitate subsistens non respiceret in Deum, qui nullius humanae opis indigus, per se nullo negotio implet quidquid decrevit, et obstaculis quae nos terrent subactis, adiumenta sibi pro arbitrio undecunque adsciscit. Remoram ex sua balbutie sibi obiicit Moses: respondit Deus se unum esse qui linguas hominum quas creavit gubernet: itaque quod alii sunt elingues, vel muti, alii autem prompti ad loquendum, discrimen esse ex mero suo beneplacito. Unde sequitur, subiici eius imperio totam naturam (ut loquuntur) ut media quae nulla sunt facile inveniat: contra vero quaecunque repugnant impedimenta longe avertat, vel cogat etiam sub obsequium. Quanquam non tantum sibi vim et potestatem moderandi vendicat in generali naturae cursu, sed docet ex speciali sua gratia fluere quod alii supra alios eloquentia pollent: neque id modo, sed in manu sibi esse miras conversiones, ut disertissimos quosque obmutescere faciat, mutis autem linguam expediat ad loquendum. Nam et experientia hoc docet, qui linguae agilitate praestant interdum sermone destitui: rursum balbos aut tardos incredibili dexteritate agere causam unam, quum in aliis omnibus deficiat eos facultas. Quum ergo in manu Dei sit linguas singulis momentis vel constringere, vel solvere, perperam Moses quasi deprehensus haesit, quia non suppeteret naturalis facundia: ac si penes autorem naturae non esset huius incommodi remedium. Verum sicuti immensam Dei potentiam supra omnes qui nobis adversantur obices extollere convenit, ita rursus cavendum ne promiscue et sine delectu huc illuc eam trahamus, ac si nostris figmentis subiecta esset. Videmus enim plerosque, dum nimis audacter suscipiunt quidquid tulit eorum libido, ne quid eorum impetum moretur, hunc clypeum arripere, in Dei manu esse omnia media et eventus. Atqui hac iactantia indigne profanatur Dei virtus: ideoque non potest haec sententia rite accommodari in legitimum finem, nisi praeluceat vocatio et mandatum. Itaque notanda est connexio: Proficiscere quo te mittam: nonne ego sum Iehova, qui sermonem, visum et auditum hominibus largior? Quae huc tendit, ut Moses liberalitatis divinae fiducia ad exsequendum munus suum strenue incumbat.

13. *Mitte per manum.* Quod hunc locum interpretantur nonnulli de Christo, quasi diceret Moses eius virtute opus esse ad tanti operis magnitudinem, coactum est et longe petitum, et refellitur proximo contextu: quia ad hanc precationem non tantopere excanduisset Deus. De Aharone cur alii dictum accipiant non video: nihil enim in eorum coniectura firmum est, quod Moses sibi fratrem praetulerit. Tertius sensus magis est tolerabilis, ut Deus quem ad hoc opus destinavit, velut porrecta manu dirigat: quod tantundem valet atque necessariis dotibus ornare. Sed tunc relativum vertendum esset in

1) *In margine:* Vel, cum eo.

genere masculino. Mihi autem, ut tollatur omnis ambiguitas, femineum genus magis placet, quemadmodum etiam reddidi. Neque enim dubium est quin Moses onus sibi nimis molestum et grave in alium quemlibet transferre cupiat, perinde ac si dixisset, quum tibi innumeri sint ad manum quorum opera utaris, ex hac copia delige quem voles, modo alium tibi quaeras, ego excusatus maneam. Subest enim inter ipsum Mosen et alios tacita antithesis, ubi se mutilum esse subindicans, alios dexteritate, industria, agilitate praeditos esse dicit. Unde absurdum fore ratiocinatur, si Deus manus ad opus bene formatas et paratas reiiciat.

14. *Et iratus est furor.* Confirmat hic locus a contrario sententiam illam, nullum esse Deo gratius sacrificium quam obedire voci eius: quando tam graviter offenditur Deus Mosis tarditate, cui tamen suberat speciosa excusatio. Sed nihil Deo pluris est quam ut verbo suo constet autoritas, atque ut hoc fraeno regi se permittant homines (1. Sam. 15, 22). Veniam Deus servo suo cunctanti et ad officium segni dederat: sed obstinate refragari videns, amplius non parcit. Quo monemur, attente cavendum esse, ne si ad tempus nos Deus tolerat, ipsi nobis indulgeamus, quasi impune abuti liceret eius patientia. Quanquam hoc signum est paternae mansuetudinis, Deum eatenus irasci ut obiurgatione contentus sit. Quod dicit se novisse Aharon fore Mosis interpretem, dubium est an ab initio statuisset eum adhibere ad hoc munus, an vero hoc tandem concesserit Mosis diffidentiae. Verum quidem est, Deum nihil agere quod non occulta sua providentia ante mundi creationem decreverit: sed aliquando interveniunt mediae causae cur hoc vel illud fiat. Utrumque hic probabile est, vel quod pronunciet Deus Aharon iam a se delectum esse, qui secundas partes obeundo Mosi sit adiutor: vel dicat hoc subsidium se concedere Mosis infirmitati. Hoc secundum mihi magis placet: Aharon cum indignatione adiungi fratri suo comitem, ut pars honoris ad eum transferatur: quando Moses ipse retrocedendo ex dignitatis suae gradu decesserit. Sed cur Levitam vocat, ac si de homine incognito ageretur? Respondent quidam plures fuisse eodem nomine inter Israelitas: mihi autem simplex haec solutio sufficit, non unum quempiam ex genere Israel socium .Mosi promitti, sed fratrem propinquum: nempe qui germanus esset, ut tam arctum cognationis vinculum magis familiarem usum afferret. Nisi forte respexerit Deus ad futuram vocationem tribus leviticae. Pactum enim suum cum Levi per Malachiam 2, 4. fuisse docet, ut posteri legis et veritatis custodes essent, ac nuncii Dei exercituum. Ita sensus optime quadraret, quod Deus irae suae temperet, dum Mosis detrectatione offensus, sumpturus tamen sit legatum ex tribu illa cui sacerdotium destinaverat. Porro non vulgaris confirmatio additur, quod Aharon fratri venturus sit obviam in desertum, et eum cum summo gaudio excepturus. Perinde enim hoc valuit ac si Deus una manu servum suum ex terra Madian impellens, alteram manum ex Aegypto porrigeret ad eum trahendum. Visio enim Mosen extrudere debuit ad praeceptum Dei exsequendum: sed quia eius pigritiem stimulari necesse erat, emissus fuit Aharon, ac si palam manum suam Deus proferret alacritatis excitandae causa. Neque enim vel animi gratia, vel fortuito, vel inani curiositate in desertum progressus est, sed certo cognovit Moses vexillum sibi divinitus erectum esse ad monstrandam viae certitudinem. Sic Ananiae occursu confirmata fuit visio Paulo oblata, ne quid ambigeret (Act. 9, 17). Atque hoc quidem Deo extorsit Mosis importunitas, sed ipse pro immensa sua bonitate ex vitio servi sui elicere voluit gratiae suae materiam: sicuti solet ex tenebris lucem educere (2 Cor. 4, 6). Gaudium fratris commemorat Mosi Deus ad exprobrandum torporem: ac si diceret, Aharon sponte accurret, teque laeto et hilari animo excipiet: tu vero moerore et animi angustiis constrictus, vel diffidentia attonitus, vix adduceris ut pedem moveas.

16. *Et loquetur ipse pro te.* Immunitatis praetextum discutit, loquendi partes fratri assignando, neque tamen alterum subrogat in eius locum: imo sibi humaniter temperat, ut servi sui voto morem gerens, invitum tamen honore afficiat. Partitur ergo vices, ut penes Mosen sit autoritas, Aharon obeat munus interpretis. Ita nullo dignitatis respectu praefertur Moses fratri: quia Dei gratiam in capite non secus ac membris conspicuam fulgere oportuit: quod his verbis exprimitur, Aharon loco oris futurum, Mosen autem loco Dei: quia huius fuit dictare quod ille fideliter referret, ac praescribere quod ille obedienter sequeretur. Quo exemplo testatus est Deus se dona spiritus et simul officia distribuere pro mero suo beneplacito: nec quenquam vel honore vel dotibus excellere nisi pro mensura gratuitae donationis. Quod autem minori subiicitur primogenitus, et tantum eius organum in loquendo constituitur, quum eius manu et opera complere posset Deus quod per Mosen praestare voluit, quia incomprehensibile nobis illius iudicium est, ac instar profundae abyssi, reverenter suspicere discamus. Esse in Deum, tantundem valet ac praeire vel tenere gubernacula, vel summo imperio potiri: sicut etiam Chaldaeus paraphrastes vertit esse principem vel magistrum. Quod autem Arriani, ut testimonia refellerent quibus probatur Christi divinitas, hoc loco et similibus abusi sunt, nimis infirma fuit calumnia: quia aliud est simpliciter et sine adiectione Deum vocari, quam addita circumstantia. Scimus enim Dei nomen ad quemlibet principatum improprie quidem, sed non sine ratione,

transferri: ut diabolus etiam ipse vocetur mundi Deus (2 Cor. 4, 3): sed ubi verae deitatis fit mentio, sacrum illud nomen scriptura nunquam profanat.

17. *Et baculum hunc.* Non dubium est quin Deus baculum pastoralem virtutis suae organum esse voluerit, quo magis pudefaceret superbiam Pharaonis. Quid enim praeter ignominiam et probrum potuit Mosi afferre quod pedo suo pastorali prae se tulit hactenus in caulis et tuguriis oves se ductasse? Hoc ergo rustici et contemptibilis officii insigne non sine contumelia oppositum fuit regio Pharaonis sceptro. Laudem vero hac in parte meretur Mosis obedientia, quo eum non pudet humili et abiecta specie prodire, sed baculum libenter gestat, quo se in nihilum redigens, Deum glorificet. Itaque plerumque solet Deus in vasis testaceis incomparabiles suos thesauros recondere, et eligere infirma mundi, ut prosternat quidquid altum est et forte. Quod autem iubetur Moses per baculum miracula edere, hinc colligimus externa symbola saepe adhiberi a Deo dum manu sua operatur, non ut quidquam deroget suae virtuti, aut quo eius laudem obscuret, sed ut palam faciat sibi totum mundum subesse, et quae nullius alioqui momenti sunt, libere se in usum aptare quemcunque voluerit.

18. *Profectus est ergo Moses, et reversus est ad Iethro, socerum suum: et dixit ad eum: Vadam nunc et revertar ad fratres meos qui sunt in Aegypto, ut videam an adhuc ipsi vivant. Et dixit Iethro Mosi: Vade in pace.* 19. *Dixerat autem Iehova ad Mosen in Madian: Vade revertere in Aegyptum: quia mortui sunt omnes viri qui quaerebant animam tuam.* 20. *Et accepit Moses uxorem suam, et filios, et sustulit eos super asinum: et reversus est in terram Aegypti. Et accepit Moses baculum Dei in manu sua.* 21. *Et ait Iehova ad Mosen: Quum profectus fueris et reversus in Aegyptum, vide ut omnia signa quae posui in manu tua, facias illa coram Pharaone. Ego autem constringam cor illius, et non dimittet populum.* 22. *Et dices Pharaoni: Sic dicit Iehova: Filius meus, primogenitus meus Israel.* 23. *Ego autem iussi te dimittere filium meum ut mihi serviret: et renuisti dimittere eum. Ideo ecce ego occidam filium tuum, primogenitum tuum.*

18. *Profectus est ergo Moses.* Mirum est cur visionem qua maxime flecti poterat soceri animus ad dandam missionem, suppresserit Moses. Humanitus enim loquitur, sibi esse in animo fratres suos et cognatos revisere. Atqui molestum fuit eius socero carere eius opera, sedulitate et industria, unde magnam utilitatem perceperat: minime vero gratum fuit filiam suam et nepotes in alienam regionem dimittere. Fueritne a Deo prohibitus, an metu et pudore retentus tacuerit, incertum est: in hanc tamen coniecturam magis inclino, non fuisse ausum de sua vocatione loqui, ne res incredibilis eum mendacii et vanitatis suspectum redderet. Quoniam ergo vocationis suae fidem facere difficile erat, humanitatis officium obtendere maluit. Iethro autem Dei magis instinctu quam excusatione illa persuasus, flexibilem se praebuit. Quanquam non dubito Mosen per quadraginta annos ea suae probitatis dedisse signa quae omni sinistra opinione eum eximerent. Scimus quantum autoritatis comparet longa experientia: quoniam ergo Moses tamdiu se integrum praestiterat, non potuit socer vel a levitate, vel a fraude et dolo sibi metuere. Quo exemplo docentur fideles, semper dandam esse operam ut sibi bonam existimationem comparent: quia nullum transigendis omnibus negotiis melius compendium est quam continuus rectae et innoxiae vitae tenor. Nam unde tanta morositas, dum vult quisque a socio aliquid impetrare, unde tot remorae, unde tot ultro citroque obtrectationes, nisi quia dum quisque vult sibi credi, nemo tamen sua innocentia hoc assequi studet? Etsi autem iuste sancteque vivendo soceri animum sibi conciliaverat Moses, in sua tamen vocatione tam propensa illius facilitate fuit confirmatus. Permissio enim plena comitatis et benevolentiae nullum molestiae vel aegritudinis signum continet.

19. *Dixerat autem Iehova.* Alii sententiam hanc contexunt cum proxima, ac si Deus servum suum alloquutus esset, postquam iam a socero data fuerat redeundi libertas: ego vero potius arbitror alieno loco inseri quod ante omissum fuerat. Atque haec repetitio scripturis satis trita est. Hoc ergo superioribus adiungit Moses, sibi demptum fuisse periculi timorem: quia Deus exstinctam esse caedis memoriam testatus est. Fuisset enim haec quasi in primo limine offensio, si putasset Moses crimen illud sibi obiectum iri: non quod sibi male conscius esset coram Deo, sed quia perversis hominum iudiciis repudiatus fuisset. Hac igitur etiam in parte eius timiditati nunc medetur Deus, mortuos esse hostes qui eius vitae insidias tendebant affirmans. Forte tamen hoc nunc seorsum commemorat, quod in commeatu petendo potuit tuto exponere. Probabile enim est Iethro, priusquam viro alienigenae, et incognito filiam locaret, sciscitatum fuisse de causa discessus: quia coniicere promptum erat a patria fuisse expulsum qui profugus in deserto errabat. Quum ergo regis iracundiam se fugisse confessus esset, nunc dicit coelesti oraculo se revocari, et promitti felicem reditum. Neque mentitur: quoniam hoc quoque inter alia pollicitus fuerat Deus, nullum ab antiquis hostibus instare discrimen.

20. *Et accepit Moses uxorem.* Uxorem et liberos secum ducendo, haud dubie Moses libere pro-

fessus est in Aegyptum se redire, ut illic habitaret. Asinus autem cui illos imponit, clare demonstrat quam tenuis fuerit eius conditio et quam curta supellex. Neque enim credibile est vel pecuniam, vel argentea vasa, vel pretiosas vestes reliquisse apud socerum, ut se pauperculum et nudum cognatis ostenderet. Sed quum sua inopia et aspero victu contentus fuisset in terra Madian, eandem adhuc simplicitatem sequitur: nec indigne fert vili et probroso habitu theatrum conscendere, in quo emineat eius paupertas, quae occultata fuerat in deserto. Notum est illud, atque usu compertum, magis opprobrii verecundia pauperes ad flagitia impelli, quam fame, frigore et aliis incommodis. Ergo contra gravissimam tentationem obduruit Moses, ubi pro nihilo duxit rideri ac despici, quum nihil terreni splendoris secum ferret. Caeterum inter baculum Dei et rustici despectique hominis speciem omni apparatu vacuam tacita subest antithesis: ac si diceret, sibi non fuisse molestum reliquis omnibus destitui, quamdiu suppeteret baculus, qui abunde pensabat defectus omnes. Quanquam ergo se procerum et vulgi subsannationi videbat fore obnoxium, asinum cum ea quam vidimus sarcina trahendo: satis tamen superque baculo, divinae virtutis instrumento, ornatum se putavit, per quem magnifice triumpharet, pompis regalibus valere iussis. Et certe hoc honoris merentur insignia quibus aestimari vult Deus servos suos, ut nihil ad eorum dignitatem amplius desideremus. Notandum autem est baculi epitheton, quia non Mosis iam sed Dei appellatur, eo quod non gestetur, ut antea, ad gregem ductandum, sed ad exercendas Dei vices. Nam quum pro summa Dei potestate miracula ediderit, quidquid ad eorum gloriam spectat, Deo vere et proprie tribuitur. Alibi quidem Mosis etiam baculus dicitur: nempe quatenus sua elogia Deus cum ministris communicat a se delectis et creatis: sicuti spiritus sui efficacia eos instruxit.

21. *Quum profectus fueris.* Non recensuit antehac Moses numerum signorum: verum ex hoc versu colligimus, quaecunque postea legemus acta esse, prius fuisse a Deo mandata. Non igitur dubium est quin Deus iam initio eum admonuerit de toto progressu: ne superbissimi tyranni pertinaciae cederet, ac duobus vel tribus miraculis frustra editis baculum simul cum munere iniuncto abiiceret. Nunc ergo Deus ad constantiam eum hortatur: et quamvis post tria vel quatuor miracula indomabilem regis contumaciam sentiat, ut tamen non reflectat cursum, neque animo debilitetur, sed ad finem usque perseveret. Quare huc summa redit, ne primos conatus irritos esse cernens, lassitudine deficiat: nec desinat fortiter pugnare, donec omnes suae vocationis numeros compleverit. Porro ne hoc fortuito accidere putet quod non protinus victoria potiatur, vel absurdum esse ducat impune ab homine mortali eludi miracula, quasi sua ferocia contra Deum invictus staret: praedicit ipse Deus se totius huius certaminis fore moderatorem, imo quidquid populi redemptioni adversari videbitur, ex arcano suo consilio oriturum. Ita causam ostendit cur Mosi non sit cessandum, donec miracula omnia peregerit: quia oportet tyrannum magnifice vinci, atque ideo multis ac difficilibus praeliis frangi et conteri, quo splendidior sit victoria. Interea pronunciat non se invito tam praefractum fore Aegypti regem, ac si non posset momento uno ipsum in ordinem cogere: sed potius cor eius se obduraturum, ut insaniam violenter prosternat. Verbum quo utitur Moses, nunc apprehendere, nunc vi retinere, nunc roborare significat: sensum vero commodissime reddere mihi visus sum constringendi verbo: quia docere haud dubie voluit Deus se ita omnium certaminum quae Mosi subeunda erant, agonothetam fore, ut etiam cor hostis gubernet, atque ad pertinaciam obduret. Quoniam delicatis auribus aspera videtur loquutio, eam plurimi molliunt, actum in permissionem vertendo. Quasi vero inter agere et pati nihil sit discriminis: aut quasi patientiam suam ac non magis potentiam Deus commendet. Me certe cum spiritu sancto loqui non piget: neque amplecti dubito quod toties in scriptura occurrit, Deum impios coniicere in sensum reprobum, tradere cupiditatibus probrosis, excaecare eorum mentes, et corda obdurare. Atqui hoc modo Deum fieri autorem peccati obiiciunt, quae detestabilis esset impietas. Respondeo, Deum longissime removeri a culpa, ubi iudicia sua exercere dicitur. Ergo si excaecatio iudicium est Dei, poenam infligendo in crimen vocari non debet. Quod si saepe causa nos fugit, meminerimus non abs re Dei iudicia vocari abyssum profundam, atque ita miremur, non obstrepamus. Qui vero permissionem substituunt in locum actus, non modo Deum spoliant suis iudiciis, sed pro sua morositate gravi afficiunt contumelia, non plus ei iustitiae concedendo, quam suo sensu capiunt.

22. *Filius meus primogenitus meus.* Hac anticipatione repellit exceptionem qua se Pharao tueri poterat, ne populo commeatum daret. Nam in eius ditionem sponte concesserat Iacob cum tota familia: erat ergo libera retinendi eius populi potestas, qui communi gentium iure subiectus erat Aegyptii imperio. Quod ordines divinitus institutos violare impium est, perversa videri poterat Mosis postulatio, ut legitima subiectio rege invito aboleretur. Quorsum enim tendebat illud de exitu populi, nisi ut regem cogeret se proprio iure abdicare? Deus ergo, ut ostendat nihil se iniuste ac praeter rationem detrahere Pharaoni, privilegium opponit, quo soluti erant Israelitae a lege communi. Filios

enim suos appellans, eos in libertatem vendicat: quia indignum est, Deum ipsum, summum terrae et coeli regem filiis suis orbari quos adoptari dignatus est. Ita oblique Deus patriam suam potestatem comparat terrenae dominationi: quia nihil minus consentaneum est, quam ut mortalis homo cedere suo et totius mundi opifici recuset. Neque tamen hoc generaliter ad quoslibet fideles trahendum est: ac si nefas esset ipsos subesse regibus, quibus temporalis servitus non adimit mundi haereditatem: sed tantum hic singularis praerogativae fit mentio, qua dignatus fuerat Deus Abrahae posteros, dominium illis dando terrae Chanaan. Itaque simplici filii appellatione non contentus, Israelem nominat primogenitum suum. Quo elogio haud dubie reliquis gentibus eum praefert: quasi diceret eum primogeniturae gradu excellere, et unum in toto orbe esse eximium. Itaque potest accommodari hic locus ad gentium vocationem, quas iam in societatem electi populi asciscere statuerat Deus, ut tanquam minores natu accederent suo primogenito. Fateor quidem totum Adae genus tunc fuisse reiectitium: sed quia conditus fuerat Adam ad imaginem Dei, posteri eius semper quodammodo reputati fuerunt inter Dei filios. Etsi autem facile admitto conferri sanctam Abrahae progeniem cum gentibus tunc adhuc profanis, et hoc respectu vocari primogenitum, quia in gradu superior emineat: ut tamen firma sit adoptio, ad unicum caput Christum venire necesse est. Tenendum est illud Pauli, non fuisse Abrahae promissam benedictionem in seminibus, sed in semine (Gal. 3, 16): quia non omnes qui originem traxerunt ex eius carne, reputati sunt inter filios, sed qui vocati sunt: sicut Isaac, Ismaele reiecto, et sicut Iacob, praeterito Esau (Rom. 9, 6). Vocationis autem radix est Christus. Ideo quod apud Oseam (11, 1) de toto populo sicut hic praedicatur (Matthaeus 2, 15), ad Christum restringit: et merito, quoniam in ipso solo fundata est adoptionis gratia.

23. *Ego autem iussi te dimittere.* Non fuit hoc legationis exordium, sed postrema clausula: quoniam omnibus frustra tentatis, de filii morte hominem desperatum admonuit Moses. Sensus ergo est, obstinationem tyranni non debere obstaculo esse quominus eum subinde urgeat usque ad hunc ultimum actum. Itaque praeceptum hoc exhortatio fuit ad perseverantiam: idque ex contextu patet, ubi commemorat Deus se poenam exigere de obstinatione tyranni: quia iussus populum dimittere, noluerit. Porro quoniam haec denunciatio valde dura erat et maxime inflammare poterat rabiem tyranni, ideo mature iubetur Moses se parare, ne in ipso articulo deficiat.

24. *Accidit autem in itinere, in hospitio, ut occurreret ei Iehova, et quaereret occidere eum.* 25. *Et tulit Sephora* lapidem [1]) *acutum, et amputavit praeputium filii sui, et proiecit ad pedes eius: ac dixit: Certe sponsus sanguinum tu mihi es.* 26. *Et quum discederet ab illo, tunc illa dixit: Sponsus sanguinum ob circumcisionem.* 27. *Dixit autem Iehova ad Aharon: Vade in occursum Mosi in desertum. Profectus est igitur, et occurrit ei in monte Dei et osculatus est eum.* 28. *Et indicavit Moses Aharoni omnia verba Iehovae qui miserat eum, et omnia signa quae mandaverat ei.* 29. *Perrexit igitur Moses et Aharon: congregaveruntque omnes seniores filiorum Israel.* 30. *Et loquutus est Aharon omnia verba quae loquutus fuerat Iehova ad Mosen, fecitque signa coram populo.* 31. *Et credidit populus: quia audierunt quod visitasset Iehova filios Israel, et quod respexisset afflictionem eorum: et se incurvando adoraverunt.*

24. *Accidit autem in itinere.* Occurrere hic accipitur in malam partem pro venire ex adverso, vel hostiliter aggredi: quasi diceret Moses Dei manum sibi fuisse obiectam, quae iter abrumperet. Qua autem forma apparuerit nescitur: nisi quod verba satis clare indicant Mosen de eius ira certiorem fuisse factum, ut mortem sibi propinquam esse cognosceret. Nisi enim oraculo vel per angelum fuisset edoctus, nihil profuisset ostendi periculum quod instabat. Neque tamen causa exprimitur cur Deum sibi tam infestum senserit: nisi quod iudicium facere ex contextu licet. Cur enim arrepto lapide vel cultro filium circumcidisset Sephora, nisi quod sciebat Deum praeputio offensum esse? Stulte ergo divinant quidam Rabbini, Mosen hanc in se Dei vindictam provocasse, quod filios et uxorem secum traheret, inutilem sarcinam, et quae impedimento futura esset. De ipso etiam flagelli genere nimis audacter pronunciant, gravi scilicet morbo fuisse afflictum, ut de vita periclitaretur. Nobis sufficiat oblatum fuisse terrorem, ac si certa adesset pernicies, et simul rationem mali fuisse ostensam, ut de quaerendo remedio satageret. Nunquam enim (ut nuper diximus) vel ipsi, vel uxori in mentem venisset, placandi Dei causa puerum circumcidere. Et paulo post iterum liquebit fuisse hoc piaculo quasi litatum: quia Deus manum suam retraxit, et sustulit offensionis signum. Ergo sine controversia statuo vindictam fuisse sumptam de negligentia Mosis, quae maioribus vitiis erat implicita. Neque enim filii circumcisionem vel oblivione, vel inscitia, vel incuria duntaxat praetermisit: sed quod expertus esset vel uxori vel socero esse odiosam. Ergo ne eum uxor rixis vexaret, vel socer esset molestus, illis gratificari maluit quam dissidiis, vel simultatibus, vel turbis occasionem dare. Interea vero in hominum gratiam Deo pa-

1) *In margine:* Vel gladium.

rere neglexit. Haec praevaricatio non leve fuit delictum, quia nihil minus tolerabile quam Deum fraudare iusto obsequio, ut mos geratur hominibus. Adiuncta etiam fuit diffidentia et ingratitudo: quia si pretium suum tenuisset Dei gratia, nullo metu ab hoc officio pietatis fuisset prohibitus. Discamus itaque ex hoc loco, sacramentis quae sigilla sunt gratiae Dei, reverenter uti, ne eorum contemptum severe Deus ulciscatur: ac simul meminerimus, externam pietatis et cultus Dei professionem, gratius esse Deo sacrificium quam ut eius colendae et testandae curam pro nihilo duci ferat. Non quod moretur ipse caeremonias, sed quia gratiae suae pignoribus, pro utilitate quae ex illis percipitur, honorem vult deferri. Ob hanc causam apud Corinthios (teste Paulo I. Cor. 11, 18) quum sacra coena profanaretur, grassata est pestis: quia tam pretiosum thesaurum vilipendi nefas fuit. Notandum autem quod quum duos filios Moses duceret, hic tantum unius fit mentio: unde probabilis elicitur coniectura alterum ex duobus fuisse circumcisum. Quidam existimant fuisse primogenitum Eliezer: quia non ausus fuerit Moses tam cito religionem suam fateri, et sibi odium accersere. Ego autem potius existimo, postquam in uno expertus fuerat domesticos sibi infensos, in secundo supersedisse, ut soceri vel uxoris indignationem vitaret. Nam si temporis successu redditus fuisset animosior, non dubitasset modo priorem defectum corrigere: sed domesticis iurgiis fatigatus ab officio tandem discessit. Quo exemplo monemur, quotidiano Dei auxilio nobis esse opus ad robur suggerendum, ne languescant animi, et paulatim refrigescat vel flaccescat zelus noster. Multa enim assidue molitur Satan, quibus studium nostrum vel frangat, vel retardet. Ergo quisquis cupit toto vitae cursu se Deo probare, arma et vires comparet ad obeundam hanc militiam. Nam si Mosi defuit constantia, nos aeque vel etiam magis ad eundem lapsum erimus proclives, nisi Dominus spiritu suo nos fulciat.

25. *Et tulit Sephora lapidem.* Quia perperam has partes sibi sumpsit mulier, divinant quidam ex Rabbinis absente marito id esse factum: sed repugnat contextus, ideoque non dubito quin tumultuarie (ut fieri solet in metu et rebus trepidis) arripuerit vel cultrum, vel lapidem. Timor enim mentem eius excaecaverat, ne quid considerate ageret. Moses etiam potuit prae anxietate iacere attonitus. Certe non rite circumcisus fuit puer: et tamen officium temere susceptum Deo placuisse, ex eventu patet: quia continuo post additur Deum a Mose discessisse. Ego enim sic interpretor, cessasse vel remotum fuisse Dei flagellum: quia tam Mosis quam Sephorae poenitentia quamvis praepostera, mitigatus erat. Non quod simpliciter Deo probetur mutila obedientia, sed secundum quid, per indulgentiam interdum grata est. Sic impio regi Achab, quum ad tempus humiliatus esset, propter fictas lacrymas remissa fuit poena (1. Reg. 21, 29). Quum ergo Sephora quae marito adversata fuerat, propriis manibus filium circumcideret, quamvis nondum serio resipuisset, Deus tamen subacta illius superbia contentus fuit, ut desisteret a Mose persequendo. Quanquam hoc in exemplum trahi non debet: quasi hypocritae poenitentiae signa dando, Deum semper exorabilem reportant. Quin potius interdum quoad poenam infligendam, clementer ignoscit indignis, ut hac facilitate nos ad veram et sinceram poenitentiam invitet. Teneamus ergo, veniam datam fuisse perturbationi Sephorae et Mosis stupori: dum temere illa ad filium circumcidendum prorupit, non arrogantia, sed ut Deo perniciem minitanti cederet. Quo refellitur eorum insulsitas qui hoc colore fucare volunt muliebrem baptismum. Nam si mortis impendeat discrimen infantibus, ideo contendunt rite a feminis baptizari posse, quia Sephora filium circumcidit. Atqui praesente viro mulierem fore legitimam baptismi ministram, ne ipsi quidem concedent. Perverse igitur ex actu confuso et turbulento regulam statuunt.

26. *Proiecit ad pedes.* Verbum נגע quod alii vertunt tenuit, transitive rectius accipitur. Etsi enim aliqua ex parte, ut cogebat necessitas, se Deo subiecit Sephora, tamen impetu iracundiae percita contra maritum exsiluit. Odiose enim exprobrat sponsum esse sanguinarium. Unde perspicitur quam longe a pio obediendi affectu abfuerit: quando non alia de causa impotenter fertur contra maritum, et iracundiam suam evomit, nisi quia Deus filii circumcisionem ab ea extorserat. Quidam putant materno dolore impulsam, vel misericordia, hoc dixisse filio: sed nimis violenter torquent verba. Quare satius est tenere quod genuinum est, expostulasse cum marito, quia illius vitam iactura sanguinis filii sui redemerat.

27. *Dixit autem Iehova ad Aharon.* Quum ex temporis longitudine colligere posset Aharon fratrem in exsilio esse mortuum, nunc de vita laetum ex ore Dei nuncium accipit: neque id modo, sed etiam in spem erigitur singularis gratiae. Quanquam enim non explicat Deus articulate quid facere decreverit ac paret, oraculo tamen suo rarum aliquid et inopinatum promittit. Caeterum notanda est praecisa iubendi ratio, quia de redemptione verbum non fecit Deus, sed fratris iunioris discipulum esse voluit. Et quamvis sua promptitudine ostenderet summum parendi studium et ardorem, Mosi tamen lento, dubitanti, vacillanti et prope ignavo aequatus non est: sed ab eo iussus est discere consilium Dei. Tantum ne ambigeret de sua et fratris vocatione, edoctus visione coelesti

fuit Deum esse totius actionis autorem, quod ad vocalis doctrinae commendationem valet. Tametsi enim Aharon Dei legatus et spiritus sancti organum fuit, videmus tamen non fuisse immunem ab ordinaria subiectione, ut scilicet Deum mortalis hominis ore loquentem audiret. Itaque si quos piget doceri intermedia hominis voce, indigni sunt quibus se Deus doctorem ac magistrum praestet. Nam paulo post subiicitur, Mosen narrasse quidquid habebat in mandatis, et quanta virtute ad miracula edenda instructus foret. Aharon vero ipse, licet aetate maior, fratrem, quem sciebat Dei esse prophetam, non solum veneratus est, sed quasi angelum ultro sibi praefecit. Osculum ponitur tanquam agnitionis signum, quo fidei suae certitudinem testatus est.

29. *Perrexit igitur Moses et Aharon.* Breviter hic recitatur quanta fide et religione exsequuti sint duo fratres mandata Dei. Seniores populi convocant, quia immensa multitudo (ut dictum est) in unum locum cogi non poterat. Deinde certare volebat Deus non tumultuoso et confuso plebis clamore, sed miraculis coelestem potentiam cum gravi moderatione spirantibus. Iterum vero observatu dignum est, Aharon substitui qui Mosis vice verba faciat. Nam si Mosi obstabat linguae tarditas, cur non ad eum dirigitur sermo? Quorsum hic circuitus, ut promulget apud populum non quod audivit ipse directe, (ut loquuntur) sed mediate per manum fratris accepit: nisi quod Deum oblectat ordo iste ad probandam suorum fidem? Ut certe vero examine cognita fuit mansuetudo et modestia Aharon, dum ex fratris ore pendere gravatus non est: deinde seniorum etiam docilitas, dum passi sunt de manu in manum sibi tradi Dei mandata, nec curiose scrutati sunt cur non recta ipsos alloqueretur Deus, vel e coelo tonaret. Quanquam adiuti etiam fuerunt miraculis: quia sic obstupuerant in suis malis ut nihil alioqui momenti haberet apud ipsos nuda praedicatio.

31. *Et credidit populus.* Vel est synecdoche in nomine populi, vel significat Moses, postquam vulgata fuit fama, omnes uno consensu amplexos fuisse missum de redemptione sua nuncium. Prior sensus magis arridet, partem pro toto poni: quia mox subnectitur solennis adoratio quae fieri nisi in coetu non poterat. Caeterum quam fluxa et erratica fuerit haec fides, suo loco postea videbimus: certe viva radice caruisse, ex inconstantia et levitate patuit. Sed novum non est: Credendi verbum ad propensam facilitatem improprie transferri quae momento evanescit. Sicuti etiam Christus fidem in multis temporalem esse docet (Marc. 4, 15). Credidit ergo populus postquam audivit suas afflictiones respici a Deo: quia sermo ille fidem et autoritatem obtinuit. Sed talis fuit credulitas quam facile discuteret adversus quilibet flatus, sicuti accidit. Docet autem hic locus nihil magni eos praestare, nec magna laude esse dignos qui cupide vel proclivi affectu recipiunt quod Dei nomine proponitur, nisi fides eorum cordibus penitus infixa, fortiter tentationum insultus sustineat. Alii secus distinguunt, nempe quod populus crediderit, et postquam audivit opem suis malis paratam esse, Deo egerit gratias. Recte tamen copula in particulam expositivam resolvitur, hoc sensu, Populus quum audisset quod referebat Aharon, credidit. Visitatio Dei hoc loco effectum in se continet: quod scilicet Deus suppetias ferre vellet misere laborantibus. Adoratio autem testimonium fuit gratitudinis, quia non satis fuit singulos tacite apud se reputare Dei beneficium, nisi palam quoque pietatem suam monstrarent. Non quod magnopere requirat Deus externos ritus, sed quoniam utilia sunt infirmitatis nostrae adminicula: et aequum est non animum modo sed etiam corpus in Dei cultu exerceri.

CAPUT V.

1. *Postea venerunt Moses et Aharon, et dixerunt Pharaoni: Sic dixit Iehova Deus Israel: Dimitte populum meum ut festum diem celebrent mihi in deserto.* 2. *Et dixit Pharao: Quis est Iehova, ut obediam voci eius dimittendo Israelem? Non novi Iehovam, atque etiam Israel non dimittam.* 3. *Tunc dixerunt, Deus Hebraeorum occurrit nobis. Ergo eamus iter trium dierum in desertum, ut sacrificemus Iehovae Deo nostro, ne forte irruat in nos pestis vel gladius* [1]. 4. *Dixit ad eos rex Aegypti: Ut quid Moses et Aharon abstrahitis populum ab operibus suis? Ite ad labores vestros.* 5. *Et dixit Pharao: En multi nunc populus terrae, et vos cessare facitis a laboribus suis.*

1. *Postea venerunt Moses et Aharon.* Hic iam exponere incipit Moses quot et quam magnifica documenta suae virtutis ediderit Deus in liberando populo. Nam quum in rege indomabilis esset superbia, furor et obstinatio, clausae erant omnes viae, nisi mirabiliter ac variis modis fractus esset. Poterat quidem Deus eum solo nutu statim profligare, ut etiam ad solum Mosis conspectum exanimis caderet: sed primo voluit (ut ante attigimus, et postea ipse exprimet) virtutem suam clarius patefacere. Nam si vel sponte cessisset Pharao vel nullo negotio victus foret, non tam illustris fuisset victoriae gloria. Voluit secundo hoc monumentum exstare rari sui erga electum populum amoris: quia tam saepe ac tam valide cum potentissimi regis pertinacia certando, quanti ecclesiam suam faceret non obscure proba-

1) *In margine:* Vel, pernicies aut gladius occurrat.

vit. Tertio voluit servos suos in omnes aetates assuefacere ad tolerantiam, ne liquescant animis si non protinus eorum votis respondeat, vel non ad singula momenta succurrat eorum miseriis. Quarto ostendere voluit contra omnes Satanae conatus et munitiones, contra impiorum amentiam et omnia mundi impedimenta manum suam semper fore victricem: ne dubitemus quidquid nobis contrarium cernimus, tandem ab eo expugnatum iri. Quinto voluit, detectis Satanae et magorum praestigiis, ecclesiam suam magis attentam reddere, ut sibi a talibus insidiis sedulo caveat, et contra omnes errorum machinas inexpugnabilis maneat eius fides. Postremo voluit Pharaonem et Aegyptios convincere, ne quo ignorantiae praetextu excusabilis esset eorum amentia. Simul etiam sub hoc typo nobis monstrare voluit quam horribilis caecitas occupet reproborum mentes, ubi eas spiritus sui luce deseruit. Haec in serie narrationis prudenter observanda erunt, si cupimus ex ea proficere. Ut difficiles sunt regum accessus, nec quemlibet ex vulgo admittere dignantur, oportuit Mosen et Aharon non vulgari confidentia esse praeditos, quum Pharaonem libere aggressi sunt. Odiosa enim et offensionis plena erat legatio, ut iter tridui facere extra Aegypti fines populo permitteret: quia dubium non est quin obrepserit suspicio, qui dimissi essent non amplius fore suae ditionis, atque ita partem terrae incolis exinaniri. Moses tamen et Aharon Dei mandatum perferre non verentur: in quo hoc quoque asperum erat lautis et fastuosis regis auribus, quod uni Deo Israel asserebant deitatis gloriam. Nam ipsum vocando Iehova, deos qui in Aegypto colebantur fictitios et hominum arbitrio creatos esse intelligunt. Quod affirmat Deus se populum vocare in desertum ut festum diem celebrent, quanquam non aperit tyranno suum consilium, diximus tamen alibi nullam esse simulationem in hoc praetextu. Vere enim placebat Deo sibi offerri in monte Sinai sacrificium gratiarum actionis, et ita separari a gente polluta cui permixti fuerant. Et certe stomachum tyranno movere voluit, totam Aegyptum ignominiae damnando, quod puri cultus capax non esset. Nulla autem lege adstrictus fuit ad liberationem aperte declarandam: quin potius ut virus impietatis eliceret ex tyranni animo, nihil petiit in populi sui commodum, sed cultum sibi debitum exegit. Verbum quo utitur Moses, proprie diem festum agere significat, sed appendices etiam complectitur, ideoque per synecdochen hic accipitur, ut etiam aliis locis, pro Deum colere solenni ritu.

2. *Et dixit Pharao: Quis est Iehova.* Tantum dementiae in homine mortali fuisse vix credibile est, ut Deum tam proterve spernendo, quasi in coelum conspueret. Sed notandum est, tyrannum superstitionibus deditum ita insultasse Deo Israel, ut maxime pium se putaret erga falsos deos. Nam quod nomen Iehova contumeliose iactat, restringi debet haec subsannatio ad Mosis sermonem: quasi diceret: Quid mihi opponis spectrum incognitum sub titulo Dei aeterni, ac si nullus esset apud nos Deus? Sic Pilatus (Ioh. 18, 38), quum Christus diceret se et in hoc natum esse et venisse in mundum ut testimonium redderet veritati, ironice nec sine ludibrio interrogat: Quid est veritas? Denique non visus est sibi Pharao facere Deo iniuriam, quum numen prodigiosum, ut putabat, facessere iuberet. Neque tamen ad excusationem valuit error, qui ex furiosa audacia et contemptu Dei oriebatur. Esto, noluit suis idolis quidquam detrahere, atque ita imaginatus est se religione defungi. Atqui tam securo respuere veri Dei nomen, et sannis etiam exagitare, nimis crassa fuit impietas. Similem dementiam animadvertere in omnibus idololatriis licet: quia inebriati suis erroribus Deum audacter subsannant, nec dignantur de ipso inquirere. Clamant hodie papistae nos obtrudere mundo novum Deum, et sibi plaudentes in crassissimis deliriis, quidquid docemus impietatis damnare non dubitant: non quod persuasi sint rectum se tenere Dei cultum, sed sponte caecutiunt, ut impune eludant sacram Dei maiestatem, stupore obruant conscientias, et mortiferum soporem sibi concilient. Acuti etiam et faceti sibi videntur dum novitatem doctrinae nostrae suis dicteriis incessunt: quum tamen satis perspicua sit eius veritas, si modo aperirent oculos. Epicurei etiam (qua labe nunc refertus est mundus) quamvis petulanter despument adversus Deum, semper tamen offundunt aliquas nebulas, sub quibus lateat detestabilis eorum furor. Obtendunt enim, in tanta opinionum varietate vix posse discerni quisnam sit Deus vel quid iubeat. Summa tamen huc redit, ne quid sit ipsis negotii cum Deo et tamen iocose diluant impietatis dedecus: ac si liberum ipsis esset repudiare quod scientes ignorant. Postquam vero oblique derisit Mosis legationem quasi rem ludicram, apertius et maiore contumelia superbiam suam evomit, se pro nihilo ducere Deum illum cuius nomine eum Moses et Aharon terrebant.

3. *Tunc dixerunt, Deus Hebraeorum.* Pergunt in sua legatione Moses et Aharon, nec tyranni superbia minuit vel debilitat eorum animos, quominus unico Deo qui se peculiariter illis adiunxit, gloriam suam asserant. Et certe hoc fidei proprium est, calcare omnem mundi altitudinem: sicuti Dei veritas omni terrena excellentia superior est. Neque enim magis libere refutare poterant impiam et sacrilegam vocem illam: Non novi Iehovam, quam dum rursus asseverant verum Deum gentis suae esse praesidem, idque visione certa esse patefactum. Comminatio addita Pharaonem admonet non inultam fore eius contumaciam, si populum a Dei cultu

prohibeat. Nam si vindictam sumpturus erat Deus de populo qui invitus retinebatur, quomodo impune evaderet qui ex professo contra Deum certabat? Quum ergo sibi perniciem instare commemorant nisi vocantem sequantur Deum: Pharaoni subindicant ut sibi caveat a maiori clade.

4. *Dixit ad eos rex Aegypti.* Mirum est regem fastu turgidum non atrocius saevisse in servos Dei, quos seditionis autores esse ducebat. Nec vero dubium est fuisse cohibitum Dei fraeno ne ad caedem mox prosiliret. Quanti sua referre putet populum in Aegypto manere, pertinacia in exitu negando clarius postea ostendet: qui fit igitur ut verborum obiurgatione contentus sanguini parcat, nisi quod opposito defensionis suae clypeo Deus servos suos protegit? Duriter quidem eos increpat, et quibus reliquum populum premebat laboribus, eos addicit: sed quum satis notum sit, tyrannis nunquam satisfacere mediocrem rigorem: sub Dei custodia tutam illorum fuisse salutem colligimus, quia alioqui centies perituri erant. Caeterum quod reos facit tumultus, discamus eorum exemplo probra et falsorum criminum obiectiones patienter sufferre: modo freti Dei mandato probe nobis conscii simus iniuste nos gravari. Proximus versus, ubi dicit multum esse terrae populum, ad crimen exaggerandum pertinet: tum quia graviorem afferant iacturam bono publico, quam si paucos ab opere abstraherent, deinde quod magnum populum concitando plus creare periculi conentur.

6. *Et praecepit die illo Pharao exactoribus qui erant in populo et praefectis eius, dicens:* 7. *Non continuabitis in danda palea populo ad conficiendos lateres, sicut heri et nudiustertius, sed ipsi eant, et colligant sibi paleas.* 8. *Summam vero laterum quam ipsi fecerunt heri et nudiustertius, imponite eis: non minuetis ex ea: nam quia otio remissi sunt, propterea ipsi clamant, dicentes: Eamus, sacrificemus Deo nostro.* 9. *Aggravetur ergo servitus super viros, in qua se exerceant, et non attendant verbis mendacibus.* 10. *Tunc egressi sunt exactores populi et praefecti eius, et dixerunt populo: Sic dicit Pharao: Ego non do vobis paleas.* 11. *Vos ite colligite vobis paleas, ubicunque inveneritis: quia non est imminutum quidquam ex opere vestro.* 12. *Dispersus est ergo populus per totam terram Aegypti, ut colligerent stipulas pro paleis.* 13. *Et urgebant eos exactores, dicendo: Perficite opera vestra, pensum diei die suo perinde ac si adessent paleae* [1]. 14. *Et caesi sunt praefecti filiorum Israel, quos constituerant super ipsos exactores Pharaonis, dicendo: Quare non absolvistis pensum vestrum in lateribus conficiendis, sicut heri et nudiustertius, sicut antea ita hodie?* 15. *Et venerunt praefecti filiorum Israel, et conquesti sunt apud Pharaonem, dicentes: Cur sic agis cum servis tuis?* 16. *Palea non datur servis tuis, et dicunt nobis: Lateres facite: et ecce, servi tui percutiuntur, et improbe agitur cum populo tuo.* 17. *Qui ait: Vos otio remissi estis, otio remissi: ideo dicitis, eamus, sacrificemus Iehovae.* 18. *Nunc igitur ite, operamini: et paleae non dabuntur vobis, et summam laterum reddetis.*

6. *Et praecepit.* Ex serie historiae certius colligere licebit, hos praefectos et exactores ex filiis Israel fuisse sumptos. Quanquam fuisse quosdam Aegyptios antea legimus, sed ut ingeniosi sunt tyranni in suis commodis, pro sua vafritie cavere voluit Pharao ne qua esset immunitas, sed omnes ad unum vicibus suis ad onus traherentur. Nam Aegyptios in turba latere quidam poterant, ubi vero Israelitis datum fuit negotium, familiaris notitia eos detexit, ne cui esset immunitas. Porro verisimile est apud hos praefectos depositam fuisse paleam quam per decurias vel singulis distribuerent: onus ergo duplicat hoc modo, quia iubet paleam colligere qua lateres coquantur. Quemadmodum autem ille dicit monosyllaba esse regum edicta, praecisis verbis ostendit Moses tyrannidis violentiam. Caeterum hic locus docet, quum nos respicere inceperit Deus ut malis nostris opem ferat, hac occasione interdum molestias crescere, quae nos durius premant. Ita quum Israelitis professus esset se fore redemptorem, gravior illis moles incubuit dum ad solitas exactiones addidit tyrannus ut colligerent sibi paleam. Sic enim Deo fidem suorum probare libet: et sic eorum animos terrae nimis affixos in sublime attolli convenit, dum gratiae sibi promissae fructum non extemplo percipiunt, imo dum nihil sentiunt aliud ex Dei favore sibi afferri quam ut deterior sit ipsorum conditio. Hoc meditari valde nobis utile est, quo aequius et placidius feramus cruce nos et rebus adversis ad amorem et studium bonorum coelestium stimulari. Hodie multis evangelium odium conflat, alios privat suis delitiis, aliis abrogat honorem, aliis iacturam affert bonorum, alios carcere, alios exsilio multat, quosdam rapit in vitae discrimen: deinde quo magis suam potentiam exserit Deus, ex altera parte accenditur Satanae rabies, et atrocius saeviunt impii. Hoc scandalum nos graviter concuteret, nisi hoc exemplo admoniti sciremus tanti nobis debere esse inaestimabilem gratiam quae in Christo offertur, ut prae ipsa susque deque nobis sint divitiae, honores, et quidquid inter mortales expetitur: quaelibet etiam incommoda despicere molestum nobis non sit.

9. *Aggravetur ergo servitus.* Quamvis sciret Pharao immaniter se tractare miseros Israelitas, qui debuerant benigne et clementer tanquam hospites accipi, tamen otio eos abuti dicit, et ideo tumul-

1) *In margine:* Vel, sicuti quum erant paleae.

tuari quia eis nimium indulgeat. Sic postquam tyrannis excidit aequitatis studium, nullus est inique agendi modus, et querimoniis adeo non flectuntur ad misericordiam, ut crudelius insolescant. Et his flabellis eos incitant adulatores, nunquam quietos fore subditos nisi sub onerum gravitate deficiant: optimum hoc esse dominandi compendium, sic eos opprimere ut ne hiscere quidem audeant: si fremant vel obmurmurent, durius esse urgendos, ut obdurescant ad servitutem, quasi contracto callo. Itaque nihil iniuriis et contumeliis faciunt residuum, donec penitus misera plebs succubuerit. Petulantius deinde insultat, quum se plus onerum dicit imponere, ne confidant verbis mendacibus. Quaenam vero illa sunt, nisi quod adspirant ad cultum Dei? Ergo una cum tyrannico fastu impietatem despumat. Neque hoc solum Pharaoni propositum fuit, crepare talem blasphemiam in Deum, sed Satanae artificio instigatus fuit ad labefactandam ecclesiae fidem. Eodem impulsu Rabsaces iactabat Ezechiam verbis inanibus decipere populum, quia iubebat sperare in Deo vivo (Isa. 36, 7). Nec desinit Satan eadem machina fideles impetere, perinde ac si fallacia esset et vanitas quidquid promittit Deus.

12. *Dispersus est ergo populus.* Haec circumstantia demonstrat quam inique afflicti fuerint quibus labor supra vires fuit impositus. Ut lateres conficerent, oportuit saltem eos in loco manere: non suppetit illis palea ad lateres coquendos: coguntur ergo huc et illuc dilabi et stipulam in remotis Aegypti partibus colligere, qua loco paleae utantur. Utrumque praestare non poterant: perinde igitur fuit ac si falso praetextu et calumnia, criminis occasionem captaret ad eos damnandos. Qualiter hodie videmus Christi hostes subinde excogitare gravissimas quasque poenas, quibus cogatur misera ecclesia ad pietatis abnegationem. Pharaonis enim consilium fuit Mosen et Aharon procul abigere, ne de exitu populi verbum amplius facerent: quo voto potitus, aliquid haud dubie ex tam immani saevitia remisisset. Quia vero non cessabant illi, extorquere per duros cruciatus a populo voluit ut illos abigeret, vel ne aurem praeberet Dei mandatis. Etsi autem satis sibi conscius est nullam esse ignaviae culpam in populo, sed ideo non reddi ad numerum lateres quod miseri, qui prius dimidia laboris parte aegerrime defuncti fuerant, nunc si intendant nervos omnes, non tamen erunt oneri tolerando, atque ita videt eos prorsus succumbere, tamen exprobrat quod otio luxurientur. Nempe ut repudiato Mose, spei divinitus sibi oblatae valedicant ac renuncient. Et quia acerbius eos torquere non potest nisi occidat, praefectos caedi iubet, ut eorum verberibus totum vulgus magis expavescat. Denique quos videbat nimis firmos stare, ultima desperatione frangere voluit. Quidquid excusationum afferant praefecti ipsi, surdo canunt fabulam. Nam quia semel decrevit populum obruere, donec aboleverit omnem Dei memoriam, nihilo maior est in eo misericordiae sensus vel humanitatis quam in lapide.

19. *Et viderunt praefecti filiorum Israel ipsos in miseria, dicendo: Non minuetis ex lateribus vestris opus diei die suo.* 20. *Et occurrerunt Mosi et Aharoni, qui stabant in occursum eorum quum ipsi egrederentur a Pharaone.* 21. *Dixeruntque ad eos: Videat Iehova super vos, et iudicet, qui foetere fecistis odorem nostrum in oculis Pharaonis et in oculis servorum eius, tradendo gladium in manum illorum ad occidendum nos.* 22. *Tunc reversus est Moses ad Iehovam, et dixit: Domine, cur malum intulisti populo huic! cur misisti me?* 23. *Nam ex quo veni ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo, malo affecit populum hunc: nec liberando liberasti populum tuum.*

19. *Et viderunt.* Quidam vocem Hebraicam רע pro moerore accipiunt, referentes tamen ad populum: ac si dictum esset, viderunt praefecti populum moestum, vel tristitia deiectum, quum regis mandata exponerent. Verum simpliciter (meo iudicio) sensus esset, vidisse nullum esse remedium malis, nec posse eximi ab illa dura servitute cui addicti erant. Exponunt etiam quidam praefectos ipsos sensisse ipso experimento, postquam a rege tam inhumaniter repulsi fuerant, quam infelix esset sua conditio. Ego tamen, si alterutrum eligere oporteat, magis probarem quod prius retuli, ipsos condoluisse publicae calamitati, nullam tamen spem exitus vidisse. Nisi forte sic accipere libeat, quum prodirent in populi conspectum, fuisse tristi vultu, et quasi torve ipsum intuitos esse prae dolore et verecundia, quod crudele illud imperium perferrent de labore duplicando. Et certe hoc libenter amplector, quum regis imperium coacti promulgarent, prae se tulisse vultu moestitiam: quod necessitatem illam effugere non possent quin ministri essent impiae tyrannidis ac saevitiae. Nam continuo post adiungit Moses retulisse edictum. Hinc ergo tristis aspectus, quod inviti urgerent fratres suos, quorum molestias levare optassent. Huc tendit summa, rem penitus fuisse desperatam: quia ipsi quoque praefecti nuncium attulerunt de obstinato tyranni rigore, et vultus perturbatione testatum fecerunt nullam mitigationem posse sperari.

20. *Et occurrerunt Mosi.* Vertunt quidam: Occurrerunt cum Mose, et particulam את accipiunt pro Cum, sed contextus videtur melius fluere, praefectos et partem aliquam seniorum vel plebis incidisse in Mosen et Aharon quum a Pharaone redirent. Fortuitum enim occursum denotat quo factum est ut magis exacerbarentur animi contra Dei

servos. Describitur autem hic caecus dolor, qui rabioso fere impetu egit Israelitas ut iniuste excandescerent contra insontes, et nihil tale meritos. Non mirum quidem est malorum gravitate fuisse hebetatos, ut aequitatis modum non tenerent, imo fuisse quodammodo percussos amentia, ut indignationem suam contra salutis suae ministros praepostere evomerent (solet enim hoc saepe accidere): sed quamvis hoc nimis sit commune vitium, non tamen ab ingratitudinis crimine purgantur qui tam inconsiderate feruntur impetuoso affectu: imo hoc exemplo discendum nobis est quanta cura dolorem fraenare oporteat, cui si indulgetur, iudicium et humanitatem excutit. Quid enim iniquius, quia tyrannice saevit Pharao, quam in Mosen et Aharon culpam reiicere? Verum hic excessus ex diffidentia manavit: quia gratiam Dei ex praesenti successu aestimant. Nuper de redemptione promissa gratias egerant Deo: nunc, quasi decepti fuerint, Mosen et Aharon accusant. Unde colligitur quam fluxa fuerit eorum fides, quae levi de causa mox evanescit. Nisi miraculis sancita fuisset Mosis vocatio, poterant ex adverso successu occasionem arripere excandescendi: nunc vero postquam experti sunt Deum esse totius actionis autorem, perverse et falso eum temeritatis insimulant: atque ita non homini tantum mortali, sed Deo redemptori faciunt iniuriam: quae duplicatur sacrilego nominis eius abusu, ubi eum faciunt malae causae patronum. Perinde enim est ac si legem imponerent se ipsum damnandi. Quo magis cavenda est doloris intemperies, quae dum se praecipitanter effundit in homines, ne Deo quidem parcit. Non putarunt quidem illi Deo se esse contumeliosos, ac respuere eius beneficium: nempe quia passionum excessus ipsos transversum agebat. Interea origo mali notanda, quod impatienter tulerint non statim a Deo compleri quod promiserat, sed differri ad tempus: deinde quod immunitatem quaesierint ab omni incommodo. Ita malebant in suis malis putrescere, quam ob spem gratiae Dei quidquam molestiae pati. Quae mollities nobis fere omnibus ingenita est, ut malimus nos Dei auxilio destitui, quam exerceri sub cruce, dum gradatim et obliqua etiam interdum via nos ad salutem ducit. Nihil quidem dulcius quam audire respici a Deo nostras afflictiones, ut laborantibus opem ferat: verum si Dei gratia impiorum furorem in nos concitet, quaslibet promissiones abiicere parati erimus, potius quam spem illarum tam gravi pretio redimere. Interea videmus quam humaniter certaverit Deus cum populi sui intemperantia et pravitate. Nam certe Mosen et Aharon tam duriter increpando, repulerunt Israelitae (quantum in se erat) quem avide prius de redemptione nuncium exceperant, neque tamen destitit opus suum ad finem usque persequi.

22. *Tunc reversus est Moses.* Reditus ad Deum hoc loco sumitur in malam partem pro defectione ab officio. Neque enim dicitur Moses vel composito animo orasse, vel suppliciter, ut in re perplexa, petiisse consilium, sed hominibus quibuscum negotium erat relictis prae taedio ad Deum rediise, ut missionem peteret. Reversus ergo est ad Deum, ut irrita esset tota expeditio: perinde ac si nunquam fuisset missus. Id etiam verba sonant: quoniam aperte cum Deo expostulat quod liberatione promissa durius affligi passus fuerit populum suum. Ac primo quidem intuitu videri posset maior eius insania quam totius populi, quod directe et palam Deo exprobrat ab ipso proficisci quidquid malorum intulit Pharao. Atqui non dubito quin populi querimonias dolenter detulerit potius quam loquutus sit ex proprio sensu. Quanquam non est in totum excusabilis eius amarulentia, quando eum vocationis suae poenitet, ac indignatur sibi provinciam nullo profectu mandatam esse. Quod vero Dei tarditatem in populo redimendo accusat, inde apparet quam densae tenebrae mentem eius tunc occupaverint. Praemonitus in tempore fuerat de Pharaonis duritie, audierat non cessurum donec fractus esset manu valida: nunc omnium oblitus, redemptionem nondum completam esse miratur. Idem et nobis saepe contingit, ut doctrina fidei et spei, quae rebus tranquillis in corde nostro fulget et in lingua resonat, ubi ad serios conflictus ventum est, evanescat. Quo maiore studio in eius meditationem incumbere oportet, ut in rebus maxime confusis nos tamen sustineat eius recordatio.

CAPUT VI.

1. *Et dixit Iehova ad Mosen: Nunc videbis quod facturus sum Pharaoni: quia in manu robusta dimittet eos, in manu* inquam *robusta eiiciet eos e terra sua.* 2. *Et loquutus est Deus ad Mosen, dixitque illi: Ego Iehova.* 3. *Apparui quidem Abrahae, Isaac et Iacob in Deo omnipotente: in nomine tamen meo Iehova non sum cognitus illis.* 4. *Atque etiam erexi pactum meum cum illis, ut darem illis terram Chanaan, terram peregrinationum eorum, in qua peregrinati sunt.* 5. *Ideoque ego audivi gemitum filiorum Israel, quos Aegyptii serviliter opprimunt: et recordatus sum foederis mei.* 6. *Propterea dic filiis Israel: Ego Iehova, et educam vos ex oneribus Aegypti, et eruam vos e servitute illorum, et redimam vos in brachio extento, et in iudiciis magnis.* 7. *Et assumam vos mihi in populum, et ero vobis in Deum, et scietis quod ego sum Iehova Deus vester, dum vos educo ex oneribus Aegypti.* 8. *Et introducam vos in terram, de qua levavi manum meam ut darem eam*

Abrahae, Isaac et Iacob: daboque eam vobis in possessionem. Ego Iehova.

1. *Et dixit Iehova ad Mosen.* Indignus quidem erat Moses cui tam placide et comiter Deus responderet: sed optimus pater pro immensa sua clementia tam Mosis quam populi vitiis ignovit, ut quod statuerat, de redemptione perficeret. Nihil autem novum adducit, sed repetit ac confirmat superiorem sententiam: donec vi coactus fuerit Pharao, non fore obedientem. In verbo Videbis tacita exprobratio est immodicae festinationis: quia non exspectet Moses promissionis eventum. Subiicitur deinde ratio cur Deus nolit populum suum sponte a tyranno dimitti: quia scilicet volebat opus liberationis esse conspicuum. Notanda etiam exaggeratio est in verbo eiiciendi: quasi diceret, ubi bellando subactus ac fractus fuerit Pharao, non modo consensurum, sed magni beneficii loco ducturum ut populus quam citissime exeat. Summa est: Qui hodie exitum vobis negat, non tantum liberos emittet, sed etiam extrudet a sua ditione.

2. *Et loquutus est Deus.* Prosequitur Deus sermonem suum, ut Moses collapsos populi animos rursus erigat. Porro diffidentiam castigat, foederis sui memoriam renovando: quod si probe infixum fuisset illorum cordibus, longe constantiores fuissent in speranda redemptione. Ostendit ergo nihil novi se nunc protulisse: quia pridem ex patribus audierant se a Deo electos esse in populum peculiarem et doctrinam suae adoptionis fere cum lacte imbiberant. Quo turpior est eorum socordia, et magis convincitur, dum ita turbulente fremunt contra Mosen, ac si commentus ipse esset quod Dei nomine promiserat. Pungit etiam eos obliqua comparatione: quod Abraham, Isaac et Iacob cupide amplexi fuerint promissionem sibi datam, et in ea perseveranter quieverint: isti autem qui gloriabantur ex sancto illo semine se esse progenitos, fastidiose respuant, quia non statim apparet effectus. Atque ut crimen amplificet, ratiocinatur a minori ad maius: quia prout uberior illis offertur manifestatio ac luculentior quam olim oblata foret, propensiores ad credendum esse conveniat. Unde sequitur omni excusatione carere eorum socordiam, qui Deum familiariter se insinuantem non admittunt. De epitheto Sadai non consentiunt interpretes. Quidam deducunt a verbo שדד, atque ita י literam finalem positam esse volunt pro geminata. Quod si recipimus, tantundem valebit atque vastator, vel saltem notabitur formidabilis Dei maiestas. Aliis magis placet שד, quod mammam significat, esse radicem. Aliis videtur composita esse dictio ex relativo ש et די, quod nomen Hebraeis est sufficientia. Ita Sadai dicetur qui bonorum omnium copia affluit. Certum quidem est hac voce Hebraeos tam in bonam quam in malam partem uti. Nam ubi minatur Isaias 13, 9, Deum fore scelerum ultorem, vocat eum Sadai. Sic et Iob 33, 4(?): Sadai terruit me. In his locis et similibus haud dubie exprimitur terribilis Dei potentia: ubi vero promittit Abrahae se fore Deum Sadai, liberalitatem suam commendat. Nunc etiam ubi dicit se apparuisse patribus in Deo Sadai, non tam ad fortitudinem suam in exercendis iudiciis respicit, quam ad plenam perfectamque beneficentiam: quasi diceret se Abrahae et aliis patribus manifestasse quanta virtute praeditus sit ad suos tuendos et servandos, et ipsos experientia sensisse quam potenter atque efficaciter suos foveat, sustentet ac iuvet. Quamvis autem praedicet quae in illos contulit beneficia, negat tamen se illis fuisse cognitum in nomine suo Iehova: quo significat se nunc posteris illustrius patefacere deitatis suae gloriam. De nomine Iehova longum esset referre omnium sententias. Certe quod Iudaei nec proferre nec scribere illud audent, sed substituunt nomen Adonai, putida est superstitio. Nihilo enim magis probabile est quod multi docent, esse ineffabile quia secundum rationem grammaticae non scribitur. Hoc quidem extra controversiam est, deduci a verbo היה vel הוה ideoque recte nomen essentiale Dei a peritis interpretibus dicitur, quum alia sint quasi epitheta. Quum ergo nihil Deo magis sit proprium quam aeternitas, vocatur Iehova quod a se ipso habeat esse, et arcana inspiratione omnia sustineat. Nec Grammaticis assentior qui pronunciari nolunt quia non sit regularis inflexio: quando pluris mihi est etymologia, cuius omnes fatentur Deum esse autorem, quam centum regulae. Neque tamen Deus hoc loco per nomen syllabas vel literas intelligit, sed gloriae et maiestatis suae notitiam, quae maior et amplior resplenduit in ecclesiae redemptione quam in ipso foederis exordio. Minore enim lucis mensura contentus fuit Abraham et reliqui patres. Unde sequitur minus excusabilem esse culpam in posteris, nisi gratiae amplitudini respondeat ipsorum fides. Interea Mosi additur alacritas, dum magnificum et singularem illustrandae suae gloriae modum proponit Deus.

4. *Atque etiam erexi pactum.* Spem liberationis quam olim pollicitus fuerat, et quam speraverant patres, confirmat ex pacto, sicuti paulo ante dixi: et particula גם quae bis repetitur, priore loco est causalis, secundo illativa: quasi diceret: Quoniam pepigi cum patribus vestris, ideo nunc in terram Chanaan deducere vos statui. Nisi ita resolvere libeat: Ego idem qui foedus meum percussi cum patribus vestris, nunc quoque audivi gemitum. Porro quia in mera gratia fundatum est pactum, redemptionem Deus tam ex suo beneplacito, quam ex constantia sperari iubet. Iterum vero fidem Abrahae, Isaac et Iacob hac ratione commendat quod patien-

ter sustinuerint hospites esse et peregrini in terra Chanaan, quae tamen ex foedere Dei legitima erat ipsorum haereditas. Fuit enim rarae virtutis vagari tota vita, nec angulum habere ubi pedem figerent, nisi quod precario ipsis concessum fuit tabernacula erigere, vicinis tamen suis esse obnoxios: ut solent indigenae prae se despicere exteros. Atque hac comparatione gravius damnatur in posteris socordia et ingratitudo, si possessionem adire eius terrae detrectent quae tantopere expetita fuit a sanctis patribus, et cuius solo aspectu beatos se putarunt, quamvis in ea tantum sint peregrinati.

5. *Ideoque ego audivi gemitum.* Rationem assignat cur tamdiu distulerit fidem datam praestare: quia scilicet volebat suos misere affligi, ut apertius succurreret laborantibus: deinde volebat iniuste premi ab Aegyptiis, quo iustius a tyrannide ipsos eriperet. Sicuti Abrahae dixerat: Postquam male tractati fuerint, ego vindex ero. Opportunum ergo ferendi auxilii tempus venisse admonet hac circumstantia: quia si humaniter fuissent semper excepti, et iura hospitii erga eos servata essent, nulla fuisset excutiendae dominationis ratio: nunc vero postquam Aegyptii aequitatis immemores fidem violarunt, aequum fuit audiri a Deo gemitus et clamores populi sui indigne afflicti. Hoc tamen semper diserte affirmat ex foedere pendere, tum ut agnoscant Iudaei non alio quam gratuitae promissionis respectu sibi obstrictum esse, tum persuasi veracem esse in suis promissis, certius liberationem exspectent. Recordationem foederis alibi dixi esse demonstrationem effectus. Quod sequitur proximo versu: Dic filiis Israel: Ego Iehova, ad tollendam dubitationem spectat. Res enim erat humano sensu impossibilis, imbellem turbam extorquere saevis tyrannis, non secus atque oves eruere ex faucibus luporum, et incolumes servare, postquam dentibus attritae et laceratae fuerint. Praefatur ergo Deus de sua incomparabili virtute, ut doceat nihil sibi fore negotii in re quantumvis incredibili peragenda. Ideo adiungit se redemptorem fore in brachio extento et iudiciis magnis: quasi diceret: Ego documenta edam mirifica excelsae potentiae, quae sensus omnes humanos superent. Per iudicia intelligit agendi rationes, quae tamen simul futura erant testimonia suae iustitiae. Nam Hebraeis nomen hoc quamlibet dispositionem, modum, ordinem et consuetudinem, interdum mensuram significat, gallice dicimus *façons notables ou estranges.*

7. *Et assumam vos mihi.* Hic finis liberationis describitur in continuo gratiae tenore. Parum enim fuisset, populum semel ex Aegypto redimi, nisi redemptus sub tutela et praesidio Dei vixisset. Sicut ergo pridem circumcisione sanctum Abrahae semen segregaverat a reliquis gentibus, ita nunc ipsum rursus sanctificat: seque illis in Deum fore promittit. His ergo verbis tam peculiaris electio quam eius perpetuitas asseritur: quia censeri Dei populum, tantundem valet ac singulari privilegio recipi in favorem, et adoptione vocari in spem aeternae salutis. Futurum vero tempus non temporale fore beneficium docet, quum Deus porrecta manu educet populum ex Aegypto: sed hoc initium duntaxat fore aeternae protectionis. Porro inter nos et Israelitas tenenda est anagoge, vel similitudo: quia semel Deus per unigeniti filii manum eripuit a Satanae tyrannide, in hunc finem ut nos semper paterno amore prosequatur. Postea arrham vel pignus adiungit possessionem terrae Chanaan, qua donati fuerunt Israelitae, ut Deus semper inter ipsos resideret, protegeret ipsos suo auxilio, virtuteque tueretur. Dixi hanc fuisse arrham adoptionis: quia patrum fides affixa esse non debuit terrenis beneficiis, sed tendere ad altiorem scopum. Interea externo illo symbolo Deus ostendit peculiarem sibi esse populum, cuius habitationi terram delegit in qua coleretur. Quod dicit se levasse manum, ad confirmationem valet: quia iureiurando interposito sancita promissio fuit. Certum quidem est in simplici Dei verbo satis superque esse firmitatis: sed hoc concessit hominum imbecillitati, ut sacrum suum nomen, quasi sponsionis loco, in medio statueret: quo certiore fiducia persuasi essent nihil sibi frustra promitti. Levare manum iurare significat, similitudine ab hominibus sumpta, qui hoc gestu testantur se coram Deo loqui, ac si testem e coelo ipsum accerserent. Hoc in Deum non competit, qui per se ipsum iurat, quia nullus altior est ad quem tollat manum: (Heb. 5, 3) [1]) sed improprie ad ipsum transfertur quod usitatum est inter homines. Quod inseritur, scituros Israelitas ipsum esse Deum postquam educti fuerint, obliquam exprobrationem continet: quia scilicet nimis lenta est cognitio quae effectum subsequitur. Simul tamen experimento palam se facturum promittit quam verax sit in omnibus suis dictis, ut constantius Israelitae redemptionem suam exspectent. In clausula repetens se esse Iehovam, invictam suam virtutem, quae facile superat omnia impedimenta (sicuti paulo ante) commendat. Quanquam simul veritatis elogium continet haec loquutio: quasi diceret se unum esse cui tuto creditur, quia et fidelis est in promissis suis, et immensa potentia praeditus.

9. *Et ita loquutus est Moses ad filios Israel: sed non audierunt Mosen prae angustia spiritus, et prae dura servitute.* 10. *Loquutus autem est Iehova ad Mosen, dicens:* 11. *Ingredere et loquere ad Pharaonem regem Aegypti, ut dimittat filios Israel e terra sua.* 12. *Tunc loquutus est Moses coram Iehova,*

1) *Imo* 6, 13.

dicendo: Ecce, filii Israel non audierunt me: et quomodo audiet me Pharao qui sum incircumcisus labiis? 13. *Loquutus autem fuerat Iehova ad Mosen, et Aharon, dederatque eis mandata ad filios Israel et ad Pharaonem regem Aegypti, ut emitteret filios Israel e terra Aegypti.*

9. *Et ita loquutus est Moses.* Ex hoc versu apparet de secunda legatione agi, quam perferre iussus est Moses. Ante enim magna laetitia et applausu audierant adesse redemptionis tempus, et gratias egerant Deo: nunc refert Moses constrictos fuisse animos, ne admitterent quem perferebat de propinqua gratia nuncium. Ita saepe miseri aures obstruendo ianuam claudunt Dei promissionibus. Quod fere portento simile est, nam quod Dei gratiam respuunt qui saturi sunt atque etiam ebrii sua felicitate, nihil mirum: sed moerorem, qui famelicos reddere debuerat qui sub malis demersi iacent, obstaculo esse ne solatium recipiant quod ultro Deus offert, id vero naturae repugnat. Atqui usu tritum est, ut quo magis singuli anguntur, se ipsos obdurent ne locum permittant Dei auxilio. Hoc morbo filios Israel laborasse narrat Moses, dum surdis auribus repulsa ab illis fuit tam blanda Dei invitatio, quod anxietas eorum sensus occupavisset. Quia vero naturale est dolore et tristitia nos contrahi: discamus hoc exemplo luctandum esse donec animi emergant ex suis angustiis, quo saltem amplexandae gratiae Dei sint capaces. Nulla enim deterior pestis quam hebetes malis ac stupidos reddi, ut obsurdescamus ad Dei promissiones.

10. *Loquutus autem est Iehova ad Mosen.* Clarius exponit Moses quam indulgenter tulerit Deus malignam populi repulsam: cuius iusta fuisset merces, si passus fuisset centies in miseriis suis putrescere, quando obstinatis animis ad interitum suum ruebant. Quod ergo perire volentibus opem ferre non desinit, singularis est misericordiae. Porro notandum est Mosen fuisse novo hoc mandato confirmatum: quia populi desperatione perculsus erat. Fuit autem non leve crimen, callum stuporis ita in malis sibi obducere, ut remedium a se prohiberent. Potuit igitur merito colligere non esse longius pergendum, ne tot molestias cum summo periculo et nullo profectu stulte obiret. Verum huic tentationi occurrit Deus, et cum Pharaonis pervicacia constanter nihilominus certare iubet. Demonstrat autem Mosis responsio, ex quo populi moeror viam gratiae Dei clauserat, legationem hanc fuisse sancto viro rursus iniunctam. Nam quum initio populus primo nuncio in spem redemptionis alacriter erectus esset, Mosi ex felicibus exordiis accesserat non vulgaris strenuitas ad exsequendum suum munus, quae nunc tristi eventu merito concidere potuit, donec ad perseverantiam de integro excitatus fuit. Itaque veniam poscit, ne inutiliter laboret: et ratiocinatur a minori ad maius, quia longe difficilius sit animum Pharaonis inflectere, ut invitus iure suo cedat, quam miseris persuadere ut auxilium divinitus sibi oblatum recipiant. Atqui iam experimento didicerat clausam esse Deo ianuam apud populum. Quid ergo rupem durissimam loco movere tentaret? Etsi autem consilium eius non fuit vocationis onus sibi impositum excutere, libenter tamen tergiversando se oblique subduxisset. Ita videmus cordatissimos Dei servos interdum in medio cursu fatiscere: praesertim ubi occurrunt salebrae et alia obstacula, et via opinione asperior offendit. Quo magis sollicite rogandus nobis est Deus ne unquam inter varios quibus nos exerceret conflictus, destituat virtutis suae subsidio: quin potius pro vehementia certaminum novas subinde vires inspiret. Iam vero quae spes redemptionis superfuit, cuius minister tam fracto erat animo vel remisso, et quam populus ipse palam fuerat aspernatus, nisi Deus per se omnia praestitisset? Nec dubium est quin tali hominum defectu ostendere voluerit manum suam sibi sufficere. Quod se Moses vocat incircumcisum labiis, ad balbutiem refero, quam prius sibi impedimento esse obtenderat: quanquam si quis aliter accipere malit, non admodum repugno.

13. *Loquutus autem fuerat Iehova ad Mosen.* Alii: Loquutus est. Verum quia hic ad exordium suae vocationis revertitur, ideo sensus commodius reddetur tempore verbi plusquamperfecto, sicuti feci. Repetit enim quod iam dixerat, se et Aharon fratrem nihil temere aggressos esse, sed Dei mandato fuisse instructos. Summa est, quamvis saepius interruptum quodammodo fuerit opus, ratum tamen fuisse Dei consilium de populo liberando. De primo autem iussu ipsum loqui patet, quia se et fratrem tam ad filios Israel quam ad Pharaonem missos fuisse refert.

14. *Ista sunt capita domus patrum suorum. Filii Reuben primogeniti Israel: Henoch et Phallu, Hesron et Charmi. Hae cognationes Reuben.* 15. *Filii Simeon, Iemuel, et Iamin, Ohad, et Iachin et Sohar, et Saul filius Chananaeae. Hae cognationes Simeon.* 16. *Et haec nomina filiorum Levi in generationibus suis: Gerson et Kehath et Merari. Anni autem vitae Levi triginta septem et centum anni.* 17. *Filii Gerson: Libni et Simei secundum cognationes suas.* 18. *Filii Kehath, Amram et Ishar, Hebron et Uziel. Anni autem vitae Kehath triginta tres et centum anni.* 19. *Filii vero Merari: Mahli et Musi. Hae familiae Levi secundum generationes suas.* 20. *Accepit autem Amram Iochebed amitam suam in uxorem, quae genuit ei Aharon et Mosen. Porro anni vitae Amram triginta septem et centum anni.* 21. *Filii Ishar: Corah et Nepheg et Zichri.* 22. *Et filii Uziel, Misael et Elsaphan et Sithri.* 23. *Et accepit Aharon Eliseba*

filiam Amminadab sororem Nahasson sibi in uxorem, quae peperit ei Nadab et Abihu, et Eleazar et Ithamar. 24. *Filii Corah Assir et Elcanah et Abiasaph. Hae familiae Corhitarum.* 25. *Eleazar autem filius Aharon sumpsit sibi e filiabus Putiel in uxorem, quae peperit ei Pinhas. Haec capita patrum Levitarum secundum cognationes suas.* 26. *Hic est Aharon et Moses, ad quos dixit Iehova: Educite filios Israel e terra Aegypti per exercitus suos.* 27. *Ipsi sunt qui loquuti sunt ad Pharaonem regem Aegypti, ut emitteret filios Israel ex Aegypto. Ipse est Moses et Aharon.* 28. *Accidit autem quo die loquutus est Iehova ad Mosen in terra Aegypti,* 29. *Quo loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo: Ego Iehova: loquere ad Pharaonem regem Aegypti quaecunque ego loquor ad te:* 30. *Tunc ait Moses coram Iehova: Ecce ego incircumcisus sum labiis, et quomodo audiet me Pharao?*

14. *Ista sunt capita.* Hic Mosi propositum est generis sui originem testatam facere omnibus saeculis, ne cui dubium sit in libero populi exitu completam fuisse quae data fuerat Abrahae promissionem. Nam si alio duce egressi fuissent Israelitae, de praecipuo autore ambigi poterat: nunc quum ex gente illa et Abrahae posteris delectus est Moses, clarius apparet totam rem Dei auspiciis geri. Quanquam autem non solam tribum Levi recenset, sed incipet a Reuben primogenito, deinde Simeon adiungit, facile tamen cognoscitur singularem haberi respectum tribus leviticae. Sed quia familiae Reuben et Simeon ordine priores erant, ab illis commode transitum fecit Moses ad tertiam. Alias vero non enumerat in praesentia: quia alibi opportunior futurus erat locus. Tenenda igitur est ea ratio, delectum fuisse ex progenie Abrahae ministrum redemptionis, cuius manu promissionis suae fidem Deus sanciret. Et certe videmus Satanam ex opposito memorabilem hanc historiam per scriptores profanos multis fabulis obnubilasse: ac praesertim ubi genus Abrahae sepelire astute conatus est. Hanc vafritiem coelesti prudentia praevenit Moses capita familiarum nominans, ne obscura sint gentis principia.

15. *Et haec nomina filiorum Levi.* Quia apprime cognitu utilis erat origo Mosis et Aharon, prolixius hac in parte insistit, ac distinctius familias commemorat quae ex patriarcha Levi fluxerunt: non ut gentem suam prae aliis nobilitet, verum ut certius liqueat, non ab aliquo homine extero eductum fuisse populum, sed ex genuina Abrahae sobole divinitus fuisse sumptum, qui apud fratres suos potentiae Dei, gratiae et veritatis testis foret. Et certe hoc incomparabile Dei beneficium, si ullum aliud, non modo celebrari, sed etiam asseri aequum fuit, ut cum eius memoria in omnes aetates simul vigeret certitudo. Quam vero ab omni ambitione remota sit haec narratio, ex uno capite colligitur, ubi dicit Moses se natum fuisse ex amita patris. Etsi enim nondum lex illicita coniugia vetuerat, dictabat tamen ipsa natura flagitium esse, nepotem cum amita sua, quae matris gradum obtinet, misceri. Ergo ubi fateri non dubitat Moses se ex incestuoso connubio esse genitum, suae existimationi vel laudi adeo non consulit, ut parentum suorum dedecus ingenue proferat, illustrandae solum Dei gloriae causa. Nec vero excusabilis ignorantia fuit, quamvis nondum lex scripta esset, neglecto turpis et honesti discrimine, humanum pudorem violare. Sed quia plus aequo sibi homines indulgent, necesse fuit disertis verbis cohiberi foedas libidines: quarum immodica licentia semper fere inter orientales populos grassata fuit. Interea discamus quam non tuta sit patrum imitatio, ubi promiscue licere nobis putamus quidquid ab illis factum est. Quod autem vitae cursu longe producto Levi, Kehath et Amram paucos tantum liberos genuerint, nempe unus tres, secundus quatuor, tertius duos, non sine Dei consilio factum est, ut in propagatione incredibili quae mox sequuta est, clarius gratiae eius miraculum fulgeret. Quis enim putasset fieri posse ut intra annos ducentos ex illa paucitate immensa copia emergeret? Nec sane humanitus factum est, sed postquam Deus in exilibus contemptisque initiis suo more ludentis speciem praebuit, subita et insolita multiplicatione illustrius patefacta fuit eius potentia. Alia quibus nihil aut parum videtur subesse momenti, praetereo.

26. *Hic est Aharon et Moses.* Non abs re toties inculcat Moses impositum fuisse sibi et fratri hoc munus Dei iussu, tum ut sentiant Israelitae coelesti gratia se fuisse ex profundissima abysso ereptos, tum ut mentes revocent ad antiquum Dei foedus, et agnoscant spem patrum non fuisse irritam: postremo ut in futurum tempus se totos Deo addicant. Videtur autem obliqua esse antithesis inter populi exercitus, et duos viles atque abiectos homines. Longe enim tanto oneri ferendo impares fuissent, nisi mirabiliter Deus per eorum manum operando spem omnium superasset. Ideo hanc gratiam alibi commendat spiritus, quod duxerit Deus quasi oves populum suum sub duobus his pastoribus (Psal. 77, 21). Quid enim minus probabile, quam ingentem multitudinem, quae plures efficeret populos, duorum hominum imperio parere, consilio regi, et opera in unum colligi posse, ut potentissimo tyranno repugnante in aliam terram migrarent? Nam qualis utriusque fuit autoritas, ut duodecim exercitus ordinibus suis distinctos gubernarent? Quod nulli terreni reges opibus, prudentia, terrore et minis consequi possent, nullo negotio Deus per duos homines imbelles, neque usu peritos, neque fama celebres praestitit: quum Moses ipse rei magni-

tudine territus iniunctam sibi legationem saepe deprecaretur. Nam in fine capitis, tertio excusationem illam repetit, quod non esset disertus, sed linguae tardae et impeditae. In hunc ergo scopum tendunt omnia, ut Deo vendicet beneficii sui laudem, eiusque gloriam amplificet. In versu 28. aliqua est ambiguitas. Posset enim seorsum legi hoc sensu, non tantum in deserto Madian loquutum fuisse Deum ut Mosen redimendo populo praeficeret, sed etiam interposito temporis progressu in Aegypto. Ita in die tantundem valeret atque post aliquod tempus: mihi tamen rectius videtur uno contextu tres versus simul legere.

CAPUT VII.

1. *Et dixit Iehova ad Mosen: Ecce, dedi te Deum Pharaoni, eritque Aharon frater tuus Propheta tuus.* 2. *Tu loqueris omnia quae mandavero tibi, et Aharon frater loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel e terra sua.* 3. *Ego autem indurabo cor Pharaonis, et multiplicabo signa mea, atque portenta mea in terra Aegypti.* 4. *Et non audiet vos Pharao: sed extendam manum meam super Aegyptum, et educam exercitus meos, et populum meum filios Israel e terra Aegypti in iudiciis magnis.* 5. *Et cognoscent Aegyptii quod ego sim Iehova, quum extendero manum meam super Aegyptum, et eduxero filios Israel e medio eorum.* 6. *Fecit ergo Moses et Aharon: sicuti praeceperat Iehova ipsis, sic fecerunt.* 7. *Moses autem filius octoginta annorum fuit, et Aharon filius octoginta trium annorum, quum loquerentur ad Pharaonem.*

1. *Et dixit Iehova ad Mosen.* Recitat iterum Moses anxietati suae solatium, et diffidentiae remedium adhibitum fuisse: quia et ipse divina autoritate ornatus fuit, et datus est Aharon comes atque adiutor. Nam constitui Pharaoni in Deum tantundem valet atque instrui summo imperio et potestate, qua tyranni superbiam deiiciat. Nec vero quidquam sibi detraxit Deus quod in Mosen transferret: quia sic communicat cum servis suis quod sibi proprium est ut maneat semper integer. Imo quoties partem gloriae suae videtur ministris suis resignare, tantum docet virtutem atque efficaciam spiritus sui cum illorum labore fore coniunctam, ne sit infructuosus. Fuit igitur Moses in Deum Pharaoni: quia in ipso Deus potentiam suam exseruit, ut superior esset regia altitudine. Hebraeis tritum est omnem excellentiam Dei titulo ornare, qui solus eminet supra coelum et terram, et suo arbitrio tam angelos quam homines extollit, vel humiliat. Hoc solatio, (ut dixi) correcta fuit Mosis infirmitas, ut Dei autoritate fretus intrepide regis ferociam despiceret. Subsidium etiam additur in fratre, ne quid obsit balbuties. Ante autem dictum fuit, Mosis ingratitudine factum esse ut dimidia pars honoris ad fratrem transiret. Quanquam Deus, socium ei adiungens, dignitatem sic imminuit ut primogenitum suum minor natu antecederet. Prophetae nomen hic pro interprete capitur: quia propheticum munus nonnisi ab uno Deo manat. Sed quia Deus per unius manum tradebat alteri quod dici aut fieri volebat, non secus ac Deo subiicitur Aharon Mosi: sicuti aequum est absque controversia eos audiri qui Dei personam sustinent. Quod etiam melius patet ex secundo versu, ubi Deus imperium illud Mosi datum temperat, ac suis finibus circumscribit. Nam ubi loqui iubet quaecunque mandaverit, in ordinem cogit ministrum suum, et continet in obsequio, ne quid iuri suo decedat.

3. *Ego autem indurabo.* Quoniam asperior est loquutio, in ea mitiganda laborant multi interpretes, ut ante dixi. Hinc factum est ut alii coniunctim legerent: Indurabo cor Pharaonis multiplicando signa: ac si externas obstinationis causas Deus notaret. Sed alibi iam docuit Moses, ac postea repetet: aliis modis quam miracula edendo obduratum fuisse a Deo regis animum. Quantum ad verba spectat, non dubito quin Deus priore membro servum suum armet ad constantiam, qua fortiter resistat tyranni contumaciae, deinde remedium sibi in promptu esse admoneat. Sic igitur vertendum hunc locum existimo: Ego quidem indurabo cor Pharaonis, sed multiplicabo signa: quasi diceret obstaculo sibi non fore duritiem illam, cui frangendae sufficient miracula. Eodem sensu continuo post addit: Quamvis non audiat vos Pharao, extendam tamen manum meam. Sic enim copulae (meo iudicio) in adversativas resolvi debent. Quod alii vertunt: Indurabo cor Pharaonis ut multiplicem signa: item, non audiet vos ut extendam manum meam, non prorsus reiicio. Et certe in hunc finem voluit Deus Pharaonem pertinaciter Mosi resistere, quo illustrior esset populi redemptio. Quomodo autem Deus reprobos obduret, non est necesse fusius disserere quoties occurrit haec loquutio. Tenendum est quod iam admonui, frigidos esse speculatores qui in nudam permissionem hoc reiiciunt: quia si Deus mentes excaecando, vel corda obdurando, iustas reprobis poenas infligit, non tantum patitur homines facere quod ipsis libitum est, sed iudicium quod rectum esse novit re ipsa exercet. Unde etiam sequitur, non modo gratiam spiritus sui eum subducere, sed Satanae addicere quos caecitate mentis et cordis obstinatione dignos esse cognoscit. Interea fateor utriusque mali culpam residere in ipsis hominibus, qui sponte caecutiunt, et sponte usque ad insaniam feruntur ad malum, vel ruunt. Quam vero putidi sint calumniatores qui invidiae conflandae causa

Deum fieri peccati autorem iactant, breviter etiam ostensum est: quia ex sensus nostri modulo arcana eius et incomprehensibilia iudicia aestimare, nimis perversum foret. Atque huius doctrinae adversarii stulte et inconsiderate res diversas miscent, quum durities sit hominis peccatum, obduratio autem iudicium Dei. Iudicia magna iterum proponit, quo suspensis attentisque animis exspectent Israelitae magnificum et admirabilem agendi modum.

5. *Et cognoscent Aegyptii.* Species est ironiae, quod Aegyptii plagis subacti, sero tandem sentire incipient sibi cum Deo fuisse bellum. Consilium tamen Dei fuit Mosen fulcire, ne amentia et furore hostium victus concideret. Ergo quamvis stupidi sint in sua vesania Aegyptii pronunciat tamen Deus, ultimo eventu cognituros in suam perniciem se pugnasse, quum coelo bellum intulerint. Subest enim antithesis inter tardam cognitionem et socordiam, quae tunc illis demum excussa fuit quum palam contra eos fulminavit e coelo Deus. Scimus enim quam secure ferream contumaciam opponant impii coelestibus minis, donec violenter cogantur expavescere. Non quod humilientur sub Dei manu: sed quia fremendo ac tumultuando non posse tamen se poenam effugere vident: non secus ac ebrii e sua temulentia expergefacti, libenter aeterno sopore atque etiam veterno mentes obruerent: velint tamen nolint dolores sustinent suae intemperantiae. Porro haec cognitio quae invitis extorquenda erat Mosen et alios admonuit ut Dei potentiae iustam laudem tribuerent, antequam experientia essent convicti. Verum quidem est probos quoque Dei cultores poenis interdum erudiri: (quo pertinet illud Isaiae 26, 9, ubi iudicia tua exercueris Deus, iustitiam discent habitatores terrae) sed hic notatur cognitio, quae reprobos ita prosternit ut non desinant cornua contra Deum attollere: atque ita sine profectu eos exanimat. Fuit etiam in populo electo experimentalis cognitio cuius ante facta est mentio. Scietis me Iehovam esse Deum vestrum postquam vos eduxero e terra Aegypti. Sed haec (proprie loquendo) nihil aliud est quam fidei confirmatio quae ante rerum eventus solo verbo contenta est. Vel certe Deus effectu ipso torporem suorum castigat, ubi videt in verbo suo non satis firmam esse fulturam. Sic autem Deum cognoscunt impii ut pudore vel metu attoniti non videant quod vident.

6. *Fecit ergo Moses.* Non iactantiae causa praedicat Moses suam obedientiam: sed postquam ingenue confessus est suam tarditatem, iam narrat se et fratrem fuisse melius animatos ad praestandum officium. Interim se una cum fratre ministrum Dei fuisse docet, nec quidquam se vel industriae vel ingenii, vel consilii, vel dexteritatis attulisse, sed tantum paruisse Deo. Quanquam ex eorum exemplo discendum est, sicuti nihil tentare fas est nisi quod praescribit Deus, ita quidquid iubet obedienter et sine exceptione sequi nos debere. Quod de aetate sequitur, ad amplificationem valet: quia non vulgare exemplum fuit, quum natura segnes et frigidi sint senes, duos homines octogenarios tam arduam provinciam vegetis animis obire. Neque enim eorum opinioni assentior qui putant eorum dignitatem commendari ab annis. Venerabilis est senectus, fateor, sed longe aliud propositum fuit Mosi, nempe exclusis humanis mediis, celebrare Dei gloriam, quod per senes aetate iam caducos ac decrepitos inaestimabile facinus ediderit. Etsi enim integer adhuc illis constabat vigor, ipsos tamen timidos reddere poterat senectus, et curam populo iniicere, quum duces suos non modo provectae sed iam ad mortem inclinatae aetatis conspicerent.

8. *Et dixit Iehova ad Mosen et Aharon, dicendo,* 9. *Si loquutus fuerit ad vos Pharao, dicendo: Statuite vobis prodigium: tunc dices ad Aharon: Tolle virgam tuam et proiice coram Pharaone, et fiet in serpentem.* 10. *Venit ergo Moses et Aharon ad Pharaonem, et ita fecerunt ut praeceperat Iehova. Et proiecit Aharon virgam suam coram Pharaone et coram servis eius, et fuit in serpentem.* 11. *Tunc vocavit etiam Pharao sapientes et incantatores, et fecerunt etiam ipsi magi Aegyptiorum hoc modo suis incantationibus.* 12. *Proiecerunt enim singuli virgas suas, quae fuerunt in dracones. Devoravit tamen virga Aharon virgas illorum.* 13. *Et obduruit cor Pharaonis, neque audivit illos, sicuti loquutus erat Iehova.*

8. *Et dixit Iehova.* Quia rudibus et crassis ingeniis scripsit Moses, nihil mirum si eadem saepius repetat. Nostrum vero est, ne fastidio nobis sit popularis sermo, diligenter excutere quam parum nos quoque acuti et solertes simus ad consideranda Dei opera. Non dubium est hic recitari quod ante audivimus de conversione virgae in serpentem: nisi quod nunc docet, miraculum quod ante in deserto Madian, et deinde in Aegypto sub oculis populi editum fuerat, coram Pharaone postremo fuisse similiter editum. Porro hinc colligimus, rogatu Pharaonis servos Dei probasse testatamque fecisse vocationem suam: quo minus excusabilis fuit eius pertinacia, dum virtutem Dei ita conspicuam contempsit. Nempe hoc incredulis solenne est, appetere virtutis Dei testimonia, quibus fidem abrogent, non quod ex professo Deum subsannent, sed quia occulta impietas ad quaerenda subterfugia eos sollicitat. Molestus est superbo regi atque odii plenus nuncius: quia praecise non audet Deo negare, speciosum recusandi colorem excogitat, miraculum petendo: quod ubi exhibitum est, remotiores latebras captat, ut paulo post videbimus. Quoniam ergo

certum erat non ultro morigerum fore Dei mandato, nec prius cessurum quam miraculo convictus foret ideo illustri certoque virtutis suae documento Deus servos suos munit. Porro conversio pedi vel baculi pastoralis in serpentem huc spectabat: ne despectui esset ignobilis et rusticus Mosis habitus. Nam (ut se reges immodice efferre solent) facete eludere poterat Pharao audaciam Mosis et Aharon, qui velut sortis suae obliti, cum totius Aegypti potentia confligerent. Cognovit igitur Pharaò, quamvis nullo eximio splendore essent terribiles, ac nihil magnificum prae se ferrent, non tamen destitui firmis et validis praesidiis, quum videret ex baculo prodire serpentem. In summa testatus est Deus sub infirmitate servòrum suorum reconditam esse suam potentiam: ut singulis quibusque momentis formidabiles redderet summis monarchis, qui vasis testaceis alioqui erant similes. Cur Aharon potius quam Moses baculum proiicere iubeatur, mihi non constat, nisi forte quod fastuosi tyranni lautitias consulto vilipendere voluit Deus, ubi dignatus non est virtutem suam exserere per manum servi sui primarii, sed minorem tantum adhibuit. Itaque, ministerii respectu, virga Dei et Mosis nunc vocatur virga Aharon. Sicuti Paulus de evangelio suo gloriatur, cuius promulgandi sibi iniunctum esse munus sciebat (Rom. 16, 25 et 2. Tim. 2, 8).

10. *Venit ergo Moses.* Quanquam suae vocationis iam sibi probe conscii erant, et sciebant coelesti virtute se pollere in edendis miraculis, nunquam tamen accedere ausi fuissent ad crudelem saevumque tyrannum, nisi eos interior vis spiritus ad constantiam armasset. Hinc igitur ad omnes vincendos terrores magnanimitas, quod Deus supra omnem mundi altitudinem fide ipsos erexit, et hac fultura sustinuit. Veniunt igitur ad conflictum invicto robore, et legationem maxime odiosam miraculo confirmant. Quod moveri quaestio solet an vera fuerit et substantialis (ut loquuntur) conversio, de virga Mosis, id mihi certo persuasum est. Neque enim Deo magis est difficile rerum formas mutare, quam difficile fuit coelum et terram creare ex nihilo. Quanta sit conversionum varietas in natura, non ignorant philosophi, imo idiotis etiam patet: sed quia insolito more et praeter naturae ordinem baculus in serpentem conversus fuit, idem hoc miraculo iudicium facere convenit quod de uxore Loth in statuam salis conversa (Gen. 19, 26): nisi quod baculus paulo post ad pristinam naturam rediit. In baculis magorum maior est ambiguitas, quia probabile est fallacibus eorum praestigiis delusos fuisse impii regis oculos. Nihil tamen absurdi si dicamus tantum licentiae illis fuisse a Deo permissum, non ut crearent ex uno corpore aliud, sed ut arcanum Dei opus quasi suum proferrent. Nam certe ingenii nostri fines longe superat efficacia erroris, quam affirmat Paulus Satanae dari ad puniendos incredulos, ut credant mendacio, quia veritati obtemperare nolunt. Dicit quidem adventum Antichristi fore in signis et prodigiis mendacibus (2. Thessa. 2, 11): sed potentiam adiungens, ostendit, fallaciam vel illusionem non tam in externa rerum forma quam in perverso signorum abusu sitam fore. Ideo Christus simpliciter pronunciat falsos doctores signa et prodigia magna edituros (Mat. 24, 24). Fieri ergo potest ut Deus baculos magorum iusta vindicta mutari voluerit in serpentes: sicuti postea videbimus aquas fuisse illorum incantationibus versas in sanguinem, terram coopertam fuisse ranis et pediculis, agros fuisse grandine percussos, et obtenebratum aërem. Tenendum tamen est, ne muscam quidem nisi a solo Deo creari posse: sed quae arcano Dei iudicio fiunt, Satanam rapere ad suas imposturas.

11. *Vocavit etiam Pharao.* Iam emergit quae prius in profundo cordis recessu latebat impietas: dum in certamen cum Deo ruere non dubitat tyrannus. Satis enim de admirabili Dei potentia edoctus erat, nisi eum ad desperatum furorem impelleret sua pravitas. Nam signum postulando, (ut nuper dixi) putavit iustam sibi esse causam spernendi Mosis. Sicuti impii confidunt impune sibi quidvis licere, nisi palam ad ipsos prohibendos appareat e coelo Deus. Sed quia inflexibilis contumacia penitus corda eorum occupat, conspicuae Dei virtuti resistere non dubitant. Ita malitia oculos Pharaoni perstrinxit, ut lucem videndo non videret, convictus tamen ad exstinguendum lucis conspectum accerseret sibi tenebras. Tam impiae igitur ac diabolicae arrogantiae soluta fuit iusta merces, quum magorum suorum fallaciis deceptus fuit. Exemplum in primis utile et notatu dignum, quo primum docemur, impios, quamcunque docilitatem simulent, intus tamen manere praefractos ac Deo rebelles: deinde non modo propensos esse ad errorem, sed cupide toto affectu illuc ferri. Non semper, neque in omnibus conspicitur hoc vitium: sed ubi lucem suam propius admovet Deus, facile detegitur ac se prodit. Quam multi hodie in papatu simplicitatis praetextu impias superstitiones sequuntur? Quamdiu sub ignorantiae integumento se et alios fallunt, videntur misericordia digni: verum simulac illucet veritas, palam faciunt se imposturas quibus pereant appetere: et mendaciis oblectari. Certe veritatis dilectionem (ut ait Paulus 2. Thessal. 2, 10) repudiant. Miramur Pharaonem, ut sensum virtutis Dei a se repellat, magos vocare? Quasi vero non multi hodie mercede improbos rabulas conducant, quorum blanditiis fascinati in erroribus obstupeant. Notandum vero quod honorifice per concessionem sapientes vocantur, qui ad decipiendum artifices, sana doctrina vacui erant. Etsi enim floruit apud eos astrologia et culta fuerunt liberalium

artium studia: ex proximo tamen contextu patet multis inanibus figmentis fuisse deditos, imo totam degenerem eorum scientiam fuisse meram vanitatem. Nam מכשפים et חרטמים superstitiosarum sunt artium nomina quorum prius significat praestigiatores, vel qui fascinis oculos sensusque inficiunt: secundum vero pro genethliacis capitur, qui ex horoscopo iudicant de cuiusque fortuna et ex positu astrorum hariolantur. Quum ergo ex genuina philosophia prolapsi essent magi Aegyptii, retinuerunt sapientum nomen, ut fidem illusionibus suis acquirerent. Sicuti diabolus, ut ad se rapiat Dei gloriam, vel se transfiguret in angelum lucis, solet mendaciis speciosos titulos imponere. Nec dubium est quin (ut in re perplexa) certius ex comparatione examen quaesierit: non tamen alia de causa nisi ut impietatem suam novo involucro tegeret. Nomen להט tametsi proprie laminam gladii significat, pro incantatione tamen hic sumitur. Quanquam arbitror eos falli qui rationem assignant, quia gladio, vel simili instrumento exercerent suas praestigias. Potius enim metaphorice versatilem agitationem designat, qua magi aliud pro alio ostentant: proprie enim flammam significat. Porro haec tam severa gravisque ultio terrorem incutere nobis debet, ne odio veritatis fallacias appetamus. Est enim hoc sacrilegium intolerabile, velle data opera pervertere discrimen veri et falsi. Itaque nihil mirum si Deus in profundissimas errorum tenebras demergat qui ad oblatam lucem claudunt oculos, et qui eum magistrum audire detrectant, eos Satanae tradat discipulos.

12. *Proiecerunt enim singuli.* Non exprimitur numerus magorum, et quum Paulus (2. Tim. 3, 8) duos nominat Iannem et Mambrem, verisimile est non solos fuisse, sed praecipuos et quasi turmae duces. De re tamen dubia non contendo. Magis ad rem pertinet Pauli admonitio, sicut Iannes et Mambres restiterunt Mosi, ita semper fore falsos doctores qui oppugnent veros Christi ministros, et quidem proficiant in peius. Est enim horribile exemplum, laxatas magis habenas eousque fuisse ut prope aequali aemulatione cum Mose contenderent. Verum digna est mundi ingratitudo quae nunc eandem excaecationis poenam sustineat. Testatur alibi Deus, quum pseudoprophetis permittit edere miracula ad fallendum, se probare hominum corda (Deut. 13, 1). Et sane nisi propria hypocrisis veli instar nobis esset ad tollendum nigri et albi discrimen, nihil Satan eiusmodi artibus ac decipulis proficeret. Sed nos ipsi quasi exitio devoti in plagas libenter nos coniicimus: praesertim vero Deus in reprobos, qui pervicaciter errandi occasionem appetunt, ultimum hoc fulmen vibrat, nempe efficaciam illusionis, et simul eos dementat, ut sibi a manifesta pernicie non caveant. Darent quidem multi Pharaoni veniam quod a magis suis delusus, ab errore quem effugere non poterat, se non explicuerit. Quid enim fecisset ubi videbat utrinque aequalem conflictum? Sed omnino tenendum est, neminem ita praecipitari nisi qui Deo resistere voluit: praesertim spiritus vertiginis et dementiae eos occupat qui in sua malitia fuerunt obstinati. Nec vero praetereunda est discriminis nota, quod virga Mosis devoravit virgas magorum. Qui factum est ut non animadverteret Pharao Mosen esse victorem? qui factum est ut potius ad suos impostores deflexerit? qui factum est denique ut servum Dei non agnosceret qui fuerat in certamine superior, nisi quod impii, dum occurrunt manifestae Dei virtutes, maligne connivent? Certe quisquis ad rectum scopum tendet, nunquam destituetur rectore Deo. Itaque iuste culpa in Pharaonem confertur, quod ob cordis duritiem attendere noluerit. Quod papistae serpentem iactant vocari Mosis virgam, sicuti panis in Christi carnem transsubstantiatus nomen panis retinet, nimis frivolum est cavillum. Inscite enim res tantopere dissimiles simul confundunt: quia in coenae mysterio durat analogia signi et rei signatae, in hoc miraculo ratio prorsus contraria. Deinde quia mutatio duntaxat erat temporalis, merito vocavit Moses baculum, cui mox reddenda erat prior forma. Adde quod verum serpentem cum fictitiis conferens, noluit variare in nominibus. Verum ut haec omnia praeteream, donec ostenderint papistae transsubstantiari panem in corpus, nihil efficient. Imo quod stulte in nos torquent, licebit in ipsos convertere, panem vocari corpus quamvis maneat panis, non aliter ac serpens qui tunc apparuit vocatus est baculus.

14. *Tunc dixit Iehova ad Mosen: Aggravatum est cor Pharaonis ne dimittat populum.* 15. *Vade ad Pharaonem mane: ecce, egreditur ad aquas, et stes in occursum eius super ripam fluminis: et virgam quae versa fuit in serpentem tolles in manum tuam.* 16. *Et dices ad eum: Iehova Deus Hebraeorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum ut serviat mihi in deserto: et ecce, non audisti huc usque.* 17. *Sic dixit Iehova: In hoc scies quod ego sum Iehova: ecce, ego percutiam virga quae in manu mea est aquam quae est in flumine, et vertetur in sanguinem.* 18. *Pisces vero qui sunt in flumine morientur: et foetebit flumen, et molestia afficientur Aegyptii, bibendo aquas ex flumine.* 19. *Et dixit Iehova ad Mosen: Dic ad Aharon: Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas Aegypti, super flumina eorum, super rivos et stagna eorum, et super omnem collectionem aquarum ipsorum: et fient sanguis, eritque sanguis per totam terram Aegypti in vasis ligneis et lapideis.* 20. *Et ita fecerunt Moses et Aharon sicuti praeceperat Iehova. Et elevans baculum, percussit aquas quae erant in flumine, coram oculis Pharaonis,*

et coram oculis servorum eius. Et versae sunt aquae omnes quae erant in flumine, in sanguinem. 21. *Pisces etiam qui erant in flumine mortui sunt: et computruit flumen, ut non possent Aegyptii bibere aquas ex flumine: fuitque sanguis per totam terram Aegypti.* 22. *Sic etiam fecerunt praestigiatores Aegypti incantationibus suis: et obduruit cor Pharaonis, sicut loquutus fuerat Iehova.* 23. *Et revertens Pharao venit in domum suam: neque adiecit cor suum etiam ad hoc.* 24. *Foderunt autem omnes Aegyptii per circuitum fluminis, ut aquas biberent, quia non poterant bibere ex aquis fluminis.* 25. *Et completi sunt septem dies ex quo percussit Iehova fluvium.*

14. *Tunc dixit Iehova ad Mosen: Aggravatum.* Iam narrare incipit Moses decem plagas Aegypto fuisse inflictas, antequam ad parendum adductus fuerit Pharao. Etsi autem prodigiosus fuit ille furor, contra Dei manum tam valide urgentem obniti: nobis tamen in unius reprobi persona superbiae et rebellionis humanae imago subiicitur, ubi non regitur spiritu mansuetudinis. Itaque hac narratione admoniti fideles, sedulo caveant, ne adversus Deum proterve tumultuando similem in se provocent vindictam. Idem enim qui cor Pharaonis obduravit perpetuus est impietatis vindex, ut hostes suos spiritu vertiginis percutiens, tam furiosos quam attonitos reddat. Porro ne Moses ad hoc offendiculum impingens, ab incoepto cursu desistat, hortatur ad certamen: ac si diceret cum durissimo lapide esse confligendum, donec frangatur: Cor Pharaonis aggravatum esse audiens, poterat labascere nisi aliunde ostensa fuisset spes victoriae. Sed quoniam indomabilis est illius belluae pervicacia, novis armis servum suum induit Deus quasi diceret conterendam esse, quando frangi nequit. Etsi autem longius forte quibusdam petita analogia videbitur inter decem plagas et decem legis praecepta: meo tamen iudicio probabile est ac rationi consentaneum, priusquam legem promulgaret Deus, totidem plagis impios fuisse percussos quot daturus erat populo suo praecepta, ut eorum autoritatem hoc modo sanciret. Primo autem iubet Mosen tollere baculum, et de recente miraculo admonet, quo maiore confidentia se ad novum congressum accingat. Deinde quod breviter attigerat, fusius prosequitur, more hebraico: Principio enim nulla fit mentio Aharon, sed tantum Mosi Deus mandat quid fieri velit: deinde explicat manum Aharon fuisse interpositam. Iam ergo ubi commemorat Deus virgam nuper fuisse conversam in serpentem, ostendit male nos in operibus suis proficere nisi inde vires colligat fides nostra. Ad haec, ubi denunciat Pharaoni Deus quid facturus sit, magis reddit inexcusabilem, quod minis non tangitur, ut resipiscat. Sciebat quidem Deus profectu hoc cariturum: sed quamvis insanabilem morbum cognoscat, non tamen remedia adhibere desinit, non quae sanitatem conferant, sed quae occultum eruant ex animis virus. Litigant hic multi cum Deo, quod non tantum cum surdis loquatur, sed etiam frustra monendo vel castigando, magis ac magis exasperet eorum malitiam. Sed nostrum est, ubi nos aliqua absurditatis species conturbat, reverenter suspicere arcana Dei iudicia, et ad sobrietatem sapere. Interea eventus docet non irritas cadere Dei minas, sed earum contemptu crimen ac poenam duplicari.

19. *Et dixit Iehova ad Mosen.* Haec illa est prolixior narratio quam dixi. Neque enim aliud a proximo diversum tradit Moses, sed modum agendi in edendo miraculo distinctius explicat: nempe, quod praeceperat Deus, opera fratris sui Aharon fuisse completum. Initium vero ab hac plaga non absque ratione factum est: ut scirent Aegyptii nihil sibi esse praesidii ad salutem in opibus quibus maxime superbiebant. Scimus quanta illis ex Nilo fuerit opulentia, munitio, utilitas: inde uberrima piscatio, inde totius regionis foecunditas, quam irriguam inundatio reddebat, quae aliis terris damnosa est ac noxia: commodissima erat mercatoribus navigatio, erat etiam bonae parti regni firmum propugnaculum. Ergo ut a praecipua fiducia deiiciat Aegyptios, aquas vertit in sanguinem. Deinde quoniam aqua alterum est ex duobus elementis quibus constat hominum vita: altera vitae parte Aegyptios spolians, optimo compendio usus est ad humiliandam eorum ferociam, nisi prorsus fuissent intractabiles. Poterat quidem solo flatu siccare omnes aquarum scaturigines, et ariditate conficere totam gentem: sed hoc casu vel naturaliter accidisse vulgo fuisset creditum, ideoque obscurius prodigium fuisset, ac praeterea viam clausisset aliis. Satis igitur fuit obiecto mortis terrore ad Dei metum flecti, nisi desperata fuisset rabies. Praeter flumen, rivos et stagna et collectionem aquarum recenset Moses: quia per diversos regni tractus tam artificio quam natura Nilus sic diffusus erat ut nulla fere regio tanta aquae copia ubique afflueret: quasi diceret Deus, nihil vobis proderit largissimam vim aquarum praesto vobis esse: quia perinde sitietis ac si Nilus ipse exaresceret. Ideo adiungit: Tam in lignis quam in lapidibus, significans quocunque genere vasorum hauriant, nihil praeter sanguinem reperturos.

20. *Et ita fecerunt Moses et Aharon.* Repetit, eventu fuisse probatum, quod minatus fuerat Deus de internecione piscium, et foetore Nili: ut crimen regis exaggeret, qui multiplici Dei potentia tactus non fuit. Quanquam simul adiungit eius consiliarios fuisse testes. Unde coniicere licet, eundem stuporem in tota aula fuisse grassatum. Operae pretium etiam fuit non modo tam memorabile facinus passim

cognosci, sed plurimis oculis conspici eius autorem. In illa autem turba neminem fuisse qui regis vesaniam corrigere studeret, reprobationis signum fuit in tota gente. Unde etiam apparet ut Deus infatuet mundi sapientiam, nulla enim natio fuit quae rerum omnium scientia magis gloriaretur: quam illis iactantiam exprobrat Isaias 19, 11. Videmus autem pudendum in modum hinc praefractos, illinc attonitos minima sanae intelligentiae scintilla caruisse.

22. *Sic fecerunt.* Quaeritur quomodo Mosen aemulari potuerint magi, quum nulla materia suppeteret. Nam si nullae in Aegypto residuae amplius aquae erant, nulla fieri potuit mutatio. Ego autem non dubito, ut eorum illusioni locus fieret, brevi momento apparuisse puras et nitidas aquas, et deinde mutatas fuisse in sanguinem. Quia enim nondum opportunus erat certaminum finis, haud dubie viam sibi patefecit Deus, donec ad metam ventum foret. Quod divinat Augustinus magos aquam sumpsisse quae pura et integra restabat ubi habitabant Israelitae, coactum est. Libentius reciperem quod dicit, eodem forte momento percussas fuisse ab illis aquas, ut una in parte virtus Dei enituerit, in altera valuerit eorum fallacia. Quanquam solutio a me posita optime convenit. Verane an imaginaria fuerit mutatio, non audeo asserere: nisi quod magis consentaneum est Satanae artificio delusos fuisse impiorum oculos. Neque opus est cum Augustino subtilius philosophari, infusam esse omnibus rebus creatis seminariam rationem, ut una species aliam generet. Quin potius standum est Pauli doctrinae Deum mittere efficaciam erroris, ut incredulos mendacio irretiat, quia veritatem amplecti recusant (2. Thess. 2, 11). Et ante ex alio Mosis loco docui, pseudoprophetas iusto Dei iudicio signa et prodigia edere. Videtur tamen innuere Moses spectrum fuisse duntaxat, ubi adiungit magos idem fecisse suis incantationibus: ac si fulgetra volitando ante oculos aciem hebetassent. Hanc enim esse vim nominis docui. Caeterum non dubito quin Deus immunem praestiterit ab hac calamitate populum suum, ut hospites et inquilini aliena fruerentur aqua, cuius nulla gutta ipsis indigenis relicta fuerat. Hinc convicta fuit regis obstinatio: quod non attentior fuit ad considerandum hoc discrimen. Imo bis amentem et furiosum oportet fuisse, qui cum sua et totius regni clade magorum illusiones Dei virtuti opposuerit. Sed hoc reprobis saepe contingit, dum impetu diabolico contra Deum feruntur, ut in suam perniciem quasi cupide ruant. Fuit tamen haec non levis tentatio servis Dei, videre Satanae ministros sibi prope aequari. Nam si volebat Deus redemptioni dare testimonium in prodigiis, quum viderent eadem virtute pollere hostes suos, quomodo firma illis et rata potuit esse sua vocatio? Atque his quidem machinis concussam fuisse eorum fidem probabile est: stetisse tamen, nec gradu suo fuisse motam, pro certo statuo: quia si qua dubitatione perculsus fuisset Moses, eam pro more suo esset confessus. Verum Deus illis aperuit oculos, ut ex alto despicerent fallaces magorum technas: deinde quia iam praeluxerat coelestis visio una cum sermone, non mirum est si talibus fulturis innixi constanter omnes insultus repulerint, vel sustinuerint.

23. *Et revertens Pharao.* His verbis duritiem Pharaonis, cui Deus ipsum addixerat, voluntariam fuisse docet ut crimen in ipso consistat, nec quidquam iuvet occulta Dei ordinatio ad levandam eius culpam. Damnatur enim hac socordia quod animum ad hoc quoque non adiecerit. Unde sequitur ipsum sibi obstinationis fuisse autorem, quia superbia et contemptu caecus Dei gloriam pro nihilo duxerit. Sic impii, quamvis (ut sunt vasa irae) divinitus coniiciantur in reprobum sensum, se ipsos tamen obdurant: quia scientes et volentes impingunt adversus Deum, atque ita securitas, audacia et pravitas, inscitiae et erroris excusationem illis adimunt. Quare monemur hoc exemplo non esse torpendum ubi nos Deus excitat: sed attente consideranda esse eius opera, quae nos ad eius reverentiam timoremque erudiant. Quod dicuntur Aegyptii puteos sibi fodisse, ad miraculi certitudinem facit. Eodem pertinet quod de septem diebus additur, nam si momentanea tantum fuisset aquarum tabes, obrepere poterat illusionis suspicio, quae ex diuturno tam sapore quam conspectu sublata fuit. Ideoque prius dictum fuit Aegyptios ex aquae penuria molestiam et dolorem capturos. Sic enim interpretor, moestis et afflictis animis fore, quia potu carerent.

CAPUT VIII. [1]

1. *Dixit autem Iehova ad Mosen: Vade ad Pharaonem, et dic ad eum: Sic dicit Iehova: Dimitte populum meum ut serviant mihi.* 2. *Quod si tu renuis dimittere, ecce, ego percutio omnes terminos tuos ranis.* 3. *Et scatebit flumen ranis, quae ascendent, et intrabunt domum tuam, et conclave cubilis tui, et super lectum tuum, et in domum servorum tuorum, et in populum tuum, et in furnos tuos, et in panaria tua.* [2]) 4. *Itaque in te, et in populum tuum, et in omnes servos ascendent ranae.* 5. [3]) *Et ait Iehova ad Mosen: Dic ad Aharon: Extende manum tuam cum virga tua super fluvios, super rivos, et super stagna, ut adducas ranas super terram Aegypti.* 6. *Et extendit Aharon manum suam super aquas Aegypti, et ascenderunt ranae, operueruntque terram Aegypti.* 7. *Et sic fecerunt magi incantationibus suis: nempe adducendo ranas super terram Aegypti.*

1) *Hebr.* VII. 26 ss.
2) *In margine*: Hebr. Farinas tuas.
3) *Hebr.* VIII. 1.

1. *Dixit autem Iehova.* Rursus quasi in re integra, postulat Deus a Pharaone quod iuris sui proprium est: ut scilicet a populo colatur, sed extra terram Aegypti, ut peculiaris sit cultus et purus ab omni inquinamento. Voluit enim (ut prius dictum est) populum suum segregando, damnare Aegyptiacas superstitiones. Interea tyranno nulla excusatio fuit, quum sacrilega audacia insurgeret ad eripiendum Deo iustum honorem. Ita exitum negando non solum crudelis, sed impius etiam cognitus fuit. Additur etiam comminatio, ut saltem invitus trahatur ad officium. Sic enim agendum est cum praefractis, qui nunquam nisi metu vel malo coacti officium praestant. Minatur quidem etiam Deus interdum servis suis, ut eorum pigritiem exstimulet: sed praecipue erga perversos et immorigeros asperior est. Sicuti in Psalmo 18, 26 dicitur cum humanis humanus esse, et praefractus cum praefactis. Haec ratio est cur imperium minis sanciat, dum Pharaonem alloquitur. Porro in hoc secundo flagello nobis duo sunt consideranda, nam primum Aegyptios antea quasi precario vitam duxisse ostendit Deus, quia singulari beneficio protexerat ab incursu ranarum. Scimus Aegyptum, ob multas paludes, et lentum ac prope stagnantem Nilum, multis ranis et venenatis bestiis fuisse refertam: nunc quum subito erumpunt ingentes turmae, agrorum superficiem obtegunt, penetrant etiam in domos et cubicula, denique in regium palatium conscendunt: facile apparet fuisse ante cohibitas sola Dei manu, atque ita Deum Hebraeorum fuisse regni illius praesidem et custodem. Secundo voluit Deus non simpliciter poenam infligere Aegyptiis, sed ignominiae causa ludibrio exponere. Nec dubium est quin hac contumelia valde exacerbatus fuerit eorum dolor, quum viderent se non ab aliquo victore exercitu tam male mulctari, sed a putridis animalculis. Huc accessit quod e Nilo qui tot commoditatibus regionem ditabat, exorta fuit illa pernicies. Nos vero ex hac historia discamus, vitae nostrae multas esse permixtas mortes: nec aliter eam nobis prorogari nisi quatenus noxas compescit Deus, quae nos undique obsident: deinde ut palam non fulminet e coelo, vel angelos in caedem hominum armet: simul tamen atque annuerit, creaturas omnes praesto fore ad exercenda eius iudicia: ideoque eius clementiae et tolerantiae esse tribuendum quod non singulis momentis pereunt impii. Adhaec si quando probrum et dedecus nobis inurat, sciamus hoc consulto fieri, ut pudor ipse superbiam nostram prosternat.

5. *Et ait Iehova ad Mosen: Dic ad Aharon.* Dubium est continuone tenore hoc Mosi Deus praceperit, an exspectaverit dum Pharao contumaciter imperium sperneret. Verisimile quidem est, postquam minas pro nihilo duxerat Pharao, mandatam fuisse poenae exsequutionem. Interea tenendum quod prius dixi, quo contemptius tractetur Pharao, Mosen ne digitum quidem movere, sed pro imperio partes agendi transferre in secundum ministrum. Perinde enim hoc fuit ac si solo flatu totam regionem illam obrueret. Quanquam autem hoc modo Deus violentum tyrannum cum turgido suo fastu pedibus illorum calcandum subiecit, non tamen ideo quievit magorum improbitas. Ita servos Dei continuis certaminibus identidem exerceri oportuit.

8. *Tunc vocavit Pharao Mosen et Aharon, ac dixit: Precamini Iehovam ut auferat ranas a me et a populo meo: et dimittam populum, ut sacrificent Iehovae.* 9. *Et dixit Moses Pharaoni: Gloriare super me quando orabo pro te, et pro servis tuis et pro populo tuo, ut exscindantur ranae a te, et a domibus tuis: tantum in flumine residuae sint.* 10. *Et ait: Cras. Tunc ille dixit: Secundum sermonem tuum, ut scias quod nullus sit sicut Iehova Deus noster.* 11. *Recedent igitur ranae abs te et a domibus tuis, et a servis tuis, et a populo tuo: tantum in flumine residuae erunt.* 12. *Tunc egressus est Moses et Aharon a Pharaone. Et clamavit Moses ad Iehovam super causa ranarum, quas immiserat Pharaoni.* 13. *Et fecit Iehova secundum sermonem Mosis. Itaque mortuae sunt ranae ex domibus, ex atriis, et ex agris.* 14. *Et coacervarunt eas turmatim: et computruit terra.* 15. *Videns autem Pharao quod esset relaxatio, aggravavit cor suum: neque audivit eos, sicuti loquutus erat Iehova.*

8. *Tunc vocavit Pharao Mosen.* Mitescere tandem videtur Pharao, et aliquid ex truculentia sua deponere: sed non fuisse vere mansuefactum, paulo post liquebit. Fieri quidem potest ut terrore correptus serio confugerit ad petendam veniam: Deo tamen ac sibi fuisse mentitum ex levitate ipsa apparet: quia simulac concessa fuit relaxatio, ad ingenium rediit, imo re ipsa patefecit repressam duntaxat metu fuisse malitiam, quae se mox iterum effudit. Sic hypocritae, quum urgentur Dei manu, vel expavescunt ad eius flagella, blande et suppliciter misericordiam eius implorant: verum ubi paulisper malum remisit, breves induciae, quasi aeternam pacem adepti essent, illis inflant animos. Hoc Iudaeis quoque accidisse conqueritur propheta in Psalmo (78, 34). Quum affligeret eos Deus, quaerebant eum: reversi sunt et mane properabant ad Deum. Et recordati sunt quod Deus rupes eorum, et Deus excelsus redemptor eorum. Et blanditi sunt ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non fuit rectum coram eo, nec firmi fuerunt in foedere eius. Denique hypocritis omnibus hic morbus communis est, ut suam proterviam sibi exitialem experti, quia Dei iudicium effugere nequeunt, impetrandae veniae causa poenitentiam simulent: sed ubi se putant elapsos, prosi-

liunt ad eandem superbiam, calcitrant adversus Deum, imo proterve insultant: denique sola eos anxietas humiliat, et quidem ad breve tempus. Etsi autem hoc illi timor extorsit ut deprecatorem quaerat, et de placando Deo sit sollicitus: quod tamen velut pactione interposita prius a ranis liberari postulat quam dimittat populum, signum est ficti ac duplicis animi. Tantisper ergo recondita latuit impietas in eius corde, donec impune Deum se non posse lacessere putavit: impunitatis vero confidentia fretus, detexit dolum ac perfidiam. Quod vero Iehovam nunc demisse nominat, quamvis non sincero resipiscentiae affectu sic loquatur, ostendit tamen fractos esse robustos illos spiritus, quorum ante facta fuit mentio, quum per subsannationem quaereret quisnam esset Iehova.

9. *Et dixit Moses Pharaoni.* Locum hunc in diversos sensus trahunt interpretes. Qui exponunt hunc honorem concedi Pharaoni ut tempus praefigat quo velit Mosen orare, nimis sunt arguti. Frigidum etiam illud est, posse Pharaonem gloriari ranas esse morituras. Qui vero exponunt Pharaonem a ranis incolumem fore ut tuto glorietur, neque dicunt nihil, neque totum. Videtur potius mihi tacita esse antithesis inter perversam iactantiam, qua exsultaverat Pharao, et piam gloriationem quam appetere debebat ex Dei misericordia: quasi dixisset Moses: Hactenus tua potentia confisus, deinde fascinatus praestigiis, te perperam extulisti: nunc potius gloriare tibi esse deprecatorem et patronum qui Deum exoret. Arrogantiam enim qua perperam evectus fuerat ut cum Deo congredi auderet, retundi oportuit, ne quid spei esset residuum nisi in sola Dei misericordia. Gloriari vero super Mosen tantundem valet atque gloriam suam reponere in Mosis patrocinio, et pro summa felicitate ducere quod se interponere dignetur ad ipsum Deo reconciliandum. Nam particula על saepe ita capitur. Quanquam minime voluit Moses quidquam ex Dei gloria minuere: sed (quemadmodum nuper dixi) superbi regis fastum deiicere volens, nihil melius ei aut gloriosius esse docuit quam de venia bene sperare, ubi deprecatorem nactus esset servum Dei vivi, cui hostiliter erat infensus. Ranas tantum in flumine affirmat fore residuas: ac si diceret contentas fore solito domicilio et claustris. Scimus enim ranas, etiamsi exsiliant interdum in ripam, non procul tamen ab aqua discedere, quia humore pascuntur. Ita subindicat Dei iussu fuisse immissas, ut agros tegerent: deinde in eius manu esse, si velit, novis subinde copiis invadere agros et domos, et eius beneficio adscribi debere si se in aquis contineant, nec extra suos fines grassentur.

10. *Et ait: Cras.* Si ad Mosen referas, nulla in sensu erit ambiguitas: verum quia probabile est referri Pharaonis verba, eum existimo petere inducias in diem crastinum liberando populo. Nam, qui eum Mosen rogare existimant ut postridie suis precibus ranas abigat, in absurditatem incidunt: quasi Pharao secure dormitum concedens mali remedium distulerit. Colore igitur hoc caret: Pharaonem, ac si quieto esset tranquilloque animo, petere ut die postero terra purgetur a ranis. Quin potius, si mox levatus fuerit hoc incommodo, promittit populo missionem: quam tamen fallendi causa in posterum diem suspendit. Non enim alia fuit procrastinandi ratio, nisi ut adeptus quod volebat, a pacto discederet, sicuti fecit. Moses autem hac promissione contentus facturum se recipit ut ranas Deus profliget. Quod eodem die completum esse non dubito, nam hinc mutandae sententiae causa tyranno fuit, quod nocte interposita timere desiit. Et certe ex verbis sequentibus colligitur ranas paulo post e medio fuisse sublatas: quia dicitur, Mosen et Aharon postquam egressi sunt, orasse: quod minime quadraret si exspectatus esset dies crastinus. Quod autem Moses affirmat illum fore voti compotem, non facit temerario impulsu: quia ex successu apparet certum fuisse de consilio Dei. Ita saepe prophetae, quamvis non intercedat vocale praeceptum, reguntur tamen arcano spiritus instinctu. Hac quoque fiducia pronunciat Moses sciturum Pharaonem Deo Israelis nullum alium posse conferri. Haec porro est vera Dei cognitio, ubi in ordinem cogitur quidquid se attollit ad obscurandam eius gloriam, ceditque vel deiicitur omnis altitudo, ut solus ipse emineat.

15. *Videns autem Pharao.* Hinc apparet miserum tyrannum, instar flexuosi serpentis, mentem suam agitasse et versasse per varia consilia. Nam quum ad praesentem potentiae Dei sensum expavesceret, pertinacius resistere non audebat: tantum petebat aliquantulum temporis ad respirandum: nunc metu solutus in eandem contumaciam revolvitur. Hoc vero signum est perversi et contorti ingenii, non sponte se subiicere, sed temporali solum modestia defungi, ubi urget durior necessitas. Hanc perfidiam in recessu cordis absconditam noverat Deus, et Mosi praedixerat: voluit tamen in lucem extrahere, et ideo poenam remisit, quae simulandi erat occasio.

16. *Tunc dixit Iehova ad Mosen: Loquere ad Aharon: Extende virgam tuam, et percute pulverem terrae, ut sit in pediculos per totam terram Aegypti.* 17. *Et fecerunt sic: et extendit Aharon manum suam cum virga sua, et percussit pulverem terrae: et fuit in pediculos in homine et iumento, totus pulvis terrae fuit in pediculos per universam terram Aegypti.* 18. *Et sic fecerunt magi incantationibus suis ut producerent pediculos: sed non potuerunt.* 19. *Tunc dixerunt magi ad Pharaonem: Digitus Dei est hic. Et*

roboratum fuit cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut loquutus erat Iehova.

16. *Tunc dixit Iehova ad Mosen.* Hoc etiam loco (ut prius) prodire iubetur Aharon Mose inferior, qui poenam exigat de tyranno: idque maioris ignominiae causa quam si solus Moses fuisset adhibitus. Species vero tertiae plagae apprime est memorabilis: quod Deus non solum per ranas, sed per pediculos Aegyptum infestat. Quanquam enim de כנם non prorsus convenit inter Hebraeos, fatentur tamen animalcula esse, vel insecta, quae etiam sordidis hominibus pudorem cum molestia afferunt. Videmus ergo quam magnifice superbiam Aegypti calcaverit Deus, vindictam contumeliae et probri plenam infligendo. Nam etsi miserum fuisset sub potenti et bellicoso hoste cadere, longe tamen tristius fuit a pediculis turpiter confici. Nec dubium est quin hunc maxime exercitum Deus armaverit ut palam faceret sibi facile esse quidquid est terrenae potentiae vel roboris per lusum delere. Et certe nisi Aegyptii plus quam stupidi fuissent et amentes, haec illis comparatio in mentem venire debebat, quid tandem futurum esset si coeli et terrae opifex totis viribus incumberet ad eos perdendos, cuius prope ludicro certamine ad tabem redigi se videbant. Nos vero ex hac historia discamus, omnes creaturas praesto esse ad Dei nutum, quoties illis vult uti ad hostes suos castigandos: deinde nullum esse tam vile aut contemptum animal, cui non satis suppetat facultatis ad nocendum ubi divinitus armatur: postremo reprobos superbiendo hoc tandem consequi, ut vermibus ipsis vel pediculis cum maxima infamia subiaceant.

18. *Et sic fecerunt magi.* Facere hic sumitur pro conari. Neque enim illis successit, quemadmodum mox sequitur. Dicuntur ergo fecisse quod frustra tentarunt, vel quod aggressi sunt sine effectu. Atque hoc modo Pharaoni eripuit Deus quidquid erat excusationis residuum ex obtentu erroris. Etsi enim prius sibi fallacias asciverat, colore tamen non caruit eius pertinacia, quum magi ex aequo pugnarent cum Mose. Verum ubi videt eorum artem deficere, ex professo adversus Deum confligit. Quanquam non illius tantum respectu impostores illos cohibuit Deus, sed ridendos omnibus prostituit, ut sibi uni virtutis perfectae gloriam in solidum assereret. Unde colligimus quam bene pro sua inaestimabili sapientia temperet quam Satanae ministris licentiam ad tempus permittit. Nam ubi eorum audaciam tolerando satis probavit suorum fidem, quasi ex abrupto subsistere ipsos cogit, ut iaceant confusi, nec proficiant in peius, sicut ait Paulus, hanc historiam commemorans (2. Tim. 3, 8).

19. *Tunc dixerunt magi ad Pharaonem.* Probabile est duriter fuisse obiurgatos quod in aemulatione servorum Dei cessarent. Itaque excusant non esse amplius scientiae et magicis artibus locum. Unde colligimus, suis praestigiis ita lusisse ut se putarent optimos et laude dignos illusionum artifices. Neque enim alia de causa vulgus sapientes eos censebat nisi quod ipsi ante fiduciam hanc conceperant. Digitum enim Dei opponunt suae solertiae et peritiae, quasi dicerent non esse iam certamen de artis praestantia, sed quidquid ab astrologis et praestigiarum magistris requiri poterat, extraordinaria Dei virtute in nihilum redigi. Pugnant quidem ipsi secum: nam quorsum attinuit cum Mose et Aharon confligere, nisi ut Deum a sua parte stare iactarent? Quod si res illas gerebant Dei auspiciis, quam ridiculum est quos prius oppugnaverant fateri superiores, ipsisque victoriae laudem deferre, quia Dei potentia sint instructi? Videmus ergo cum tota sua vafritie fuisse infatuatos. Sed interea tenendum est quod nuper attigi, non modo traxisse alios in errorem, sed etiam fuisse deceptos, quod in fallaciis artis magicae putarent subesse scientiam. Sicuti hodie videmus genethliacos et similes impostores, qui se astrologos iudiciarios nominant, sibi placere in suis deliriis, ut non dubitent gradum sibi praecipuum inter doctores sumere. Denique mera ambitio magos impulit ut Deum per manum Mosis operari dicerent. Pudebat enim fateri, quemquam mortalium scientia praecellere. Verum extorta illis fuit confessio, qua magnifice unius veri Dei gloriam celebrarent, et simul approbarent legitimam Mosis vocationem. Nam si in Mose palam conspicitur Dei potentia, sequitur verum esse et divinum prophetam. Quod autem se non pariter in illis exserit, sed pervertit eorum conatus, hinc statuere licet Dei esse adversarios. Satis ad refutandam eorum vanitatem id erat, pugnare infeliciter et in medio cursu destitui: sed hoc multo gravius est, quod Deum arti suae hostem opponunt. Verum quidem est inconsiderate ita loqui, quia tantum existimationi suae consulere volebant, et tueri falsum scientiae suae honorem: sed Deo placuit ita eos coarguere, ut sentiret Pharao se cum Deo vivo, non autem duobus gregariis hominibus congredi. Quod ad formam loquendi spectat, metaphoricam esse patet. Digitus enim Dei apud Lucam 11, 20 vocatur spiritus: sicuti multis locis per manum Dei similiter idem spiritus intelligitur. Notanda tamen ratio est, ne quis indoctus ad essentiam referat, quasi spiritus qui vere aeternus Deus est, aliqua esset deitatis portio. Quum autem coacti fuerint magi in miraculo tandem agnoscere Dei potentiam, plusquam turpis socordiae erit si haec eadem consideratio apud nos non vigeat. Quanquam duobus modis Dei manum reputare nos decet. Neque enim ubi agit per media (ut loquuntur) sibi quidquam detrahit. Ideoque in toto naturae cursu fidei oculis conspicienda

est eius manus: verum quia miraculis expergefacit nostram ignaviam, illic magis conspicua refulget. Caeterum quia paulo post videbimus magos a sua dementia non ideo resipuisse, discamus sincere et ex animo nos humiliare sub potenti Dei manu, simulac in medium se protulerit. Quod Pharao a magis desertus nihil ex sua pervicacia mutat, nobis documento sit, quamvis hinc inde adminicula quaerat impietas, intus tamen infixam esse pravitatem quae Deo per se repugnet.

20. *Tunc dixit Iehova ad Mosen: Surge mane, ac te siste in conspectum Pharaonis: Ecce egredietur ad aquas: et dices ad eum: Sic ait Iehova: Dimitte populum meum ut serviant mihi.* 21. *Quod si tu non dimiseris populum meum, ecce emittam in te, et in servos tuos, et in populum tuum, et in domos tuas examen insectorum: et replebuntur domus Aegyptiorum insectorum examine, atque etiam terra super quam illa exstiterint.* 22. *Et separabo in die illa terram Gosen, in qua populus meus habitat, ne sit illic examen insectorum, ut scias quod ego sum Iehova in medio terrae.* 23. *Et ponam redemptionem inter populum meum, et inter populum tuum: Cras erit signum hoc.* 24. *Et fecit Iehova sic: et venit examen insectorum grave in domum Pharaonis, et domum servorum eius, et totam terram Aegypti: corrupta fuit terra propter examen insectorum.* 25. *Tunc vocavit Pharao Mosen et Aharon, et ait: Ite, sacrificate Deo vestro in hac terra.* 26. *Et dixit Moses: Non convenit facere sic: quia abominationem Aegypti sacrificaremus Iehovae Deo nostro. Ecce, si sacrificaremus abominationem Aegyptiorum coram oculis eorum, annon lapidarent nos?* 27. *Viam trium dierum progrediemur in desertum, et sacrificabimus Iehovae Deo nostro, quemadmodum praecepit nobis.*

20. *Tunc dixit Iehova ad Mosen: Surge mane.* Sicuti temerario ausu perrumpit Pharao, sic Deus vicissim eius impetum opposita defensione compescit. Hoc tandem consequuntur impii diu multumque pugnando, ut pluribus acceptis vulneribus per varios cruciatus intereant. Quod iubetur Moses obviam venire Pharaoni, ubi mane animi gratia ad ripam fluminis descendet, incertum est an velit Deus in publico tyrannum deprehendi, quod difficiles essent in palatium aditus. Quanquam mihi verisimile est quaesitum fuisse locum in quo et res esset illustrior, et vox divini praeconis clarius exaudiretur. Ergo ne quid obscure geratur, Moses sub dio coram tota multitudine Dei iudicium promulgat, cuius eventus statim sequutus est. Hic autem nulla (ut in superioribus plagis) virgae fit mentio: quia interdum utitur Deus externis organis, ut sciamus creaturas sub eius manu esse, interdum vero per se agit ut sciamus non egere ipsum adminiculis. Haec inaequalis agendi ratio demonstrat, ipsum prout vult imperio suo subiicere omnia, et tamen sola sua virtute esse contentum. Haec plaga duabus proximis aliquid affine habet: quoniam cladi adiungitur ignominia quae tyrannum pudefaciat. ערב Hebraeis idem valet quod Latinis examen insectorum. Multi interpretes existimant diversas species fuisse permixtas: quod ego non reiicio, quia probabile est collectum fuisse multiplicem foetorem, quo tyrannus prope suffocaretur. Qui de ursis, leonibus, tigribus et lupis, aliisque saevis animalibus exponunt, sine ratione discedunt a genuino vocis sensu.

22. *Et separabo.* Hoc quamvis nondum fuerit diserte expositum, transferri tamen ad alias plagas debet. Certum enim est, quum poenam de Aegyptiis exigeret Deus, non promiscue animadvertisse in omnes: ideoque electum eius populum, cui consultum volebat, immunem fuisse ab omni incommodo. Nunc tamen forte primum huius discriminis certior redditur Pharao, quum ante peculiaris illa Dei gratia ipsum lateret. Hinc vero plus quam manifestum fuit, penes unicum Deum Israelis esse beneficia et poenas, ut suis parcat, eosque clementer et paterne tractet, rursus vindictam contra hostes suos exerceat. Quam ob rem additur: Ut scias me esse Iehovam in medio terrae. Subest enim antithesis, quae prostratis idolis omnibus, solum Deum Israelis in sublimi locat. Caeterum quanquam terra hic pro toto orbe habitabili accipi potest, apte tamen ad Aegyptum restringetur, ut affirmet Deus in ipso Aegypti gremio se dominari, vel ubique per totam Aegyptum, quod idem valet. Loquutio quae sequitur, quanquam paulo durior est, nihil tamen continet ambiguum. Dicitur enim posuisse Deus redemptionem inter populum suum et Aegyptios: quia velut interposita maceria, vel erectis claustris, quum angulum unum servaret incolumem, gratiam suam a tota circum regione prohibuit. Porro quia verbum פלה significat admirabile esse, vel absconditum, vertunt quidam interpretes: Admirabilem reddam terram Gosen. Sed sequi malui quod magis receptum erat, et melius convenire visum est. Postremo notandum est, iterum tempus poenitentiae dari Pharaoni, ut, si esset sanabilis, poenam sibi denunciatam anteverteret. Poterat enim eodem momento Deus bestiolas illas emittere: sed ut tyranni malitiam probaret, posterum diem edixit.

25. *Tunc vocavit Pharao Mosen.* Videtur sibi magnum aliquid dare Pharao, si liberum sit Israelitis Deo sacrificia offerre in Aegypto. Debuerat ipse cum suis omnibus Dei cultum supplex amplecti, et superstitionibus reiectis Mosen appetere sincerae pietatis magistrum. Nihil de communibus vitiis mutat, non renunciat idolis, non abdicat pristinos errores: tantum permittit in una ditionis suae parte Deum coli. Sed hoc reprobis tritum est ubi

vel tantillum Deo concedunt, putare se probe esse defunctos. Hinc fit ut victi et coacti non tamen dubitent aliud de iure Dei minuere, sed, si impune liceat, libenter totum eriperent. Et certe quamdiu arridet fortuna, rebusque prosperis et integris fruuntur, exinaniunt quantum in se est totam Dei gloriam: verum ubi eos deficit resistendi facultas, ita ad subiectionem descendunt, ut Deum fraudent dimidia iusti honoris parte. Iusserat Deus liberum exitum dari populo: huic mandato non obtemperat, sed satisfacere Deo aliter tentat: nempe si populum non vetet sacrificium in Aegypto offerre. Porro quod saeculis omnibus commune fuit vitium, hodie nimis clare cernitur. Cuperent nostri Pharaones Dei gloriam prorsus exstinguere, idque furiose moliuntur: ad extrema autem redacti, si iam ex professo pugnare utile non sit fictitia (ut vocant) reformatione cultum eius lacerant ac mutilant. Hinc exorta fuit lucis et tenebrarum mixtura, cui nomen inditum fuit Interim. Nec talibus ludibriis desinunt veritatis hostes vana et nihili piacula Deo obtrudere.

26. *Et dixit Moses.* Verbi כן, quo utitur Moses, late patet significatio. Hebraei enim non esse rectum dicunt quidquid non probant. Ideo in hoc consentiunt omnes fere interpretes, Pharaonem minime aequum postulare: quia suorum lapidationi obiiciat Israelitas. Si haec sententia placet, uno contextu legendum erit, non esse rationi consentaneum ut sacrificent Israelitae in Aegypto alieno more: quia novitas esset intolerabilis. Duo sunt orationis membra, non esse rectum ut in Aegypto sacrificium offerant Deo ipsis indigenis abominabile, vel profanum sacrificium ex gentium abominationibus offerant: deinde periculum esse ne Israelitae lapidentur, si Aegyptios provocent in ritu illis detestabili. Quod ad secundum membrum spectat, dubium non est, abominationem Aegyptiorum active sumi pro sacrificiis quae abominantur. Prioris membri eadem videtur esse ratio. Durum esset eandem loquendi formam paucis verbis interpositis varie interpretari. Nisi quod nomen Iehovae, abominationi oppositum, videtur passivam significationem postulare. Emphatice enim dicit Moses non esse rectum sacrificare Iehovae Deo Israelis abominationem Aegypti. Hoc si placet, abominatio erit profanatio veri et puri cultus, qua sacra Aegyptiorum inquinata erant: quasi diceret nefas esse miscere veri Dei cultum cum sacrilegiis. Et certe videtur Moses duplici argumento pugnare: nempe quod non liceat, deinde quod non expediat. Sit igitur haec una ratio non fore legitimum sacrificium, nec Deo gratum, quod Aegypti abominationibus vitiatum erit. Postea sequetur altera, Aegyptios id non toleraturos: quia si mos sacrificandi receptus violetur, putabunt et se et Deos suos gravi contumelia affici. Haec interpretatio plenior est, atque uberioris doctrinae, si Moses priore loco de honore Dei sollicitus fuerit, non autem respexerit solam populi utilitatem. Et in hac sententia nihil coactum, non rite coli verum Deum nisi ubi separatur ab omnibus idolis. Sed quia eodem fere versu abominatio Aegyptiorum capitur active, quo melius fluat oratio, commode utroque loco sic exponere licebit. Tunc prioris membri sensus erit. Non est consentaneum prostituere cultum Dei nostri probris et subsannationibus gentium. Quod fieret si Aegyptii ritum sacrificandi quem abominantur, a nobis honorari viderent. Eorum quidem opinioni non assentior qui bimembrem esse orationem nolunt, sed uno contextu legunt non esse rectum hoc facere: quia lapidarent Aegyptii Israelitas. Moses enim non tantum quid conduceret populo, sed in primis quid Deo placeret spectavit, ne scilicet profanaretur sacrum eius nomen. Quod etiam ad animalia restringi solet nomen abominationis, non video qua ratione nitatur: ideo ad totam sacrificandi rationem extendo.

27. *Viam trium dierum.* Conclusio est, nihil esse mutandum ex Dei iussu, verum simpliciter et sine exceptione obediendum eius praecepto. Nec vero parvam laudem meretur Mosis constantia: qui fictam tyranni moderationem libere et intrepido animo repudiavit: quia Dei voluntati aliquid detraheret. Negat igitur aliter facturos Israelitas quam praescripsit Deus.

28. *Tunc dixit Pharao: Ego dimittam vos ut sacrificetis Iehovae Deo vestro in deserto: verumtamen non longius pergetis eundo: orate pro me.* 29. *Et dixit Moses: Ecce, ego egredior a te, et rogabo Iehovam ut recedat examen insectorum a Pharaone, et a servis eius, et a populo eius cras. Verumtamen non adiiciat Pharao agere fallaciter, non dimittendo populum ut sacrificet Iehovae.* 30. *Tunc egressus est Moses a Pharaone, et oravit ad Iehovam.* 31. *Et fecit Iehova secundum verbum Mosis, et recessit mixtura insectorum a Pharaone, et a populo eius: non unum fuit residuum.* 32. *Et aggravavit Pharao cor suum etiam hac vice, nec dimisit populum.*

28. *Tunc dixit Pharao: Ego dimittam.* Ubi se nihil proficere videt suis cavillis et ambagibus, perfectum obsequium simulat. Non quod tunc ei propositum fuerit fallere et mentiri, quia metu impediebatur: sed quia praesenti tantum malorum sensu deiectus, non audebat cristas adversus Deum erigere. Ergo (ut prius dictum est) non tam Mosen fallacibus verbis placare et frustrari consulto voluit quam se ipsum decepit. Notandum enim est (ac si lupum auribus teneret) coactum fuisse promittere exitum populo, quem maximo suo damno retinebat. Atque huc pertinet quod se commendat populi

precibus. Urgebat enim necessitas ad implorandam Dei pacem et veniam. Quanquam fieri potest ut astute sub religionis praetextu animos eorum sibi devinctos tenere voluerit. Nam anxie sibi cavendo, diffidentiam suam prodit. Denique preces eorum stipulando, funem iniecit quo eos ad se, post sacrificium peractum, retraheret.

29. *Et dixit Moses: Ecce, ego egredior.* Huic postulationi non respondet Moses, utpote qui sciebat aliud esse Dei consilium: et iure suspensum reliquit quem nondum volebat fieri conscium. Ita non est cur malae fidei insimuletur qui fideliter iniunctas sibi partes implevit: reticuit autem quod proferre iussus non erat, imo quod volebat Deus tyranno esse absconditum. Caeterum sanctus propheta ob regis perfidiam pia indignatione accensus, non statim poenam remittit, sed differt in diem posterum: et severe praeterea denunciat, si mentiri pergat noxam eius fraudi paratam fore. Tantam hanc animi magnitudinem ex miraculis collegerat, quibus insuperabilem Dei potentiam expertus, timendi causam non habebat. Rarae enim virtutis fuit, palam et in faciem tyranno exprobrare sua mendacia, et simul minitari poenam nisi a dolis malis desisteret. Diximus vero antea, Mosen non proprio animi motu fuisse pollicitum Pharaoni quod rogabat, sed speciali impulsu tam confidenter loquutum fuisse. Nam generalis promissio, qua Deus servorum suorum votis se fore propitium affirmat, non debet ad singulas species trahi, ut hoc vel illud certo modo se impetraturos confidant, nisi accedat singulare aliquod testimonium ex verbo et spiritu Dei.

31. *Et fecit Iehova secundum verbum Mosis.* Verbum hic tam de responso quam de Mosis precatione potest exponi. Prius illud magis arridet, effectu scilicet ipso Deum probasse ratum se habere quod dixerat Moses, quem constituerat iudicii sui praeconem: si quis tamen ad precationem referre malit, fruatur suo sensu. Ubi addit hac etiam vice aggravatum fuisse cor regis, crimen obstinationis exaggerat: eo quod nullus fuerit rebellandi modus in tanta poenarum congerie, quibus vel ferreum pectus corrigi decebat.

CAPUT IX.

1. *Tunc dixit Iehova ad Mosen: Vade ad Pharaonem, et loquere ad eum: Sic dicit Iehova Deus Hebraeorum: Dimitte populum meum ut serviant mihi.* 2. *Quod si tu renuis eum dimittere, et adhuc tu retines eos:* 3. *Ecce, manus Iehovae erit super gregem tuum qui est in agro: in equis, in asinis, in camelis, in armentis et in ovibus pestis gravissima.* 4. *Et distinguet Iehova inter pecora Israel, et inter pecora Aegypti: ut non moriatur quidquam eorum quae sunt apud filios Israel.* 5. *Et statuit Iehova tempus, dicendo: Cras faciet Iehova rem hanc in terra.* 6. *Fecit itaque Iehova rem hanc postero die: et mortuum est omne pecus Aegypti: de pecore vero filiorum Israel ne unum quidem* animal *mortuum est.* 7. *Et misit Pharao, et ecce, ex pecore Israel ne unum quidem* animal *mortuum erat. Et aggravatum fuit cor Pharaonis, ut non dimitteret populum.*

1. *Tunc dixit Iehova.* Nulla hic refertur Mosis querimonia, vel expostulatio: et fieri potest ut eo tacente et quieto, prospexerit Deus quid opus esset factu, atque etiam mandaverit quid fieri vellet. Verum quia tantum summas rerum perstringit, probabili ratione existimare possumus, prout ingravescebat malum, identidem ad remedium confugisse. In denunciatione non est inanis haec repetitio, Iehova Deus Hebraeorum, ut discat Pharao, quem se repulisse turgido suo fastu putabat, adhuc capiti suo instare. Insultat enim ferociae Deus, et nomine suo in medium prolato rabiem eius contemptim lacessit. Diximus ante sacrilegii convinci Pharaonem: quod populum Dei opprimat, et Deum ipsum fraudet iusto honore. Ita his verbis: Dimitte populum meum ut serviant mihi, inest pondus ad crimen aggravandum.

2. *Quod si renuis.* Poenae metu rursus eum ad obsequium impellit Deus: sicuti cum praefractis agere solet. Spatium tamen aliquod temporis (ut prius) concedit ad resipiscentiam, si forte pravum recusandi affectum deponat. Atque hoc nunc distinctius commemorat Moses 5 versu: tum ut ostendat perditam in malitia obstinationem, quod tyrannus derisa patientia Dei suam libidinem sequutus sit: tum etiam ut certius ex temporis circumstantia patefiat non casu, sed Dei manu percussa fuisse Aegypti pecora. In adverbio Adhuc subest vesanae pertinaciae obiurgatio: quasi diceret Moses satis superque provocatum fuisse Deum: ideoque, nisi desistat, novas et atrociores plagas Deo in promptu esse, quibus eum conterat. Pestis appositive vocatur Dei manus: quia a iusto eius iudicio proveniat. Causis enim naturalibus, hominum artibus vel cónsiliis, et casibus fortuitis opponitur hoc nomen: quasi dixisset Moses manum Dei apparituram esse in peste gravissima, ut sentiat Pharao coeleste numen sibi esse infestum. Porro etsi mitior videtur esse plaga quam superiores: quia tamen longe plus iacturae in futurum tempus intulit, durior haud dubie et asperior fuit Aegyptiis. Prius ad breve tempus infesta illis fuerat manus Dei, et una cum incommodis ablatus fuerat dolor, nunc vero strages pecorum in annos complures damnosa est. Haec enim quasi gradatio in Dei iudiciis consideranda est: sicuti etiam lex transgressoribus, nisi mature in viam

redeant, poenas septuplo maiores denunciat. Quod dicit mortuum esse omne pecus, synecdochica est loquutio. Nam continuo post patebit residuam adhuc fuisse copiam animalium. Sed intelligit passim armenta peste fuisse consumpta, et greges afflictos: vel (si mavis) pestem fuisse ubique grassatam, quae iumentis aliisque animalibus insolito modo occisis, Aegyptum redegerit ad penuriam. Denique nota universalis non alio spectat, nisi plagam hanc insigne fuisse documentum irae Dei: quia lues non pauca tantum animalia (ut fieri solet) corripuerit, sed longe lateque populata sit ingentem ex pecoribus et gregibus numerum.

7. *Et misit Pharao.* An miserit tunc primum suos inspectores in medio relinquo: fieri potest ut contumacia sua caecus discrimen hoc neglexerit, donec a Mose fuit admonitus. Scimus enim ut conniveant reprobi ad manifestas irae Dei notas, sponteque errorem suum foveant. Certe non dubium est quin Pharao, dum se modis omnibus obdurare appetit, libenter praeterierit quod maxime cognitu erat utile. Sed quia de signo discretionis inter Aegyptios et Israelitas certior a Mose redditus fuerat, cogitur, velit nolit, ex intuitu ipso scire quod libenter ignorasset. Fuit autem haec non obscura paterni erga electum populum favoris demonstratio: quod regionem in tota Aegypto maxime pecuariam contagio non attigerit quae totam viciniam in circuitu occupaverat. Quo turpior et magis prodigiosa fuit impii regis socordia, qui ne hoc quidem tam memorabili exemplo commotus fuit. Re enim per suos satellites perspecta et comperta, cor suum retinuisse, ne obtemperaret Deo, horribilis amentiae fuit.

8. *Tunc dixit Iehova ad Mosen et ad Aharon: Tollite vobis plenos pugillos vestros favillae fornacis, et spargat illam Moses per coelum* [1]) *coram Pharaone.* 9. *Et erit in pulverem super totam terram Aegypti: et erit super hominem, et super iumentum ulcus producens tumores in tota terra Aegypti.* 10. *Tulerunt ergo favillam fornacis, et steterunt coram Pharaone: et sparsit illam Moses per coelum. Et fuit ulcus tumorem producens in homine et in iumento.* 11. *Et non poterant magi stare coram Mose propter ulcus: quia fuit ulcus in magis ut in omnibus Aegyptiis.* 12. *Et induravit Iehova cor Pharaonis: et non audivit eos: quemadmodum loquutus fuerat Iehova ad Mosen.*

8. *Tunc dixit Iehova ad Mosen.* Hic poenae tempus non prorogat Deus, sed plagas continuo tenore ingeminat: neque Pharaoni minatur, sed eo relicto exsequitur quod decrevit iudicium: nempe quia plus satis compertum erat nihil apud eum prodesse admonitiones: deinde ut modis omnibus coarguatur desperata eius improbitas. Etsi enim paulo ante dixi non omnia recitari quae gesta sunt, narratio tamen Mosis huc magis inclinat, nihil de ulceribus fuisse praedictum Pharaoni, sed quum nihil tale suspicaretur, proiectas fuisse favillas. Quod autem pulvere obnubilatum fuit coelum, et inde exorta lues, non accidit naturaliter. Quomodo enim exigua favilla totus aër operiretur? Sed hoc visibili symbolo edoctus fuit tyrannus, cladem quae inde sequuta est, a Mose et Aharon fuisse inflictum. Porro insigni et summa potestate servos suos Deus ornavit, dum eos praefecit aëris imperio, ut ipsum obtegerent caligine, et contagione inficerent. Unde colligitur diabolos vocari principes aëris, non quia illic pro libidine dominentur, sed quatenus conceditur vagandi licentia.

11. *Et non poterant magi.* Quum tunc praesto quoque essent magi, dubium non est eadem qua prius amentia fuisse correptos, ut starent quasi in procinctu, si confligendi facultas daretur. Et certe quemadmodum Satan decies victus, infatigabili tamen pertinacia semper longius rapitur, ita nec eius ministri, quantumvis experti sint se infeliciter pugnare, a furore tamen suo desinunt. Nuper confessi fuerant praestigiatores isti nihil valere amplius artem suam, se tamen confirmant ad extrema quaeque tentanda, donec ulcerum tabes eos cum dedecore expellit. Quare, ne similis audacia nos dementet, discamus sponte cedendo integram Deo gloriam praestare. Quod autem Pharao non modo eorum auxilio destitutus, sed nudatus etiam et orbatus praesentia, non flectitur nec mollescit: hinc apparet non tam alienis imposturis fuisse deceptum quam obstupefactum propria malitia et pravitate. Quanquam hoc loco repetit Moses cor eius fuisse a Deo obduratum: nempe quia volebat, quasi opposito aggere, materiam habere illustrandae suae virtutis. Atque hic refellitur eorum inscitia qui nudam in Deo praescientiam imaginantur. Nam ubi additur: Sicut loquutus fuerat, coniunctim sibi utrumque asserit: nempe tam effectum quam praedictionem. Qua de re paulo post fusius tractandum erit. Notandum tamen simul a crimine non absolvi tyrannum, cuius voluntaria fuit durities. Scabies quae iumentis communis fuit, testimonio est alia strage non omnia periisse.

13. *Et ait Iehova ad Mosen: Surge mane et te siste in conspectu Pharaonis, et dic ei: Sic dicit Iehova Deus Hebraeorum, dimitte populum meum ut serviant mihi.* 14. *Quoniam hac vice ego mittam omnes plagas meas in cor tuum, et in servos tuos, et in populum tuum; ut scias quod nemo sit similis mei*

---

1) *In margine hic et v.* 10: Vel, per aërem, *quod Gallus in ipso textu habet.*

in tota terra. 15. *Nunc enim extendi manum meam, ut percutiam te et populum tuum peste, et excideris e terra.* 16. *Et certe ideo constitui te ut ostenderem tibi potentiam meam, et ut enarrent nomen meum in universa terra.* 17. *Tu adhuc te extollis in populum meum, ut non dimittas eos?* 18. *Ecce, ego pluam hoc tempore cras grandinem gravissimam, cui non fuit similis in Aegypto ab eo die quo fundata fuit hucusque.* 19. *Nunc igitur mitte, collige pecus tuum, et quidquid tibi est in agro. Omnes homines et iumentum qui inventi fuerint in agro, et non collecti fuerint intra domum, descendet super eos grando, et morientur.* 20. *Qui timuit ad sermonem Iehovae ex servis Pharaonis, confugere iussit servos suos et pecora sua domum.* 21. *Qui vero non adiecit cor suum ad verbum Iehovae, reliquit servos suos et pecora sua in agro.* 22. *Tunc dixit Iehova ad Mosen: Extende manum tuam versus coelum, et erit grando in tota terra Aegypti, super homines et super iumenta, et super cunctam herbam agri in terra Aegypti.* 23. *Extendit ergo Moses virgam suam versus coelum, et dedit Iehova tonitrua et grandinem: discurritque ignis per terram, et pluit Iehova grandinem super terram Aegypti.* 24. *Et fuit grando atque ignis grandine implicitus gravis valde: cui similis nulla fuit in tota terra Aegypti, ex quo fuit in gentem.* 25. *Et percussit grando in tota terra Aegypti quidquid fuit in agro, ab homine usque ad iumentum. Et percussit grando cunctam herbam agri, atque omnes arbores agri confregit.* 26. *Tantum in terra Gosen, ubi erant filii Israel, non fuit grando.*

13. *Et ait Iehova ad Mosen: Surge.* Revertitur adhuc Deus ad minas, ut impii regis animum exploret: non quod spes sit aliqua sanitatis, sed quo magis ac magis retegatur perdita eius obstinatio. Ad exemplum enim pertinuit, palam cognosci quam furiose ruant in suum exitium qui in sensum reprobum coniecti sunt, et agitantur spiritu vertiginis. Incredibile certe esset, ullum unquam hominem tam praecipiti amentia tantaque obstinatione restitisse Deo, nisi haec nobis proposita fuisset imago. Quoties iussus fuit Pharao populum dimittere, et singulis vicibus addita fuit sanctio imperii: ut non minus tonaret e coelo Deus quam e terra loquebatur per os servi sui et praeconis? neque tamen ad parendum subactus fuit tyranni animus: nempe quia mente alienat Satan quos Dei permissu addictos sibi et mancipatos tenet. Interea magis horribilem sibi vindictam accumulant impio monitionum contemptu.

14. *Quoniam hac vice.* Subest tacita conditio, nisi Deo morem gesserit. Significat autem, quamvis hactenus castigaverit eius superbiam, clementer tamen et adhibita moderatione id esse factum: nunc vero duriore flagello usurum esse, quia ferulae nihil profuerint. Sic coarguitur eius ingratitudo, quod non agnoverit ideo sibi parci ut levibus tantum damnis perfunctus ad sanam mentem rediret. Ergo quia sensim progressus fuerat Deus ad poenas, nunc minatur se uno impetu multas simul inflicturum: sicuti agere solet cum praefractis. Qua etiam ratione nos hortatur David (Psal. 32, 9), ne simus equis et mulis similes qui ob contumaciam camo et fraeno cohibentur. Unde colligit multos dolores instare impiis et rebellibus. Plagas autem fore denunciat, non quae caput tantum et brachia affligant: sed quae penetrent usque ad cor ipsum, vel letale vulnus visceribus infligant. Stupidior enim erat Pharao quam ut sufficeret latera eius tundere. In summa, nisi velit cum omnibus suis perire, horribili quod impendet iudicio mature occurrere iubetur. Sub nomine omnium plagarum complectitur quidquid postea castigationis additum fuisse videbimus: et ideo nomen דבר omnes excidii species designat: quasi diceret se poenas alias aliis additurum, donec tyrannum profligaverit cum tota gente. Quod postea addit, ut scias non esse similem mei, subindicat Pharaonem hactenus fuisse reluctatum, quod vim coelestis potentiae serio animi sensu non apprehenderet: quia fieri non potest quin ubi sentitur omnem ferociam coram se prosternat. Nec dubium est, reprobos, quamvis aliqua ex parte agnoscant Dei virtutem, postea tamen phrenetico impetu ruere, et eorum malitiam socordia esse implicitam, ut videndo non videant. Interea monemur, reprobos stupore suo hoc tandem consequi, ut Deus totis copiis adversus illos congressus, ad cognitionem suae virtutis quam fugiunt, invitos cogat et trahat. Ac ne longiores inducias speret, proximo versu affirmat Deus iam extenta manu se prodire. Neque enim tolerantiam suam commendat Deus in lento progressu, ut quibusdam placet: quin potius admonet exsequutionem sibi in promptu esse, quoniam arma induerit et copias instruxerit antequam verbum faceret.

16. *Et certe ideo constitui te.* Varie exponitur verbum העמדתי: proprie quidem significat statuere: itaque ad eminentiam hoc referunt nonnulli, quod Deus in regio solio Pharaonem collocaverit, unde suam gloriam melius patefaceret. Graecus interpres latius accepit, vertit enim ἐξήγειρά σε, excitavi te: quasi diceret arcano Dei consilio et providentia delectum fuisse Pharaonem in quo potentiam suam exsereret: sicuti passim dicitur excitare quos in medium producit, ut in eos usus applicet quibus ipsos destinavit. Alii sententiam hanc putant ex superioribus pendere, ac interpretantur: Conservavi te, vel superstitem manere volui. Verbum enim Hebraicum quod transitivum est in Hiphil deducitur ab עמד quod est stare. Quoniam ergo sibi moderatus fuerat Deus, nunc tolerantiae suae causam

assignat, quia si uno levi praelio cecidisset Pharao, minus celebris fuisset victoriae gloria. In summa, ne sibi blanditias faciat, vel inani fiducia se obduret Pharao, negat Deus sibi ad eum extemplo perdendum vires defuisse, sed ob alium finem distulisse ultimas poenas: quo scilicet lente disceret Pharao, frustra se luctari cum incomparabili potentia: atque ita omnibus saeculis celebraretur tam insignis historia. Etsi autem Paulus graecum interpretem sequitur, nihil tamen obstat quominus liberum sit postremum hunc sensum amplecti. Scimus enim apostolos non fuisse in verbis recitandis admodum anxios, sed rem potius spectasse. Iam ut fateamur Dei patientia eousque durasse Pharaonem dum omnibus clarum et nobile documentum foret quam vesani sint atque amentes quicunque Deo resistunt: hoc etiam ad aeternam Dei providentiam pertinet. Ideo enim pepercit Pharaoni Deus ut ad tempus staret: quia antequam nasceretur, in hunc usum praedestinatus fuerat. Unde etiam recte Paulus (Rom. 9, 16) colligit, non esse volentis, neque currentis. Sive enim erigat Deus, sive sustentet reprobos, mirabiliter in illorum pervicacia gloriam suam illustrat. Quo refellitur eorum inscitia, qui hoc cavillo aeternam Dei praedestinationem evertere conantur: quia non dicatur Pharaonem creasse hoc consilio, sed ad tempus suspendisse suum iudicium. Nam haec media agendi ratio et continua series ab initio illo manavit, quod Pharao irae Dei organum erat.

17. *Tu adhuc te extollis.* Verbum quo utitur Moses, fastum denotat: quod populum calcando sese nimis insolenter efferret. Deus ergo quasi per admirationem interrogat quid sibi velit tam caecus furor, quod speret tyrannus impune sibi cessuras esse contumelias quibus indigne populum Dei affligit. Iam enim multis signis edoctus fuerat, causam populi sui Deum patrocinii iure suscepisse, ut omnium iniuriarum vindex esset. Interea autem ironice perstringit tyranni stultitiam, qui tot castigationibus nondum humiliatus fuerat: ac si diceret quamvis rebus prosperis ebrius tyrannica et importuna licentia saeviisset in miseros, tamen acceptis tot plagis, cessandi saltem fuisse tempus.

18. *Ecce ego pluam.* Nunc Deus poenae, ad quam irrogandam erat accinctus, speciem designat: nempe quod percutiet grandine tam homines quam iumenta et partem frugum. Contingit quidem saepe grandine corrumpi segetes, interdum etiam magnas strages fieri hominum et animalium, imo rari beneficii loco ducitur si anni decem vel quindecim a tali noxa immunes praetereant. Sed Deus iudicium quod exsequi statuerat, certis notis insignit quae demonstrent grandinem non esse natam ex causis naturalibus, sed aërem divinitus armatum manifeste pugnare. Primum dies crastinus praefigitur: neque hoc satis est, additur etiam hora. Quis autem astrologus aut philosophus in turbinibus et procellis articulos temporum sic metiri queat? Tertio ponitur insolita violentia, qualis nunquam conspecta fuerat. Quarto continuus tractus ab extremis Aegypti finibus usque ad alios fines oppositos, et simul expansio in totam latitudinem. Vix intra annos viginti tam longe grassabitur calamitas ut tunc instar sagittae volitavit, et angustiis suis contenta, non ita late se diffundet. Postremo accedit distinctio inter terram Gosen et reliquam Aegyptum. Hinc palam fit grandinem non ferri erroneo impetu, sed manu Dei spargi: deinde non esse concretas frigidi humoris guttas in media regione aëris, sed portentum quod naturae limites transscendit.

19. *Nunc ergo mitte.* Non dat consilium quasi velit parcere hosti professo, sed vesanae eius confidentiae insultat, quod hactenus supina securitate contempserit quidquid poenarum denunciatum erat. Oblique ergo subindicat nunc esse metuendi tempus. Secundo, Deum non certare quasi dubito eventu: quia non tantum aperte provocat eum ad conflictum, sed confirmat nihil sibi fore negotii in ipso profligando. In summa, docet neque astu neque ullis artibus opus esse, ut deprehendat hostem suum, sed quamvis modum elabendi concedat, se tamen fore victorem.

20. *Qui timuit verbum Iehovae.* His verbis ostendit Moses quosdam experientia hucusque fuisse edoctos ut non omnino spernerent quod edixerat Moses. Inde enim timor ex denunciatione poenae, quia persuasi erant Mosen servum esse Dei ac prophetam, imo coelestis iudicii praeconem. Quanquam simul apparet non serio resipuisse ut obedirent Deo, sed praesenti ac momentaneo terrore impulsos fuisse ad cavendum. Sic particularis metus saepe reprobos sollicitat vel ad deprecandam vel ad fugiendam Dei vindictam. Dicit tamen Moses timorem illis profuisse, quia non eandem quam alii magis stupidi calamitatem senserint. Hoc modo testatus est Deus quo quisque maiore contumacia ipsius iudicia contemnit, durius ac gravius affligi: quosdam vero incredulos aliqua ex parte levari incommodis et mitius castigari, quia saltem ferociter non exsurgunt ad despiciendam eius potentiam. Adde quod in hoc discrimine clarius enituit Dei iudicium, ubi inter Aegyptios, quo quisque fuit ferocior, certam contemptus sui mercedem retulit. Docemur tamen hoc exemplo, non multum proficere incredulos si trepidis ac supplicibus ad breve tempus Deus ignoscat: quia semper manent aeternae morti obnoxii.

22. *Tunc dixit Iehova.* Nunc rursus virga Mosis Deus utitur ad movendam procellam, non tam Pharaonis causa, quam ut Moses ipse ad residua certamina magis animetur, ubi documentum

renovari videt suae vocationis. Interea nobis observanda est fidei eius probatio, quod nondum accepto mandato de virga in coelum tollenda, non dubitaverit Pharaoni praedicere horribilem et prodigiosam fore grandinem. Quanquam si quis velit esse ὕστερον πρότερον, et nunc demum referri quod ordine temporis prius erat, non contendo: sed hoc mihi magis probatur, et ex contextu etiam recte mihi colligere videor, die illo elapso mandatam fuisse exsequutionem, cuius ante incognita fuerat Mosi ipsi ratio. Hinc quidem et Moses ipse didicit, et nos hodie discere oportet, elementa omnia, quamvis sensu careant, praesto tamen esse ad quodlibet obsequii genus opifici suo praestandum: quando ad motum baculi turbatus fuit aër incredibili modo, ut grandinis copiam opprimendis iumentis et hominibus vibraret.

27. *Tunc misit Pharao ad vocandum Mosen et Aharon: et dixit ad eos: Peccavi hac vice, Iehova iustus est: ego autem et populus meus scelerati.* 28. *Precamini Iehovam, et magnum* erit *si non sint tonitrua* [1]) *Dei et grando: et dimittam vos, nec ultra manebitis.* 29. *Tunc dixit Moses: Ubi egressus fuero ex urbe, extendam manus meas ad Iehovam: cessabunt tonitrua, et grando non erit amplius, ut scias quod Iehovae sit terra.* 30. *Atqui de te et servis tuis cognosco quod nondum timeatis coram facie Iehovae Dei.* 31. *Linum et hordeum percussa sunt: nam hordeum maturescebat, et linum erat in calamo.* 32. *Triticum vero et zea non sunt percussa, eo quod abscondita essent.* 33. *Et egressus Moses a congressu Pharaonis extra urbem, expandit manus suas ad Iehovam: et cessarunt tonitrua et grando, et pluvia non est effusa super terram.* 34. *Videns autem Pharao quod cessasset pluvia, et grando, et tonitrua, adiecit adhuc ad impie agendum, et aggravavit cor suum ipse et servi eius.* 35. *Et obduruit cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel, sicut loquutus fuerat Iehova per manum Mosis.*

27. *Tunc misit Pharao ad vocandum.* Confessio haec si ex animo esset profecta, signum dabat resipiscentiae: sed statim cognovit Moses timorem in corde impii non esse diuturni officii magistrum: idque melius innotuit ex re ipsa. Quanquam memoria simul tenendum est quod ante attigi, Pharaonem non fuisse consulto mentitum: quia terrore correptus omnes placandi [2]) Dei modos captabat: sed paulo post relapsum esse ad mores pristinos. Etsi enim vulpino astu submissionem prae se ferunt impii dum se captos vident, ut effugium a laqueis detur, non tamen in suis blanditiis Deo se verba dare putant. Quin potius ubi urget necessitas, parati sunt quibuscunque modis transigere, ideoque piacula et satisfactiones offerunt: verum dempto metu, quia vi extortum fuerat quidquid sunt polliciti, statim de integro lasciviunt. Simile fere exemplum de Saule narratur (1. Samuel. 24, 18. et 26, 21). Fatetur cum suo dedecore innocentiam Davidis, neque tamen, simul ac effugit discrimen, ac metu solutus est, desinit eum crudeliter persequi. Quod si demus fraude id simulasse, Pharaoni maior fuit timendi ratio: quia experimento convictus Deum sibi esse adversum, formidine sua ad conditiones quaslibet rapiebatur. Primo autem agnoscit se hac vice peccasse: non quod priores excuset, sed quia in tam crasso contemptu magis detestabile erat pertinaciae crimen. Quod melius liquet ex proximis verbis, ubi Deo iustitiam tribuens, suùm et populi scelus fatetur. Perinde enim est ac si dixisset se merito poenas dare: quia Deum iustum iudicem nimis diu provocaverit. Iam quia veram resipiscentiam verbis prae se fert Pharao, colligere hinc licet non tribui Deo integrum iustitiae honorem a peccatoribus, nisi se ipsos damnent. Quod eo diligentius notandum est quia pauci reputant, dum reatum effugere conantur, se adversus Deum esse contumeliosos. Atqui nisi quisque sibi sit iudex, ac ingenue delicta sua fateatur, Dei iudicio obstrepere certum est. Tandem ad deprecationem confugit: in qua Mosen et Israelitas sibi patronos esse optat. Non absque dolo, fateor: (quia semper duplici corde sunt hypocritae) certum tamen est, quia malis erat attonitus, pacem quaesiisse cum Deo: ne rebellando novas graviores poenas sibi accerseret. Simul autem ac voti compos timere desiit, ex securitate emersit interior malitia, quae malorum congerie suffocata quodammodo latebat. Quod proxime sequitur varie exponunt interpretes. Quidam exponunt negative, quod non sint, vel, si non sint tonitrua: et hi quoque inter se dissentiunt. Quidam enim Pharaonem gratulari sibi putant, quod cessarint tonitrua: sed eos nimis crasse hallucinari ex contextu liquet. Si ergo interponitur negatio, necesse est referri sermonem ad tempus futurum: ac si diceret, praeclare secum actum iri si Deus sedare volet tonitrua. Aeque tamen probabilis etiam est diversa lectio: Multum est, vel magnum quod sint vel fuerint tonitrua. Ac si diceret, satis superque poenarum se pro stultitia dedisse: vel (quod mihi magis placet) se horrore iam esse subactum, dum continuo fragore tonitrui et impetu grandinis percellitur. Videtur enim suam conversionem probare velle: quia horribili Dei potentia victus sit.

29. *Tunc dixit Moses.* In hoc responso oblique subindicat Moses, ut pure et rite Deum invocet, se fugere conspectum Pharaonis: quia sacrificia quo-

1) *In margine:* Vel, Multum est quod sint tonitrua.
2) *Princeps:* captandi.

dammodo polluat sua incredulitate. Nam sicut ante docuit non posse legitimum cultum a populo praestari nisi extra Aegyptum, sic nunc solitudinem quaerit ad precandum: atque ita loci distantia profanum esse locum ostendit ubi habitat Pharao. Diximus autem supra Mosen nihil promittere temerario impulsu, sed vel spiritus instinctu, vel certo oraculo edoctum pronunciare autoritate prophetica, quid facturus sit Deus. Porro non abs re Moses ex poenae remissione Pharaonem sentire iubet Deum Israelis esse dominum Aegypti. Nam terrae nomen hic videtur restringi ad Aegyptum. Quanquam non infitior de toto orbe commode posse intelligi: verum, utrumvis eligas, recte colligit Moses, perfecte Dei gloriam et imperium patefieri ubi non tantum poenas irrogando vindex apparet, sed simul ex opposito demonstrat, elementa omnia suae beneficentiae servire. Ad haec, ubi vulneribus quae inflixit idem Deus medetur, clarius inde innotescit eius potentia. Ideoque apud Isaiam (Isa. 41, 23. et 45, 7), probandae suae divinitatis causa, haec duo coniunctim ponit, iuris sui esse et arbitrii tam bene quam male facere.

30. *Atqui de te et servis tuis cognosco.* Tam libera obiurgatio clare demonstrat quanta animi magnitudine praeditus fuerit sanctus propheta: qui imperiosi et crudelis tyranni furorem pro nihilo ducens impietatis eum cum tota aula damnare non dubitat. Nec sane dubium est Deum mirabiliter compescuisse tot saevas bestias, dum manus abstinent a Mose: quia temperantiae vel humanitati tribui non potest quod non centies ipsum interfecerint homines alioqui plus quam sanguinarii, quum eos tam acerbe lacesseret. Caeterum ex hac constantia etiam patet quantopere profecisset posito tirocinio: quia ante longe a telorum iactu in umbra trepidus, nunc in acerrimo conflictu nihil formidat. Merito autem negat Deum timere Aegyptios: quia formido et horror non semper animos formant ad reverentiam iustumque obsequium. Nam de sincero timore loquitur Moses, qui nos Deo penitus addicit. Qua ratione vocatur sapientia, et caput sapientiae (Prov. 1, 7. Psalm. 111, 10). Hypocritae autem quamvis expavescant ad Dei nomen, longissime tamen absunt a voluntario eius colendi studio. Quare, ne inanis imaginatio nos fallat, discamus sensus omnes nostros probe excutere, et sedulo inquirere in omnes flexuosos recessus, quibus refertae sunt ac incredibili modo implicitae humanae mentes. Quaeritur tamen quomodo deprecatoris munus suscipiat, ubi nullam videt resipiscentiam. Respondeo, non ita fuisse facilem ut parceret quasi exoratus, sed modicam intermissionem dedisse, donec se rursus proderet regis impietas, atque ita compleret Deus quod praedixerat de omnibus plagis. Absurdum igitur est quod quidam hoc praetextu volunt ministros verbi et pastores nuda verborum confessione esse contentos: quando non tam ad ignoscendum propensus est Moses quam viam patefacit reliquis Dei iudiciis.

33. *Linum et hordeum.* Narrat quid calamitatis intulerit grando: et docet partem frugum fuisse consumptam, quae scilicet iam assurrexerat in culmos: semina vero quae tardius surgunt fuisse salva. Spem enim residuam dare voluit Deus, quae invitaret regem cum suis ad poenitentiam, si modo sanabilis fuisset eorum malitia.

34. *Videns autem Pharao.* Iterum suo more Pharao audaciam colligit ex poenae mitigatione, sicuti reprobos armat securitas adversus Deum: ipsi vero, simulac paulisper quiescunt Dei flagella, impunitatis fiduciam concipiunt, et ex brevibus induciis aeternam pacem imaginantur. Pharao igitur cor suum, quod flexisse visus fuerat, de integro obduravit, clade hac perfunctus: ac si non admonitus fuisset alias restare, imo manum Dei iam esse extentam. Itaque in fine capitis culpam amplificat Moses, ubi addit hoc fuisse praedictum per manum suam. Aliquoties ante vidimus obduruisse impium regem, sicut Deus ad Mosen loquutus fuerat: nunc plus exprimitur, nempe Mosen fuisse praeconem huius indomitae et perditae contumaciae.

CAPUT X.

1. *Et dixit Iehova ad Mosen: Vade ad Pharaonem: quia ego aggravavi cor eius, et cor servorum eius, ut ponerem signa mea haec in medio eius.* 2. *Et ut narres in auribus filii tui et nepotis tui quae fecerim in Aegypto, et signa mea quae posuero inter eos: et sciatis quod ego sum Iehova.* 3. *Venit ergo Moses et Aharon ad Pharaonem, et dixerunt ei: Sic dicit Iehova Deus Hebraeorum: Quousque renuis humiliari coram facie mea? Dimitte populum meum ut serviant mihi.* 4. *Quod si tu renuis dimittere populum meum, ecce, ego inducam cras locustam in terminos tuos.* 5. *Et operiet superficiem terrae, ut non possit videri terra: et comedet quod residuum est, quod evasit, quod relictum est vobis a grandine: et comedet omnem arborem quae fructificat vobis ex agro.* 6. *Et implebunt domos tuas, et domos omnium servorum tuorum, et domos omnium Aegyptiorum: quas non viderunt patres tui, et patres patrum tuorum, a die quo ipsi fuerunt super terram usque ad diem hunc. Et aversus, egressus est a Pharaone.*

1. *Et dixit Iehova.* Transit Moses ad aliam plagam, qua perfidiam impii regis et obstinationem ultus est Deus: nempe quod residuum anni proventum, cui pepercerat, locustis vorandum et exe-

dendum tradiderit. Fuit autem haec non vulgaris poena, inedia et fame conficere Aegyptum, quum periissent cunctae segetes. Verum antequam eo descendat Moses, iterum recitat se huius plagae fuisse praeconem, et rationem sibi a Deo fuisse redditam cur toties in suam perniciem reluctatus esset Pharao. Dicit ergo Deus se obdurasse cor eius, ut portenta et virtutis suae documenta ederet. Nam si statim humiliatus cessisset Pharao, supervacuum erat certamen. Quorsum enim cum victo et iacente confligere attinet? Ergo tyranni pertinacia, Deum saepius lacessendo, pluribus miraculis viam aperuit: quemadmodum ex collisione lapidis et ferri ignis elicitur. Quo etiam refellitur frigidum illud commentum, non aliter induratum fuisse cor Pharaonis, nisi quod proposita sunt miracula coram eius oculis. Non enim docet Moses cor eius divinitus fuisse aggravatum signorum conspectu, sed Deo placuisse hoc modo illustrare suam virtutem. Hinc etiam colligimus, certo Dei consilio praedestinatum fuisse quidquid accidit. Voluit enim Deus singulari et insolito modo populum suum redimere. Ut haec redemptio magis conspicua et nobilior fieret, Pharaonem opposuit instar saxeae rupis, qui duritie sua causam novis et magis insignibus miraculis subinde daret. Admirabili igitur Dei providentia in hunc finem induratus fuit Pharao, ne obscura aut vilis esset liberationis gratia. Respexit enim populum suum Deus magis quam Aegyptios, ut mox sequitur: Narrabis filio tuo, et nepoti, etc. Longe enim uberior gratiarum actionis, et liberationis celebrandae oblata fuit materia, quum palam vidissent Israelitae toties ac tam variis prodigiis exsertum e coelo Dei brachium. Nam si usitato modo fuissent redempti, laus Dei paulo post obsolevisset. Posteros ergo sic a patribus doceri oportuit, ne ambigerent de tam praeclari operis autore. Caeterum hic exigitur a patribus qui oculati erant signorum testes diligentia et sedulitas in filiis docendis: et iis etiam iniungitur discendi cura et attentio, ut beneficiorum Dei memoria per continuam aetatum seriem floreat. Praxis huius doctrinae conspicitur Psal. 44. et 105.

3. *Tunc venit Moses et Aharon.* Iam refert Moses se Dei mandato tentasse Pharaonis animum, an tandem post multa experimenta, metu novae poenae quae instabat, flexibilis esset ad parendum. Hoc autem examine melius cognita fuit eius impietas, quod ditionem suam parte annonae privatam videns, quod de altera parte denunciatur a Mose non metuit. Ideo asperius eum obiurgat, rogans: Quousque tandem superbe resistes Dei imperio? Nam quum pessima quoque ingenia frangant plagae, portenti instar fuit, regem octies et quidem diris modis percussum nolle adhuc cedere, perinde ac si incolumis et ab omni damno intactus staret. Caeterum ex hoc loco discendum est in hunc finem castigari nos Dei ferulis, ut a cupiditatum nostrarum lascivia redeamus ad illius obsequium. Hoc vocat Moses (et post eum Petrus [1. Petr. 5, 6]) humiliari coram Deo, vel sub potenti eius manu, dum experti formidabilem eius potentiam nos reverenter subiicimus eius imperio. Unde sequitur, quasi ferrea fronte luctari cum Deo qui poenarum metu non domantur nec flectuntur. Quare nos ad resipiscentiam erudiat timor: ac, ne superbo contemptu provocemus eius vindictam, discamus nihil esse magis horribile quam incidere in eius manus (Hebr. 10, 31). Subindicat etiam Moses non esse bellum Pharaoni cum Israelitis tantum, sed cum Deo, qui eorum causam suscepit. Quare non dubitemus tyrannos, quicunque iniuste ecclesiam affligunt, cum Deo ipso confligere: cuius viribus se longe impares sentient.

4. *Quod si tu renuis.* Denunciat Moses ultimam penuriam et famem terrae Aegypti, quia repente surgent locustae, quae penitus consumant residuum anni proventum. Iam enim dimidia pars grandine perierat. Etsi autem testantur historiae veteres, et nostro saeculo contigit, non segetes tantum, sed pratorum quoque herbas a locustis vorari: ex circumstantiis tamen colligitur hoc fuisse inusitatum coelestis vindictae exemplum: quia et diem crastinum praefigit Moses, et incredibilem copiam subito erupisse narrat, et addit nunquam tales visas fuisse: postremo nullam domum ab earum insultu immunem fore minatur. Porro genus flagelli iterum notare operae pretium est, quod Deus ex vilibus animalculis exercitum colligit et armat, quo contumeliose indomabilem tyrannum cum omnibus suis copiis profliget. Digna etiam hac mercede fuit Aegypti ingratitudo, quia nimis indignum fuit tyrannice opprimi in ea regione posteros Ioseph, qui eam sua solertia paulo ante ducentos et quinquaginta annos a fame asseruerat. Quod sequitur versu 6, Vertit se, et egressus est, pro indignationis signo ponitur: ac si Moses contumaciae tyranni pertaesus, repente se alio proriperet, ne vale quidem dicto. Quamvis ergo mansueto alioqui ingenio fuerit, praecisa tamen haec austeritas adhibenda fuit ad refutandum fastum, quo tyrannus in coelum ipsum conspuebat. Discant autem et nostri saeculi Pharaones, quando purum Dei cultum atrocibus minis impediunt, iusto eius iudicio fieri ut in ipsorum ditionibus grassentur, ut locustae, homines fanatici cum impiis erroribus, ac tabe populos inficiant.

7. ***Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum: Quousque erit hic vobis in offendiculum? Dimitte homines, ut serviant Iehovae Deo suo. An ante scies quod perierit Aegyptus?*** [1]) 8. ***Et reductus est Moses***

1) *In margine:* Vel: Antequam scies periisse Aegyptum.

atque Aharon ad Pharaonem: dixitque ad eos: Ite et servite Iehovae Deo vestro. Qui sunt qui abibunt? 9. *Et ait Moses: Cum pueris nostris, et cum senioribus nostris ibimus, cum filiis nostris et filiabus nostris, cum ovibus nostris, et cum armentis nostris ibimus: quia festus dies Iehovae nobis est.* 10. *Tunc dixit illis: Ita sit Iehova vobiscum, ut vos dimittam, et parvulos vestros. Videte, quia malum est coram vobis.* 11. *Non sic: Ite nunc viri, et servite Iehovae: quia vos hoc postulastis. Et eiecit eos a facie Pharaonis.*

7. *Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum.* Paulo ante vidimus communem illis fuisse obstinationem cum rege suo: nec dubium est quin serviliter adulando magis ac magis eum excaecaverint: nunc tamen damnis victi, et adhuc deterius aliquid timentes, mitigare eius furorem student. Non quod redierint ipsi ad sanam mentem, sed quia sentiunt manu Dei se esse victos, nec vires ad rebellandum suppetere. Itaque dicunt Mosen, donec emissus fuerit, fore Aegypto in perpetuam noxam. Vocem מוקש sive laqueum, sive offendiculum vertas, parum interest: quia metaphorice capitur pro quolibet infortunii vel damni genere. Significant igitur non esse sperandum malorum finem, quamdiu contendet Pharao cum Mose: quia noxae aliae alias sequentur. Sed interrogando: Quousque, admonent regis pertinaciam plus satis hactenus damnosam fuisse. Unde colligunt nihil fore melius quam ut Mosen expellendo, se a laqueo expediat, vel offendiculum declinet: quia nonnisi infeliciter pugnabit. In secunda parte versus dissentiunt interpretes. Chaldaeus paraphrastes negatione interposita vertit: An adhuc nescis quod perierit Aegyptus? Ad verbum sic legitur: An ante scire? vel: Ante quam scire? Verum quia infinitivus interdum pro tempore futuro sumitur, videtur optime sensus quadrare hoc modo: An ante vis cognoscere totius regni interitum, quam ab infausto certamine desistas? ac si dicerent, nisi mox iram Dei a se avertat, nimis serum et inutile paulo post fore remedium.

8. *Et reductus est.* Probabile est, sedata regis iracundia, ex caterva quosdam celeriter fuisse missos, qui Mosen eadem hora retraherent, ne postridie accideret calamitas a Mose denunciata. Nam ex regis verbis colligere licet non prorsus fuisse victum eorum precibus: sed quia nolebat praecise negando omnium animos offendere, passum fuisse revocari Mosen, ut illos obliquo artificio eluderet. Sic enim tyranni specie fallaci assensus invidiam effugiunt. Revolvitur autem ad pristinum consilium, dum media pactione cum Deo decidens, sibi cavere vult de populi reditu. Apparet quidem ipsum quoque fuisse territum, et viam quaesiisse placandi Dei: interea tamen quasi pacisci liberum esset, conditiones proponit sibi commodas: sicut hypocritis mos est velle cum Deo sic transigere, ut dimidia iuris sui parte cedere cogatur. Etsi autem astute sciscitatur quasi de re dubia, facile tamen detegitur eius suspicio. Ergo quod de omnibus sibi praecipi non ignorat, ad partem restringit, et tamen simulat se praestare quod aequum est, ac Deo sufficere debet. Tametsi autem suo responso Moses tergiversandi ansam libere praecidit, nec eum flexiloquis ambagibus demulcet: Dei tamen consilium de liberando populo supprimit, non quod fallere velit vel mentiri, sed ut intra vocationis suae fines se contineat. Ac ne obiici possit, hoc modo subduci Israelitas a legitimo imperio, non dissimulat, quia divinitus sint adoptati, sub alia ditione non esse. Suos ergo Deus palam reposcit quos semel sibi addixit. Nec vero fraudulenter cum tyranno agere censendus est, quamvis consilium suum ab ipso celet. Armenta et greges ovium secum tracturos Israelitas dicit, ut sint ad manum victimae quas offerant Deo. Quantum ad filios et filias, subindicat minimis etiam quibusque celebrandum esse diem festum, quia omnes Deus sibi addixerit ad pietatis cultum.

10. *Ita sit Iehova vobiscum.* Miror locum per se clarum ab interpretibus violenter torqueri. Quidam sic resolvunt: Vellem Deum non aliter vobis favere, quam vos dimittere mihi in animo est: alii vero ficte loquutum putant, ac si Deo ipsos commendet postquam discesserint. Non referam omnium commenta, neque opus est. Equidem non dubito ironicam esse subsannationem, qua ipsis et Deo simul insultat, quasi diceret: Iactatis Deum a parte vestra stare: id experientia probabit si vos dimisero. Se igitur constituens summum arbitrum ad eos arcendos, et vetandi prohibendique exitus potestatem sibi arrogans, deridet eorum fiduciam, quod liberum egressum petendo, id se Dei auspiciis et mandato facere obtendant: perinde ac si diceret, tunc merito praetexetis Iehovam itineris ducem vobis esse, nisi vos impediero. Hoc modo proterve lacessit Deum ipsum, et populo ita posse opitulari negat, quin resistendo praevaleant suae vires. Ita reprobi, postquam secum tumultuati sunt, interdum eructant vesanum Dei contemptum, quasi sint contra omnia pericula probe muniti, et Dei auxilium quod suis promisit pro nihilo ducentes, secure rident fidei simplicitatem. In secundo etiam membro versus frustra meo iudicio laborant multi. Quidam eliciunt hunc sensum: Malum quod cogitatis occurret vobis, ac in facies vestras vertetur. Alii volunt similitudinem esse a scopo ductam, quod Israelitae nonnisi ad maleficium spectent. Ego autem non dubito, postquam Dei potentiae opposuit Pharao tyrannicas suas prohibitiones, iam incutiendi terroris causa minari. Dicit igitur malum instare Israelitis, et quasi versari ante eorum oculos, quia suae temeritatis poenas mox sunt daturi. Ita significat

opem Dei, qua se protegi confidunt, evanidam fore aut nihil profuturam. Quum autem dicit: Videte, oblique eos perstringit, quod freti Dei auxilio inconsiderate in suam perniciem ruant. Summa est, eos sibi male consulere omnia tentando, stulteque vel minus caute recumbere in Dei patrocinium.

11. *Non sic.* Simulat illis se dare quod initio postulaverant, atque ita inconstantiae eos insimulat, quod non perstent in eadem sententia: quum tamen certum sit hanc pertinaciae fuisse causam ad repugnandum, quia timebat ne totus populus ex Aegypto migraret. Scivit ergo, quod Dei nomine exegit Moses, ad parvulos quoque extendi: quia alioqui non tam fuisset exasperatus. Sed ut culpam in eos derivet, falso et calumniose exprobrat duplicasse iniqua postulata, se vero summa humanitate perfungi, quod primo eorum voto annuat. Caeterum noluit patres liberis orbare, sed retinere quasi obsides: quoniam persuasus erat tam caris pignoribus nunquam sponte renunciaturos. Quod additur in fine versus: Eiecit eos a conspectu Pharaonis, indefinite quidam accipiunt, ac subaudiunt quemlibet ex satellitibus: sed quia Hebraeis tritum est antecedens omittere, et deinde subiicere loco relativi, non dubito quin Pharao Mosen videns dimidia parte non esse contentum, excanduerit et novis minis expulerit, quia eius praesentiam non ferebat.

12. *Tunc dixit Iehova Mosi: Extende manum tuam super terram Aegypti pro locusta, ut ascendat super terram Aegypti, et depascat omnem herbam terrae, quidquid a grandine residuum est.* 13. *Extendit itaque Moses virgam suam super terram Aegypti, et Iehova adduxit ventum orientalem in terram toto illo die, et tota nocte: et ubi advenit mane, ventus orientalis excitavit locustam.* 14. *Et ascenderunt locustae super totam terram Aegypti, et demisit in omnem terminum Aegypti graves valde: ante illas non fuerunt tales locustae, nec post illas futurae sunt tales.* 15. *Operueruntque superficiem totius regionis, et obscurata fuit terra, comederuntque omnem herbam terrae atque omnem fructum arborum quem reliquerat grando, neque remansit quidquam viride in arboribus, et in herbis agri in tota terra Aegypti.* 16. *Tunc festinavit Pharao vocare Mosen et Aharon, et dixit: Peccavi in Iehovam Deum vestrum et vos.* 17. *Nunc ergo remitte quaeso peccatum meum duntaxat vice hac, et orate Iehovam Deum vestrum, et auferat a me tantum mortem istam.* 18. *Et egressus est a Pharaone, et oravit Iehovam.* 19. *Et convertit Iehova ventum occidentalem fortem valde, et sustulit locustas, et deiecit eas in mare rubrum: non remansit locusta ulla in tota regione Aegypti.* 20. *Et roboravit Iehova cor Pharaonis, neque dimisit filios Israel.*

12. *Tunc dixit Iehova Mosi.* Quoniam indicta sibi poena non fuit adductus Pharao ad parendum exsequutio hic narratur. Ac primo quidem iussus est Moses manum extendere ut locustas accerseret, pro iure imperii quo Deus eum ornaverat. Manus enim extensio signum est potestatis. Ideo paulo post subiicit se baculum extendisse, quem ante vidimus loco regii sceptri fuisse ei datum. Perinde igitur est ac si Deus praefectum constituens, subiiceret ei mare, terram, et aërem. Ut tamen subsidat in gradu ministri non dicit locustas erupisse ad suum mandatum, sed laudem operis vindicat uni Deo. Atque haec ratio loquendi notatu digna est, ex qua discimus ministros Dei, quamvis nihil ex se afferant, non tamen ludere operam, quia spiritus efficacia cum eorum voce coniuncta est, neque tamen ideo quidquam delibari ex Dei virtute quod ad ipsos transeat: quando nonnisi organa sunt quae Dei manu in usum suum applicantur. Sic Moses non frustra nec inaniter extento baculo praecepit locustis ut ascenderent, quia statim apparuit effectus mandati. Neque tamen ipse creavit locustas, neque baculi agitatione eas attraxit, sed impulsu venti orientalis divinitus sunt adductae. Ipsa autem collectio tam subita praeter naturae ordinem haud dubie accidit. Neque enim si vento has partes mandavit Deus, inde protinus sequitur hoc esse usitatum. Scimus Eurum salubrem ac mitem esse ventum: quanquam Iudaeae respectu interdum procellosus est, non tamen probabile videtur, vel impetu eius vel contagioso flatu Aegyptum naturaliter opertam fuisse locustis. Sed fieri potest ut Deus repentino turbine ingentem locustarum copiam impellens, propinquae cladis signum dederit Aegyptiis, quo manifestius esset non aliunde quam ex Mosis praedictione eas esse exortas. Quod nullas unquam tales fuisse visas dicit, et tales in posterum unquam fore negat, non adversatur sententiae Ioelis 1, 4: qui etiam affirmat tale exemplum nunquam exstitisse ut residuum erucae comederet locusta, residuum locustae comederet bruchus, et residuum bruchi comederet hasil. Neque enim illic de una tantum poena disserit, sed de varia et multiplici continuatione.

16. *Tunc festinavit Pharao.* Festinatio haec ex trepidatione et metu, quia ad extrema usque ventum erat, nec moram patiebatur mali atrocitas. Hoc igitur ardore anxietatem suam prodit Pharao, ubi ad Mosen, quem nuper expulerat, revocandum non modo sponte inclinat, sed celeriter rapitur. Quae subiicitur confessio tametsi ex duplici vel fallaci corde manavit, non fuit tamen prorsus ficta. Neque enim dubitandum est quin (ut sibi male conscius erat Pharao) Deus vocem hanc perculso et flagellis coacto extorserit: Peccavi. Tenenda enim est distinctio, quam ante posui inter hypocritas, quibus mentiri et fallere propositum est, vel

qui scientes et volentes hominibus illudunt, et eos qui sibi ipsis blanditias faciunt, et sic exhorrent Dei iudicium ut interior cordis recessus malitiam et impietatem foveat. Huius secundae notae hypocrita fuit Pharao, qui tametsi ex professo noluit vel Deo vel Mosi illudere, quia tamen se ipsum non excussit, non sincere peccatum suum confessus est. Atque id diligenter notandum est, ne quis fucatae poenitentiae indormiat, ac si Deum placaret temporalis metus, vel coacta humilitas. Quod se in Deum et Israelitas peccasse dicit, ita resolvi debet, fuisse in Deum rebellem, quia iniuste afflixerit populum quem ille in curam fidemque suam receperat. Etsi enim non erat a prophetis edoctus, tenebat tamen principium illud: quia Deus claris et insignibus miraculis ostenderat populum illum sub tutela et protectione sua esse, iniqua et tyrannica illius oppressione factam esse iniuriam patrono et custodi. Bis ergo se reum fatetur, quod in populum fuerit crudelis, et Deum impie contempserit. Hoc verae resispiscentiae fuisset testimonium si ex puro ingenuoque affectu fluxisset. Nam peccator, sponte se damnando: Dei iudicio occurrit. Humilitas etiam in ea parte non mediocris apparet, dum suppliciter veniam precatur a Mose. Rarae enim virtutis fuit, potentissimum regem se ita submittere homini obscuro et contempto, quod saepe gregarios facere pudet. Sed quia cor occulta pravitate adhuc erat implicitum fraudulenter signa pro re ipsa ostentat. Quare non immerito David (Psal. 32, 2), ubi beatum praedicat hominem cui remissa sunt peccata et cuius tectae sunt iniquitates, simul exclamat: In cuius spiritu non est dolus. Itaque ut Deo, cuius proprium est corda scrutari, probemus nostram poenitentiam, discamus serio et penitus nos examinare, ne qua intus hypocrisis lateat. Quod addit: Tantummodo hac vice, ad testandam recti animi constantiam pertinet: ac si ante se perfidum fuisse agnoscens, promitteret se bona fide posthac obtemperaturum Deo. Unde colligimus, reprobos non ideo subinde reverti ad suos mores et ingenium quod vim et naturam verae conversionis ignorent, sed quia spiritu rectitudinis vacui, cor habent flexuosum et contortum. Porro sibi mortem praesentem auferri duntaxat cupiens, videtur integram cum Deo reconciliationem non admodum curare: sicuti impiis mos est odium vel favorem Dei non morari, sed manum duntaxat exhorrescere. Ergo de culpa securus, tantum optat poenam a se procul abigi.

18. *Et egressus est.* Diximus cur sanctus Propheta orandi causa a rege discesserit: quia scilicet indignus erat coram quo sacrum Dei nomen invocaretur. Itaque precationem Moses pro eo non concepit quod putaret ex animo conversum, sed ut viam Deo patefaceret ad reliquos conflictus. Equidem si data sancto viro fuisset optio, non dubito pro singulari mansuetudine sic fuisse animatum ut libenter consuleret tyranni saluti, sed quia de perdita eius obstinatione oraculum audierat, solum ad illustrandam Dei potentiam intentus fuit. Nec vero dubium est singulari spiritus instinctu ipsum orasse, donec factus est certior de ultimo actu. Et eventus demonstrat non temere in aërem iactas fuisse preces: quia statim purgata fuit terra locustis. De vento occidentali idem tenendum quod de contrario nuper diximus. Neque enim exigui temporis flatus ad tantam colluviem profligandam sufficere poterat, sed Deus visibili symbolo testatum fecit se in utramque partem exoratum fuisse servi sui votis, atque hac de causa sedatam esse cladem. Maris rubri nomine sinum Arabicum notari satis notum est. Hebraeis סוף vocatur, vel a iuncis et carectis quibus abundat vel a turbinibus, quia utroque sensu nomen hoc capitur in scripturis, quod si latine vertere placeat, dicendum erit algosum et iunceum mare vel turbinosum. Caeterum quia in tam furiosa pertinacia incredibile portentum fuit, diserte exprimitur cor eius a Deo fuisse obduratum, ut discamus ad horribile illud iudicium expavescere, dum impii scilicet spiritu vertiginis correpti, Deum, cuius nomen eos exanimat, magis ac magis lacessere non dubitant.

21. *Tunc dixit Iehova ad Mosen: Extende manum tuam in coelum, ut sint tenebrae super terram Aegypti, et palpet tenebras* [1]. 22. *Et extendit Moses manum suam in coelum: et fuerunt tenebrae caliginosae in tota terra Aegypti tribus diebus.* 23. *Non videbat alter alterum, neque surrexerunt quisque e loco suo tribus diebus: at omnibus filiis Israel erat lux in habitaculis suis.* 24. *Tunc accersivit Pharao Mosen, et dixit: Ite, servite Iehovae, tantum pecus vestrum et armentum vestrum remanebit: etiam parvuli vestri ibunt vobiscum.* 25. *Dixitque Moses: Tu quoque dabis in manu nostra sacrificia et holocausta, ut faciamus Iehovae Deo nostro.* 26. *Insuper pecudes nostrae ibunt nobiscum, non remanebit ungula: quia ex eo accipiemus ad colendum Iehovam Deum nostrum: nos autem nescimus quo colemus Iehovam, donec pervenerimus illuc.* 27. *Et roboravit Iehova cor Pharaonis, neque voluit dimittere illos.* 28. *Et dixit Pharao: Recede a me, cave tibi ne amplius videas faciem meam, qua enim die videbis faciem meam, morieris.* 29. *Respondit Moses: Rectum dixisti, non videbo ultra faciem tuam.*

21. *Tunc dixit Iehova.* Hic denunciatione omissa poenam Deus infligit: quia fallaciter dicto se audientem fore promiserat. Ergo quum tam

1) *In margine:* Vel, et palpentur tenebrae.

sceleste abusus esset Dei clementia, novo malo repente corripi oportuit, ut in tenebris sentiret Dei ultoris manum, quam contempserat. Nec sane minis territus fuisset: sicuti mox patebit, quum admonitus fuit de morte primogeniti sui, et simili totius regionis strage tam in hominibus quam in bestiis, non fuisse commotum, sed secure Deum provocasse ac si nihil audisset. Nihil igitur mirum si terram prius obruit tenebris Deus quam Pharao tale quidquam suspicari queat. In fine versus verbum ימש quidam passive exponunt: quasi diceret tenebras fore palpabiles, nam nomen חשך singulare est apud Hebraeos. Qui transitive accipiunt, quia volunt indefinite esse positum, subaudiunt nomen, hoc sensu, ut quivis palpet. Atqui si transitiva significatio placeat, melius ad Pharaonem referetur. Libenter tamen eorum sententiae subscribo, qui tenebras ita densas fore scribunt ut manibus palpentur.

22. *Et extendit Moses.* His tenebris Deus non solum exprobrare voluit Pharaoni mentis caecitatem, sed modis omnibus convincere quam vesano furore resisteret. Nullum cunctis mortalibus a summis usque ad infimos magis commune bonum quam lucis, quo vulgus ignobile et contemptissimi quique non minus quam summi reges fruuntur. Solis igitur radiis illustrari totum orbem, Aegyptios vero, quamvis oculatos, iacere in tenebris demersos, horribile Dei iudicium fuit. Quid ergo illis dementius, dum sua duritie cum tam formidolosa Dei manu confligere non desinunt. Aquae in sanguinem conversae potum illis negaverant, ranae et alia insecta oppleverant totam regionem, inter pediculos fere contabuerant, pustulis exarserant eorum membra, grando partem annonae abstulerat: plus deinde vastitatis attulerant locustae. Talibus exemplis montes et saxa metu aliquo tangi decebat. Haec igitur admonitio valde opportuna fuit, tenebras diffundi per totam Aegyptum, ut scirent Deo infesto in se coelestes quoque exercitus esse armatos. Ac ne obscura vel ambigua esset Dei ultio, non potuit causa caliginis in eclipsin aliquam conferri, tum ob densitatem tum ob temporis spatium. Haec enim duo a Mose diserte notantur, quo certius constet solem Aegyptiis fuisse obscurum, qui Dei gloriam impio contemptu exstinguere conati fuerant. Ex opposito magna Israelitis alacritas accedere debuit, quum in splendore solari agnoscerent paternum Dei vultum erga se fulgere. Perinde enim suo favore tunc eos irradiavit, ac si liberum egressum monstraret. Ac poterat quidem attonitis hostibus statim illos educere: sed voluit alio modo parare illis exitum, ut videbimus.

23. *Tunc accersivit Pharao Mosen.* Hoc ictu graviter expavefactum fuisse colligimus: quod ultro (sicut antea) homines sibi tam molestos et tam atrocium calamitatum autores ad se rursum vocat, ut de exitu paciscatur. Quaeritur tamen, si nemo per triduum e suo loco surrexit, qui potuerit Pharao Mosen et Aharon accersere. Si respondeamus, caligine iam discussa missos fuisse nuncios, in promptu erit exceptio: non videri probabile, ex quo laxatus erat poenae rigor, indomabilem belluam fuisse tam facilem. Vidimus enim hactenus, quoties manum suam retraxit Deus, superbum illum tyrannum abiecto metu ad suam ferociam rediisse. Equidem existimo, quum adhuc eum urgeret necessitas, et ab aeterna caligine sibi metueret, de placando Mose cepisse consilium. Quum autem hic narratur iacuisse omnes suo loco, hyperbolice positum esse interpretor: ac si dictum esset cessasse ab omnibus officiis quae lucem requirunt. Quamvis autem nox opera exsequi non permittat, quibus interdiu se exercent homines, non tamen ita constrictos tenet quin se moveant. Quanquam hyperbole nihil habet absurdum vel durum, sic obrutos fuisse tenebris Aegyptios ut in sua quisque statione quasi defixus maneret, nec se mutuo conspicerent: quia in obscuritate tridui solitis eos actionibus perfungi Deus vetuit. Porro etsi plus aliquid largiri paratus est Pharao quam ante, nondum tamen finem tergiversandi facit. Parvulos exire patitur modo remaneant pecora: sive quia sperabat egestatis periculo populum facile posse retrahi: sive ut talibus spoliis ditatus leviorem saltem iacturam faceret. Nam de hominibus ipsis valde fuisse anxium liquet, quod aegerrime concedit ut suis opibus nudati sacrificandi causa exeant: quod non adeo moleste tulisset si tantum inhiasset praedae. Caeterum docet rursum hic locus, impios cedere Deo tantum ex parte, ut interea obluctari non desinant: qualiter scelerati, dum obtorto collo eos trahit carnifex, sequi coguntur, neque tamen ideo magis sunt obsequentes. Iam et illud notandum, captandis effugiis solertes esse impios, dum manu Dei torquentur, et quasi multiplici flexu huc et illuc versare consilia et mentes, ut sinceritatem fugitent. Ubi dicit, etiam parvuli vestri exibunt, hac amplificandi particula speciem liberalitatis ostentans, Mosen et Aharon blande demulcet: quasi diceret se iam illis demum concedere quod praecipue expetere visi fuerant.

25. *Dixitque Moses.* Omnes exceptiones non minus severe Moses repudiat quam si pro imperio exigeret a rege quod Deus iussit. Et certe hoc tam austero et praeciso loquendi genere fiduciae specimen edidit, quo impii tyranni fastum et audaciam deiiceret. Praetexit quidem opus esse victimis, et hoc modo maiorem invidiam declinat: sed interea libere pactiones omnes excludens, ac ne minimum quidem pilum relinquens in regis arbitrio, potestatem asserit uni Deo in solidum, ut sciat Pharao nihil se cavillis proficere. Haec quidem loquutio:

Non relinquetur ungula, acrem obiurgationem cum acerbitate et despectu continet: ac si data opera pungeret virulentum tyranni animum. Diximus autem antea, nullam fuisse simulationem in his verbis. Etsi enim sciebat sanctus vir longius spectare Dei consilium, satis tamen habuit praescripta sibi mandata deferre: nec vero fas esset Deum obstringere hac lege ut impios omnium suorum operum semper conscios faciat.

27. *Et roboravit Iehova cor Pharaonis.* Probabilis hinc coniectura elicitur, adventu Mosis aliquid lucis emicuisse, ut minus densa esset caligo: quia nunquam ausus fuisset Pharao sine fiducia impunitatis tam superbe se iactare: sed quod initio simulavit a Mose hic praetermissum est: unde pendet horrilis poenae mitigatio, quae illum ad deprecationem compulerat. Quamvis autem adhuc trepidet, obdurescit tamen, et se potius ad extrema quaeque comparat, quam Deo simpliciter obtemperet. Hic quoque suo more Deum indurationis autorem Moses fuisse asserit: non quod pervicaciam indiderit cordi alioqui ad docilitatem et obedientiam propenso: sed quia reprobum hominem et exitio suo sponte devotum Satanae mancipaverit, ut maiore subinde pertinacia in suam impietatem rueret. Caeterum quum toties hoc verbo usus fuerit Moses, miror qua fronte sophistae quidam, permissionis nomen substituendo, claram adeo sententiam frivolo cavillo eludere sibi permittant.

28. *Et dixit illi Pharao.* Haec excandescentiae impotentia in rebus tam afflictis, documento est quam violento impetu grassetur Satan in praecipitandis impiis, ubi coniecti sunt in sensum reprobum. Nota quidem sunt regum imperia, et a veteribus poetis notata: Animadverte, et dicto pare. Item, moriere si te secundo lumine hic offendero. Nec dubium est quin usitata intemperie Pharao nunc quoque ad saevas et atroces minas prosiliat. Verum, nisi vertiginis spiritu agitaretur non tam audacter insurgeret contra Dei servum, quem expertus fuerat insuperabili virtute praeditum: adeoque sub ipsius Dei auspiciis, summo imperio in omnibus elementis dominari. Hinc etiam colligimus, non humanitate, vel modestia, vel tolerantia retentum ante fuisse quominus saeviret in Mosen: quia florente adhuc regni statu ferventior fuisset eius iracundia: sed arcano fraeno cohibitum fuisse. Responso autem suo Moses ostendit quam pro nihilo duceret spumas illas. Ultro enim insultat, ac se amplius in eius conspectum venturum negans, indignum esse significat cuius gratia diutius laboret. Caeterum videmus impium regem, dum suo furore rapitur, vaticinatum esse praeter animi sententiam: quia in eius caput retorsit Deus quod ipse alteri minitabatur. Quanquam simul tenendum est, ex Dei mandato, non autem temere Mosen sic loquutum: quia nisi certo fuisset edoctus adesse ultimum actum, semper in procinctu stetisset ad exsequendas suas partes. Sed ex contextu mox patebit, in hac etiam voce certum fuisse Dei praeconem.

CAPUT XI.

1. *Dixerat autem Iehova ad Mosen: Adhuc plagam unam adducam super Pharaonem, et super Aegyptum: postea dimittet vos hinc, dimittendo vos perfecte: expellendo expellet vos hinc.* 2. *Loquere nunc in auribus populi, ut petant quisque a proximo suo, et mulier a proxima sua vasa argentea et vasa aurea.* 3. *Et dabit Iehova gratiam populo in oculis Aegyptiorum. Etiam vir Moses magnus erat valde in terra Aegypti, in oculis servorum Pharaonis, et in oculis populi.* 4. *Et dixit Moses: Sic dicit Iehova, circiter dimidium noctis ego egrediar in medium Aegypti.* 5. *Morieturque omne primogenitum in terra Aegypti, a primogenito Pharaonis qui sedet super solium eius, usque ad primogenitum ancillae quae est post molam, et omne primogenitum iumenti.* 6. *Et erit clamor magnus in tota terra Aegypti, qualis nunquam fuit, nec futurus est.* 7. *Apud omnes autem filios Israel non movebit canis linguam suam, ab homine usque ad animal, ut sciatis quod distinctionem posuit Deus inter Aegyptios et inter Israel.* 8. *Descendentque omnes hi servi tui ad me, et adorabunt me, dicendo: Egredere tu et totus populus qui est sub pedibus tuis: postea egrediar. Et egressus est a Pharaone in ira vehementi.* 9 *Dixerat autem Iehova ad Mosen: Non audiet vos Pharao, ut multiplicem portenta mea in terra Aegypti.* 10. *Itaque Moses et Aharon fecerunt omnia haec portenta coram Pharaone. Et roboravit Iehova cor Pharaonis, ut non dimitteret filios Israel e terra sua.*

1. *Dixerat autem Iehova ad Mosen.* Recitat non proprio motu se ad illam quam nuper vidimus confidentiam elatum fuisse: sed quia divinitus praemonitus fuerat iam adesse finem certaminum, nec aliud restare nisi ut Pharao ultimo vulnere concideret. Cohaeret igitur hic versus cum proximo, et causae redditio est: quia non fuisset in arbitrio Mosis vocationis suae cursum abrumpere, nisi plane scivisset se pertigisse usque ad metam. Nec vero aliter quadraret quod postea sequetur, Mosen loquutum esse Pharaoni, ex quo denunciaverat se non amplius eius oculis appariturum: nisi continuo tenore productus esset sermo. Interponitur autem haec sententia per parenthesin: Quantumvis obstinatus sit Pharao, nunc tamen venisse horam qua Deo succumbat. Caeterum non modo pronun-

ciat Deus mutatum iri cor Pharaonis, ne populi exitum impediat, sed eius rei quam pertinaciter negaverat, ultro fore cupidum. Id enim sonant verba: Non modo vos dimittet, sed omnino expellet. Nam eorum praesentiam exhorrens sedulo e sua ditione abegit.

2. *Loquere nunc in auribus populi.* Iterat de spoliandis Aegyptiis mandatum, cuius tertio capite facta fuit mentio. Neque enim satis Deo fuit suos eripere a saeva tyrannide, sub qua vix spiritum misere trahebant in magna penuria et egestate, nisi eos opibus large ditaret: ac si ex hostibus subactis referrent praemium victoriae. Itaque ad singulare alioqui beneficium hic cumulus accessit, quod splendide ornati et pretiosa supellectile onusti abierunt. Quomodo autem Israelitis licuerit, sub praetextu commodato petendi, vasa aurea et argentea secum auferre, ante exposuimus. Una certe Dei autoritas a furti et doli mali crimine eos absolvit. In Dei autem iussu quidquam carpere vel reprehendere, nemini mortalium fas erit: non modo quia supra omnes leges est eius imperium, sed quia eius voluntas perfectissima est legum omnium norma. Neque enim ideo a lege immunis est Deus quod eum delectet effraenis potestas: sed quia in perfectione tantae iustitiae nulla lege opus est. Etsi autem excusatio quam afferunt nonnulli, rationis colore non prorsus caret, durissimos labores quos tyrannice exegerant Aegyptii aliqua mercede fuisse dignos, et ideo iure Deum suis permisisse ut compensationem exigerent, qua iniuste alioqui essent fraudati: ad has tamen argutias confugere necesse non est: quia sufficere debet principium illud quod alibi posuimus, Deum in cuius manu sunt fines terrae, pro suo arbitrio dissipare et evertere regna, et mutare gentium ditiones, nedum privatas divitias et suppellectilem ita partiri ut alios locupletet, alios ad inopiam redigat. Divos et pauper (inquit Solomo, Prov. 22, 2), mutuo sibi occurrunt: utrumque Deus creavit. Quibus verbis significat, in diversa permixtione pauperum et divitum regnare Dei providentiam. Quod si furtum ablatio est rei alienae, quae Deo placuit ad suos transferre, aliena censeri non debent. Quod si iure belli victoribus licet spolia ex hostibus colligere, cur minus licuisse Deo putabimus in Aegyptios, quos decem insignibus praeliis vicerat, antequam ad deditionem cogeret? Iam de praetextu commodato petendi facilis est responsio. Neque enim mentitae sunt Israeliticae feminae, vasa in usum sacrificandi rogando: quoniam sic praeceperat Deus, in cuius potestate fuit illa deinde in alios usus destinare. Et tamen pars sanctuario dicata fuit, ut alibi videbimus. Nam praeter altare, thuribulum et candelabrum, aliaque vasa eius generis, singulae tribus phialas et pateras magni pretii obtulerunt. Meminerimus tamen singulare exemplum hic narrari, cuius absque speciali Dei mandato, perversa imitatio esset.

3. *Et dabit Iehova gratiam.* Quia nunquam sperassent Israelitae tam faciles erga se et benignos fore Aegyptios, quorum prius rapinis exinaniti fuerant, pronunciat Moses huc et illuc a Deo flecti hominum corda. Nam sicuti testatur Psalmus 105, 25, impulsos fuisse Aegyptios a Deo in odium populi, ut viam magnificae liberationi pararet: ita rursum potuit in contrariam partem inclinare, ut comiter porrigerent quae prius aspere negassent, non sine minis et verberibus. Doctrina apprime cognitu utilis, quia ubi duriter in nos saeviunt homines, ad tolerantiam nos erudit, dum scimus libidinem improbrorum non ita grassari quin per ipsos Deus peccata nostra castiget, nosque exerceat, vel humiliet. Eadem quoque non parvo solatio mitigat dolores nostros, et ad Deum invocandum opportune nos sollicitat, ut a feritate et saevitia hostium nostrorum animos ad humanitatem convertat. Hoc piis omnibus semper fuisse persuasum, ex pluribus locis constat. Atque ex communi more haud dubie ille sermo Iacob ad filios: Dabit vobis Deus gratiam in oculis viri illius (Gen. 43, 14). Sed quia talibus testimoniis referta est scriptura, unum illud citasse sufficiat. Caeterum non semper Deus spiritu regenerationis ad mansuetudinem format homines, ut ex lupis agni reddantur: sed interdum nescientes occulto instinctu ad breve tempus emollit: sicuti de Aegyptiis hic legimus. In secundo membro versus, ubi dicitur: Etiam vir ille Moses, etc., notatur inferior et sub alterna causa, quae tam ad flectendos Aegyptios valuit quam ad Israelitas animandos, ut reverenter utrique illius dictis morem gererent. Etsi enim sola Dei virtute tota haec res gubernata fuit, non tamen simpliciter egit per se ipsum: sed quia Mosen elegerat ministrum, aliquas ei partes attribuit. Hinc veneratio quae tam Aegyptios quam Israelitas reddidit obsequentes, ne vanus esset eius labor. De sola quidem gente Aegyptiaca loquitur: (postquam enim posuit terram ipsam, subnectit duas partes, servos Pharaonis, hoc est proceres et aulicos, deinde vulgus promiscuum, (sic enim interpretor populi nomen praesenti loco) sed paulo post videbimus, apud Israelitas quoque profuisse miracula, ut libentius crederent et parerent. Docet autem hic locus, saepe in honore et pretio esse Dei servos, ubi tamen fides non habetur eorum doctrinae. Quamvis enim Mosen revereantur et magnifaciant Aegyptii, non ideo ad studium pietatis inclinant. Ita et Deum ipsum particulari affectu saepe metuunt impii, neque tamen se eius imperio addicunt.

5. *Et dixit Moses: Sic dicit Iehova.* Dixi nuper non ante digressum fuisse Mosen a Pharaone donec ultimae cladis nuncium pertulisset. Haec igitur denunciatio cum superiore sermone uno tractu contexta

fuit. Unde apparet quam intrepide exceperit Moses tyranni minas dum ultro occurrit, et absentis se victorem proxima nocte fore gloriatur caede primogeniti filii. Nec dubium est quin terrore obstupefactus fuerit Pharao, ut tam aspere repulsus salvum dimiserit prophetam. Certe ut acerbissimum doloris vulnus inflixit tam libera comminatio ita furiosi tyranni crudelitatem accendere potuit nisi idem Deus qui servum sum instruxerat admirabili constantia, impetum saevae bestiae fregisset. Caeterum cur Deus poenam de filiis exigens, patres, quorum gravior erat culpa, in aliud tempus distulerit: cur etiam vindictam exercens in bruta animalia pepercerit hominibus, nostrum non est curiosius disputare: quia Deo, cuius incomprehensibilis sapientia sensus omnes humanos absorbet, praescribere nefas est quem in iudiciis suis tenere debeat modum. Certe pueros et bestias ad supplicium trahendo, palam repraesentavit scelestis potentiae suae contemptoribus quid ipsi essent meriti. In primo gradu poenae statuitur Pharaonis primogenitus, qui futurus erat regni successor: deinde adiungitur tota plebs ignobilis. Nam ancillae quae molas trusatiles versabant infimum tenebant locum et contemptissimum: sicuti apparet non solum ex veteribus poetis, sed ipsius scripturae testimonio 1. Sam. 8, 16. Si quibus placeat analogia inter hanc plagam et iniustam tyrannidem, qua filium Dei primogenitum afflixerant Aegyptii, non repugno. Rursus autem inter Aegyptios et populum suum discernit Deus, ubi in maximo illorum tumultu hunc quietum et tranquillum fore asserit. Huc enim pertinet figura, Non movebit canis linguam suam: quia minimos quosque nocturnos motus solent excipere canes suo latratu. Porro etsi non semper apparet talis discretio inter fideles et incredulos, quin potius utrosque simul pares involvunt poenae, ipso tamen exitu longa distantia separat Deus alios ab aliis. Itaque haec felicitas excidere nobis nunquam potest, quod scimus miserias quaslibet nobis in salutem cedere, quos semel beneplacito suo complexus est.

8. *Descendentque omnes hi servi.* Hactenus verba Dei retulit Moses, nunc in persona sua loqui incipit ac denunciat, iussu Pharaonis venturos ex aula nuncios, qui ultro et suppliciter postulent quod negabat ille de exitu. Haec tanta verborum asperitas non leviter sauciavit tyranni animum. Tantundem enim fuit ac si dixisset, hactenus tibi frustra supplicavi ut populum Dei abire sineres, nunc, velis nolis, libere exibo, neque tamen nisi abs te et tuis rogatus. Summi enim beneficii loco duces quod nunc tibi est intolerabile. Quod deinde narrat, se exisse in excandescentia irae, vel ira vehementi, hinc colligimus Dei servos etiam quum probe et fideliter officium suum exercent, scelerum indignitate sic offendi ut minime vacui sint iracundiae affectu. Nec vero dubium est quin spiritus impulsu ita efferbuerit Moses. Verum, ut natura sumus nimium praecipites ad impetuosos affectus, diligenter cavendum est ne indignatio modum excedat. Zelum hunc cuius fit mentio, accendit spiritus in corde Mosis, sed simul moderatus est, ne qua admixta esset passio turbulenta. Quoniam vero fieri potest ac saepe contingit ut fideles, dum feruntur pio zelo, non satis tamen sibi temperent nec se contineant intra fines, petendus est a Deo mansuetudinis et rectitudinis spiritus, qui omnes excessus fraenet. Documento tamen est ira Mosis: Deum nolle nos segniter aut frigide exsequi quas mandat partes: ideoque nihil magis praeposterum Cynicis quibusdam, qui dum iocose et per lusum philosophantur de pietatis doctrina, et suis ludibriis protervisque dicteriis pungunt servos Dei, eorum vehementiam derident quae summam potius laudem meretur.

9. *Dixerat autem Iehova ad Mosen.* Videtur esse causae redditio cur tantopere exarserit Moses, nempe quia praemonitus fuerat negotium sibi esse cum homine perdito ac desperato. Ergo ubi post tot conflictus videt tyranni audacia et furore sperni Dei imperium, in ultima dimicatione erumpit gravior indignatio: praesertim quia ante oculos versatur monstrum illud detestabile, tantum audere vas fictile et testaceum ut indomita pervicacia Deum lacessat. Finem vero tam durae obstinationis praedixerat Deus Mosi (quemadmodum ante vidimus) ne toties repulsam passus, unquam fatisceret. Poterat enim alioqui obrepere non levis tentatio, cur Deo placeret cum homine mortali frustra confligere. Et absurdum erat non posse coelesti virtute vel domari, vel frangi humani cordis duritiem. Pronunciat itaque Deus se hoc modo consulere gloriae suae quam illustrare velit pluribus miraculis. Ideo proximo versu rursum subiicit, roboratum ab ipso Deo fuisse cor Pharaonis: quo significat, nonnisi Deo sciente et volente tanta pervicacia restitisse tyrannum quo magis esset admirabilis liberatio.

EX CAP. XII EXODI.

21. *Vocavit ergo Moses omnes seniores Israel, et dixit ad eos: Extrahite et tollite vobis pecudem pro familiis vestris, et mactate Pesah.* 22. *Accipietis quoque fasciculum hyssopi, et intingetis in sanguine qui erit in pelvi, et proiicietis in superliminare et in utrumque postem de sanguine qui erit in vase. Vos autem non egrediemini quisque ex hostio domus suae usque mane.* 23. *Et transibit Iehova ad percutiendam Aegyptum: ubi autem viderit sanguinem in*

superliminari et in duobus postibus, tunc transiliet Iehova ianuam illam, neque permittet vastatorem ingredi domos vestras ad percutiendum. 24. *Et observabitis sermonem hunc in edictum, tibi et filiis tuis usque in saeculum.* 25. *Et quum ingressi fueritis terram quam dabit Iehova vobis, sicut pollicitus est, tunc observabitis cultum hunc.* 26. *Et erit quum dixerint vobis filii vestri: Quis est cultus hic vester?* 27. *Tunc dicetis, haec est oblatio Pesah Iehovae, qui transivit domos filiorum Israel in Aegypto, quum percuteret Aegyptum, et domos nostras liberavit. Et incurvavit se populus, et adoravit.* 28. *Abierunt itaque et fecerunt filii Israel sicut praeceperat Iehova Mosi et Aharoni, sic,* inquam, *fecerunt.*

Quae ab initio capitis hucusque retulit Moses, quia spectabant ad perpetuam legis doctrinam, nunc omisi: postea inseram suo loco. Etsi autem hic quoque de paschatis observatione Deus praecipit, contexere tamen in historia visum fuit: quia non simpliciter hic docet Moses · quid Deus saeculis omnibus a populo suo servari velit, sed quid semel exegerit narrat. Monendi enim sunt lectores, quaedam temporalia esse praecepta, quaedam vero perpetua, quorum eadem est cum lege ratio. Cuius rei dilucidum et familiare exemplum in hoc capite perspicere licet. Hactenus enim exposuit Moses quae legitima esset quotannis per omnes aetates paschatis observatio: nunc vero historice tantum commemorat, nocte qua egressus est populus, populum celebrasse pascha ex Dei mandato. Itaque leviter perstringam quae hic secundo locò repetuntur: quia commodior plenae explicationis locus erit ubi ventum fuerit ad legis doctrinam. Vox ipsa פסח transitum significat, non populi, (ut falso multi putarunt) sed Dei ipsius, qui domos Israelitarum immunes praeteriit, quum primogenita occideret in tota Aegypto. Quia ergo ira Dei quae tunc instar diluvii operuit totam Aegyptum, Israelitas reliquit intactos, memoriale transitus sui instituit quo salvi et incolumes steterant in publica totius regionis clade. Transiisse quidem etiam per Aegyptios dicitur, quos primogenitis orbavit: sed diverso modo, quia electis suis pepercit, ac si procul remoti essent, vel tutis latebris protecti.

21. *Et vocavit Moses seniores.* Dirigitur peculiariter sermo ad seniores, quem deinde in vulgus proferant. Neque enim simul exaudiri poterat in tanta multitudine. Quamvis autem foeda esset populi dissipatio sub dira illa tyrannide, voluit tamen Deus aliquas ordinis reliquias manere, nec passus est omni gubernatione destitui quos sibi adoptaverat. Valuit etiam haec ratio ad fovendam unitatem, ne electum Abrahae semen difflueret. Hic autem tantum disserit Moses de sanguinis aspersione: quia de esu agni iam concionatus fuerat. Iubet ergo fasciculos hyssopi intingi sanguine qui vase exceptus fuerit, et ita cuiusquo superius limen et ambos postes aspergi. Quo signo testatus est Deus se a communi interitu eripere populum, quia sanguinis nota discerneretur ab impiis. Nam Israelitas commonefieri oportuit, primum sacrificii expiatione se eximi a plaga, et domos suas servari intactas: deinde ita sibi sacrificium prodesse si eius insigne conspicuum apud ipsos exstaret. Alibi videmus agnum paschalem typum fuisse Christi, qui morte sua patrem nobis placavit, ne pereamus cum reliquo mundo. Sed iam olim voluit sub lege veteribus testatum facere, se non aliter illis esse propitium. Minime vero dubium est quin visibili hoc symbolo mentes eorum extulerit ad verum et coeleste exemplar, quod a legalibus caeremoniis separare absurdum esset ac nefas. Quid enim magis puerile quam sanguinem pecudis opponere adversus Dei manum, vel inde petere salutis materiam? Ostendit ergo Deus non alio quam sacrificii respectu Israelitis parcere. Unde sequitur, sub hoc ritu propositam illis fuisse Christi mortem, quae sola discrimen statuebat inter ipsos et Aegyptios. Verum simul docuit nullum ex fuso sanguine sperandum esse fructum absque aspersione. Non quod externa et visibilis aspersio quidquam utilitatis afferat, sed quia familiari ritu utile fuit rudes quasi in rem praesentem adduci, ut spiritualiter implendum esse sciant quod subiicitur eorum oculis. Sanguine Christi animas nostras per spiritum aspergi, ex Petro notum est (1. Pet. 1, 2). Huius rei proposita fuit imago in fasciculo hyssopi: quae herba eximia vi purgandi pollet, ideoque et aliis sacrificiis adhibita fuit, ut postea suis locis videbimus.

23. *Et transibit Iehova.* Vetat nocte egredi, ne se permisceant Aegyptiis, sed quieti deliteant sub sanguine. Quo signo admoniti fuerunt se quoque expositos esse exitio, nisi sanguine protecti ab incredulis se disiungerent. Postea additur promissio, modo se contineant sub custodia sanguinis transiturum angelum ne quid noxae infligat: quia Deus aedes ita signatas pro suis agnoscet. Quo iterum repetitur illud, eos demum salvos fore sanguinis beneficio, qui eo se aspergere non neglexerint: quia sola fides salutem hostiae mactatione partam nobis confert. Vastator hic indubie vocatur angelus, quem Deus affligendae Aegypto praefecerat. Etsi autem saepe per malos angelos exsequitur sua iudicia, colligitur tamen ex aliis locis hunc fuisse unum ex electis, qui et idem sub Christo capite liberationis populi minister fuit.

25. *Quum ingressi fueritis terram.* Nunc adiungit ritum fore annuum, ne unquam intercidat tam singularis gratiae memoria. Sed quoniam mandatum datur de continua sabbathi observatione, eius explicationem in alium locum magis opportunum differo.

Nisi quod in transcursu notandum est, signo annecti beneficii praedicationem: quia alioqui frigida et insulsa fuisset actio. Patres ergo vult Deus praecones esse apud filios, ut redemptionis cognitio per manus tradita in omnes aetates vigeat. Nomen עבד perperam quidam interpretati sunt opus, quia potius sumitur pro cultu: sicuti plurimis locis Deo servire tantundem valeat atque ipsum colere. Et nos gallice, quidquid ad pietatis exercitia pertinet servitium Dei vocamus. Tandem subiicit Moses, populum solenni adoratione professum esse fidem et obedientiam. Hoc quidem iam a principio fecerant, sed parum constanter: quia rebus adversis turbati ab officio desciverant. Nunc ergo corrigunt illam ingratitudinis culpam. Ideo non tantum capitis gestu declarant, sed re ipsa comprobant serium suum affectum. Diserte enim exprimitur, sedulo fecisse quidquid mandatum erat.

29. *Et factum est in medio noctis ut percuteret Iehova omne primogenitum in terra Aegypti, a primogenito Pharaonis sedente super solium eius, ad primogenitum captivi qui erat in carcere: et omne primogenitum bestiae.* 30. *Surrexit ergo Pharao nocte, ipse et omnes servi eius, et omnes Aegyptii: fuitque clamor magnus in Aegypto, quoniam nulla erat domus ubi non esset mortuus.* 31. *Vocavitque Mosen et Aharon nocte, et ait: Surgite, et exite e medio populi mei tam vos quam filii Israel: ite et servite Iehovae secundum sermonem vestrum.* 32. *Etiam greges vestros, etiam armenta vestra accipite, sicuti dixistis: et ite, ac benedicite etiam mihi.* 33. *Et vehementer instabant Aegyptii erga populum ut festinanter eos emitterent e terra: quia dicebant: Omnes sumus mortui.* 34. *Tulit ergo populus conspersionem suam antequam fermentaretur, cibos suos ligatos in vestibus super humerum suum.* 35. *Fecerunt autem filii Israel secundum sermonem Mosis, ut postularent ab Aegyptiis vasa argentea, et vasa aurea, et vestes.* 36. *Et dedit Iehova gratiam populo in oculis Aegyptiorum, et commodaverunt eis: itaque spoliaverunt Aegyptios.* 37. *Profectique sunt filii Israel e Ramesses in Sucoth circiter sexcenta millia peditum et* quidem *virorum, praeter parvulos.* 38. *Atque etiam mixtio multa ascendit cum eis, et pecudes et boves, pecus copiosum valde.* 39. *Et coxerunt conspersionem quam extulerant ex Aegypto, placentas infermentatas, quia non erat fermentatum, eo quod eiecti fuissent ex Aegypto, nec potuissent morari, ideoque cibum non paraverant sibi.*

29. *Et factum est in medio noctis.* Ne obscura sit in hoc miraculo Dei manus tam in servando populo, quam in exercenda contra Aegyptios vindicta, eius virtutem multis circumstantiis illustrat Moses. Nam et media nocte stragem editam fuisse narrat: quod tempus a Deo fuerat praefixum. Deinde addit, primogenitos omnes fuisse percussos, a filio regis usque ad filium servi qui erat in carcere. Nam proverbiali figura contemptissimos sic vocat, quum prius dixisset: Usque ad filium ancillae quae molam versat in pistrino. Fieri enim aliter quam singulari miraculo non potuit ut singulas domos sine exceptione haec clades afficeret eadem hora, praesertim quum ad pecora usque grassata sit. Tertio commemorat, uno momento expergefactos fuisse omnes Aegyptios, et manifeste convictos esse ut scirent Deum Israelis sibi esse infestum. Quarto, Pharaonem suppliciter rogasse ut Moses celeriter populum educeret: imo etiam importune coegisse. Nec tamen claris adeo et solidis documentis cohibita fuit quorundam improbitas et petulantia quin suis mendaciis hoc memorabile Dei opus obruere conati sint. Satis superque notae sunt calumniae quas refutat Iosephus contra Appionem grammaticum: et apparet ex Iustino, passim receptas fuisse. Nec vero mirum est diabolum quibuscunque potuit artificiis incubuisse ut varias fabulas miscendo, ex animis hominum deleret ecclesiae redemptionem. Sed in hoc quoque enituit admirabile Dei consilium, quod futilitas harum nugarum, quamvis nemo coarguat, per se evanescit. Forte non fuit profanis scriptoribus propositum mentiri, quum frivolas ineptias de Iudaeis retulerunt. Voluit enim haud dubie Strabo veram de origine circumcisionis historiam tradere, quum stulte fabulatus est et sine colore. Nec vero Cornelius Tacitus, quamvis maligno et virulento animo scriberet, pudorem suum data opera prostituit. Sed quum Satanae impulsu obscurarent Dei gloriam, caecitate et amentia percussi sunt, ut a pueris quoque deprehendi queat ridicula ipsorum vanitas: ex qua tamen elicere quasdam veritatis scintillas licet: quia passus non est Deum tam memorabile opus suum prorsus exstingui, cuius praecones fuerunt caeci illi, quorum opera ad suffocandam eius memoriam usus est diabolus.

31. *Vocavitque Mosen.* Non est probabilis servos Dei fuisse accersitos ut rursus venirent in regis conspectum: sed ex praedictione Mosis petendus est huius loci sensus. Vocasse igitur dicitur Pharao quos, missis aulicis proceribus, ad discessum compulit. Quod etiam contextus satis probat: quia paulo post subiicitur, violenter coactos fuisse Israelitas ab Aegyptiis ad subitum discessum. Quamvis ergo Mosen nunquam viderit Pharao, ex quo malum minatus fuerat si rursus ad se veniret, nihil tamen absurdi si dicitur ad se vocasse, dum pro imperio suos proceres ad eum ablegavit. Caeterum hominis anxii et trepidi perturbatio ad vivum exprimitur his verbis: Surgite, egredimini, etiam vos, etiam filii vestri, ite, colite Iehovam: etiam pecora vestra, etiam boves vestros accipite, sicut loquuti estis. Neque enim minus attente cavet ne quid remorae

sua cunctatione ingerat: quam ante solers fuerat ad licitandum. Dum ergo festinanter abscindit omnes exceptiones, hinc se prodit hominis mutatio, quia ferreum pectus idem Deus qui antea obduraverat, nunc confregit. Hinc etiam clamor ille desperationis index: Omnes sumus mortui: hinc facilitas in danda ultro suppellectile, ut spoliis ornent quos ante expilaverant. Neque enim frustra repetit, a coelesti instinctu manasse hunc favorem: quia nunquam tanta in praedonibus fuisset liberalitas ut ultro proferrent quidquid erat domi pretiosum, et filiis Israel porrigerent iam ad profectionem accinctis, quos sciebant ob tot iniurias iure sibi esse infestos. Ut autem ita propensi essent filii Israel ad parendum, qui prius vel tardi, vel inconstantes, vel morosi, vel praefracti fuerant, spiritus directione factum est, quae momento corda eorum flexit: ut optime novit Deus omnes opportune agendi articulos.

37. *Profectique sunt.* Quanquam latius fuisse dispersos credibile est, quum regio illa tantam multitudinem capere non posset, praesertim quum simul habitarent Aegyptii: quia tamen superstes manebat promissionis memoria, unde spes aliqua redemptionis semper apud eos residua erat, non mirum est si cum magno incommodo angustiis constringi maluerint quam alias sedes quaerendo descedere a corpore. Proprium quidem hoc fuisse gentis domicilium etiam ex superioribus patet, ubi narravit Moses ad serviles operas fuisse coactos, ut exstruerent illic urbes munitas, quae scilicet eos includerent quasi sub custodia. In numere hominum quem recenset, incredibile gratiae Dei miraculum commendat in augenda et propaganda sobole. Ita refutatur impiorum protervia, qui sibi ad subsannandi materiam sufficere putant, non potuisse naturaliter tam exiguo tempore ingentem populum emergere ex una domo. Itaque plenis buccis sacrilegos suos risus evomunt. Quasi vero simpliciter narret Moses quid contigerit, ac non potius singularem Dei potentiam extollat in augenda repente ecclesia. Atqui scimus non magis difficile fuisse totius mundi opifici in una gente multiplicanda superare naturae ordinem, quam a primo exordio ex viro uno et muliere repente producere multos populos: deinde post diluvium miris incrementis reparare humanum genus. Iam haec peculiaris ecclesiae conditio est, ut in ea gignenda et servanda insolitam virtutem Deus exserat, ut a communi hominum ratione separetur. Etsi enim peregrinatur in terra, coelestis tamen quodammodo eius natura est, ut clarius in ea refulgeat opus Dei. Itaque nihil mirum si praeter usitatum morem quasi ex nihilo emergat, si crescat eodem modo, et continuos faciat progressus. Tale etiam exemplar nobis pingit Paulus 4. ad Rom. capite in Abrahae persona. Sicuti vero stuporem suum in scelesta audacia produnt impii Dei contemptores, qui ex suo sensu et communi ratione aestimant hoc Dei opus: ita rursum ineptiunt qui student philosophicis rationibus Mosen defendere, cuius longe diversum fuit consilium, nempe ut doceret non fuisse promissiones irritas: Multiplicabo semen tuum instar arenae maris et stellarum coeli (Gen. 15, 5): quarum effectus humano captu superior erat.

38. *Atque etiam mistio multa.* Quamvis multos servos possederit Abraham, vix tamen probabile est Iacob aliam in fame aluisse familiam quam proprios liberos: quibus etiam alendis vix sufficere poterat, ne omnes conficeret inedia. Certe quum Moses in Aegyptum venisse narrans, servorum non meminit, coniicere licet non magnam traxisse turbam: quia necessitas cogebat saltem paucis contentum esse. Unde colligetur promiscuum vulgus quod se Israelitis adiunxit, vel oriundum fuisse ex Aegypto, vel illuc habitandi causa migrasse ex vicinis regionibus. Sicuti fertiles terrae copiae dulcedine multos advenas ad se alliciunt. Idem nomen legitur Nehemiae 13. ubi dicitur segregatam fuisse profanam multitudinem a genuinis Israelitis, ne promiscue eundem omnes gradum sibi arrogarent, atque ita confuso delectu ecclesia pollueretur. Si cui autem absurdum videtur, profanos homines nulla spe meliore proposita, sponte deseruisse commodam et opimam habitationem, ut vagi et palantes novas sedes quaererent, cogitet tot cladibus tunc afflictam fuisse Aegyptum ut sua deformitate et inopia suos accolas facile abigere potuerit. Magna pars pecoris interierat, fruges omnes erant corruptae, agri vastati, et prope deserti: non mirum igitur si multos inquilinos et aliquos etiam ex indigenis desperatio in fugam compulerit. Fieri etiam potest ut inhumaniter tractati, patefacta ad libertatem via, iugum tyrannidis excusserint. Etsi autem Deus facilem exitum populo suo dedit, non tamen exire voluit prorsus absque omni molestia. Neque enim saturi vel laute coenati discedunt, sed coguntur in sacculis incoctas subactae farinae massas ferre, ut panem ustulatum vel sub prunis tostum in itinere comedant. Quo exemplo docemur, beneficia Dei quibusdam incommodis semper aspergi, ne piorum animos nimiae delitiae corrumpant.

40. ***Habitatio autem filiorum Israel, qua habitaverunt in Aegypto, triginta fuerunt anni et quadringenti anni.*** **41.** ***Factumque est a fine triginta et quadringentorum annorum, ipsa eadem die egressi sunt omnes exercitus Iehovae e terra Aegypti.*** **42.** ***Nox observabilis*** [1]) ***haec est Iehovae, qua eduxit eos e terra Aegypti: nox*** **inquam** ***haec observanda est Iehovae apud omnes filios Israel per aetates suas.***

---

1) *In margine:* Hebr. observantiarum vel custodiarum.

VERSUS 50 ET 51 CAPITIS XII.

50. *Et fecerunt omnes filii Israel sicuti praeceperat Iehova Mosi et Aaron, sic fecerunt.* 51. *Et factum est ut ipsa eadem die educeret Iehova filios Israel e terra Aegypti per exercitus suos.*

40. *Habitatio autem filiorum Israel.* Initium huius temporis non sumitur a descensu Iacob, quia ex aliis locis clare patet, ex quo Iacob Aegyptum ingressus est, usque ad exitum, non fluxisse ad summum ultra annos ducentos et triginta. Hebraei communiter tantum decem recensent: sed Moses tempus etiam illud comprehendit quo Abraham et eius filii possessione terrae promissae caruerunt. Sensus est igitur, ex quo terrae Chanaan haereditas Abrahae data fuerat, suspensam fuisse promissionem annis quadringentis, antequam iure suo fruerentur eius posteri. Nam et Paulus hunc nodum ita expedit 4. ad Galatas capite: ubi dicit, antequam lex promulgaretur, Deum annis 400 et 30 foedus suum pepigisse cum Abraham. Ergo temporis initium sumit Moses a peregrinatione Abrahae, quum tamen dominus esset terrae Chanaan iusto donationis titulo. Quod autem Genes. 15. capite omittit Deus triginta annos, in eo nihil est repugnantiae: quia iam pluribus ante annis promissa fuerat Abrahae terra, in qua tamen vix peregrinari licebat, tantum abest ut eius imperium teneret. Admonet igitur Deus, restare adhuc quadringentos annos, antequam eius abnepotes in possessionem mittat: ideoque non sufficere ad probationem patientiae eius exiguum illud tempus quod transegerat: sed tam ipsi quam posteris opus esse singulari constantia, ne longioris morae taedio deficeret. Porro quod exacte annos non numerat, a communi loquendi usu non dissidet. Restabant quidem plures anni quam quadringenti, nempe viginti, vel circiter: sed quia non aliud Deo propositum est quam suos hortari ad tolerantiam, non supputat vel definit tempus ad certum annorum numerum: quia satis erat quadringentos annos in summa illis proponi. Eodem sensu additur proximo versu: A fine triginta et quadringentorum annorum, nempe ex quo coeperat Abraham legitimus esse terrae dominus. Docere enim vult Moses, quantumvis longe tempore distulerit promissionis suae effectum Deus, tamen eius veritatem et constantiam certo probari, non modo quia fideliter praestiterit quod pollicitus fuerat, sed quia tempus praefixum servaverit. Honorifico autem elogio populum, licet imbellem, appellat Dei exercitus, tam ut vim benedictionis in ipsa multiplicatione iterum commendet, quam ut suis insignibus ornet Dei gratiam in regenda et ordinanda illa turba. Quamvis ad obsequium assuefacti sint milites, ac usu didicerint ordines servare, adsint praefecti, tribuni, centuriones, denique emineant vexilla, tamen difficillimum est exercitum viginti aut triginta millium noctu educere, composito agmine, et sine tumultu: quantum igitur miraculum fuit, sexcenta virorum millia, cum mulieribus, pueris, magna supellectile, armentis et gregibus pecudum, aliisque impedimentis, noctu pergere per medios hostes, et omnes ad unum usque salvos egredi? Eadem ratione ultimo huius capitis versu repetit Moses, filios Israel Dei manu fuisse eductos per suos exercitus: quasi diceret, in illa ingenti multitudine nihil fuisse confusum: quia Deus mirifica sua virtute optimi ducis partes implebat.

42. *Nox observabilis.* Docet merito fieri ut Israelitae solenni ritu per continuas aetates quotannis sacrificent Deo, ac celebrent memoriam noctis illius: ideoque institutum pascha ut suam gratitudinem testentur. Fuit autem perquam utilis haec admonitio, ut Israelitae legitimum solennis et festi diei usum tenerent: ne frigeret apud eos caeremonia, ut plerumque fieri solet: quin potius utiliter et cum pietatis profectu se exercerent in redemptionis suae symbolo. Simul tam inaestimabile beneficium non uno tantum saeculo celebrandum esse docet, vel duobus aut tribus saeculis: sed quamdiu superstes erit populus, aeterna recordatione dignum esse, et, ne unquam obsolescat, sancte colendum esse pascha. Porro notandum est aetates veteris populi Christi adventu finitas esse: quia renovato ecclesiae statu, et exteris gentibus in idem corpus collectis, cessarunt legis umbrae.

50. *Et fecerunt omnes filii.* Refertur hoc praecipue ad mactationem agni paschalis cum suis appendicibus. Quanquam non infitior alia etiam notari quae ad subitam profectionem spectabant. Porro non tam laudatur eorum promptitudo et alacritas, quam admirabilis Dei virtus in formandis cordibus ipsorum, manibusque gubernandis, ut in noctis caligine, inter maximos strepitus, in praecipiti festinatione, nulla re satis parata, tam dextri essent et agiles. Interim tamen ex populi obsequio colligit Moses nihil gestum esse nisi Dei imperio et ductu. Unde certius liquet ipsum fuisse unicum liberationis autorem.

EX CAP. XIII.

17. *Factum est autem quum emitteret Pharao populum, ut non duceret eos Deus per viam terrae Philisthim, quia propinqua erat. Nam dixit Deus: Ne forte poeniteat populum quum viderint praelium et revertantur in Aegyptum.* 18. *Circumduxit ergo Deus populum per viam deserti, per mare rubrum: et dispositi ascenderunt filii Israel e terra Aegypti.* 19. *Et tulit Moses ossa Ioseph secum. Adiurando enim*

adiuraverat filios Israel, dicendo: Visitando visitabit vos Deus, et tolletis ossa mea hinc vobiscum. 20. *Itaque profecti sunt e Suchoth, et castrametati sunt in Etham, in extremitate deserti.* 21. *Iehova autem praecedebat eos interdiu in columna nubis, ut deduceret eos per viam: noctu vero in columna ignis, ut luceret eis, ut ambularent die et noctu.* 22. *Non abstulit columnam nubis interdiu, neque columnam ignis noctu a facie populi.*

17. *Factum est autem quum emitteret.* Hic Moses causam assignat cur Deus non rectioris viae compendio populum statim adduxerit in terram Chanaan, quod ei perinde facile erat: sed per desertum, itinere longo, difficili et aspero circumducere maluerit, ne scilicet viae facilitas eorum animos retraheret in Aegyptum, si forte cum hostibus pugnandum foret. Scimus quanta fuerit populi illius inertia et mollities, simul ac obiectum erat aliquod discrimen: quanta levitate subinde a Dei imperio desciverint, quoties plus oneris impositum erat quam vellent. Scimus quam saepe eos poenituerit quod Deum sequuti essent ducem: atque ita sua ingratitudine oblatam sibi gratiam abiicere parati fuerint. Quum ergo nullo pollerent armorum usu, sed prorsus expertes essent militaris scientiae, quibus animis congressi fuissent cum hostibus, si qui paucis diebus post exitum obviam prodiissent? Certe nunquam congressum unum sustinuissent: quin potius Aegyptiis se addicere parati fuissent, petita suppliciter venia. Ergo ne qua redeundi cupiditas eorum cordibus obreperet, voluit Deus asperitate viae claustra illis opponere post tergum. Adde quod, si ex Aegypto egressi mox incolas terrae Chanaan bello aggressi essent, difficilior instabat moles: quia minime cessassent Aegyptii, sed adiuti tot populorum subsidiis et copiis, ulcisci se tentassent, pactisque hinc inde foederibus, illaqueati fuissent miseri Israelitae. Optime ergo illis consuluit Deus, quod per invia eos trahens, longa fatigatione ianuam illis clausit, ne unquam appeterent in Aegyptum redire: deinde paulatim fiduciam illis addidit antequam ad pugnam ventum esset, ac subeundi hostium impetus. Poterat quidem Deus his etiam omnibus malis aliter occurrere, fateor: sed quia humanitus saepe cum suis agere solet, rationem sequi voluit quae populi infirmitati esset commodior. Hoc admirabile eius consilium nunc commendat Moses, ut sciamus nihil ab eo praetermissum quod esset ex salute vel utilitate populi. Nam istud Dicere Dei, cuius meminit, ad providentiam refertur: quasi diceret transitum faciliorem et magis tritum non temere fuisse posthabitum, sed consulto obviam itum fuisse tentationi, quia Deus sic expedire noverat.

18. *Et dispositi ascenderunt.* Vox חמשים a quinque deducitur: unde quidam commenti sunt quinque armorum generibus fuisse instructos: sed nimis absurde. Hebraei, quia nihil melius vel probabilius excogitare poterant, uno fere consensu volunt intelligi armatos fuisse sub quinta costa. Sed unde Israelitis in promptu tot loricae militares? Ego vero repudiato tam coacto et remoto sensu, non dubito numerale esse nomen: ac si dixisset Moses, quinos disposita serie fuisse profectos: quia si quisque in turba perrumpere tentasset, quisque fratribus fuisset obstaculo. Ideo vertere placuit dispositos. Quod de quinta generatione imaginati sunt Graeci, a praesenti narratione longe alienum est. In sensu autem quem attuli, nihil obscurum, vel dubium: quia facile apparet Dei gratiam hac quoque parte celebrari, quod populum suum ordinate duxerit. Nam etsi tumultuarie egressi sunt ac trepide, Deus tamen quasi sub vexillo vel manipulis eos continuit, ne qua accideret perturbatio.

19. *Et tulit Moses ossa Ioseph secum.* Hinc apparet, in rebus adversis populi nunquam tamen excidisse memoriam promissae redemptionis. Nisi enim communi omnium sermone celebris fuisset obtestatio Ioseph, nihil de ea coniicere poterat Moses. Atqui diserte exprimit, mandato sancti patriarchae se morem gessisse in asportandis eius ossibus. Probabile igitur est sic fuisse recondita, ut tamen capsulae vel urnae aspectu spes populi quotidie renovaretur, ac si sanctus vir post mortem suam e sepulcro liberationis signum proferret. Quamvis enim hoc symbolo fidem suam in corde aluerit, quum voluit etiam mortuus terrae possessionem adire, non dubium tamen est quin magis respexerit fratres suos et totam posteritatem sancti generis. Nam expertus eorum segnitiem et imbecillas fidei vires, merito timebat ne longiore temporis tractu magis ac magis flaccescerent, ac tandem promissione contempta, totos se darent ad torporem. Et certe haec diffidentia eum compulit ut simplici praecepto non contentus, iureiurando obstringeret eorum animos. Reliquos etiam undecim filios Iacob videtur Stephanus Actorum 7. asserere sepultos fuisse pariter in Sichem, et coniectura verisimilis est, exemplo fratris sui Ioseph inductos fuisse ad piam aemulationem. Certe in aridis ossibus fides mortui Ioseph sonore ad posteros concionata est de liberatione promissa, ne diuturno taedio languescerent: et quum educti tandem sunt Israelitae, duodecim Patriarcharum ossa vel cineres totidem fuerunt quasi vexilliferi, qui singulas tribus ad erigendam fiduciam praeirent. Quo magis detestabilis fuit totius populi socordia, qui toties in itinere turpiter terga vertit, quum in conspectu esset tam insignis fiduciae materia. Quae Moses refert eius verba: Visitando visitabit vos, etc. dictum illud apostoli (Heb. 11, 22) confirmant, morientem fide mandasse de ossibus suis transferendis: quia, ut gentem suam hortetur ad

amplexandam promissionem, quasi sponsoris suscipit personam et munus. Ab hoc usu quantum discrepet stulta papistarum in colendis sanctorum reliquiis superstitio, hinc facile colligitur quod data opera ansas captant quibus longissime abstrahantur a Dei verbo.

21. *Praecedebat eos Iehova.* Hic alteram Dei gratiam praedicat Moses, quod Deus populo redempto perpetuus fuerit dux ac praeses. Sicut etiam propheta in Psalmo utrumque distincte commemorat (Ps. 77, 16. et 78, 14). Ac mirae humanitatis fuit, quod illorum ruditati se accommodans, familiariter versatus sit ante eorum oculos. Poterat quidem alio modo eos ab aestu solis protegere, et dirigere inter noctis tenebras: sed quo manifestior esset eius potentia, ocularem eius praesentiam simul addere voluit, quae dubitationem omnem eximeret. Etsi autem videntur Mosis verba Deum quodammodo in nube includere, notanda nobis sacramentalis loquendi ratio, qua Deus nomen suum ad visibiles figuras transfert: non ut illis affigat suam essentiam, vel immensitatem circumscribat, sed tantum ut doceat praesentiae suae signa non fallaciter se ingerere hominum oculis, quin simul vere coniuncta sit rei signatae exhibitio. Quamvis ergo tradat Moses Deum in nube fuisse et columna ignis, non vult tamen e coelo ipsum elicere, neque immensam eius gloriam subiicere visibilibus signis, quibus constat sua veritas absque locali praesentia. Exsecrabile vero Serveti delirium, qui nubem hanc increatam fuisse finxit, ac si esset Christi deitas. Nam pro tribus personis hanc unam substituit, quod corporea tunc fuerit deitas, quam vocat Filium figurativum, qui postea factus est caro: non quod carnem induerit, sed quia homo apparuerit ex tribus elementis increatis et semine Davidis conflatus. Caeterum paulo post Moses eundem angelum vocabit, cui nunc adscribit aeterni Dei nomen. Et merito: quia nonnisi per manum unigeniti filii sui tunc Israelitas duxit coelestis pater. Iam quum aeternus sit ecclesiae custos, non minus praesenti virtute hodie nobis vere adest Christus quam olim patribus conspicuus fuit. Itaque ubi de eius adventu vaticinatur Isaias, 4, 5 hanc Dei benedictionem inter alias enumerat, quod Iehova creabit super totam habitationem montis Sion, et super omnem coetum eius, nubem et obscuritatem interdiu, noctu vero splendorem ignis flammantis, ut sit obumbratio per diem in umbram ab aestu, in refugium a nimbo et imbre: ac si diceret, solide impletum iri quod tunc sub umbratili symbolo conspectum fuit. Et certe non unius diei, sed omnium aetatum est illa promissio: Per diem sol non uret te, neque luna per noctem (Psal. 121, 6). Quod ergo dicit Moses, nunquam abiisse columnam nubis per diem, nec columnam ignis per noctem, idem Dei beneficium nobis commune est, excepto duntaxat oculari symbolo quod temporale fuit, prout ferebat populi infirmitas. Quod autem dicit illis Deum semper apparuisse, ut tam diu quam noctu iter facerent, non intelligit absque ulla quiete assidue progressos, quum iam paulo ante dixerat primam illis stationem fuisse in Suchoth, deinde castrametatos in Etham: sed docet simpliciter continuum fuisse gratiae Dei tenorem, ut non minus inter noctis tenebras fulgeret favoris eius ac protectionis signum quam in ipsa meridie.

CAPUT XIV.

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo,* 2. *Loquere ad filios Israel, ut redeant, et maneant e regione Pihahiroth inter Migdol et inter mare, e regione Baalsephon, contra ipsum castrametentur iuxta mare.* 3. *Dicet enim Pharao de filiis Israel: Irretiti sunt in terra: conclusit illos desertum.* 4. *Et roborabo cor Pharaonis, ut persequatur eos: et glorificabor in Pharaone, et in universo exercitu eius: scientque Aegyptii quod ego Iehova. Et fecerunt sic.* 5. *Nunciatum est autem regi Aegypti quod fugisset populus: Et versum est cor Pharaonis et servorum eius in populum, et dixerunt: Cur hoc fecimus ut dimitteremus Israel, ne serviret nobis:* 6. *Et aptato curru suo populum assumpsit secum.* 7. *Tulit itaque sexcentos currus electos, omnes currus Aegypti, et duces super quemque illorum.* 8. *Et roboravit Iehova cor Pharaonis regis Aegypti, et persequutus est filios Israel. Filii autem Israel egressi erant in manu excelsa.* 9. *Et persequuti sunt Aegyptii illos, apprehenderuntque eos quum castra haberent iuxta mare, omnis equitatus curruum Pharaonis, et equites eius, et exercitus eius, iuxta Pihahiroth, e regione Baalsephon.*

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen.* Iam Deus omnes exitus claudendo, ne qua elabi possent Israelitae, viam admirabili suae potentiae aperuit: et obiecta unius momenti desperatione, in longum tempus prospexit ecclesiae suae saluti. Haec igitur ultima actio maxime illustravit Dei gratiam, ut populus, quantumvis ingratus et malignus, Deum tamen agnosceret suum liberatorem: deinde factum est non modo attritis opibus Aegypti, sed gente prope deleta, saltem exstincto flore, ut nihil inde molestiae illatum sit populo, donec in terra Chanaan stabilitus esset. Si rege quieto et cessantibus Aegyptiis libere et pacate egressi essent, non satis valuissent priora miracula ad testandam redemptionem: sed ubi inter angustias undique constricti nihil praeter mortem cernunt, repente autem ex insperato mare dat illis transitum, et hostes eorum a tergo instantes absorbet, fateri coguntur, non

tantum ex sepulcro, sed e profundissimis abyssis manu Dei se fuisse erutos. Apparet autem, quum a Mose iussi sunt se coniicere et quasi ingurgitare in angustias quarum fit mentio, fuisse miraculis attonitos, et somniantibus similes, quandoquidem absque difficultate paruerunt: quum tamen horrorem incuteret ipsa loci facies. Neque enim si discrimen apprehendissent, tam prompta fuisset ad parendum alacritas, ut mox videbimus. Quare non tam ipsos laudare, quam Dei providentiam, Mosi propositum fuit. Apparet tamen, nisi ob visa tot miracula fere ecstatici fuissent, vix potuisse adduci ut se ultro impingerent in speluncas unde nullus erat exitus. Ex voce מגדל coniicere licet arcem rupi fuisse impositam ad prohibendos accessus. Quid sibi velit חחירת mihi non satis constat: nec video cur Graeci transtulerint Os vallis. Et oris tamen nomine probabilis coniectura elicitur iter fuisse pylis constrictum. Quia חור speluncam significat vel foramen, nescio an locus ille nomen inde sortitus sit, quasi os foraminum vel speluncarum. Nam literam ו in י converti usitatum est, et generis enallage in plurali numero Hebraeis trita est. Nisi cui forte magis probetur, quum scriptum esset החירות literam ח in locum ה obrepsisse propter affinitatem. Quod si recipitur, positum erit femininum genus pro masculino. Ita esset Os montium. Verum ut etymologia secundi nominis nos lateat, ex nomine oris certo conficitur speluncam fuisse rupibus inclusam et angusti ingressus. Quanquam, si in re dubia iudicium proferre licet, potius existimo a verbo חרת deductum esse: quod sculpere significat, vel exarare: quia scilicet praecisae rupes erant, quasi malleo sculptae. A tergo autem cinctus erat locus mari, ac si iam Israelitae in sepulcrum coniecti forent.

3. *Dicet enim Pharao.* Hic consilium suum Mosi exponit Deus: quamvis toties cum Pharaone congressus retulerit insignes victorias, restare tamen ultimum actum, ut in mari ipsum demergat cum exercitu. Dicit igitur hac illecebra captum iri Pharaonem, ut in suum interitum ruat. Nam si populus celeri traiectu venisset in terram Chanaan, non tanta fuisset eius persequendi facultas. Deus ergo illustrandae gloriae suae causa, tyrannum inescavit, ut eum caperet, non secus ac solent hamo pisces. Vocem נבכים quae hic ponitur, alii perplexos reddunt, alii vero irretitos: sed commode etiam exponi potest, confusos esse in terra, quia nullum exitum reperient, nempe angustiis undique obseptos, et mari ab alia parte opposito. Atque, ubi de consilio Pharaonis loquitur, non sequitur (hominum more) quod verisimile est, sed ut proprium eius munus est corda scrutari, de abscondito tyranni affectu pronunciat, ut de re sibi bene perspecta. Postea longius progreditur. Neque enim tantum se praevidere significat quid futurum sit: sed iterum repetit quod ante aliquoties vidimus, cor Pharaonis se obduraturum, ut populum persequatur. Unde sequitur, ipsius arbitrio et ductu hoc totum fuisse gubernatum. Caeterum non soli Mosi privatim hoc testatus est, sed omnes mature praemonitos esse voluit, ne subito hostium adventu perculsi desperarent de salute. Quae tamen admonitio minus valuit quam decebat: quia paulo post deprehensi, non minus turbantur quam si Dei errore et Mosis inscitia venissent in discrimen.

5. *Nunciatum est autem regi.* Non simpliciter intelligit Moses, regem tunc primum audisse de fuga populi, quae minime occulta fuerat: sed narratas fuisse circumstantias, quae ad aliquid tentandum stimulos adderent. Ergo ubi audit populum trepide fugisse, existimat potuisse minimo obstaculo retineri. Nec solus ipse tanta amentia laborat, sed omnes aulici proceres desidiae suae imputant quod exierit populus. Quaerunt apud se cur passi sint filios Israel abire. Quasi vero non conati sint modis omnibus liberum discessum prohibere: quasi non devicta e coelo decies fuerit eorum pertinacia: quasi non tandem extorserit Deus populum suum ab invitis. Sed hic est impiorum stupor ut tantum exhorreant praesentem Dei manum, statim omnium quae viderunt obliviscantur. Attriti fuerant atrocibus et horrendis poenis: nunc tanquam integri disputant cur non ad extremum usque restiterint Deo, qui eos maxime reluctantes quiescere tandem coegit, postquam decies experti fuerant se frustra reniti. Sed tali superbia excaecari reprobos oportet, ut ferantur in suam perniciem, dum persuasi nihil sibi esse arduum, adversus Deum confligunt.

6. *Et aptato curru suo.* Paucis bellicum apparatum describit Moses, non tantum ut magnitudinem virtutis Dei commendet in liberando populo, sed etiam ut doceat quanto impetu et quam obstinata audacia se proiiciant impii, dum pravis et scelestis suis cupiditatibus morem gerunt. Nuper fere exanimes stupebant Aegyptii, et clamabant de se actum esse: vix dies unus praeteriit quum validum exercitum colligunt tanquam ex florente copia. Si quis excipiat sexcentos currus atque etiam longe plures, quantumvis instructos, fuisse tamen impares sexcentis hominum millibus domandis: respondeo, quum scirent certamen esse cum imbelli turba, cui etiam permixtae essent mulieres et pueri, hac opinione fretos, sperasse nullo negotio pessumdatum iri ingentem illum numerum: quia et prudentia et ordine careret. Nec vero spes eos fallebat, nisi obviam ivisset Deus. Sed eventu probatum fuit quam vere pronunciet Salomo (Prov. 21, 30), non esse sapientiam, neque prudentiam, neque consilium adversus Deum: et quam vere ecclesiae hostibus insultet Isaias 8, 9: Accingite vos, et confringemini: accingite vos, et confringemini: inite consilium, et

dissipabitur: proferte sermonem, et non fiet. Haec vero confidentia frustratur impios: quod dum effraeni impetu feruntur, non putant arcanum esse fraenum Deo ad coercendas eorum libidines.

8. *Filii autem Israel egressi erant.* Tacite perstringit Moses nimiam securitatem, quae abstulerat omnem metum et curam: unde et invocandi Dei studium apud eos frigebat, ut semper ignaviam et torporem generat securitas. Hinc factum est ut plus afferret pavoris tam magnum discrimen quod animis non praesumpserant. Sed ex altera parte amplificat Moses gratiam Dei, quod tam opportune, et in ipso (ut aiunt) articulo auxiliatus sit miseris Israelitis stulta laetitia exsultantibus. Repente enim deprehensi, ad primum hostium clamorem ultro alioqui concidissent. Monemur itaque hoc exemplo, dum tuti sumus Dei protectione, metuenda quae accidere possunt discrimina, non ut pavidis animis tumultuemur, sed ut modeste lateamus sub eius alis, neque inconsiderato gaudio efferamur. Proximo versu breviter narrat Moses quam formidabile spectaculum Israelitis obiectum fuerit, quum se viderent ab una parte mari conclusos, a lateribus fere absorptos faucibus pylarum, et simul instare exercitum Pharaonis. Cuius robur verbis amplificat, quo melius ex altera parte refulgeat opis divinitus oblatae gloria.

10. *Quumque applicuisset Pharao, levarunt filii Israel oculos suos, et ecce, Aegyptii iter faciebant post eos. Itaque timuerunt valde, et clamaverunt filii Israel ad Iehovam.* 11. *Et dixerunt ad Mosen: Numquid,* [1]) *quia non erant sepulchra in Aegypto, tulisti nos ut moreremur in deserto? Quare sic fecisti nobis, ut educeres nos ex Aegypto?* 12. *Nonne hoc est verbum quod diximus tibi in Aegypto, dicentes: Dimitte nos, ut serviamus Aegyptiis. Melius enim nobis erat servire Aegyptiis quam mori in deserto.* 13. *Et dixit Moses ad populum: Ne timueritis: state et videte salutem Iehovae quam hodie faciet vobis. Nam quos vidistis Aegyptios hodie, non estis visuri posthac in saeculum.* 14. *Iehova pugnabit pro vobis, et vos quiescetis.* 15. *Dixerat autem Iehova ad Mosen: Quid clamas ad me? Alloquere filios Israel ut proficiscantur.* 16. *Tu vero attolle baculum tuum, et extende manum tuam super mare, et scinde illud, et ingrediantur filii Israel per medium maris in arida.* 17. *Et ecce, ego roborabo cor Aegyptiorum, ut sequantur illos, glorificaborque in Pharaone, et in toto exercitu eius, in curribus eius, et in equitibus eius.* 18. *Et scient Aegyptii quod ego Iehova, quum glorificatus fuero in Pharaone, in quadrigis et in equitibus eius.*

10. *Quumque applicuisset Pharao.* Significat Moses ex re improvisa plus terroris fuisse illatum, quia nullus praevenit nuncius, ut vel pauxillum temporis daretur ad se expediendos. Iusta igitur vel fortissimis pectoribus fuit timendi causa, nisi modum excessissent. Sed bis peccarunt: quia et cum memoria beneficiorum Dei spes coelestis auxilii illis excussa fuit, et eo prolapsi sunt ingratitudinis, ut contra Deum et Mosen proterve insurgerent. Quanquam videntur duo contraria hic referri, quod et clamaverint ad Iehovam, et turbas concitaverint in eius ministrum. Sed colligere promptum est clamorem illum neque ex fide, neque ex serio vel rite composito affectu profectum fuisse sed confuso impetu fuisse extortum: sicuti naturae sensus cunctos mortales impellit, ut promiscue in rebus miseris vota sua ad Deum convertant: tametsi neque misericordiam eius amplectantur, neque recumbant in eius potentiam. Itaque David Psalmo 107. miseros omnes dicit ad Deum confugere quoties urget aliqua necessitas: quia, ut stupidissimi quique vel maxime profani magis reddantur inexcusabiles, Deus natura duce et arcano instinctu eos ad se adducit dum periclitantur. Neque tamen hoc modo suum Deo honorem tribuunt, quamvis linguae sonitu salutem ab eo postulent. Minime ergo mirum est si in extremam anxietatem redacti Israelitae preces et vota, interposito Dei nomine, conceperint: praesertim quum paulo ante suam illis gloriam patefecisset tot miraculis: et haberent semper in conspectu nubem, vel columnam igneam. Sed insani eorum strepitus contra Mosen claro documento fuerunt, temere velut ecstaticos prorupisse ad invocandum Dei nomen. Nam quod exponunt quidam interpretes, quosdam pie fuisse precatos, et alios ex turba improbe tumultuatos esse contra Mosen ratione caret: quia coniunctim haec duo recitantur, ut nequeant ad diversos homines transferri.

11. *Numquid quia non erant.* Hic rectior est sensus: quia duplex negatio pro una ponitur. Amara autem et mordax est obiurgatio: quia non contenti praeferre Aegypti sepulcra morti quam timebant, subsannationem miscent, quaerentes quid in mentem venerit Mosi ut eos traheret in solitudinem, ac si terra Aegypti non sufficeret ad ipsos sepeliendos. Atqui Deus palam et aperte se ducem esse exitus probaverat: deinde turpis socordiae fuit oblivisci nuper se mortuis fuisse similes, ac e sepulcro fuisse mirabiliter eductos. Longius etiam prorumpit eorum furor, quum audacter in memoriam revocant impias blasphemias, quae ipsis pudendae erant ac detestabiles. Cuius enim ingratitudinis fuerat reiicere oblatam liberationis gratiam, et Deo venienti ianuam claudere, ut in suis miseriis putrescerent? Huic quidem tantae pravitati ignoverat Deus: sed ipsorum erat assidue gemere, et verecundia quodammodo obrui, ut coram Dei iudicio aboleretur

1) *In margine:* Vel, An quia.

crimen illud. Nunc vero, quasi Deum et Mosen teneant obnoxios, petulanti iactantia exprobrant sibi non fuisse creditum, quum vellent malo prudenter occurrere. Unde docemur quorsum homines rapiat suus affectus, dum metu spem suffocantes, patienter non exspectant Dei auxilium.

13. *Et dixit Moses ad populum.* Quamvis pro sua mansuetudine eos ad bene sperandum comiter hortetur Moses, non est tamen probabile tacite ipsum tulisse scelestos illos clamores, quibus videbat Deum atrociter impeti. Functum igitur probi doctoris officio existimo, libere castigando petulantiam, quae minime erat tolerabilis. Deinde quum loquutus sit Dei spiritu verba praeeunte, dubium non est quin severe [1]) Deus ipse corripuerit illas blasphemias, ne eas indulgentia foveret. Sed Moses omissa reprehensione, tantum docet exsecrabili populi malitia superiorem fuisse Dei clementiam, ut solatio eorum dolorem leniret, perturbationemque sedaret. Porro timere vetans, et stare iubens ad videndam salutem Domini, his verbis significat, quamdiu mentes occupat timor, caecas et stupore confusas esse, ne Dei auxilium admittant. Verbo standi vult quietos manere: quasi diceret nihil opus esse, ut digitum quisquam moveat, quia Deus cessantes et otiosos solus servabit. Quod proximo versu confirmat: ubi promittit Deum, ipsis tacentibus, fore victorem. Neque enim illic ad tranquillitatem, meo iudicio, ipsos hortatur: sed intelligit in uno Deo satis fore praesidii ad vincendum, quantumvis torpeant velut exanimes. Iam vero Israelitae, dum servati Dei manu gratiam sibi collatam, quantum in se est, repudiant, nobis sunt exemplo, ut Deus ad perfectam salutem nos adducat, multas identidem salutes esse necessarias: quia nostra ingratitudine exinanimus quidquid contulit, et ita sponte nostra perimus, nisi nostram ignaviam corrigeret spiritus sui virtute.

15. *Dixerat autem Iehova.* Praeteritum plusquamperfectum vitandae ambiguitatis causa posui. Causa enim redditur cur tam fidenter populi dubitationem increpuerit Moses, ac pollicitus sit praesenti Dei auxilio fore incolumes et salvos. Nempe quia iam coelesti oraculo certior fuerat redditus, Deum velle populo suo opitulari, et in promptu habere novum servandi modum. Neque enim testis et praeco salutis esse poterat nisi accepta promissione. Itaque suam fiduciam a crimine temeritatis purgat: quia nihil protulit nisi quod ante audierat ex ore ipsius Dei. Haec verba: Quid clamas ad me? quidam interpretes ad totum populum extendunt, cuius personam sustinebat unus Moses, sed hoc nimis est coactum, et paulo ante admonui vota populi ad Deum minime fuisse directa. Itaque non dubito quin sanctus vir in plebis tumultu seorsum precatus sit. Quod pietatis officium non reprehenditur hoc loco: sed potius ostendit Deus eum operam non lusisse, nec frustra verba fudisse in aërem. Sensus ergo est, ne clamando te amplius fatiges, re ipsa senties te fuisse exauditum. Virgam igitur attollas qua scindas mare, ut per medium eius fundum siccis pedibus iter faciant filii Israel. Docet hic locus temere facere qui de particularibus Dei beneficiis, absque speciali testimonio, quidquam sibi vel aliis promittunt.

17. *Ego roborabo.* Iterum affirmat Deus, quo virtutem suam magis illustret, se obduraturum esse Aegyptios, ut se tanquam exitio devoti, proiiciant in medium mare. Quod certe nunquam facturi erant nisi arcano motu gubernasset eorum corda: quia eos non latebat singulari dono apertum fuisse transitum Israelitis, unde colligere poterant sibi cum elementis esse bellum. Itaque nunquam mare, quod armatum contra se videbant, ausi fuissent ingredi, nisi divinitus excaecati essent. Unde apparet quam frigidi sint speculatores qui nudam hic permissionem fingunt, ubi Deus potentiam suam vult esse conspicuam. Satis quidem fuisset, postquam in adversum littus traiecerant Israelitae, mari in suum locum reverso, prohiberi Aegyptios: sed voluit Deus geminato miraculo securitati gentis suae consulere in longum tempus. Quod etiam factum est: quia deleto totius regionis flore, Aegyptiis exercitum reficere non licuit: praesertim quum, exstincto ante primogenito, rex ipse demum periisset. Hac ratione dicitur scituros Aegyptios Deum Israelis esse Iehovam: quia in hoc ultimo actu experti sunt sibi prorsus ablatas esse vires ad rebellandum.

19. *Profectus est itaque angelus Dei qui praecedebat castra Israel: coepitque ire a tergo ipsorum, et columna nubis quae praecedebat eos, fuit illis a tergo.* 20. *Ac ingressus est inter castra Aegyptiorum et inter castra Israel. Et fuit nubes et caligo: et illuminavit noctem, nec appropinquavit alter alteri tota nocte.* 21. *Porro extendit Moses manum suam super mare: et Iehova fecit mare abire per ventum orientalem vehementem tota nocte: posuitque mare in siccitatem quia divisae erant aquae.* 22. *Tunc ingressi sunt filii Israel in medium maris in sicco et aquae illis erant quasi murus a dextra et sinistra eorum.* 23. *Et insequuti sunt Aegyptii, et venerunt post illos totus equitatus Pharaonis, currus eius, et equites ad medium maris.* 24. *Et factum est custodia matutina ut respiceret Iehova ad castra Aegyptiorum in columna ignis et nube: et turbavit castra Aegyptiorum.* 25. *Et abstulit rotas curruum eius, et violenter vexit eum. Unde dixit Aegyptius: Fugiam a facie Israel: quia Iehova pugnat pro eis contra Aegyptios.*

1) *Princeps:* secure.

19. *Profectus est.* Hic describitur quae subito contigit mutatio ad impediendum conflictum. Nam angelus qui praecedere solebat Israelitas monstrandae viae causa, in diversam partem se convertit, ut medius esset atque oppositus inter utraque castra: et quidem sub forma duplici, quia lucebat columna ignis apud Israelitas, quae tenebras noctis discuteret: Aegyptios autem tenebat velut captivos obscura caligo, ut longius penetrandi facultas non esset. Ita Deus tam ipsos prohibuit ab accessu, quam populo suo tota nocte facem praetulit ad continuum progressum. Porro qui ante vocatus est Iehova, hunc iam nomine angeli designat Moses: non tantum quia angeli, qui Deum repraesentant, eius nomen saepe mutuantur, sed quia dux ille populi, unigenitus erat Dei filius, qui postea in carne manifestatus fuit, sicuti ex Pauli autoritate docui (1. Corin. 10, 4). Notandum etiam quod huc et illuc migrasse dicitur, prout virtutis suae et auxilii signum ostendebat. Iam insigni documento apparet, gloriam Dei, sicut fideles illustrat, sic vicissim tenebras obducere incredulis. Ideoque mirum non est si hodie quoque reprobos excaecat evangelii claritas. Sed rogandus Deus ut nos reddat aspiciendae gloriae suae compotes.

21. *Porro extendit Moses.* Iam diximus nocte liberum fuisse ac commodum traiectum, quum fulgore suo partem illam repleret columna ignis. Et certe non poterat una hora vel duabus tanta multitudo in adversum littus evadere. A crepusculo igitur sub auroram usque Israelitae traducti sunt: mox Aegyptii, cognito discessu, ut carperent extremum agmen, sequi properarunt. Etsi autem nullo verborum ornatu ad celebrandum hoc miraculum utitur, nuda tamen narratio efficax esse debet: adeoque magis emphatica est quam ulli rhetorici colores et magnifica encomia ad animos permovendos. Quis enim, ut in summam admirationem rapiatur divinae virtutis, sonoras exclamationes desideret, ubi simpliciter et paucis verbis audit baculo Mosis scissum fuisse mare: spatium quod ad transitum populi sufficeret, fuisse siccum: praealtas aquarum moles hinc inde stetisse velut solidas rupes? Consulto igitur rem ipsam omni verborum splendore nudatam ante oculos explicuit: quanquam et paulo post in cantico pro sua dignitate celebrabitur, et passim apud prophetas et in psalmis splendidius extollitur. Hoc loco discamus, non secus ac si in rem praesentem nos adduceret Moses, oculos intendere ad conspectum inaestimabilis Dei potentiae, quae nulla verborum copia aut gravitate satis potest exprimi. Diligenter autem cavet Moses ne sibi plus arrogando quam par sit, Dei laudem obscuret. Ante iussus fuerat sublato baculo mare secare: nunc loquendi formam mutat, nempe Dei imperio aquas retrocessisse. Ita ministri gradu contentus, Deum solum (ut decebat) miraculi facit autorem. Etsi autem in Dei ipsius arbitrio erat nullo aëris motu aquas dispellere: ut tamen ostenderet sibi totam naturam parere, et nutu suo regi, ventum orientalem excitare placuit. Interea tenendum est, nullo quantumvis impetuoso flatu potuisse siccari mare, nisi supra naturae modum arcana vi spiritus sui operatus esset. Qua de re vide quod supra annotavi capite decimo, versu decimo tertio et decimo nono.

24. *Factum est custodia matutina.* Mane coepit angelus aspicere Aegyptios, non quod prius aspectum eius laterent: sed ut repentina submersione perderet quos visus fuerat, tanquam nube tectos, omittere. Ac primo quidem oculos aperuit, ut sero viderent quorsum eos proiecisset furoris sui impetus, deinde ut sentirent, non tantum cum hominibus, sed cum Deo se bellare: atque ita subita consternatione attoniti non possent mature refugere ad littus. Inde enim fuerunt deprehensi in medio mari, quod omnia apud eos turbaverat formido, dum reputarunt Deum sibi adversum esse. Videbant quidem nihil sibi fore tutius quam retrocedere, quia Deus pro Israele pugnabat: sed quia repleti erant tumultu, nulla progrediendi fuit ratio, quin potius, dum alii alios impediunt, omnes absorbuit mare.

26. *Et ait Iehova ad Mosen: Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquae super Aegyptium, super currus eius et equites eius.* 27. *Et extendit Moses manum suam super mare, et reversum est mare quum mane illuxisset, secundum vim suam: fugeruntque Aegyptii ad occursum eius. Et impulit Iehova Aegyptios in medium maris.* 28. *Et redeuntes aquae operuerunt quadrigas et equites in toto exercitu Pharaonis, qui ingressi erant post illos in mare: nec unus fuit ex ipsis residuus.* 29. *Filii autem Israel ambulaverunt in sicco per medium maris: et aquae erant illis quasi murus a dextra eorum et a sinistra eorum.* 30. *Liberavit ergo Iehova in die illa Israelem a manu Aegyptii. Et vidit Israel Aegyptium mortuum super littus maris.* 31. *Et vidit Israel potentiam magnam quam fecit Iehova contra Aegyptios. Et timuit populus Iehovam, et crediderunt Iehovae et Mosi servo eius.*

26. *Et ait Iehova ad Mosen.* Hic narrat Moses non minus in perdendis Aegyptiis mare paruisse Dei mandato quam dum nuper transitum populo dederat. Nam sublato baculo Mosis tam reversae sunt aquae in suum locum quam prius collectae in acervos. Iam Aegyptios poenituerat praecipitis suae amentiae, et statuerant, tanquam victi Dei potentia, relictis filiis Israel, domum redire: sed Deus, qui perdere eos volebat, in ipso articulo exitum clau-

sit. Iam vero ut sciremus conspicuum fuisse miraculum, circumstantiam temporis adscribit Moses. Dicit enim tunc ita illuxisse ut plena lux rem totam ostenderet spectantium oculis. Nocte quidem coacervatae fuerant aquae, sed columna ignis quae fulgebat apud Israelitas, illisque viam monstrabat, non patiebatur obscurum esse Dei beneficium. In Aegyptiis diversa fuit ratio: itaque interdiu perire oportuit, et ab ipso sole eorum interitum produci ante oculos. Hoc etiam ad testandam Dei potentiam facit, quod dum fugere conati sunt, Deus ipsos palam impulit, ac si data opera se submergerent.

28. *Et redeuntes aquae.* Hic quoque duobus versibus persequitur eandem sententiam Moses. Quam putide Manethon et similes de populi exitu fabulati sint, ex Iosepho et Eusebio liquet. Etsi autem per eorum mendacia conatus est Satan tenebras inducere sacrae historiae, tam fatua est tamen eorum vanitas ut refutatione non indigeat. Tempus ipsum quod observant, satis coarguit eorum inscitiam. Verum optime Deus nobis consuluit, qui servum suum Mosen liberationis ministrum, voluit eundem rei gestae esse testem et praeconem, et quidem apud eos qui oculis suis omnia inspexerant, et qui pro sua pervicacia, quum tam severus esset contra ipsos censor, nunquam passi essent falsum pro vero iactare. Quum ergo firma ei et indubia constet autoritas, tantum notemus eius consilium. Sicuti hoc loco breviter narrat ex ingenti Pharaonis exercitu non fuisse quenquam residuum, Israelitas autem omnes ad unum transiisse salvos sicco pede: baculo Mosis aquas naturam mutasse, ut solidae starent tanquam muri: eodem baculo fuisse rursus liquefactas, ut repente obruerent Aegyptios. Haec comparatio palam ostendit hoc inusitatum fuisse Dei opus. Nam quod de fluxu et refluxu sinus arabici nugati sunt quidam profani scriptores, per se concidit. Itaque ex superioribus merito tandem infert, Israelitas vidisse potentem manum Dei, quae illic se exseruerat.

31. *Et vidit Israel.* Postquam dixit Israelitas vidisse strata in littore cadavera, iam addit, in illo spectaculo apparuisse Dei manum, hoc est virtutem: quia cognitu difficile non erat irae et paterni amoris discrimen, quod tam mirabiliter servasset imbellem turbam et exercitum modis omnibus formidabilem maris gurgite absorptum perdidisset. Non abs re igitur Moses hic tandem concludit, conspicuam fuisse in liberatione populi coelestem potentiam. Postea addit, non sine fructu Israelitas vidisse Dei manum: quia eum timuerunt, ipsique crediderunt et Mosi servo eius. Timor hic pro reverentia capitur quae populum continuit in officio. Neque enim metu solum tacti sunt, sed etiam adducti ut se Deo, cuius bonitatem suaviter et iucunde experti fuerant, addicerent. Etsi autem non diuturna fuit haec pietas, saltem in maxima parte, credibile tamen est in paucis quibusdam radices egisse: quia semper residuum fuit aliquod semen, nec apud omnes penitus exstincta fuit beneficii memoria. Verbo Credendi praecipuam timoris partem notari existimo, ac expositive additum interpretor: ac si dictum esset, reveritos fuisse Deum: idque testatum fecisse, quia fide amplexi sint eius doctrinam, et Mosi obedienter se subiecerint. Hoc affectu passim omnes fuisse praeditos interpretor: quia cognitio manus Dei ad obsequium eos flexit, ut magis essent morigeri ac dociles, et ad sequendum Deum magis propensi. Sed hic ardor paulo post in maiori parte evanuit, ut solent praesenti tantum intuitu affici. Quanquam retineo quod nuper dixi, in exiguo aliquo numero viguisse Dei metum quem semel ex sensu gratiae eius conceperant. Interea discamus ex hoc loco, nunquam vere et rite coli Deum absque fide: quia incredulitas crassum eius contemptum prodit. Ac quantumvis iactent hypocritae se omnes species honorum in Deum congerere, gravissimam tamen contumeliam irrogant, fidem eius oraculis abrogando. Non abs re autem coniungitur Deo Moses qui electus fuerat minister ad regendum populum. Etsi enim claris signis se Dei maiestas proferebat, medius tamen erat Moses, ex cuius ore volebat Deus verba sua audiri. Ita non potuit despici sanctus vir, quin respueretur ipsius Dei autoritas. Utilis hinc colligitur doctrina, quoties Deus per homines verbum suum nobis proponit, non secus audiendos esse qui fideliter mandata eius perferunt, ac si palam ipse e coelo descenderet. Haec ministerii commendatio satis superque valere debet ad refutandam eorum vesaniam qui externam verbi praedicationem pro nihilo ducunt. Hoc ergo principium teneamus, non alios obedire Deo nisi qui prophetas ab eo missos recipiunt: quia nefas est separare quae ille coniunxit. Hoc idem clarius expressit Christus his verbis: qui vos audit, me audit: et qui vos reiicit, me reiicit (Mat. 10, 40). Caeterum quod papa cum foetido suo clero hoc ad se trahit, quasi audiendus sit ubi obtendit Dei nomen, plus quam insulsum est. Nam (ut multa quae in medium afferre liceret taceam) ante omnia necesse erit ut se Dei servum probet: a quo utinam non ita esset remotus. Neque enim alia ratione laudatur populi obedientia nisi quod Deo et coniunctim servo eius credidit.

CAPUT XV.

1. *Tunc cecinit Moses et filii Israel canticum hoc Iehovae, et dixerunt: Cantabo Iehovae, quoniam se*

magnifice extulit[1]): *equum et ascensorem eius proiecit in mare.* 2. *Fortitudo mea et canticum Deus, et fuit mihi in salutem. Hic Deus meus et decorabo eum: Deus patris mei, et extollam eum.* 3. *Iehova vir bellicosus: Iehova nomen eius.* 4. *Currus Pharaonis et exercitum eius proiecit in mare: et electi duces eius demersi sunt in mari Suph.* 5. *Abyssi operuerunt eos: descenderunt in profunda, quasi lapis.* 6. *Dextera tua Iehova excelluit fortitudine, dextera tua Iehova fregit inimicum.* 7. *Et in magnitudine magnificentiae tuae subvertisti insurgentes contra te. Misisti furorem, consumpsit eos quasi stipulam.* 8. *Et per flatum narium tuarum coacervatae sunt aquae, steterunt fluenta sicuti acervus: coagulatae sunt voragines in corde maris.* 9. *Dixerat hostis: Persequar, apprehendam, dividam spolia, implebitur illis anima mea, exseram gladium, perdet eos manus mea.* 10. *Flavisti vento tuo, operuit eos mare, demersi sunt quasi plumbum in aquis validis.*

1. *Tunc cecinit Moses.* Canticum hoc non tantum in testimonium suae gratitudinis adiecit Moses, sed etiam ad confirmationem historiae. Neque enim Israelitis dictavit quod canerent de re incognita, sed eos tanquam testes oculatos produxit in medium: ut scirent omnes aetates nihil hactenus fuisse scriptum quod non uno consensu palam declaraverint sexcenta virorum millia, et simul eorum uxores ac filiae. Praeivit ergo Moses pro officii sui ratione, sed populo succinente sequuta est approbatio omni exceptione maior. Quibus enim mentiti essent, quum alii aliis essent testes, ad nullos autem exteros perveniret carmen? Ac videtur fiduciam notare Moses hebraica repetitione, dicendo: Dixerunt. Ac eo plus fidei meretur confessio omnium ore edita, quia paulo post maior pars ad ingratitudinem prolapsa est. Unde colligitur nonnisi coactos Deo gloriam dedisse. Etsi autem Moses autor fuit cantici, non tamen in sua persona dicit cantabo: sed omnibus praescribit quid quisque seorsum pro sua virili agere debeat.

2. *Fortitudo.* Hac voce fatentur sibi in Deo satis validam fuisse munitionem: postea addunt, eius gratiam sibi iustam esse materiam laudis. Summa est, fuisse in Deo fortes, non autem proprio marte hostes vicisse: ideoque nefas esse alibi quam in Deo solo gloriari. Notandum autem est, Dei auxilium coniungi cum eius laude: quia omnium eius beneficiorum hic est finis ut acceptam illi feramus nostram salutem: quod etiam tertio loco ponitur. Tantundem enim valet Deum fuisse in salutem, atque populum eius gratia salvum esse. In secundo membro est antithesis inter verum Deum et omnes fictitios. Emphatica enim est demonstratio. Hic est Deus meus, qua excludit Moses omnem aliam deorum turbam, quae passim tunc in mundo colebatur. Eodem sensu addit, Deum esse patris sui: qua voce Abrahae fides discernitur a cunctis gentium superstitionibus. Denique pronunciat fideles sibi tutum esse acquiescere in uno Deo, et eum esse dignum cuius laudes celebrentur. Hanc figuram imitatus est Isaias cap. 25, 9: Ecce iste est Deus noster: exspectavimus eum, et servabit nos. Hic Iehova, exspectavimus eum. Eodem pertinet quod sequitur proximo versu, Iehovam esse virum belli. Etsi enim primo intuitu aspera est loquutio, gratia tamen non caret, Deum ornari militari habitu ut confligat cum omnibus hostium copiis. Nomen ergo Iehovae dicit Moses in ipsum solum competere: quia sufficit eius manus ad prosternendum quidquid contra insurgit.

4. *Currus Pharaonis.* His verbis tantum asserere voluit Moses non obscurum fuisse Dei opus, quod submersus esset Pharao. Itaque rem gestam, quam simpliciter prius narravit, coloribus nunc illustrat: sicuti dum lapidibus et plumbo confert Aegyptios: quasi diceret impulsos fuisse violenta Dei manu in profundum, ut nulla esset enatandi agilitas. Hac ratione bis repetit Dei dextram, ac si diceret non posse tale miraculum vel fortunae vel hominum industriae adscribi. Notandum autem est quod paulo post addit: Aegyptios insurrexisse contra Deum: quia eius populo iniuste molesti fuerant. Unde colligimus, Dei numen violari ab impiis quoties impetitur ecclesia, cuius salutem fide sua et patrocinio tuendam suscepit. Porro haec duo coniunctim legenda sunt. Misisti furorem, et per flatum narium tuarum coacervatae sunt aquae. Significat enim Deum, nullis adhibitis machinis, sed solo nutu et irae suae signo stravisse hostes.

9. *Dixerat hostis.* Non tantum insultandi causa refert Pharaonis iactantiam, sed ut miraculum amplificet: quia Deus lupum praedae inhiantem exitio tradiderit. Plus autem ponderis habet oratio, dum Aegyptios inducit loquentes, quam si eorum consilia verbis exprimeret. Nam ita melius in animos penetrat mirabilis catastrophe, dum Aegyptii, quasi in theatrum producti, non tantum ebuccinant suam victoriam, sed insolenter fastum suum et crudelitatem efflant. Mox vero ab altera parte producitur Deus, qui solo flatu terribilem illam audaciam discutit. Unde enim tanta Aegyptiis securitas, ut sibi promitterent saturitatem ex spoliis, nec putarent sibi aliud fore negotii in iugulando populo, quam exserendo gladios: nisi quod optime armati erant contra imbellem turbam? Hinc ergo clarius enituit Dei potentia, quod venti impetu eos e medio sustulit.

1) *In margine:* Hebr. Magnificando magnificatus est.

11. *Quis sicut tu in diis, Iehova? quis sicut tu, magnificus in sanctitate, terribilis laudibus, faciens mirabilia?* 12. *Extendisti dexteram tuam, deglutivit eos terra.* 13. *Duces in tua misericordia populum hunc quem redemisti, duces in fortitudine tua ad habitaculum sanctitatis tuae.* 14. *Audient populi et contremiscent: dolor apprehendet habitatores Philisthim.* 15. *Tunc terrebuntur duces Edom, et robusti Moab: apprehendet eos tremor, dissolventur omnes habitatores Chanaan.* 16. *Cadet super eos tremor et pavor: in magnitudine brachii tui conticescent quasi lapis, donec pertransierit populus tuus, Iehova: donec pertransierit populus iste quem acquisiisti* [1]). 17. *Introduces eos, et plantabis eos in monte haereditatis tuae, in loco quem praeparasti, Iehova, ut sedeas: Sanctuarium, Domine, stabilierunt manus tuae.* 18. *Iehova regnabit in saeculum et in perpetuum.* 19. *Quoniam ingressus est equus Pharaonis cum curribus eius et equitibus eius in mare, et reduxit Iehova super eos aquas maris: filii autem Israel ambulaverunt in sicco per medium maris.* 20. *Sumpsit etiam Maria prophetissa soror Aharon tympanum in manu sua: et egressae sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris.* 21. *Et respondebat illis Maria: Cantate Iehovae, quoniam se magnifice extulit, equum et ascensorem eius proiecit in mare.*

11. *Quis sicut tu.* Epiphonemate claudit encomium Moses, quia verba pro rei magnitudine non suppetunt. Plus autem exprimit interrogatio quam si asserendo dixisset nullum posse Deo aequari: quia et admirationem et fiduciam de rei certitudine continet. Nam quasi stupore correptus, exclamat Moses, Quis tibi reperietur aequalis Domine? Quod per nomen deorum quidam intelligunt angelos, aliis locis melius quadrat, sicuti in Psalm 89, 7: Quis in nubibus aequabitur Iehovae, et assimilabitur inter filios deorum? Quia postea sequitur, Deus formidabilis in consilio sanctorum, qui in circuitu eius sunt: et similibus. Ac tunc sensus est, quantumvis sit praestantiae in angelis, Deum tamen longe altius eminere. Hic autem commodius ad idola referri videtur; quia ex professo Moses (sicuti dictum est) opponit gentium figmentis unicum Deum, cuius vigebat inter filios Abrahae religio et cultus. Sanctitas pro gloria accipitur quae Deum a creaturis omnibus separat, ideoque veluti profanat alias omnes deitates, quas sibi mundus comminiscitur: unius tantum Dei splendida est ac decora maiestas. Addit terribilem laudibus: quia non potest rite laudari quin rapiantur omnes in stuporem. Se ipsum postea exponit Moses, dicens mirabilia esse eius opera. Alii frigide (meo iudicio) terribilem laudibus vocari putant, quia laudandus sit cum timore. Alii etiam coacte, terribilem quoque esse dum laudatur.

13. *Duces in tua misericordia.* Verbum quidem hebraicum praeteriti est temporis: sed quia ex contextu patet, ex superioribus Dei beneficiis spem concipi eorum quae restabant, placuit per futurum tempus vertendo sensum clarius exprimere. Hortatur ergo populum Moses ut forti et alacri animo ad terram sibi promissam contendat: quia Deus opus suum non deseret in medio cursu. Et hac ratione diserte redemptionem celebrat: ac si diceret non frustra ereptum fuisse populum ex praesenti morte, sed Deum qui coepit, fore perpetuum eius ducem. Eodem argumento utitur David Psal. 31, 6: In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus verax. Sicuti autem redemptionis ipsius initium ex mera Dei misericordia fluxerat, ita hanc eandem fore causam dicit cur Deus suo perducat usque ad haereditatem promissam. Sed quia multa obstacula terrorem iniicere poterant, simul proponit Dei fortitudinem: quia in solidum laus tribuitur Deo, qui et gratis populo suos fuit beneficus, nec aliunde auxilium mutuatus est, sed contentus sua virtute praestitit quod alioqui incredibile erat.

14. *Audient populi.* Hic quoque tempora verborum mutare non dubitavi: quia de rebus futuris Mosen concionari certum est. Quanquam non infitior quin per verba praeteriti temporis rei certitudinem commendet: quod satis est prophetis tritum. Porro haec gloriatio dependet ex nomine fortitudinis: quia fieri non poterat ut tot adversis gentibus perrumperent Israelitae in terram Chanaan, nisi Deus, quasi prolata e coelo manu, pro ipsis pugnasset. Ergo, ne maximae difficultates populum debilitent, pronunciat Moses, quantumvis multi et robusti hostes se opponere conentur, iniectum iri divinitus pavorem omnibus, ut confusis et attonitis nullae suppetant vires ad resistendum.

16. *Cadet super eos tremor.* Quidam optandi modo legunt, sed parum apte, meo iudicio. Neque enim tam vota et preces fundit Moses, quam animat Israelitas ad bonam spem, ut certo statuant, Deum finem non facturum, donec cursum gratiae suae compleverit. Quod idem hodie ad nos probe accommodari potest, Deum scilicet vocationem suam continuare in electis, donec ad metam perducti sint. Nam coelestis haereditas (ad quam vocamur) monti sanctitatis respondet. Ac iterum repetitur quae paulo ante exposita fuit ratio, Deum scilicet populo non defore ad finem usque: quia eum sibi acquisierit. Minus enim recte convenit quod alii vertunt: quem possedisti: quia etsi Moses peculiarem hunc esse Dei populum significat, minime tamen dubium est liberationem tanquam ple-

1) *In gallico legitur:* que tu as acquis, *et in margine:* ou, que tu possedes.

nae salutis causam poni: ac si diceret, Deo semper curae fore populum quem semel tuendum suscepit.

17. *Introduces eos.* Plantandi metaphora firmam stationem denotat: sicuti et Psal. 44: Tu manu tua gentes expulisti, plantasti illic patres nostros, et fecisti ut mitterent radices. Porro templi commendatione, terrae eius desiderium quae Dei sanctuarium futura erat, in populi cordibus excitat Moses, et hac dulcedine pigros allicit ad fruitionem tanti boni expetendam. Ac de monte Sion vaticinatur multis ante saeculis quam illic exstructum esset templum. Unde colligimus, non hominum arbitrio delectum fuisse, sed aeterno Dei consilio et praedestinatione consecratum. Nam in loco ipso, sicut in personis fulgere oportuit gratuitum Dei favorem. Sicut in Psal. 78, 67, dicitur: Repudiavit tabernaculum Ioseph, tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda. Item alibi Psal. 132, 13. Quoniam elegit Dominus Sion, et desideravit pro habitaculo suo: haec requis mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam placuit mihi. Simul tamen praedicitur templi stabilitas: sicut alio loco: Manus tua fundavit eam [1]). Et Deus ipse per Isaiam se passurum negat ut Ierusalem in vastitatem redigatur: quia ab initio formaverit eam. Quanquam autem tota terra Chanaan alibi vocatur Dei requies, et nunquam populus in urbem collectus fuit, quia tamen Deus e suo sanctuario totam gentem et terram benedicat, ideo specialis fit mentio sancti montis. Haec autem prophetia ad fulciendos animos valde necessaria fuit: quia sero tandem venit Ierusalem in ditionem populi. Et segniores haud dubie ad eam occupandam posteri fuissent nisi eorum animos stimulasset haec promissio. Clausula subiicitur de aeterno Dei regno, in quo fundata est ecclesiae perpetuitas. Sic David (Psal. 102, 27), postquam dixit Deum semper manere eundem: et annos eius non deficere, hinc colligit: Filii servorum tuorum habitabunt, et posteritas eorum coram te stabilietur. Ergo Moses spem populi extendere voluit in omnia saecula, eo quod regno Dei nullus esset finis.

19. *Quoniam ingressus.* Non videtur hic versus aptus esse cantico: itaque potius existimo historice causam adscribi cur Dei laudes tam magnifice Israelitae celebraverint. Ac tollendae ambiguitatis causa forte praestaret ita resolvere: Quia ingressus erat equitatus Pharaonis, et redire fecerat Deus aquas maris, et ambulaverant filii Israel in sicco.

20. *Sumpsit etiam Maria.* Hic Moses in cantu ponit ἀντιστροφήν, quales fuisse olim in usu, constat ex lyricis poetis. Dum enim non viros modo praecones habere voluit tanti miraculi, sed mulieres adiunxit socias: quo res in futurum tempus esset certior. Itaque ubi cantum suum absolverant viri, ordine sequebantur mulieres. Quanquam incertum est fueritne illis primus versus intercalaris, (sicuti sacra historia (1 Chr. 16, 34) testatur, in solenni cantu subinde interpositam fuisse sententiam hanc, quoniam in saeculum misericordia eius: quae etiam intercalatur in Psal. 136), an vero alternis vicibus iteraverint feminae quod viri praecinerant. Utrumvis eligas parum refert, nisi quod prior sententia ad verisimilitudinem propius accedit. Etsi autem prophetissae elogio Mariam insignit Moses, non tamen publicum docendi munus eam sibi sumpsisse narrat, sed tantum aliis fuisse ductricem ac magistram in laudando Deo. Multis quidem absurda videri posset tympani pulsatio, sed eam mos gentis excusat, quem suo quoque tempore viguisse testis est David (Psal. 68, 26) ubi cantoribus accenset puellas tympanistrias, haud dubie communi et recepto usu. Quanquam simul notandum est, musica instrumenta inter legales caeremonias fuisse, quas abolevit Christus suo adventu, ideoque alia nobis sub evangelio simplicitas tenenda est.

22. *Et eduxit Moses Israelem e mari Suph: et egressi sunt in desertum Sur: ac quum perrexissent tribus diebus per desertum, non reperiebant aquas.* 23. *Post venerunt in Marah, nec poterant bibere aquas e Marah: quia amarae erant: ideo vocatum est nomen eius Marah.* 24. *Et populus murmurantes contra Mosen, dixerunt: Quid bibemus?* 25. *Tunc clamavit ad Iehovam: et indicavit illi Iehova lignum, quod proiecit in aquas: et dulces redditae sunt aquae. Ibi posuit ei statutum et iudicium, ibique tentavit eum.* 26. *Et dixit: Si obediendo obedieris voci Iehovae Dei tui, et quod rectum est in oculis eius feceris et auscultaveris praeceptis eius, custodierisque omnia statuta eius, universum languorem quem posui in Aegypto non ponam super te: quia ego Iehova sanans te.* 27. *Venerunt autem in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmae, et manserunt ibi iuxta aquas.*

22. *Et eduxit Moses.* Iam narrat Moses, ex quo iter fecerunt traiecto mari, laborasse per triduum aquae penuria: deinde quae primum repertae sunt, fuisse amaras, atque inde nomen loco impositum. Fuit quidem haec non levis tentatio, sitim tribus diebus pati in terra arida: nec usquam occurrere solamen vel remedium. Itaque nihil mirum si anxie gemuissent: sed dolor contumaciae plenus nullam veniam meretur. Preces ad Deum in tanta necessitate dirigere oportuit. Neglecto precandi studio

---

1) *In omnibus editionibus adscribitur* Psal. 87, 1. Verum *verba illa ibi non leguntur neque alibi in Psalmis ea reperimus. Etiam qui proxime ex Isaia affertur locus* Cap. 37, 26 *frustra quaeritur.*

tumultuose Mosi obstrepunt, et ab eo potum exigunt, quem sciebant nonnisi a Deo dari posse. Sed quia nondum didicerant Deo fidere, ad eius opem non confugiunt: nisi quod imperiose in servi persona votis suis obsequi iubent. Haec enim interrogatio: Quid bibemus? tantundem valet ac si dixissent: Transige cum Deo ut nobis potum suppeditet. Recta vero Deum non compellant, cuius auxilio se opus habere sentiunt: quia incredulitas semper est superba.

25. *Tunc clamavit.* Hinc colligimus solum Mosen rite precatum esse quum populus impetuose contra eum insurgeret: et qui indigni erant communi aëre, dulci aqua fuisse satiatos. In quo refulsit inaestimabilis Dei misericordia, qui naturam aquarum mutando, tam malignos et praefractos ingratosque homines alere dignatus est. Poterat initio dulcibus aquis eos potare, sed amaris voluit in medium proferre amaritudinem quae in eorum cordibus latebat. Poterat etiam solo nutu vitium corrigere in aquis ut sponte dulcescerent. Cur lignum adhibere maluerit, incertum est: nisi ut coargueret impiam eorum socordiam, ostendens multa sibi in promptu esse remedia quibusque malis. De ligno etiam quaestio nascitur, an vim, quae tunc exserta fuit, habuerit ingenitam. Etsi autem probabiles in utramque partem rationes adduci possunt, magis in hanc sententiam inclino, vim occultam naturaliter in ligno fuisse, et tamen miraculo correctum fuisse aquae saporem: quia difficile fuisset tantam ligni copiam momento congerere quae fluvio purgando sufficeret. Neque enim exiguo fonte contenta fuissent sexcenta millia hominum cum uxoribus, liberis, et pecoribus. Quod autem hanc proprietatem ligno prius fuisse inditam existimo, ratione non frivola adducor: quia certam unam speciem Mosi fuisse ostensam patet. Neque id tamen obstat quin maior solito efficacia exstiterit, ut subitam dulcedinem iniecto ligno aquae acquirerent. Quod sequitur in secunda parte versus, duplicem sensum admittit: nempe, quamvis illic Deus posuisset statutum, tamen fuisse tentatum a populo, vel quia tentatus fuit Deus a populo, ideo posuisse statutum. Si prior sensus placeat, exaggerabitur crimen a comparatione. Nam eo deterior fuit populi impietas, quod edoctus voce Dei, in eodem tamen loco suae pervicaciae fraena laxavit. Ego vero posteriorem sensum magis amplector, quod Deus scilicet populi malitiam castigaverit a quo tentatus fuerat. Genus porro tentationis fuit, quod non solum dubitanter sciscitati sunt quis daturus esset aquam, sed hac voce testati sunt suam desperationem. Caeterum, quia uno contextu dicitur, illic posuit statutum, et illic tentavit eum, videtur in utroque membro, subiectum esse nomen Dei, et praedicari de populo, quod statutum acceperit et probatus fuerit. Ita sensus esset: Postquam Deus aquae penuria examinavit populum suum, verbo quoque simul admonuisse ut in posterum maiori docilitate et obedientia se subiiceret illius imperio.

26. *Si obediendo obedieris.* Nunc explicat Moses quale fuerit statutum illud vel edictum quod promulgavit Deus. Neque enim hic agitur de tota lege, quae deinde data fuit in monte Sinai, sed de speciali admonitione, quae valuit ad castigandam populi malitiam. Summa autem est, si morigeri sint ac obsequentes Deo Israelitae, ipsum vicissim fore illis beneficum. Ac tacita est exprobratio, ut sciant se accersere suis peccatis quidquid molestiarum sustinent. Aegyptios illis proponit in exemplum, quorum rebellionem viderant tam gravibus et severis poenis Deum fuisse ultum. Quod mox subiicitur: Ego Deus sanans te, ad confirmationem spectat: ac si diceret, obnoxios iisdem plagis esse Israelitas, quae Aegyptiis inflictae fuerant, nec alia de causa esse immunes nisi quod Deus medici officium praestat. Et sane quotquot in genere humano grassantur morbi, in totidem speculis perspicere licet nostras miserias: ut sciamus nihil in nobis sanitatis esse, nisi quatenus nobis Deus parcit. Hoc etiam versu docemur, hanc demum esse iuste vivendi regulam ubi obtemperamus voci Dei, studemusque ei placere. Quoniam autem paulo post Dei voluntas in lege patefacienda erat, diserte iubet attentos esse praeceptis, et servare statuta. Quod vocem חקים (quam usitatum est vertere statuta) quidam a praeceptis distinguunt, ac si essent mera placita quibus non est annexa ratio, nescio an satis firmum sit. Sufficiat legem Dei commendari pluribus verbis, ad tollendum ignorantiae praetextum.

27. *Venerunt autem in Elim.* Hic recitat Moses datam fuisse amoeniorem stationem populo, quum adductus est in locum irriguum, et palmis etiam consitum, quae nasci in terra arida non solent. Hoc autem illius infirmitati fuisse concessum, ex superioribus colligimus: quia tam impatienter sitim tulerat.

CAPUT XVI.

1. ***Profectae autem ab Elim cunctae turmae filiorum Israel, venerunt in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai, quinto decimo die mensis secundi post eorum exitum e terra Aegypti.* 2. *Et murmuraverunt omnes turmae filiorum Israel contra Mosen et contra Aharon in deserto.* 3. *Et dixerunt ad eos filii Israel: Quis det ut mortui essemus per manum Iehovae in terra Aegypti, quando sedebamus iuxta ollam carnis, et quando comedebamus panem in saturitate? Nam***

eduxistis nos in hoc desertum, ut interficeretis congregationem hanc fame. 4. *Tunc ait Iehova ad Mosen: Ecce, ego vobis pluam panem e coelo, et egredietur populus, et colligent summam diei die suo, ut probem eum, ambuletne in lege mea an non.* 5. *In die autem sexto parabunt quod inferant, et erit duplum prae eo quod colligent quotidie.* 6. *Et dixit Moses et Aharon ad universos filios Israel: Vespere scietis quod Iehova eduxerit vos e terra Aegypti.* 7. *Mane autem videbitis gloriam Iehovae, quia audivit murmur vestrum contra Iehovam. Etenim nos quid sumus, ut murmuretis contra nos?* 8. *Et dixit Moses: Quum dederit vobis Iehova vespere carnem ad comedendum et panem mane ad saturitatem, ex quo audivit Iehova murmurationes vestras, quibus murmurastis contra eum. Quid enim? non contra nos murmurastis sed contra Iehovam.*

1. *Profectae autem.* Narrat Moses, transacto uno mense populum venisse in desertum Sin propinquum monti Sinai, et quum cibus deficeret tumultuatum esse contra Deum et Mosen, donec man novum et insolitum cibi genus e coelo datum est. Quibus autem alimentis se interea sustentaverint incertum est. Divinant quidem secum ex Aegypto tantum farinae tulisse quod ad victum sufficeret. Mihi autem magis probabile est alios etiam cibos fuisse adiumento. Neque enim tanta erat regionum per quas transierunt ariditas, quin fructus saltem et herbas proferrent. Imo ex praelio in quo devictos fuisse Amalecitas paulo post narrabitur, coniicere promptum est non procul abfuisse a terra habitabili. Sed ex quo longius in solitudinem abstracti sunt, quia nullum amplius cum incolis erat commercium, coepit eos omnis annona deficere. Hinc aucta seditio, quia fames solito magis urgebat. Etsi enim mox ex contextu colligere licebit aliquem ante fuisse in castris fremitum, fames tamen quae demum magis urgere eos coepit, (quia in terris incultis et squalidis terrebat eos undique vastitas) accendit impetum et clamores.

2. *Et murmuraverunt.* Non dicit Moses tantum aliquos e populo murmurasse: sed turmatim fuisse collectos tanquam conspiratione facta, vel certe, ut erant distributi in centurias et chiliadas, uno consensu murmurasse. Quanquam nota universalis exceptionem admittit: ne putemus omnes ad unum in hac impia et scelesta factione fuisse comprehensos. Optimum ad sedandam esuriem remedium erat Deum precari, quem experti erant patrem, modis omnibus beneficum, et quem audierant olim patribus suis mirabiliter prospexisse, quum Aegyptii et incolae terrae Chanaan in locis tam fertilibus et opimis fame tabescerent. Si tantum persuasi fuissent terram Dei benedictione foecundam esse, simul etiam venisset in mentem, proprium eiusdem esse munus pascere famelicos, ac proinde vota sua ad eum direxissent: nunc ex turbulento strepitu detegitur eorum incredulitas. Est quidem hoc prodigiosum, miseros homines, quos humiliare debuerat necessitas, proterve adversus Deum insurgere, et famem adeo non flectere animos ad mansuetudinem, ut potius sit ferociae stimulus. Sed impiis hoc nimis vulgare est (quia Deum sibi propitium esse non confidunt) neglectis precibus confuse vociferari, maledicta evomere, et tanquam rabiosos canes, huc illuc impetuose ruere. Hoc Israelitis contigit in deserto Sin. Obiecta rerum omnium inopia eos ad se Deus invitat, ut sentiant eius virtutem, qua ex nihilo mundum creavit, non egere alienis subsidiis ad homines alendos. Atqui desperatio vacuos fide animos occupat, ut eius opem et beneficentiam reiiciant. Neque id solum, sed malignitas quoque et ingratitudo ad litigandum cum Mose instigat. Haec querimoniae summa est, quod abstracti fuerint a copia panis et carnium, ut fame perirent in deserto. Itaque Mosen et Aharon, quorum manu et opera liberati fuerant, suos vocant interfectores.

4. *Tunc ait Iehova ad Mosen.* Credibile est multa subticeri a Mose: quia consentaneum non est, ne uno quidem verbo castigatam fuisse populi intemperiem. Etsi enim Deus singulari indulgentia cibum tam improbis et pravis hominibus largitus est, qui luce solis et communi spiritu indigni erant, noluit tamen haud dubie silentio fovere eorum malitiam: sed quum ignosceret eorum ingratitudini, acriter compescuit eorum petulantiam. Moses autem, hac parte omissa, ad historiam transsilit memoratu apprime dignam, quod scilicet coelesti pane aluerit Deus miserum illum populum, dum man instar roris e nubibus stillare fecit. Panem coelestem voco cum propheta, qui hoc tam magnifico elogio celebrat (Psal. 78, 24), et extollit Dei beneficentiam erga populum, ac si ad mensas angelicas fuisset adhibitus. Nam diverso sensu man spiritualis cibus dicitur a Paulo: quia scilicet typus erat carnis Christi, quae animas nostras in spem aeternae vitae pascit (1. Cor. 10, 3). Propheta autem mysterium illud non attingit, sed hac circumstantia traducit populi crimen, quod non modo cibos e terra genitos respuerit, sed fastidio etiam habuerit panem illum, cuius causa videbat coelos quodammodo esse apertos. Sed de hac re paulo post aliquid repetendum erit. Nunc pronunciat Deus se daturum in dies singulos quasi demensum, ut hoc modo probet obedientiam populi sui. Quanquam de hoc postremo non consentiunt interpretes: quia nonnulli perinde accipiunt, ac si Deus benigne pascendo Israelitas, liberalitate sua ad obsequium eos astringeret: quasi diceret: Experiar sintne prorsus indociles, an morigeri: quia nihil deerit ad ipsos in officio continendos. Alii vero restringunt ad cibum quotidianum: quia

haec timoris et reverentiae fuit probatio non plus appetere quam dabatur, sed diurnis cibariis contentos esse, atque ita pendere a Dei providentia. Mihi prior sensus magis arridet, quem melius exprimere conatus sum quam ex aliis queat intelligi. Porro de nomine legis movere controversiam supervacuum est: quia lex (ut paulo post videbimus) accipitur pro modo aut regula pie iusteque vivendi. Cogniturum ergo se dicit an habeant in animo ipsum colere, seque subiicere eius imperio. Si quis tamen amplecti malit alterum sensum, fruatur per me suo iudicio.

5. *In die autem sexto.* Quia mox subiicitur sabbathi mentio, quidam ad eius observationem restringunt quod dictum est de lege, atque hunc sensum eliciunt, Deum fecisse periculum an populus quietem septimo quoque die praeceptam fideliter coleret, quod ieiunum est. Postquam autem Deus diurnum victum suis promisit, nunc addit exceptionem: nempe ut die sexto summam duplicem colligant, ac dimidiam partem reponant in usum sabbathi. Ita re ipsa dies septimus consecratus fuit ante legem promulgatam. Quanquam incertum est an quies iam ante a patribus observata fuerit: quod probabile videtur: de quo tamen pugnare nolim.

6. *Et dixit Moses et Aharon.* Quod populum dicunt cogniturum, Dei esse opus exitum suum e terra Aegypti, impiae exprobrationi opponitur, qua conquestus fuerat se proditum fuisse a Mose et Aharon, quando in desertum adductus fuerat. Respondent ergo, Deum palam facturum se autorem esse liberationis, ne amplius obstreperi sint contra eius ministros. Etsi autem subest acris obiurgatio, coniuncta est tamen cum promissione continuae gratiae. Admonent enim, hoc effectu probatum iri, Deum fuisse Israelitis ducem et liberatorem: quia opera manuum suarum mutila non deserit. Continuatio itaque gratiae ostendit, eundem Deum, qui virtutem suam prosequitur, ab initio coepisse quod in finem usque perducit (Psal. 138, 8). Cognitio vespertina refertur ad coturnices, in quibus specimen edidit Deus virtutis suae: sed quia luculentius postridie refulsit in man, dicit Moses mane visuros gloriam Domini. Verum ne huius gratiae praetextu se ipsos demulceant, sibique adulentur in sua pravitate, admonet non dari hoc eorum peccatis, sed Deum hoc modo certare cum perversa eorum contumacia: ac si diceret appariturum illis Deum, ut in fulgore vultus eius impietatem suam cernentes, tandem pudefiant, et sentiant sacrilegum fuisse tumultum quo Deum impetere ausi sunt. Ac ne tergiversentur, quia nonnisi ipsum Mosen et Aharon aggressi fuerant, causam reddit cur ipsos bellum cum Deo gessisse pronunciet: nempe, quia tam ipse, quam frater, neque se ipsos ingesserint, neque sibi quidquam sumpserint proprium. Hoc enim sonant verba: Quid sumus, ut murmuretis contra nos? ac si negaret sibi quidquam a Deo separatum esse. Caeterum quum hoc testimonio se probet fidelem fuisse Dei servum, colligimus nullos sibi iure vindicare honorem in ecclesia, ut legitimi pastores censeantur, nisi qui et divinitus vocati sunt, ut Deum habeant muneris sui autorem et ex se ipsis nihil proferunt, sed tantum exsequuntur quod sibi mandatum est. Sicuti tales sperni nequeunt absque Dei iniuria, cuius personam sustinent: ita qui pro libidine imperium exercent, inaniter simplices territant Dei nomine, quum pro veritate fallacem larvam obiicient. Octavus versus nihil praeter expositionem eiusdem sententiae continet: nisi quod coniunctim dicit sensuros esse Israelitas, postquam vespere saturati fuerint carne, et mane datus fuerit panis, Deum esse suum liberatorem. Deinde antithesin exprimit: Non murmuratis contra nos, sed contra Deum.

9. *Et dixit Moses ad Aharon: Dic ad universum coetum filiorum Israel: Accedite in conspectum Iehovae, quia audivit murmurationes vestras.* 10. *Et factum est quum loqueretur Aharon ad universum coetum filiorum Israel, ut respicerent versus desertum: et ecce, gloria Iehovae apparuit in nube.* 11. *Loquutus enim fuerat Iehova ad Mosen, dicendo:* 12. *Audivi murmurationes filiorum Israel: alloquere eos, dicendo: Inter vesperas comedetis carnem, et mane saturabimini pane: itaque scietis quod ego sim Iehova Deus vester.* 13. *Factum est ergo vespere ut ascenderet coturnix, et operiret castra, mane autem esset descensio roris circum castra.* 14. *Et quum evanesceret descensio roris, ecce in superficie deserti minutum rotundum, minutum quasi pruina super terram.* 15. *Et videntes filii Israel, dixerunt quisque ad proximum suum: Est man. Nesciebant enim quid esset. Et dixit Moses ad eos: Hic est panis quem dedit Iehova vobis comedendum.* 16. *Hoc est edictum quod mandat Iehova: Colligite ex eo quisque in mensuram victus sui homer, pro summa numeri animarum vestrarum: quisque pro iis qui sunt in tabernaculo suo accipite.* 17. *Atque ita fecerunt filii Israel et collegerunt, alii multum, alii exiguum.* 18. *Et quum metirentur per homer, non excedebat is qui multum collegerat, nec minus habebat qui parum collegerat: quisque ad mensuram victus sui colligebat*

9. *Et dixit Moses ad Aharon: Dic ad universum.* Non dubium est quin reos citet ad Dei tribunal: ac si diceret eos falli, si existiment occultum esse suum murmur. Interea tamen alludit ad nubem quae visibile erat symbolum praesentiae Dei: atque ita exprobrat illis socordiam, quod non dubitaverint Deum tam propinquum, et qui paene illis erat ante oculos, lacessere. Primo igitur notandum est,

ipsos e latebris suis quodammodo extrahi, ut frangatur eorum protervia: deinde coargui eorum stuporem, quod Deum praesentem non revereantur. Quod melius liquet ex contextu, ubi dicitur apparuisse Dei gloria versus desertum: quo nomine designari arbitror plagam minus habitabilem. Etsi enim regio undique erat sterilis et incolis vacua, ab una tamen parte vicini erant Amalecitae, et alii populi, ut paulo post videbimus. Gloriam vero Dei interpretor, non quam cernere quotidie solebant, sed quae tunc insolito modo patefacta fuit ad incutiendum terrorem: quia ad ordinaria documenta obduruerant.

11. *Loquutus enim fuerat.* Hic docet Moses nihil se Dei iniussu egisse, sed functum esse fideliter et modeste ministri partibus. Et certe, nisi loquutus esset ex ore Dei, temere pollicitus esset quod ante vidimus. Itaque subiicitur quod ordine prius erat: et ideo copulae loco rationalem particulam posui. Summa est, ut prius Deum fore vindicem suae gloriae, cui populus impie obtrectaverat, et benefacturum indignis, quo nomen suum glorificet: ac si diceret: Ubi convicta fuerit vestra ingratitudo, coget vos res ipsa fateri me esse solum Deum, et simul vobis patrem.

13. *Factum est ergo.* Videbimus postea, quum taedio mannae carnes expetere coepissent, rursus datas illis fuisse coturnices: sed quum adhuc in ore essent, sumptam fuisse horribilem poenam de eorum intemperie. Hic quum tantum conquesti essent de alimentorum penuria, semel eos saturavit Deus carnibus, ut ostenderet sibi in manu esse quamlibet ciborum copiam ac varietatem. Deinde una tantum specie contentus esse voluit. Quamvis enim conquesti essent se privatos esse carnibus, ad quarum ollas prius sedebant, non tamen aequum fuit improbae eorum cupiditati Deum omni ex parte morem gerere. Quin etiam ipsis utile fuit modum aliquem praefigi, ut a Dei arbitrio penderent.

14. *Et quum evanesceret.* Breviter hic describitur figura man nempe quod fuerit quasi ros densatus in rotunda et exigua grana: saporis etiam alibi fiet mentio. Verum hoc loco satis fuit ostendi foecunditatem hanc, quae nativa non erat, miraculo inditam fuisse nubibus, ut man quotidie pluerent. Nam quod garriunt profani quidam homines, naturaliter in quibusdam regionibus manna decidere, atque in eo acumen ingenii sui venditant, ac si Mosen tenerent mendacii convictum, quod magnifice rem nihili extollat, nugatorium est ac nullo negotio refellitur. Verum quidem est colligi in quibusdam locis grana alba, quibus nomen man vulgo fuit impositum, quod tamen unus ex Rabbinis vult esse arabicum: sed neque cibus est, neque quotidie stillat e nubibus, nec quidquam habet cum hoc cibo commune, quem merito propheta elogio panis angelici insignit, quia Deus, qui in communem hominum victum aperit terrae viscera, tunc e coelo alimenta populo suo deprompsit. Atque ut indubie constet mirabiliter et praeter naturae ordinem cibum hunc tunc fuisse creatum, haec consideranda sunt. Primo non ante apparuit in deserto quam ex mandato Dei hora condicta fuit a Mose. Secundo, nulla aëris mutatio obstitit quominus aequabili tenore man stillaret: non gelu, non pluvia, non aestus, non hyems, non aestas cursum huius distillationis abrupit. Tertio, copia quae immensae multitudini sufficeret, singulis diebus reperta est, quum homer unum acciperent in singula capita. Ad haec, die sexto duplicata fuit copia, ut alterum homer in cibum sabbathi reponerent. Quinto, si quid servabant praeter iustum demensum, putredini obnoxium fuit, quum sabbatho integra maneret altera portio. Sexto, quocunque profecti sunt, semper eos comitata est haec Dei benedictio: quum vicinae gentes frumento vescerentur, et tantum in castris illis man esset cognitum. Septimo, simulatque ingressi sunt terram fructuosam ac tritici feracem, man cessavit. Octavo, quod iussus est Aharon in vase recondere non computruit. His probe expensis, satis superque illustre erit miraculum, suoque fulgore nebulas omnes cavillationum discutiet.

15. *Et videntes filii Israel.* Signum aliquod gratitudinis dederunt Israelitae, cibum e coelo sibi datum, man vocando: quod nomen tantundem valet ac paratum. Si cui tamen magis arrideat eorum sententia qui partem vel portionem exponunt, non contendo. Quanquam alterum illud rectius est. Utrumvis tamen eligas, hac voce confessi sunt, liberaliter secum agi, quod Deus cibum absque labore ipsis offerret: atque ita pravam et malignam suam expostulationem tacite damnant, quia longe praestet paratum cibum colligere quam acquirere difficili et molesta terrae cultura. Etsi autem incredibili novitate extorta illis fuit confessio, propositum tamen illis fuit in eo temporis articulo praedicare Dei beneficium. Sed quoniam incredulitas obscuraverat eorum sensus, ut liquido non perspicerent, dicit Moses eos nescisse quid esset. Quibus verbis perstringit eorum socordiam qui de miraculo admoniti, ac si nihil prius audissent, stupescunt ad conspectum. Colligimus ergo mediam fuisse eorum cognitionem: quia et implicita fuit ignorantiae tenebris, et tamen coacti sunt fateri quod non satis didicerant. Ideoque non sine acerbitate coarguitur eorum stupor, ubi docet Moses hunc esse cibum a Deo promissum. Nam si promissionis effectum agnovissent, non opus erat memoriam renovari. Quod ad verba spectat: graecos et latinos interpretes causae redditio decepit, ut interrogative legerent: Quid hoc? Sed facile tollitur eorum scrupulus: quia non simpliciter docet Moses eos de re

incognita sciscitatos: sed mistam ignoratione notitiam ponit: sicuti res partim dubia, partim conspicua erat. Oculis enim patebat Dei virtus: velum incredulitatis oppositum erat, ne promissam sibi gratiam cernerent.

16. *Hoc est edictum.* Additur exceptio, ut in colligendo victu rationem habeant sabbathi. Praescribitur mensura in singulos dies: iubentur autem pridie sabbathi eam duplicem reponere, ut quietem observent. Deus autem haud dubie suam liberalitatem eo extendit quod saturitati sufficeret. Notum quidem est homer fuisse decimam partem epha: et forte aliqua proportio cum mensuris apud nos usitatis inveniri posset. Verum curiosius nolo de re non necessaria disputare: quia sufficit tenere, non minus fuisse datum quam ad amplam copiam sufficeret.

17. *Atque ita fecerunt.* Non arbitror magnopere laudari populi obedientiam hoc loco: quando paulo post subiiciet Moses, quosdam iusto demenso non contentos, plus quam liceret coacervasse: alios etiam transgressos esse quod de sabbatho praeceptum erat. Sed ita orationem resolvo: Quum omnes operam navassent colligendo, repertum fuisse in congerie quod in singula capita homer compleret. Neque enim sibi quisque privatim annonam parabat: sed ubi omnes contulerant operas, tandem ex communi acervo sumebant praescriptam portionem. Ita ut quisque agilitate praestabat, absque ulla iactura magis iuvabat propinquum suum tardiorem et minus industrium. Hoc apte transfert Paulus (2. Cor. 8, 14) ad eleemosynas, dum quisque de suo erogat fratribus egenis: modo sciamus fieri per anagogen: quia sicuti aliqua est similitudo inter man et quotidianum victum, ita tenendum est discrimen, cuius alibi fiet mentio. Quum ergo man cibus esset a communi diversus, ac quotidie sine cultura et labore prope in manus daretur, non mirum est si unus aequaliter singulos e populo ad esum illius vocaverit, ac vetuerit quemquam plus aliis sumere. Victus autem ordinarii alia est ratio: quia ad fovendam humanam societatem pertinet, ut quisque quod suum est possideat: acquirant alii emendo, ad alios fundi haereditario iure perveniant, ad alios titulo donationis: ut quisque vel solertia pollet, vel corporis viribus, vel aliis dotibus, ita facultates suas augeat. Denique politicus ordo flagitat, a quoque teneri quod suum est. Proinde absurdum esset in victu usitato legem praescribere, qualis de man hic legitur. Et prudenter etiam distinguit Paulus, dum aequalitatem statuit non in promiscuo et confuso usu, sed ut divites sponte et liberaliter fratrum inediae succurrant, non autem ex necessitate vel tristitia. Hoc modo admonet, quidquid bonorum nobis suppetit, quasi man ex Dei liberalitate profluere: sed quia privatim et seorsum singuli possident quod illis datum est, non eandem hodie praefigi legem in mutua bonorum communicatione, qua Deus populum veterem adstrinxit. Unde apparet, recte aptari eleemosynis distributionem man quae a Mose narratur. Eadem doctrina longe extenditur. Vetat enim Paulus nimium sollicitos esse fideles ne se beneficentia exhauriant: quia nemini defuerit annona, quum man ex Dei mandato partiebantur inter se Israelitae.

19. *Et ait Moses ad eos: Nemo relinquat quidquam ex eo usque mane.* 20. *Sed non audierunt Mosen: quia quidam reservarunt ex eo usque mane. Et scatere coepit vermibus, et computruit: ideoque iratus est contra eos Moses.* 21. *Itaque collegerunt illud singulis diebus mane: quisque secundum mensuram suam: et quum sol incaluerat, liquefiebat.* 22. *Fuit autem die sexto ut colligerent panem duplum, duo scilicet homer pro uno. Et venientes principes congregationis retulerunt Mosi.* 23. *Qui dixit eis: Hoc est quod loquutus est Iehova: Quies sabbathi sancti cras est Iehovae, quod cocturi estis, coquite, et quod elixaturi estis, elixate: et quidquid residuum erit reponite vobis usque mane.* 24. *Et reposuerunt illud usque mane, sicut praeceperat Moses: et non computruit, nec vermis fuit in eo.* 25. *Dixitque Moses: Comedite illud hodie: quia sabbathum est hodie Iehovae. Hodie non invenietis illud in agro.* 26. *Sex diebus colligetis illud: die autem septimo est sabbathum, non erit in illo.* 27. *Accidit autem die septimo ut egrederentur quidam e populo ad colligendum illud: et non invenerunt.* 28. *Tunc ait Iehova ad Mosen: Usque quo renuitis servare praecepta mea et leges meas?* 29. *Videte quod Iehova posuerit vobis sabbathum: ideo ipse dat vobis die sexto panem duorum dierum: quisque apud se quiescat, nec ullus egrediatur e loco suo die septimo.* 30. *Quievit itaque populus die septimo.*

19. *Et ait Moses ad eos: Nemo.* Hic narrat Moses, quum singulos iussisset non plus quotidiano victu sumere, et pridie sabbathi colligere duplex demensum, in utroque aliquos minime fuisse obsequentes. Quod ad prius spectat, quum vellet illis Deus cibum non aliter suggerere quam infantibus mammae porrigi solent, signum perversae incredulitatis fuit, non pendere a providentia Dei, sed annonam expetere in dies complures. Signum vero pervicaciae fuit, nolle ullis monitionibus fidem habere, donec experientia convicti forent se nonnisi foetorem domi reponere. Neque enim ut ab inexplebili cupiditate desisterent adducti sunt, donec iustas dedissent poenas. Etsi autem non prorsus similis est ratio man et ordinarii panis quo alimur, aliquatenus tamen valet anagoge: quia sic frumentum et vinum in horreis et cellis reconditum servare

licet, ut tamen vere omnes panem quotidianum a Deo postulent. Id autem fiet si non avide ingurgitent divites quidquid contrahere ad se possunt, si non avare hinc inde corradant, si non ex pauperum esurie saturi sint, si non supprimant quantum in se est Dei benedictionem, si denique non intemperanter accumulent magnos acervos, sed ex praesenti copia sint liberales, non sint in futurum nimis anxii, ac se imminui (si opus sit) non aegre ferant: imo animis parati sint ad ferendam pauperiem: nec glorientur in sua abundantia sed in paternam Dei bonitatem recumbant. Et certe avaris saepe videmus quod furtis, rapinis, fraudibus, insidiis, crudelitate vel sordibus cumulant, tandem illis in foetorem verti. Ubi addit: Postquam viderunt immodicum ardorem carere profectu, acquievisse praecepto: significat, non voluntarium, sed extortum fuisse obsequium, sicuti stulti nonnisi malo accepto sapiunt. Quod autem man calore solis liquefiebat, stimulus illis fuit ad corrigendam ignaviam, vel pigritiem: quia si toto die man integrum durasset, non ita fuissent ad officium attenti. Ergo Deus exiguum tempus concedens, ad sedulitatem eos hortatus est.

22. *Fuit autem die sexto.* Nondum refertur violatio sabbathi, sed tantum ostenditur stupor vel nimis crassa inscitia ipsis ducibus. Quamvis enim audissent ex ore Mosis, Deum illo die daturum quod bidui alimentis satis esset, mirantur tamen, et rem quasi novam atque incredibilem Mosi nunciant. Facile apparet paruisse quidem imperio, ne labori parcerent in colligenda portione duplici: sed incredulitas et socordia in eo se prodit quod obstupescunt, ubi re ipsa praestari vident quod Deus promiserat. Caeterum coniicere licet, curiose observasse quod eos in admirationem traxit. Unde sequitur, fidem abrogasse Dei verbo, donec effectu probata fuit eius veritas. Sed admirabili Dei consilio factum est ut maligna eorum pravaque dubitatio tam ad miraculi confirmationem, quam ad sabbathi observationem prodesset. Hinc data fuit Mosi occasio, ut secundo illis praediceret quod alioqui forte esset neglectum: nempe ut sanctam quietem die septimo colerent.

27. *Accidit autem die septimo.* Haec est secunda transgressio, quod die septimo egressi violarunt sabbathi cultum. Hinc autem praepostera illa cupiditas nata est, quod non putarunt vere a Mose dici quod nuper audivimus. Clare enim pronunciaverat man non reperturos. Mendacii ergo eum insimulant, dum oculis suis volunt credere. Interea pro nihilo ab ipsis ducta fuit sabbathi religio: imo conati sunt diem quem sanctificaverat Deus profanare, ut nihil ab aliis differret. Merito itaque tam acerbe in eos invehitur Deus. Nam Mosen compellans in eius persona praefractam totius populi malitiam accusat. Non erat certe Moses unus ex eorum numero qui abnueret servare Dei leges: sed hac generali sententia vehementius pungitur turba quae deliquit, et maior iniungitur Mosi necessitas castigandi populi, dum pars culpae in ipsum transfertur. In particula Quousque, subindicat Deus minime tolerabilem esse eorum pervicaciam, quod nullum faciant peccandi finem, sed novis sceleribus maiorem vindictam subinde provocando, intractabiles se esse demonstrent.

31. *Appellavit autem domus Israel nomen illius man: et erat quasi semen coriandri album, et gustus eius quasi placenta mellita.* 32. *Et dixit Moses: Hoc est verbum quod mandavit Iehova: Imple homer ex eo quod servetur in aetates vestras, ut videant panem quo cibavi vos in deserto, quando eduxi vos e terra Aegypti.* 33. *Et ait Moses ad Aharon: Tolle urnam unam, et pone in ea homer integrum man, et repone illud coram Iehova in custodiam in aetates vestras.* 34. *Sicut praeceperat Iehova Mosi, reposuit illud Aharon coram testimonio in custodiam.* 35. *Et comederunt filii Israel man quadraginta annis, donec venissent in terram habitandam: man ipsum comederunt, donec venissent ad terminum terrae Chanaan.* 36. *Porro homer est decima pars epha.*

31. *Appellavit autem.* Non abs re iterum repetit Moses quod ante dixerat, nomen man fuisse impositum novo cibo quem Deus suggesserat, ut improbae pervicaciae damnentur quicunque de re adeo testata quaestionem movere audebunt: quando malignis alioqui et ingratis vocem hanc extorsit rei perspicuitas. Forma ad probandam miraculi certitudinem exprimitur, nempe quod rotunda fuerint grana et similia coriandro: quia nihil simile ante visum fuerat. Sapor ingratitudinem populi coarguit, qui cibum non modo idoneum et salubrem, sed gustu ipso suavissimum respuerit.

32. *Et dixit Moses.* Non contexit Moses historiam suo ordine, sed narratione κατὰ πρόληψιν interposita, melius confirmat singulari Dei beneficio creatum tunc fuisse populo alimentum: quia Deus in monumentum servari voluit homer unum, quod nullo foetore corruptum, ad posteros propagavit miraculi gloriam. Ac primo generaliter proponit Dei mandatum, deinde proximo versu modum designat: nempe ut Aharon recondat in phiala, vel urceo, et collocet iuxta arcam foederis. Unde etiam apparet quanti voluerit fieri Deus suum illud beneficium, cuius memoriam voluit exstare in sanctuario una cum tabulis foederis sui. Quod autem duae loquutiones eodem sensu ponuntur: Coram Iehova, et Coram testimonio, ad commendationem legalis cultus valet: ut sciret populus virtutem Dei sibi in sanctuario propinquam esse. Non quod loco inclusus esset, aut visibili symbolo affixas esse vellet

suorum mentes: sed infirmitati eorum consulere volens, ad ipsos quodammodo descendit, quum virtutis suae praesentiam externis figuris testatus est. Descendit ergo ad eos, non ut in crassa superstitione occuparet eorum mentes, sed ut sursum per gradus ad spiritualem cultum attolleret.

CAPUT XVII.

1. *Deinde profectus est universus coetus filiorum Israel e deserto Sin per turmas suas, secundum praeceptum Iehovae, et castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ut biberet populus.* 2. *Et rixatus est populus cum Mose, ac dixerunt: Date nobis aquam ut bibamus. Dixit autem illis Moses: Quid rixamini mecum, quid tentatis Iehovam?* 3. *Sitivit ergo illic populus ab aquis, et murmuravit populus contra Mosen, dicens: Quare sic nos ascendere fecisti ex Aegypto, ut interficeres me, et filios meos, et pecora mea, siti?* 4. *Et clamavit Moses ad Iehovam, dicendo: Quid faciam populo huic? Adhuc paululum, et lapidabunt me.* 5. *Et ait Iehova ad Mosen, transi ante populum, et tolle tecum e senioribus Israel: virgam quoque tuam qua percussisti fluvium, tolle in manu tua, et incede.* 6. *Ecce, ego stabo coram te illic super petram quae est in Oreb, et tu percuties petram, egredienturque aquae ex ea, ut bibat populus. Et fecit sic Moses coram oculis seniorum Israel.* 7. *Vocavitque nomen loci illius Masa et Meriba* [1]), *propter rixam filiorum Israel, et quia tentassent Iehovam, dicendo: Estne Iehova in medio nostri, an non?*

1. *Deinde profectus.* Vix sedata propter cibi penuriam erat populi seditio, quum de potu rursum tumultuantur. Debuerant saltem ex manna cognoscere, quoties eos premeret necessitas, suppliciter votis ac precibus implorandam esse opem Dei, ac certo sperandam esse. Atqui, pro suo ingenio, desperatione feruntur ad caecos strepitus, et impetuosos clamores. Similis fere historia legitur Numerorum vicesimo capite. Nam quod quidam unam eandemque esse putant, facile coarguitur eorum error ex circumstantia temporis et loci, et capite 33, satis aperte patet quantum interfuerit inter hanc stationem et alteram. Probabile etiam non videtur quod tradunt quidam ex Rabbinis, sitim hanc non fuisse ex naturali appetitu, quod man non tantum cibus foret, sed etiam potus vice. Neque enim ulla ratio cogit hoc divinare: et ex textu elicimus, initium murmuris inde ortum esse quod tunc primum aquae deficere coeperunt. Voluit autem Deus duobus modis, et quidem diverso tempore, probare Israelitarum animos, quo apertius proderent sibi indomabile esse ingenium. Panem et aquam simul petendo, magis fuissent excusabiles: postquam vero experti sunt genus edulii suave et salubre liberaliter sibi e coelo datum, eo quod nullas fruges proferret regio, ubi potus non suppetit, protinus Deo obstrepere, pervicacia est minime tolerabilis. Porro duplex eorum crimen narratur: quod litem et iurgium intentaverint Deo, deinde quod eum tentaverint. Utrumque ex infidelitate manavit, cuius causa fuit ingratitudo. Nam quod Deus illis nuper praestiterat, voluntaria oblivione tam cito deleri, nimis indignum fuit. Fame laborantibus suppetias tulerat: cur siti urgente non ad eum confugiunt? Constat igitur male apud eos locatam fuisse gratiam priorem, quae eorum socordia mox evanuit. Hinc etiam incredulitas, quod a Deo nihil exspectant vel postulant. Huic coniuncta est superbia, quod ad iurgandum prorumpere audent. Atque hoc fere semper accidit, ut Deum in certamen provocent, et turbulento impetu contra eum ruant, qui neque pendent ex eius providentia, neque in promissiones recumbunt: quia belluina affectuum intemperies nos ad furorem rapit, nisi persuasi simus Deum nobis in tempore auxiliatorem fore, et subiecti simus eius arbitrio. Caeterum initio capitis breviter indicat Moses, secundum praeceptum vel os Dei (ut hebraice legitur) profectos esse Israelitas, ac si laudaret eorum obedientiam. Unde colligimus, in primo actu satis ad officium fuisse propensos, donec occurrit tentatio, quae rectum cursum abrumperet. Quo exemplo monemur, ubi quid aggredimur ex Dei iussu, sedulo videndum esse ne quid perseverantiae nostrae obsistat: et nullos ad recte agendum esse idoneos, nisi qui ad sustinendos tentationum conflictus probe instructi sunt.

2. *Et rixatus est populus cum Mose.* Hic iam se detegit tum eorum impietas contra Deum, quod eo neglecto ac relicto bellum suscipiunt cum Mose: tum etiam malitia et inhumanitas, quod tot bonorum immemores, petulanter Mosi insultant. Sciebant fontes et fluvios non posse creari ab homine mortali: quorsum igitur cum eo litigant, nec recta Deum invocant, cuius in manu sunt aquae, ut reliqua elementa? Certe si qua fuisset in eis fidei gutta, ad precationem se vertissent. Itaque merito expostulat Moses quod secum iurgando Deum ipsum tentent. Quod vero Mosen accusant crudelitatis, quod eos traxisset ex Aegypto, ut cum liberis et pecoribus in deserto interficeret, quantae socordiae est? Sed hac de causa praecipue ipsos castigat Moses quod turbulento hoc iurgio tentetur Deus. Ipsa autem tentationis forma in fine exprimitur, quod scilicet dubitaverint essetne Deus in medio ipsorum an non. Unde sequitur, fontem totius mali fuisse diffidentiam: quod neque iustam laudem tribuerent

1) *In margine*: Tentatio et rixa.

Dei potentiae, neque veracem in suis promissionibus esse crederent. Susceperat enim eorum curam, et pollicitus fuerat se nunquam illis defuturum: cur ergo nunc, quum res ita exigit, non statuunt praesto sibi fore, nisi quod tam eius potentiae quam veritati maligne derogant?

4. *Et clamavit Moses.* Videtur hic clamor non fuisse compositus ad veram precandi normam, sed confusa querimonia fuisse mixtus, ad quam impulsus fuit Moses gravi animi perturbatione: sicuti interdum sanctos abripit immodicus ardor, ut orando potius fremant quam vota rite et moderate concipiant. Turbulentum enim vel obstreperum aliquid sonant haec verba. Quid faciam populo huic? ac si Moses indignatione percitus iniquo onere gravari se queratur quod libenter excuteret, si veniam et manumissionem impetrare posset a Deo. Quod sequitur varie exponunt interpretes. Quidam ita resolvunt: Nisi mox succurrat Deus, sed paulisper adhuc dissimulet, Mosen lapidatum iri. Alii vero, parum abest quin prosiliant ad me lapidandum. Sunt etiam qui in praeterito tempore legunt, quibus refragatur particula עוד quae in futurum respicit. Mihi illud magis probatur: Si Deus auxilium suum vel exiguo tempore differat, non posse retineri populi furorem quin Mosen lapidet.

5. *Et ait Iehova ad Mosen.* Prodire in medium iubet, ac si eum obiiceret praesenti mortis periculo, sed quia persuasus erat Moses in eius arbitrio esse, non minus sedare quamlibet saevos hominum impetus quam fluctus et tempestates maris, non trepidat neque refugit. Caeterum ita potentiam suam illustravit Deus, ut tamen populum a propiore conspectu submovens ignominia notaret. Transit quidem Moses coram omnibus, solos tamen seniores secum ducit, coram quibus aquam ex rupe eliciat, ut oculati sint testes miraculi. Haec media ratio neque obscuram esse patitur beneficii Dei gloriam et tamen indignum esse vulgus ostendit quod Deus ad spectandam suam virtutem admittat. Ut persuadeat baculum non fore vacuum efficacia, revocat in memoriam quod iam expertus erat. Neque tamen recenset omnia miracula: sed tantum attingit quod principio vidimus, tactu illius Nili aquas conversas fuisse in sanguinem. Quod Deus staturum se super rupem pronunciat, ad tollendam dubitationem tendit, ne Moses de eventu anxius sit, vel dubius: quia alioqui irrita fuisset ac lusoria rupis percussio. Animatur ergo Moses ad fiduciam: quia Deus, quem fidei obedientia ducem sequitur, per manum eius virtutem suam exseret, ne quidquam frustra vel absque effectu aggrediatur. Interea quamvis interponat servi sui operam laudem tamen operis sibi vendicat.

7. *Vocavitque nomen loci.* Potest quidem verbum hoc indefinite accipi, ac si dixisset nomen loco fuisse impositum: sed magis probabile est Mosen, Dei mandato sic locum vocasse, quod Israelitae crimen suum duplici nota insignitum melius agnoscerent. Quanquam non tantum eius sensum infigere voluit eorum animis, sed memoriam quoque ad posteros tradere. Eadem postea exprobratio repetita est in Cades, ut videbimus: quia prior notitia apud socordes oblivione sepulta erat. Porro tantundem valuit loci appellatio ac si terra ipsa clamasset, populum, pro ingenii sui pravitate, tumultuosum esse et incredulitati deditum. Tentatio autem contentionum mater est: quia quisquis Deo diffidit, quoties res non accidunt ex voto, ad fremendum et litigandum impellitur. Iam, dum refert Moses Israelitas tentasse Deum, dicendo: Estne Deus in medio nostri? non intelligit palam sic loquutos esse: sed quia huc tendebant eorum fremitus, quum ob aquae defectum contra Mosen insurgerent, ac clamarent se ab eo fuisse deceptos: ac si penes Deum nulla esset auxiliandi facultas. Etsi autem maligno et perverso populo aeternam ignominiae notam inussit Deus, admirabile tamen bonitatis suae specimen in eo edidit quod non tantum potum largitus est reficiendis corporibus, sed animas quoque dignatus est spirituali potu: quemadmodum testatur Paulus (1. Cor. 10, 4) petram fuisse Christum, et ideo aquam quae inde profluxit, calici sacrae coenae comparat. Ita videmus ut supra hominum malitiam exuberet immensa Dei misericordia, et vitia eorum in salutem vertendo, lucem ex tenebris educat: tantum abest ut quod ipsis utile est conferens, mercedem rependat eorum meritis. Sed tenenda est quae illic inseritur admonitio, nihil profuisse multis quod spiritualem potum biberint: quia scilicet tam singulare donum profanaverint suis sceleribus.

8. *Venit autem Amalec et pugnavit cum Israel in Raphidim.* 9. *Tunc ait Moses ad Iosuah: Elige nobis viros, et egrediens pugna contra Amalec: et cras ego stabo in vertice collis, et baculus Dei erit in manu mea.* 10. *Et fecit Iosuah sicut dixerat ei Moses, pugnando cum Amalec, Moses autem et Aharon et Hur ascenderunt in verticem collis.* 11. *Et factum est, quum levaret Moses manum suam, praevaluit Israel, et quum demitteret manum suam, praevaluit Amalec.* 12. *Manus autem Mosis erant graves: itaque tulerunt lapidem et supposuerunt ei, et sedit super illum, Aharon vero et Hur sustentaverunt manus eius, alter hinc et alter inde. Mansitque manibus suis firmis usque ad occasum solis.* 13. *Et fregit Iosuah Amalec et populum eius in ore gladii.* 14. *Tunc dixit Iehova ad Mosen, scribe illud pro memoriali in libro, et trade auribus Iosuah: quoniam delendo delebo memoriam Amalec de sub coelo.* 15. *Et aedificavit Moses altare:*

vocavitque nomen eius Iehova miraculum meum [1]). 16. *Et dixit: Certe manus super solium Iehovae: proelium Iehovae cum Amalec a generatione in generationem.*

8. *Venit autem Amalec.* Hos Deus primos hostes obiecit Israeli, postquam ab Aegyptiis liberatos aliquanto tempore in quiete et otio continuerat. Duabus autem maxime de causis bello tunc impeti voluit: vel quo poenam exigeret de recenti illorum scelere, vel quo eorum desidiam corrigeret, ne peccandi esset illecebra. Quemadmodum enim inter milites saepe ex laborum remissione oritur seditio, ita quo magis huic populo parcebat Deus et indulgebat, eo magis crescebat petulantia. Non mirum igitur si bello expergefacti fuerint, quum ex tranquillo statu lasciviendi occasionem sumerent. Ipsos vero Amalecitas quidam divinant hoc consilio ad arma fuisse impulsos, primum ut paternae abdicationis ultores essent: deinde quod eos urebat invidia, nec volebant posteros Iacob potiri haereditate a qua deiectus fuerat Esau, cuius nepos fuerat Amalec gentis autor. Et certe probabile est memoriam iniuriae quae patri inflicta fuerat, adhuc durasse, et a diabolo fuisse instigatos, ut Dei promissio, qua ius primogeniturae ab Esau ad Iacob transierat, irrita esset, careretque suo effectu. Haec quidem bellandi ratio esse illis potuit: sed aliud spectavit Deus, ut scilicet populum, subacta protervia magis obsequentem sibi redderet. Et forte ideo subducto Mose ducem praefecit Iosuah, ut signum aliquod indignationis daret. Etsi enim non obscure illis opitulatus est, sed victoriam adepti sunt eius gratia, et Mosis precibus: voluit tamen eos per Mosis absentiam commonefieri de recenti offensa: ut metu humiliati, suppliciter veniam petendo, ad eius auxilium attentiore cura confugerent. Delectos viros egredi iubens, partim totum populum animat, et erigit in spem victoriae, quia non dignetur cunctum exercitum opponere hostibus repellendis: partim consulit imbellis turbae infirmitati, ne pavore concidat, si hostes in media castra irruant. Neque enim Moses proprio consilio quidquam agit: sed stationem divinitus sibi assignatam occupat in vertice montis, ut procul hostem oppugnet: alios vero committit ad propiorem pugnam, ut manus conserant: quoniam ita Deo placuit aciem ordinare. Ac certum est, non ut sibi caveret conflictum fugisse: sed quia Deus mandaverat alias partes. Idque inde apparet quod baculum Dei gestando, tanquam dux et signifer felicem belli eventum, de quo factus erat certior, illis promittit. Pluris enim fuit unus ille baculus quam si praeeuntibus mille vexillis in proelium deducti essent. Porro iam ante admonui, baculum vocari nunc Dei, nunc Mosis, nunc Aharon, diverso respectu, quia instrumento illo usus est Deus ad exercendam virtutem suam per ministros. Ita nihil laudi suae derogat Deus, ubi efficaciter operatur per ministros. Quod autem copiis dux praeficitur Iosuah, praeludium fuit futurae eius vocationis: de qua videbimus suo loco. Nondum enim in eum gradum conscenderat ut secundus esset a Mose: nisi quod extraordinarium ei imperium divinitus mandatur.

10. *Et fecit Iosuah sicut.* Tametsi nihil detrectat Iosuah, sed quod sibi cognoscit mandari ex Dei ore, sedulo exsequitur, et probabile est milites, quos sibi comites adiunxerat, probe suis partibus functos esse: diserte tamen exprimitur, non fuisse propria virtute, vel conatu, vel industria, vel bellica ulla virtute adeptos victoriam, sed Mosis precibus: quarum fultura tam dux quam exercitus steterunt. Neque tamen hic iactanter commendat Moses suum in orando studium: quin potius infirmitatis suae publicus est testis ac praeco, ut gloria in solidum maneat penes gratuitum Dei favorem. Nec vero dubium est quin huius quam postea fatetur infirmitatis sibi conscius, socios asciverit Aharon et Hur, qui laboranti suppetias ferrent. Quod in his duobus viris quidam figuram proponi volunt veteris et novi testamenti, quibus inniti sanctorum preces necesse est, ab iis vero lapidem Mosi in quem recumberet fuisse oblatum docent, (quia nonnisi in Christo fides nostra fundata est) argutum magis est quam firmum. Scio quam plausibiles sint eiusmodi allegoriae: sed quod nuper dixi, mihi sufficit, quum suae imbecillitati diffideret Moses, duos adiutores quaesiisse. Et certe quum eius manus attollerent, mentes ipsi quoque habebant sursum erectas, ut communibus votis Deum simul precarentur. Sed de se praecipue loquitur Moses, ut doceat munus hoc sibi a Deo fuisse impositum. Non enim vota solum ex caritatis officio concepit: sed quia eum intercessorem Deus elegerat, qui virgae extensione et tacito precandi ardore hostes eminus vinceret. Qua in parte typum Christi gessit: quanquam in aliis partibus non quadraret similitudo. Nec tamen dubium est quin defectus ex summa attentione, et singulari zeli vehementia natus sit: ideoque laus cum vitio coniungitur, sicuti dum ingenti conatu feruntur sancti ad precandum non modo languescit in illis vigor, sed suo ardore fere consumpti deficiunt.

13. *Et fregit Iosuah Amalec.* Copula illativae particulae loco sumitur: quia hinc superiores hostibus fuisse Israelitas colligit Moses, quod constanter orando perseveraverit. Et tacita subest antithesis inter manuum firmitatem et debilitationem hostium: ut sciamus non tam gladiis quam virgae elevatione et

1) *In margine:* Vel, exaltatio mea. *In gallico:* ou, ma baniere.

sancti viri deprecatione hostes fractos vel contritos fuisse.

14. *Tunc dixit Iehova ad Mosen.* Hoc praecepto admonuit Deus, rem se gessisse quae non sermone tantum celebrari debeat, sed apud posteros quoque aeternam gloriam mereatur. Ideo enim in libro scribi iubet, ne unquam intercidat eius memoria. Quod de libro curiosius disputant interpretes, supervacuum mihi videtur: quia simpliciter vult Deus exstare omnibus saeculis huius rei monumentum: quod hac narratione praestitit Moses, quia cum perpetua et immortali legis doctrina huius gratiae elogium scripto prodidit usque ad finem mundi. Quanquam non tantum scribi voluit memorabilem huius pugnae eventum, sed Iosuam de ea commonefieri, ne sub tot, quae eum manebant, difficultatibus fatisceret. Nihil enim melius eum potuit invicta constantia fulcire quam huius historiae recordatio: unde statuere licebat, populum sub Dei auspiciis semper fore victorem. Etsi autem non statim impleta fuit haec promissio, sed longo post tempore demum a Saule deleti Amalecitae fuerunt: plurimum tamen ad stimulandum Iosuam et populum valuit, quod scirent Amalec, qui primus bellum intulerat, coelesti decreto iam esse damnatum, nec interitum cui addictus erat posse effugere.

15. *Et aedificavit Moses altare.* Nempe ut solenni sacrificio testatam faceret suam gratitudinem, non ipse modo, sed totus populus: quod ipsum altaris nomen demonstrat. Neque enim erigere Deo statuam voluit, vel altare ornare Dei titulo: sed hunc sibi finem esse propositum ostendit, ne prospero successu inflati Israelitae vires suas iactarent, sed in solo Deo gloriarentur. Cur vertant quidam miraculum non video: quia נס haud dubie semper pro vexillo capitur. Quanquam non inficior pro exaltatione metaphorice hic poni; ac si dixisset Moses, Deum qui Israelitas sustinuit dignum esse qui solus emineat inter ipsos.

16. *Et dixit: Certe manus super.* Eandem quam nuper ex ore Dei protulit sententiam repetitione confirmat: nempe Deum semper infensum Amalecitis fore, donec eos prorsus exciderit. Quid tamen sibi velit haec loquutio: Manus super solium Iehovae, non convenit inter interpretes. Quidam formulam iurisiurandi esse putant, quod Deus per solium suum iuraverit. Alii per solium intelligunt ecclesiam, quae est requies Dei, in qua sedere dicitur. Atqui non dubito, quod dictum fuerat de perdenda et exstinguenda memoria Amalec, hac ratione confirmari, quod sicuti Deus est omnipotens, ita cum impia illa gente proeliabitur. Dicitur ergo manus esse supra solium Dei, quia non otiosus in coelo sedet, (sicuti fingunt Epicurei) sed imperium exercet in mundi gubernatione: ac si dixisset, Deus qui potenter dominatur, et qui manu sua et virtute omnia temperat et moderatur, sustinet atque evertit, quamdiu regnabit in solio suo summa et formidabili potestate praeditus, nunquam desinet Amalecitas iusta vindicta persequi. Ac fieri quidem potest ut varias de illis poenas exegerit, ultima tamen clades usque ad tempus Saulis dilata fuit.

CAPUT XVIII.

1. *Audivit autem Iethro sacerdos Midian, socer Mosis, omnia quae fecerat Iehova Mosi, et Israeli populo suo: nempe quod eduxisset Iehova Israelem ex Aegypto.* 2. *Tulit ergo Iethro socer Mosis uxorem Mosis, postquam miserat eam.* 3. *Duos quoque filios eius: quorum nomen unius erat Gerson: quia dixerat, peregrinus fui in terra aliena.* 4. *Nomen vero secundi Eliezer: quia Deus patris mei in auxilium meum, et eripuit me e gladio Pharaonis.* 5. *Venit itaque Iethro socer Mosis, et filii eius, et uxor eius ad Mosen in desertum, ubi castra fixerat prope montem Dei.* 6. *Et dixit ad Mosen: Ego socer tuus Iethro venio ad te, et uxor tua, et duo filii eius cum ea.* 7. *Egressus autem Moses in occursum soceri sui, incurvavit se atque osculatus est eum: et interrogavit alter alterum de pace, veneruntque in tabernaculum.* 8. *Et narravit Moses socero suo quaecunque fecerat Iehova Pharaoni et Aegyptiis propter Israel, et omnem molestiam quae invenerat eos in itinere, unde liberaverat eos Iehova.* 9. *Et laetatus est Iethro, super omni beneficentia quam exercuerat Iehova erga Israelem qui liberaverat eum e manu Pharaonis.* 10. *Et ait Iethro, Benedictus Iehova, qui liberavit vos e manu Aegyptiorum, et e manu Pharaonis, qui liberavit populum e subiectione manus Aegyptiorum.* 11. *Nunc cognosco quod magnus Iehova prae omnibus diis: quia secundum rationem qua superbe egerunt contra eos.* 12. *Et accepit Iethro socer Mosis holocaustum et sacrificia ad Deum. Venitque Aharon et omnes seniores Israel ad comedendum panem cum socero Mosis coram Deo.*

1. *Audivit autem.* Duae sunt huius capitis partes. Initio enim narratur adventus Iethro in castra et gratulatio ob res feliciter a Mose gestas, coniuncta cum laude Dei et sacrificio: deinde exponitur eius consilium quoad gubernandi populi formam: quo factum est ut eligerentur iudices ac praefecti, ne Moses oneri succumberet. Existimat autem maior pars interpretum Sephoram, quia excanduerat ob circumcisionem filii, ex itinere reversam, et cum patre habitasse: quod mihi probabile non videtur. Nec vero unquam passus esset Moses filios suos

expertes esse redemptionis, cuius ipse erat minister, nec consentaneum fuisset, sacerdotes deinde creari, quorum non fuisset Deus redemptor. Adde quod, si uxore et liberis in tuto depositis, solus se in certamen obtulisset, merito suspectus fuisset astutiae, vel nimiae timiditatis. Itaque non dubito quin simul cum familia miserum illud servitutis iugum, quo pridem oppressi fuerant, subierit, atque hoc documento fidem suam probaverit, ut maior esset vocationi autoritas. Quod ergo dicitur in secundo versu, Postquam miserat eam, ad Mosen refero, quod scilicet e deserto uxorem suam miserit, quae patrem inviseret: sive hoc concesserit muliebri desiderio, sive pietatis affectu adductus senem propinqua affinitate devinctum hac observantia colere voluerit. Nam quod subaudiunt quidam, posteaquam dona misisset, frigidum ac coactum est. Optime autem fluit hoc modo contextus: Postquam miserat Moses uxorem, reductam a socero fuisse, ut mutuam vicem benevolentiae rependeret.

3. *Duos quoque filios.* Quam illustre non fidei modo sed magnitudinis animi et constantiae documentum ediderit Moses haec filiis nomina imponens, dictum est suo loco. Odium enim sibi haud dubie apud affines conflabat, ac si patriam uxoris sperneret, vocando terram alienam: et nomen filii assidue clamabat, quamvis regionem Madian incoleret, animo tamen esse inquilinum, et ita ad tempus peregrinari, ut aliam habitationem quaereret. Unde etiam coniicere licet eos potius secum duxisse in Aegyptum, quam ob subitam iracundiam ac iurgium uxoris ablegasse duo pietatis suae pignora, quorum nominibus quotidie admonebatur foedus Dei terrenis omnibus commodis esse praeferendum

5. *Venit itaque Iethro.* Senem aetate confectum non tam Mosis caritas quam miraculorum fama domo extraxit, ut in desertum veniret. Nam ambitione non fuisse impulsum, mox ex contextu patebit: quia postquam obtulit Deo sacrificium: et solenni gratiarum actione testatus est totam gloriam se uni Deo adscribere, domum eadem qua venerat simplicitate reversus est. Et profectionis causam Moses initio capitis expressit, neque enim dixit audisse de adventu generi: sed quam admirabilis fuisset Dei bonitas et virtus in liberando Mose et populo. Eorum ergo quae audierat voluit aliqua ex parte esse spectator, ne tam praeclara Dei beneficia, domi sedendo, negligeret. Cur montem Oreb Dei nomine insigniat prius exposui. Visio quidem illic ante Mosi oblata hoc honorifico titulo digna erat: sed magis hic (sicuti antea) respicitur legis promulgatio, qua Deus sibi montem consecravit.

7. *Egressus autem Moses.* Primo versu narravit quod ordine posterius erat, Iethro dixisse: Ecce adsum et adduco tibi uxorem et liberos: sed haec conversio Hebraeis trita est. Nunc ergo addit, Mosen venisse obviam honoris causa, et ambos humaniter inter se congressos, et ultro citroque functos esse benevolentiae officiis. Interrogare de pace tantundem valet ac sciscitari an res salvae sint ac prosperae. Sed hoc praecipuum caput est, Mosen recitasse quam beneficus fuisset Deus erga populum. Huc autem spectabat tota oratio, quum a socero discesserat, non fuisse levitate impulsum, sed Dei vocationi obtemperasse, quae deinde singularibus auxiliis et coelestibus prodigiis probata fuerat.

10. *Et ait Iethro: Benedictus.* Hinc apparet, quamvis Dei cultus passim tunc vitiatus esset alienis mixturis, Iethro tamen non ita fuisse superstitionibus deditum quin verum Deum agnosceret ac coleret. Neque tamen prorsus ab omni errore purum fuisse ac vacuum, subindicat comparatio quam subiicit, Iehovam esse maiorem diis omnibus. Etsi enim saepe ita loquuntur prophetae, sensu tamen differunt. Interdum enim extollitur Deus supra angelos, ut solus emineat, omni etiam coelesti excellentia in ordinem coacta: interdum autem improprie maior vocatur, non quia gradum aliquem teneant dii fictitii, sed ut in nihilum redigatur quae illis falso et stulte tribuitur in mundo sublimitas. Hic autem Iethro ex communi opinione turbam minorum deorum subesse imaginatur summo Deo. Ita, ubi non relucet pura Dei veritas, nunquam liquida est et incorrupta religio, sed aliquid faecis habet admixtum. Simul tamen videtur Iethro nonnihil profecisse: quia nunc se Dei potentiam cognoscere affirmans, subindicat se rectius quam antea sapere. Nisi forte de experimentali scientia accipere libeat, quae ipsos quoque fideles confirmat, ut Deo iam ante cognito se libentius subiiciant. Interea dubium non est quin sub Iehovae nomine Deum Israelis designet: quia etsi ubique iactabant se Deum aeternum colere, veram tamen deitatem asserens uni, reliquos omnes subtus eum locat. Quidquid sit fatetur redemptionis historia edoctum fuisse de immensa virtute Dei qui se patefecerat in Israel, ut prae ipso contemnat quidquid deorum alibi colebatur in mundo. Clausula versus abrupta est: sic enim legitur: Secundum verbum (vel rationem) in quo violenter se gesserunt contra eos. Ita deest verbum principale, quod Deus iustam crudelitatis mercedem rependerit in Aegyptiis: sicuti iudicium sine misericordia denunciat omnibus qui proximis superbe et sine misericordia insultant (Iac. 2, 8): secundum illam Christi sententiam: Qua mensura mensi fueritis et caett. (Matt. 7, 2). Quod autem ita quidam exponunt, Aegyptios mari rubro submersos, qui pueros infantes in fluvio suffocaverant,

videtur nimis esse restrictum. Itaque ad omnia poenarum exempla malo extendere.

12. *Et accepit Iethro.* Quanquam non arbitror Iethro prius sacrificasse idolis: quia tamen nonnisi implicita et confusa fide ignotum Deum colebat, apparet hoc primum fuisse sincerum et legitimum eius sacrificium, ex quo Deus Israel ei propius innotuerat. Rite quidem fuisse oblatum inde colligitur, quod Moses et Aharon et seniores se consortes esse et socios professi sunt. Neque enim simpliciter dicuntur venisse ad comedendum panem, sed coram Deo, qua voce exprimitur sacrum et solenne epulum, quod pars et accessio erat oblationis et divini cultus. Atqui nunquam sponte in gratiam profani hominis se polluissent inquinamentis gentium. Sequitur ergo, hoc pietatis fuisse testimonium, cuius non dubitarunt fieri participes. Deum quidem prae oculis habere convenit, quoties eius liberalitate fruimur, sed loquutionem hanc peculiariter sacrificiis aptari, ubi se in Dei conspectum sistunt fideles, postea videbimus. Neque tamen concedo, iure sacerdotii quod exercebat Iethro in terra Madian, victimas immolasse: sed quia ante legem a Deo praescriptam maior erat libertas ut suo loco dicetur. Caeterum man vocari panem absque controversia statuo.

13. *Accidit autem postridie ut sederet Moses ad iudicandum populum: stabatque populus iuxta Mosen a mane usque ad vesperum.* 14. *Et videns socer Mosis omnia quae faciebat ipse erga populum, dixit: Quid est quod tu facis populo? quare tu sedes solus, et universus populus stat iuxta te a mane usque ad vesperum?* 15. *Et respondit Moses socero suo: Quia venit populus ad me ad quaerendum Deum.* 16. *Quum est illis negotium veniunt ad me, et ego iudico inter quemque et proximum eius, et ostendo statuta Dei et leges eius.* 17. *Tunc dixit socer Mosis ad eum, non est bonum quod tu facis.* 18. *Deficiendo deficies tam tu quam populus iste qui tecum est: Nam haec res gravis est supra tuas vires: non poteris ergo praestare solus.* 19. *Nunc audi vocem meam: consilium tibi dabo, et erit Deus tecum. Esto tu pro populo coram Deo, ut referas causas ad Deum.* 20. *Docebisque eos statuta et leges, et ostendes eis viam in qua ambulent, et opus quod faciant.* 21. *Tu autem deliges ex toto populo viros fortes, timentes Deum, viros veraces, qui oderint avaritiam: praeficiesque eis tribunos, centuriones, quinquagenarios, et decanos.* 22. *Qui iudicent populum omni tempore: si autem acciderit negotium magnum, ad te referent, omnem vero leviorem causam iudicabunt ipsi: et tibi levius erit onus, quia sufferent ipsi tecum.* 23. *Si hoc feceris, et praeceperit tibi Deus, poteris stare: atque etiam populus hic ad locum suum veniet in pace.* 24. *Obedivit Moses voci soceri sui: et fecit omnia quae ille dixerat.* 25. *Et elegit Moses viros fortes ex toto Israel, et constituit eos capita super populum, principes super mille, centuriones, quinquagenarios, ac decanos.* 26. *Qui iudicabant populum omni tempore, ardua referebant ad Mosen: omnem vero rem parvam iudicabant ipsi.* 27. *Dimisit autem Moses socerum suum, et abiit ad terram suam.*

13. *Accidit autem.* Hic res memorabilis et cognitu valde utilis inseritur: in illa gubernationis specie, cui praeerat Deus, et quam raro gloriae suae fulgore ornabat, aliquid fuisse reprehensione dignum quod correxit Iethro: deinde Mosen ipsum, summum prophetam, et cui tunc soli familiaris erat Deus, merito fuisse reprehensum quod se et populum inconsiderate nimio labore consumeret. Fuit hoc praeclarae virtutis et heroici animi, tot subire molestias, tot perferre taedia, nec lassitudine frangi, quin se quotidie novo labori offerret. Fuit etiam haec nunquam satis laudata magnitudo animi populo tam maligno et perverso gratis se impendere, nec desistere a proposito, quamvis iniquam mercedem videret rependi suis beneficiis. Vidimus enim probris et contumeliis saepius affectum, iurgiis et minis impetitum fuisse: ut plusquam mirum sit non fuisse alienatum laesa toties patientia. Hic certe multae virtutes reperientur maximis encomiis dignae. In illis tamen laudibus vitium deprehendit Iethro. Unde monemur in excellentissimis quibusque hominum factis semper latere aliquem defectum, ac vix ullum exstare ita perfectum omnibus numeris, quin naevo aliquo aspersum sit. Sciant igitur quicunque regendis populis praefecti sunt, quantumvis strenue munus suum exerceant, si tamen ad examen vocetur optima quam tenent ratio, aliquid posse desiderari. Proinde sciant tam reges et magistratus quam ecclesiae pastores, ubi nervos omnes intenderint ad praestandum officium, restare tamen semper aliquid quod in melius corrigi queat. Hic etiam notare operae pretium est, neminem unum ex mortalibus, quantiscumque et quamlibet variis dotibus excellat, posse ad omnes partes subeundas sufficere. Quis enim Mosi aequabitur, quem tamen videmus oneri fuisse imparem, quum totam regendi populi curam susciperet? Discant igitur servi Dei probe metiri suas vires, ne cupide nimis multa negotia amplexando, fatiscant. Est enim nimium vulgaris morbus πολυπραγμοσύνη, et maiore impetu plurimos rapit quam ut statim fraenari queat. Ergo, ut se quisque contineat intra suas metas, discamus in genere humano sic temperatum esse divinitus ordinem ut singuli certa tantum donorum mensura praediti sint: unde pendet munerum distributio. Quemadmodum enim non unus solis radius mundum illustrat, sed omnes in unum quasi operas simul conferunt: ita Deus, ut sacro et inso-

lubili vinculo homines in mutua societate et benevolentia retineat, varie dispensans sua dona, nec quemquam solida perfectione supra modum extollens, alios aliis obligat. Vere ergo scribit Augustinus, Deum in hoc actu humiliasse servum suum: quemadmodum Paulus refert sibi colaphos esse inflictos per angelum Satan, ne sublimitas revelationum nimis eum extolleret (2. Cor. 12, 7).

15. *Et respondit Moses socero.* Ingenue respondet Moses tanquam de re maxime laudanda, ut qui nullius vitii conscius sibi erat. Se enim Dei ministrum, et spiritus eius organum esse profitetur. Nec vero in quaestionem venire potuit eius fides ac integritas. In eo tantum peccabat, quod se immodico labore obruens, neque sibi privatim, nec publice aliis omnibus consuleret. Caeterum ex eius verbis colligitur utilis doctrina. Dicit litigatores venire ad Deum quaerendum, se vero docere leges et statuta Dei. Unde sequitur, huc spectare politicum ordinem, ut erectum sit Deo tribunal in terra, in quo iudicis munus exerceat, ne iudices et magistratus potentiam sibi arrogent nullis legibus subiectam, ne sibi quidquam pro libidine vel arbitrio decernere permittant, ne denique ad se trahant quod Dei proprium est. Tunc enim demum probe se gerent magistratus, si Dei vicarios se esse meminerint. Religio etiam omnibus privatis iniicitur, ne temere fidem vel auxilium iudicum implorent, sed sincero affectu illuc accedant tanquam ad Deum quaerendum. Quisquis enim aliud appetit quam discere ex ore magistratus quid rectum ac iustum sit, sacrilega audacia locum illum Deo dicatum violat.

17. *Tunc dixit socer Mosis.* Non damnat praecise totam illam rationem quam ante sequutus erat Moses (sicuti morosi homines, vel protervi, vel ambitiosi, pusillum nescio quid carpendo, praeclara aliorum facta obscurant,) sed tantum partem unam corrigens, nihil de iusta laude Mosi detrahit, et ius quod Deus contulerat intactum relinquit. In quo notanda est eius moderatio, quod praetextu vitii particularis non abutitur ad mutandum verum ordinem: sed tantum admonet quomodo utiliter exsequi possit Moses partes sibi divinitus iniunctas.

19. *Consilium tibi dabo.* Audet quidem Iethro felicem eventum promittere, si consilio suo obtemperet Moses: neque tamen superbe iactat hunc fore prudentiae suae fructum sed Dei benedictioni et gratiae adscribit, si prospere succedit etiam ubi nihil nisi optima ratione instituitur. Hoc enim sonat loquutio, consilium sibi occurrere, quod si Moses sequatur, Deus benedicet. Neque tamen obtrectat Mosi, quasi pio eius studio et industriae hactenus non adfuerit Deus: quin potius subindicat, Deum esse huius consilii autorem, quod gratia sua prosequetur. In summa, negat se huc tendere ut vel tantillum diminuat ex Dei gratia quam expertus erat Moses: sed modum ostendere quem Deus effectu comprobabit. Sequitur deinde altera pars quam attigi, nempe quod iure suo non spoliat Mosen, ut Dei vocationem evertat, sed potius ad pergendum hortando, quod semel a Deo mandatum est, vult fixum et inviolabile manere. Hoc iam diligenter expendere convenit, consilia ex utilitate et rebus natis sic debere capi ut Dei ordinationi nihil decedat: quia nefas est in quaestionem trahere parendum sit necne eius imperio. Itaque maledictae sunt deliberationes, quibus aliquid in Dei verbo mutare, vel nos extra vocationis nostrae metas abducere propositum est. Diximus, molem illam qua opprimebatur Moses, non fuisse a Deo impositam: sed tantum populo fuisse ducem praefectum, quoad ferret eius facultas. Hoc intactum relinquit Iethro, adeoque confirmat ac si coelesti decreto subscriberet. Quia electus erat tanquam interpres, et eum familiariter admittebat Deus ut inter se et populum medius esset, iubet in hac functione insistere: Quia autem summam gubernationis tenere non pugnabat cum prophetae officio, maiores etiam causas ad eum referri iubet. Sic enim interpretor statui Mosen e regione Dei in tradenda pietatis regula, et obeundo munere prophetico: referri autem graviores causas a praefectis ad ius suum cuique reddendum.

21. *Tunc autem deliges ex toto.* Ad verbum, providebis, quod tantundem valet ac delectu habito dignissimum quemque assumere: ne scilicet obvio cuique tanta provincia temere mandetur. Hoc autem in libero populo maxime consentaneum, non a censu vel divitiis iudices legi, sed qui virtute excellerent. Quanquam autem rectum est primum haberi virtutis respectum, ut si quis in plebe reperiatur prae aliis idoneus, potior sit nobili aut divite: perpetuam tamen legem et necessitatem inducere si quis velit, merito contentiosus censebitur. Enumerat autem Iethro quatuor dotes quae potissimum in iudicibus creandis spectandae sunt, nempe strenuitatem in rebus agendis, timorem Dei, integritatem, et opum contemptum: non ut alias excludat, quarum primo capite Deuteronomii fit mentio, ut paulo post videbimus: sed ut significet non quoslibet esse idoneos, imo requiri eximias virtutes, quas per synecdochen sub his quatuor designat. Ubi vertimus viros fortes, hebraice legitur viros fortitudinis: quo nomine putant quidam robustos et laboriosos notari. Sed potius (meo iudicio) designat Moses strenuos et cordatos, quos opponit non tantum ignavis, sed socordibus etiam ac timidis. Verum quia absque timore Dei evanidus est tam animi quam corporis vigor, pietatem adiungit secundo loco, ut in munere suo versentur tanquam rationem Deo redditúri. Veritas non fraudibus tantum et crassis mendaciis, sed ambitioni, blandis pollicitationibus, aliisque obliquis artibus, quae

tendunt ad corrumpenda iudicia, opponitur. Ultimo exigitur odium avaritiae: quia nihil magis aequitati contrarium quam lucri cupiditas. Quoniam autem ut plurimum tenduntur insidiae iudicibus, oblato quaestu, non satis muniti essent contra hoc genus corruptelae nisi avaritiam ex professo detestarentur.

23. *Si hoc feceris.* Quod proxime sequitur, Praeceperit tibi Deus, coniunctum legi potest cum initio versus, idque vice correctionis: quasi modeste Iethro exciperet, non aliter se cupere obtemperari suo consilio nisi Deo probetur. Alii latius extendunt: Si Moses iussa Dei in omnibus sequatur, temperamentum hoc fore utile. Utrovis modo accipias, declarat Iethro nihil velle sibi concedi quod summo Dei imperio deroget: verum nihil obstare quominus Moses (ut antea solitus erat) Deum sequatur ducem, et tamen proposita sibi ratione utatur. Hanc vero temporalem esse significat, quum addit populum in pace vel prospere venturum esse in terram Chanaan. Noluit igitur Iethro legem posteris figere: sed quoad quietam stationem adeptus esset populus, remedium praesentibus incommodis, atque (ut vulgo loquuntur) modum promissionis ostendit.

24. *Obedivit Moses.* Singulare modestiae exemplum, quod Moses soceri consilio submittere se non gravatur. Etsi enim aetate et affinitatis gradu superior erat Iethro, aliis tamen rationibus longe erat inferior. Quod ergo eius autoritati cedit Moses, summis quibusque et praestantissimis doctoribus legem praescribit, ne parere detrectent eorum monitionibus quos recta praecipere agnoscunt: quamvis non tanta dignitate sint praediti. Vere enim Cyprianus neminem bonum esse doctorem pronunciat qui non idem sit docilis. Quod domum statim rediit senex, non contemptu, vel laboris et molestiae taedio, sed aetatis excusatione factum esse credibile est. Filium tamen in castris mansisse, postea suo loco videbimus.

EX DEUTER. CAPITE I.

REPETITIO EIUSDEM HISTORIAE.

9. *Dixi vobis in tempore illo, dicendo: Non possum solus ferre vos.* 10. *Iehova Deus vester multiplicavit vos, ita ut sitis hodie sicut stellae coeli in multitudine.* 11. *Iehova Deus patrum vestrorum addat super vos sicut estis, mille vicibus, et benedicat vobis quemadmodum loquutus est vobis.* 12. *Quomodo feram solus laborem vestrum, et onus vestrum, et lites vestras.* 13. *Date ex vobis viros sapientes et intelligentes, et peritos* [1]) *e tribubus vestris, ut praeficiam illos vobis.* 14. *Et respondistis mihi atque dixistis: Bona res est quam dixisti ut faciamus.* 15. *Tulique principes tribuum vestrarum, viros sapientes et peritos ac constitui eos principes super vos, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decuriones, et praefectos tribubus vestris.* 16. *Atque praecepi iudicibus vestris tempore illo, dicendo: Audite inter fratres vestros, et iudicate iuste inter virum et fratrem suum, et inter peregrinum eius.* 17. *Non agnoscetis faciem in ipso iudicio: sicut parvum, sic et magnum audietis: non timebitis a facie cuiusquam, quia iudicium Dei est: rem autem quae gravior erit vobis, referetis ad me, et audiam illam.* 18. *Praecepique vobis tempore illo omnia quae facere deberetis.*

9. *Dixi vobis in tempore.* Hic non recitat aliunde suggestum sibi fuisse consilium de iudicibus creandis: fortasse quia apud superbos et praefractos nullum proferre nomen ausus est, ne rem alioqui optimam odio alienigenae autoris respuerent. Nec vero dubium est quin nunc recenseat quod prius fuerat gestum. Ergo, tanquam ex proprio sensu, excusat, oneri se esse imparem si solus praesit toti populo. Causam adducit quod immensa sit multitudo, in qua necesse sit subinde oriri multas lites et controversias. Quod autem dicit auctos esse, non debet initium temporis sumi ab egressu, sed raram et incredibilem Dei gratiam commendat, quod sub saeva tyrannide, quum internecioni addicti essent, tantopere excreverant. Et precationem adiungit, ut in futurum quoque tempus eadem benedictio vigeat. Quibus tamen verbis admonet, molem gubernandi in dies magis arduam fore et onerosam: quo facilius persuadeat, mature decernendum esse quod vitari tandem non posset.

13. *Date ex vobis.* Hinc clarius apparet, non unius Mosis arbitrio creatos fuisse, sed populi suffragiis electos qui iudiciis praeessent. Atque haec maxime optabilis est libertas, non cogi nos ad parendum quibuslibet, si per vim impositi fuerint nostris capitibus: sed electionem permittit, ut nemo dominetur nisi qui probatus fuerit. Quod sequenti versu melius confirmatur, ubi narrat Moses se exspectasse populi consensum, nec quidquam aggressum esse quod non omnibus placeret. Porro non easdem recenset virtutes, quarum facta est mentio Exodi 18. sed tribus solum elogiis iudices insignit, nempe ut sint prudentes, et intelligentes, et periti: quae omnia in unum caput recidunt, ut polleant ingenii acumine, et prudentia quae usu et exercitatione confirmata sit. Neque enim ad regendi munus sufficeret vel summa probitas, vel diligentia, si abesset solertia et sagacitas. Primum vero nomen quod Hebraei saepe in malam partem pro vafris et astutis accipiunt, hic acutos et perspicaces significat. Secundo prudentes vel recto iudicio et discretione

1) *Princeps:* notos.

praeditos notari interpretor. Tertium potest tam passive quam active sumi. Ideo quidam vertunt notos, vel compertos et exploratos. Praesenti tamen loco activa significatio melius quadrat. Atque ita in iudicibus peritia requiritur, et rerum cognitio: quia vix ad res gerendas idonei erunt, nisi qui exercitati fuerint.

16. *Atque praecepi iudicibus vestris.* Haec exhortatio non legitur Exodi 18. ubi non aliud Mosi propositum fuit, quam originem novae mutationis monstrare. Nunc vero, omissa soceri laude, tantum reducit Israelitis in memoriam quid cum illis egerit. Summa autem exhortationis est, ut iudicent ex aequo inter fratres: quod melius exprimitur proximo versu, ubi vetantur facies accipere. Nulla enim deterior corruptela quam iudicare ex personae intuitu, qui semper a causa mentes hominum abducit. Unde merito haec inter se opponit Christus, iudicare recte, et secundum aspectum. (Ioh. 8, 7). Hoc etiam viderunt philosophi, dum monuerunt, quoad fieri potest, certis legibus constringendos esse iudices, ne soluti huc et illuc favore vel odio flectantur. Et sane ubi suppetet ingenii dexteritas, semper vigebit aequitas et rectitudo, nisi personae iudicem ad se rapiant. Porro quid sit agnoscere personas, ex contextu liquet, ubi prohibet ac damnat Moses discrimen parvi et magni. Etsi autem miseris et pauperibus iudices saepe iniuriam ob contemptum inferunt, praecipuum tamen vitium notat Moses, dum hortatur ne quem metuant, quia ut plurimum contingit iustos alioqui, et ad aequi rectique studium propensos, de gradu moveri, dum potentium minas formidant, nec audent viriliter se opponere invidiae. Ergo magnanimitatem in iudicibus requirit Moses, ne dubitent quaevis odia in se conflare ut bonas causas tueantur. Verum in primis notanda est ratio qua metum et trepidationem castigat. Neminem enim mortalium metuendum esse dicit, quia iudicium Dei est. Ubi non simpliciter admonet (sicuti quibusdam videtur) reddendam esse rationem Deo: sed docet quam absurdum sit a recto cursu deflectere hominum metu: quia ita prostituitur ludibrio Dei maiestas: ac si diceret praestandum hunc esse honorem Deo, cuius personam sustinent, ut e sublimi despiciant cunctos homines, atque ita inflexibili animi magnitudine compescant improborum audaciam, ut solus Deus emineat. Eodem spectant verba Iosaphat: Videte quid agatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Dei (2 Chron. 19, 6). Hoc si penitus infixum esset tam magistratuum quam pastorum animis, non ita subinde vacillarent: quia praesidio Dei freti starent firmi contra omnes terrores, quibus misere agitantur. Quare hac se doctrina fulciant quicunque ad publicum aliquod munus vocati sunt, Dei se negotium gerere, qui facile tam a violentia quam insidiis totius mundi incolumes ipsos praestabit. Simul tamen docemur his verbis praefecturas omnes Deo sacratas esse, ut quicunque ad eas vocati sunt, reverenter et sollicite Deo serviant, ac semper reputent, eius esse imperium cuius sunt ministri.

EXODI CAPUT XIX.

1. *In mense tertio postquam egressi erant filii Israel e terra Aegypti, ipso die venerunt in desertum Sinai.* 2. *Profecti ergo e Raphidim venerunt in desertum Sinai, et castrametati sunt in deserto: mansitque illic Israel e regione montis.* 3. *Moses autem ascendit ad Deum, et vocavit eum Iehova e monte, dicendo: Sic dices domui Iacob et annunciabis filiis Israel.* 4. *Vos vidistis quae feci Aegyptiis, et ut portaverim vos quasi super alas aquilarum, et adduxerim vos ad me.* 5. *Nunc ergo si obediendo obedieritis voci meae, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium* [1]) *prae omnibus populis, quia mea est* [2]) *universa terra.* 6. *Et vos eritis mihi regnum sacerdotale, et gens sancta. Haec sunt verba quae loqueris ad filios Israel.* 7. *Venit itaque Moses, et vocavit seniores populi, et protulit coram ipsis omnes hos sermones quos praeceperat ei Iehova.* 8. *Responderunt autem omnis populus pariter, et dixerunt: Quidquid dixit Iehova faciemus. Et retulit Moses verba populi ad Iehovam.*

1. *In mense tertio.* Caput hoc continet quibus modis populum Deus reddiderit attentum et docilem quum legem promulgare vellet. Prius quidem iuste pieque vivendi normam tradiderat, sed legem in tabulis scribendo, deinde expositionem addendo, non tantum complexus est perfectam pietatis et iustitiae doctrinam: sed, ut apud posteros superstes vigeret eius cognitio, eam solenni ritu consignavit. Atque hoc in populi redemptione maximum et praecipuum celebrant prophetae, et in hoc speculo considerandam proponunt renascentis ecclesiae speciem, quod redemptis patefecit Deus sua testimonia, et populum quem acquisierat novo foedere sibi devinxit. Foedus quidem aeternum et inviolabile percusserat cum Abraham: sed quia longo tempore et incuria hominum obsoleverat, iterum renovari necesse erat. Atque in hunc finem insculptum fuit tabulis lapideis, et conscriptus liber, ne unquam obreperet oblivio singularis gratiae, quam Deus generi Abraham contulerat. Initio autem notandum est, quamvis lex testimonium sit gratuitae adoptionis, et salutem

1) *In margine:* Vel, thesaurum.
2) *Ibid.:* Vel, quamvis mea sit.

fundatam esse doceat in Dei misericordia, hominesque invitet ad Deum certa fide invocandum, hoc tamen habere proprium et peculiare quod sub conditione paciscitur. Itaque distinguere operae pretium est inter generalem doctrinam quae tradita fuit a Mose, et inter speciale quod accepit mandatum. Passim oblata spe veniae hortatur Moses, ut se reconcilient homines Deo: et quoties expiationum ritus praescribit, non dubium est quin miseros peccatores ad bene sperandum erigat, Deumque testetur illis propitium fore. Interea hoc seorsum illi munus impositum fuit, perfectam iustitiam exigere a populo, et quasi ex compacto mercedem promittere, non aliter quam si impleant homines quidquid praecipitur: minari autem et vindictam denunciare si quando a via deflexerint. Certum quidem est, idem illud foedus, cuius minister et custos fuerat Abraham, repetitum fuisse apud filios per manum Mosis. Et tamen Paulus (Gal. 3, 19) tradit legem fuisse superadditam transgressionum causa, eamque promissioni Abrahae datae opponit, nempe quia de particulari legis officio, vi et fine disserens a gratuitis promissionibus eam separat. Eodem sensu alibi (2. Cor. 3, 6. 7) ministerium mortis vocat, et literam quae occidit. Alibi etiam tradit iram operari, ac si ex reatu mortiferum vulnus infligens humano generi, nullam spem salutis reliquam faceret (Rom. 4, 15). Ergo in hac praeparatione, qua Deus populum erudivit ad reverentiam et timorem, duplex est spectanda ratio. Quoniam enim partim fastu et altitudine turgent, partim securitate torpent hominum ingenia: ut coelestem doctrinam qua decet observantia amplexentur, vel humiliari, vel expergefieri necesse est. Nec quisquam aliter formari potest ad parendum Deo, quam si metu flexus ac subactus fuerit. Metuere porro tunc demum incipiunt ubi ad terrorem incutiendum prodit Dei maiestas. Ita quod legis autoritas multis signis ac prodigiis sancita fuit, discamus pietatis ac fidei hoc esse exordium in filiis Dei. Ideo quoque terram concussit Deus ut hominum corda excitaret e suo torpore, vel superbiam domando corrigeret. Haec ratio ad legem, prophetas et evangelium extenditur, totamque coelestis doctrinae summam: cui nunquam iustus defertur honos, nisi praefulgeat Dei maiestas, quae omnem mundi altitudinem prosternat. Sed omitti non debet quod nuper dixi legi esse speciale, implere scilicet formidine animos, et horribili maledictione proposita spem salutis abscindere. Nam quum tribus membris constet, in eundem finem tendunt singula, ut agnoscant omnes se aeternae mortis iudicio esse obnoxios: quia illic nonnisi iudicis personam sustinet Deus: qui postquam severe exegit quod sibi debetur, nonnisi debitam mercedem promittit, vindictam autem transgressoribus minatur. Iam vero quis reperietur perfectus legis observator? imo certum est omnes a minimo usque ad maximum transgressionis reos esse: unde omnibus ira Dei incumbit. Hoc sibi vult Paulus, quum scribit (Rom. 8, 15) fideles non iterum accepisse spiritum servitutis in timorem, sed adoptionis, per quem clamant Abba, Pater. Ubi ostendit quanto potior sit nostra quam patrum conditio: quia lex eos servitute constrictos tenuit, nobis evangelium anxietatem eximit, et tormentis conscientias liberat. Nam trepidare necesse est omnes, et tandem desperatione obrui, qui in operibus salutem quaerunt: pax autem et quies in sola Dei misericordia consistit. Quod idem fusius prosequitur autor Epistolae ad Hebraeos, his verbis (Hebr. 12, 18). Non accessistis ad montem tractabilem, et ignem accensum, et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubae sonum, et vocem verborum, quae intolerabilis erat audientibus: (unde et Moses dixit: Exterritus sum et tremefactus): sed accessistis ad montem Sion, etc. Antithesis enim demonstrat seorsum ab evangelio locari quod Mosi commissum fuit: quia Deus, qui vindex apparuit in lege, suaviter nos hodie pro paterna indulgentia ad salutem invitat, et trepidas animas tranquillat, oblata peccatorum venia. Porro in hac diversitate nihil esse contrarium docet Paulus: quia populus ne aliunde salutem, quam ex Christi gratia peteret, lege edoctus fuit, ac convictus de horribili damnatione cui obstrictus erat, atque ita metu coactus ad implorandam Dei misericordiam. Nam ut sibi in malis indulgent homines: remota lege peccatum non imputatur, ut dicit Paulus (Rom 5, 13): verum qui sibi in tenebris placent legis doctrina trahuntur ad Dei tribunal ut conspecta sua foeditate pudefiant. Ita impletur illud Pauli, vitam legis esse mortem hominum (Rom. 7, 9). Nunc tenemus cur legis promulgatio tot miraculis sancita fuerit: nempe quia in genere apud tardos et hebetes, vel superbos et immorigeros, coelesti doctrinae concilianda fuit autoritas: deinde quia hominibus blanditias appetentibus lex proposita fuit, tanquam maledictionis speculum, ut in se perditi, ad veniae asylum confugerent. Haec praefari utile fuit, quae lectores ad rectum historiae quae hic traditur finem dirigerent. Primo autem narrat Moses uno itineris tractu populum venisse e Raphidim in terram Sinai. Sic enim interpretor, nullam stationem fuisse interpositam: quia videtur coactum quod diem ipsum accipiunt quidam interpretes pro initio mensis.

3. *Moses autem ascendit.* Verisimile est Mosen secessum ex more quaesiisse ut Deum consuleret. Loquitur enim non quasi de re nova aut insolita, sed de usu prius observato: quia nusquam audebat consistere, vel alio progredi, nisi quatenus ore

Dei praescriptum erat. Porro ascensus ad Deum non aliud significat quam extra castra egressum esse, ut procul turba et omni avocamento in arcana quiete sciscitaretur quidnam Deo placeret. Neque enim, (ut solent superstitiosi) locum excelsum elegit, ubi Deo esset propior: sed ab omni tumultu se subduxit, ut sensus omnes suos colligeret ad studium discendi. Postea tamen adiungit, plus se adeptum quam speraverat: quia Deus, praeter usitatum morem, de renovando suo foedere verba fecit. Atque huc spectat praefatio: Sic dices domui Iacob, annunciabis filiis Israel. Ubi repetitio et verborum diversitas emphatica est, tanquam de re maxime seria disserere velit, quo plus attentionis sibi comparet.

4. *Vos vidistis.* Quo Israelitas blande invitet ad obsequium, primo liberationis beneficium in memoriam revocat, deinde non minora in futurum tempus promittit, si suum ipsi liberatorem vicissim qua decet pietate et gratitudine colant. Duas autem beneficentiae suae partes recenset, quod formidabilem suam potentiam exseruerit contra Aegyptios, deinde quod redemptum populum mirabiliter per mare et vastas solitudines, quasi per nubes et aërem vexerit. Haec enim inaestimabilis fuerat gratia, quod bellum susceperat cum rege potentissimo, gentem florentissimam afflixerat, terram summa fertilitate insignem vastaverat, ut contemptis mancipiis opem ferret. Nulla enim primum in alienigenis, deinde sordidis et pecuariis hominibus, et turpi pudendoque servitio addictis fuerat dignitas qua Deus in illorum gratiam provocaretur ad Aegyptios delendos, qui gloria, opibus, terrae foecunditate, et imperii splendore praestabant. Quare detestabilis ingratitudo fuisset, non agnoscere quantopere Deo essent obstricti. Quod secundo loco addit, se illos gestasse sicuti solent aquilae pullos suos, ad continuum paternae curae tenorem spectat. Eadem postea similitudine utetur Moses in cantico: et apud prophetas saepius occurrit. Aquilam vero potius nominat quam alias aves, meo iudicio, ut melius difficultates amplificet ad gratiae suae commendationem. Aquilae enim foetus suos per ardua extollunt, et assuefaciunt ad intuitum solis. Ita populus non secus ac supra nubes evectus alis Dei, maxima quaeque obstacula transcenderat. Nam quod aquilas quidam volunt discerni a reliquis avibus, quia solae pullos alis sustineant frivolum est ac vere rabbinicum commentum.

5. *Nunc ergo.* Eundem se perpetuo fore affirmat Deus, ac constanter perseveraturum, modo ne Israelitae degenerent, sed addicti maneant suo liberatori. Simul etiam admonet quorsum tam beneficus illis fuerit, ut semper ad vocationis suae finem aspirent. Neque enim uno tantum liberalitatis actu defungi voluerat erga ipsos, sed ut in peculiarem sibi populum acquireret. Hanc excellentiam illis proponit sub voce סגלה quae pretiosissimas quasque res significat ut quidquid in thesauro reconditur. Quanquam non male quadrat nomen peculii, quod reddidit vetus interpres: quia ex proximo contextu liquet huius populi separationem notari ab aliis omnibus. Sequitur enim continuo post: Quoniam mea est universa terra, vel, quamvis: particula enim כי saepe adversative capitur, nec dubium est quin gentem unam cum toto orbe comparans Deus, gratiam suam magis extollat. Sicuti in cantico: Quum sorte divideret Excelsus gentes, et separaret filios hominum, constituit terminos populorum ad numerum filiorum Israel. Quia portio Iehovae est populus eius, et funiculus eius Israel. Summa igitur est, quum ad imperium Dei pertineat totus orbis, genus tamen Israel ab eo esse electum, quod praecellat cunctis gentibus. Unde apparet quum aequalis sit omnium conditio, non discerni alios ab aliis natura, sed gratuita adoptione. Verum ut in possessione tanti boni maneant, mutua erga Deum fides exigitur. Ac primo quidem iubentur audire eius vocem: (quoniam nullum Deo gratius sacrificium quam obedientia [1. Sam. 15, 22]): deinde additur obedientiae definitio, nempe ut foedus observent.

6. *Et vos eritis mihi.* Clarius et pluribus verbis designat quomodo pretiosi Deo futuri sint Israelitae nempe quia erunt in regnum sacerdotale et in gentem sanctam. Quibus verbis significat, praeditos fore tam sacerdotali quam regio honore: ac si diceret, non modo liberos fore si in fide et obsequio perstent, sed regibus similes: quia nullum optabilius vel felicius regnum est quam nos Deo subiicere. Porro quoniam tunc profana erant mundi imperia, regnum hoc sacrum vocat. Genitivus enim vice epitheti capitur, pro communi linguae usu: ac si diceret, non modo terrena et caduca dominatione fruituros, sed etiam sacra et coelesti. Alii passive accipiunt, Deum illis fore regem, quum aliis gentibus mortales et ut plurimum crudeles tyranni dominarentur. Quod etsi non prorsus reiicio, priorem tamen sensum magis amplector: ad quem etiam nos deducit Petrus (1. Pet. 2, 9). Nam quum Iudaei, qui repudiato Christo a foedere desciverant, adhuc hoc titulo frustra gloriarentur, solis Christi membris honorem hunc asserens, vos, inquit, estis genus electum, regale sacerdotium, et caett. Atqui non quadraret his verbis passivus sensus, fideles subesse Dei sacerdotio. Concinne autem verba transfert apostolus ad tollendum novitatis odium: quasi diceret: Olim pollicitus est Deus patribus nostris, eos sibi fore in regnum sacerdotale. Hoc elogium falso ad se rapiunt quicunque a Christo capite deficiunt, qui solus nos efficit sacerdotium regale. Interim docet, in illa specie mutationis vere

impleri quod dictum fuerat a Mose. Et certe cum regno et sacerdotio prodiit Christus, ut ius utrumque membris suis conferret. Unde sequitur, quicunque ab eo divortium faciunt, utroque honore indignos esse ac merito privari. Gens sancta hic dicitur, non respectu pietatis vel sanctimoniae, sed quam Deus singulari privilegio ab aliis separavit. Verum ab hac sanctificatione pendet altera, nempe ut sanctitatem colant qui Dei gratia eximii sunt, atque ita vicissim Deum sanctificent.

8. *Responderunt omnis populus.* Cur Deus Mosen adhibuerit internuncium, qui ultro citroque mandata et responsa perferret, suo loco videbitur: nunc tantum narrat quid totus populus responderit, nempe se obedientem in omnibus fore. Non pars aliqua tantum sed totus populus id promittit. Liberalis autem est responsio, qua sine exceptione quidquid exegit Deus facturos se asserunt. Atqui paulo post ad ingenium relapsi ne minima quidem ex parte fidem datam servarunt. Nec tamen quidquam eos simulasse credibile est. Sed quamvis in animo non esset Deum fallere, se ipsos praecipiti quodam zelo abrepti fallebant. Nec vero consilium Mosis fuit, exprobrandi causa dicere illos mentitos fuisse Deo, aut fallaciter aliud ore iactasse quam in cordibus suis sentirent: sed promptos ad obsequium fuisse dicens, omni praetextu ignorantiae in posterum spoliat. Nec dubium est quin Deus ad hanc docilitatem flexerit eorum animos, quo legis suae doctrinam stabiliret. Interea discamus eorum exemplo, non fervido tantum impetu parendum esse verbo Dei: ac nullius momenti esse subitum affectum, nisi accedat perseverandi constantia. Atque ideo discamus probe nos excutere, ne absque serio examine temere profiteamur plus quam simus praestando. Tenendum tamen illud est quod iam dixi, arcano Dei instinctu omnes fuisse voluntarios: quo sibi et aliis testes essent tot signorum, quibus deinde approbata fuit coelestis doctrinae fides ac veritas.

9. *Tunc ait Iehova ad Mosen: Ecce, ego venio ad te in densa nube, ut audiat populus quum loquar tecum, atque etiam tibi credant in perpetuum. Indicaverat autem Moses Iehovae verba populi.* 10. *Et dixit Iehova ad Mosen: Vade ad populum, et sanctifica eos hodie et cras, laventque vestimenta sua.* 11. *Et sint parati in diem tertium, quoniam die tertio descendet Iehova coram oculis totius populi super montem Sinai.* 12. *Et praescribes terminum populo per circuitum, dicendo: Cavete vobis ne ascendatis in montem, neque contingatis terminum eius. Quicunque tetigerit montem, moriendo morietur.* 13. *Non tanget eum manus, sed lapidando lapidabitur aut iaculis ferietur, sive iumentum fuerit, sive homo, non vivet, quum protraxerit buccina, ipsi ascendent in montem.* 14. *Descendit autem Moses e monte ad populum, et sanctificavit populum, et laverunt vestimenta sua.* 15. *Dixitque populo, sitis parati in diem tertium, et ne accedatis ad uxores.*

9. *Tunc ait Iehova ad Mosen.* Hic pronunciat Deus, illustri gloriae suae symbolo palam se facturum legem non a Mose prodire, sed eum fideliter tradere per manus quod e coelo accepit. Nam Deus nube, quasi velo, sic obtectus erat, ut certo tamen praesentiae suae signo mentes sursum attolleret. In hoc autem fundata fuit Mosis autoritas, quod doctrinae, cuius erat minister, sciebant Israelitae Deum esse autorem. Quod apprime notatu dignum est: quia inde colligimus non aliam esse rationem probandae doctrinae, nisi dum certo tenemus non aliunde quam a solo Deo profectam. Atque ita in ordinem coguntur cuncti mortales, ne quis eorum, quantalibet sapientia polleat, proferre in medium audeat sua commenta. Si enim non alio iure fidem in ecclesia obtinuit summus propheta Moses, nisi quia Dei mandata pertulit, et tantum docuit quod audierat, cuius stultitiae et impudentiae erit, doctores, qui infra ipsum longe subsidunt, velle altius conscendere? In summa, docet hic locus uni Deo credendum esse: prophetas tamen, qui ex eius ore loquuntur, simul esse audiendos. Adde quod non ad breve aliquod tempus voluit Deus fidem adstruere servo suo Mosi, sed ut eandem mortuo quoque reverentiam posteri deferrent. Est enim temporalis quorundam vocatio: et accidere potest ut spiritum prophetiae Deus eripiat quibus dedit: sed ita Mosi apparuit ut fidem doctrinae eius sanciret. omnibus saeculis, et quasi consecraret. Unde sequitur, fulgorem gloriae Dei, qui veteri populo in densa nube ostensus fuit, non esse hodie exstinctum: quia piorum omnium mentes illustrare debet, ut Mosi reverenter se subiiciant. Quod sequitur in fine versus, repetitum est ex proximo. Nullus enim interpositus fuit sermo populi quem Moses referre posset. Verum sensus est, quamvis ultro polliciti essent Israelitae se fore in officio, ut alacrius pergerent, confirmationem hanc fuisse illis additam atque ita currentibus additum fuisse calcar.

10. *Et dixit Iehova ad Mosen.* Antequam legem suam proponat Deus, non abs re populum sanctificari iubet, ne margaritas proiiciat ante porcos, vel sanctum prostituat canibus. Etsi enim iure adoptionis sancti erant quantum ad ipsos spectabat, naturae immundities eos arcebat a tantae gratiae participatione. Porro minime aequum vel rectum erat, inaestimabilem thesaurum foetidis et sordidis vasis inquinari. Ergo in praecepto sanctificandi ostensa duo fuerunt, sacram Dei doctrinam non tractandam esse illotis manibus, totum vero humanum genus impurum esse et pollutum: ideoque nullos

rite accedere ad Dei scholam, nisi qui ante purgati sint a suis sordibus. Et sane quod multi legendo vel audiendo nihil proficiunt in coelesti doctrina, iusta est merces indignae profanationis: quia sine metu aut reverentia quasi ad ludicrum spectaculum irrumpunt. Merito itaque praeparatio iniungitur, quae discipulos formet Deo, et ad discendum idoneos reddat. Etsi autem praecipue requiritur interior cordis puritas, non tamen inutilis fuit caeremonia quae rudem populum ad meditandam veram sanctitatem assuefaceret. Vestes quidem abluere, et abstinere a toro coniugali, res per se nihili fuissent: sed dum externi ritus ad legitimum finem referuntur, nempe ut spiritualis cultus sint exercitia, utiliter pietatem adiuvant. Et scimus Deum, pro temporis ratione, ante Christi adventum talibus figuris usum fuisse, quae nunc in evangelii claritate locum non habent. Caeterum etsi earum usus obsolevit, manet tamen illa quam dixi veritas: nempe, si cupimus admitti in participationem coelestis doctrinae, ut mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus. Sed hic nascitur quaestio; nam si fides corda purificat, teste Petro, fidem vero praecedit doctrinae intelligentia, (quia teste Paulo est ex auditu) sequitur: praeposterum ordinem statui, ut ante legem auditam sanctificetur populus: quia hoc modo tollitur vera sanctificandi ratio. Respondeo: quamvis fides, quatenus oblatam reconciliationem et spiritum regenerationis amplectitur, sola nos vere purget, minime tamen id obstare quominus praecedat Dei timor, qui verbo sedem in animis nostris paret (2. Cor. 7, 1, Act. 15, 9, Rom. 10, 16). Ac proprie loquendo, pium discendi studium, humilitas et reverentia fidei initium censeri debet: quia ab his rudimentis incipit Deus, ut fidem per certos progressus in nobis perficiat. Hac ratione iubet Iacobus (Iacob. 1, 21), spiritu mansuetudinis suscipere verbum quod seminatur, quia fastu, contumacia, et profano contemptu aditus praecluditur. Quod ad contextum pertinet, sanctificari et lavare vestes non ponuntur tanquam diversa, sed secundum additur tanquam symbolum prioris. Nam ablutionis ritus in lege veterem populum admonuit, neminem posse aliter placere Deo, nisi et expiationem quaerat in Christi sanguine et carnis sordibus se abstergere studeat. Eodem tendebat abstinentia a concubitu. Nam etsi coniuges non polluit nec contaminat thori societas, monendi tamen fuerunt Israelitae, renunciandum esse quoad fieri posset curis omnibus terrenis, et exuendos omnes carnis affectus, ut toti ad legis auditum intenti essent. Velat quidem et obtegit coniugii sanctitas quidquid est vitiosum in concubitu viri et mulieris: certum tamen est aliquid esse distractionis, ne omnes animae partes occupet spiritualis affectus, dum vir ad uxorem accedit. Itaque in mutua thori obligatione hoc excipit Paulus (1. Cor. 7, 5), ut precationis et ieiunii causa separentur coniuges. Tenenda est tamen quae divinitus praescripta fuit moderatio. Neque enim perpetuum caelibatum indixit: sed tempora sic partitus est ut terrenis impedimentis soluti Israelitae, liberius totum suum studium ad legem reverenter excipiendam applicarent.

12. *Et praescribes.* Hoc symbolo admoniti fuerunt Israelitae fraenandam esse ingenii lasciviam, ut tantum ad sobrietatem saperent: quia Deus legis suae doctrina nonnisi parvulos illuminat. Scimus quanta sit ingenita hominibus curiositas, quam perverse appetant penetrare in Dei arcana, quam audacter sibi indulgeant: (qua licentia exstinguitur omnis religio, et Dei timor) quare merito Deus modum statuere voluit, et perversam scientiae illicitae cupiditatem cohibere. Optassent omnes venire instar Mosis, ad familiare Dei colloquium: atqui iubentur intra metas subsistere, ut Deo per interpretem loquenti pareant. Ita probatur modestia et docilitas, ubi non plus affectant quam concessum est, ac se in revelationis modo continent. Quod tunc veteri populo mandatum fuit, ad nos quoque extenditur, ut legendo et audiendo ne transsiliamus quas Deus nobis assignat metas, sed doctrinae forma quam tradit contenti, quae nobis vult esse abscondita valere sinamus: et quamvis loquatur eminus nobiscum, ne distantia nobis sit fastidio. Neque tamen ab ascensu prohibet populum, quasi propiorem gloriae suae aspectum invideat, sed quia superbos et plus aequo arrogantes ad modulum suum redigi expedit, ut imbecillitatis suae commonefiant. Iam quo magis absterreat homines ipsos, bestias quoque licet innoxias, si fines excesserint, iubet interfici. Quid significet descensus Dei paulo ante exposuimus, nempe demonstrationem virtutis: quoniam eius essentia quae coelum et terram implet loco non movetur.

13. *Non tanget eum manus.* Inscite sensum corrumpunt qui particulam כִּי resolvunt in adversativam, alioquin: ac si vetaret Moses manu tangere montem denunciando lapidationis poenam. Procul etiam absunt a vero qui praecipi existimant ne alii alios sequantur, vel, ne quis transgressoribus manum porrigat, auxiliandi causa. Prorsus enim aliud spectavit Moses. Nam quo magis detestabiles redderet qui temerario ingressu fines a Deo positos violassent, iussit procul interfici lapidibus aut iaculis: ac si labem contraherent quicunque vel digito eos contingerent. Perinde igitur est ac si anathemati devotos iuberet vitari, ne alios sua contagione inficerent. Quare antithesis est inter diversas mortis species: nempe gladio ferire et iaculis configere, et manu ferire. Caeterum ne se reiici existimet populus, atque ita repulsae ignominia offensus, legis

amorem studiumque abiiciat, conditione interposita ascensum permittit, ubi longius protractus erit tubae clangor, vel usque ad summum personuerit. Ita non est quod de mediocritate querantur, quam illis temperat Deus in salutem.

16. *Et fuit die tertia, quum factum esset mane, facta sunt tonitrua, et fulgura, et nubes densissima super montem, et clangor tubae intentissimus, expavitque universus populus qui erat in castris.* 17. *Et eduxit Moses populum in occursum Dei e castris: qui steterunt in inferiore parte montis.* 18. *Mons autem Sinai fumabat totus, eo quod descendisset super eum Iehova in igne ascendebatque fumus eius, sicut fumus fornacis, et commotus est universus mons vehementer.* 19. *Erat praeterea clangor buccinae procedens, et invalescebat valde: Moses loquebatur, et Deus respondebat ei in voce.* 20. *Descenderat autem Iehova supra montem Sinai, super verticem montis: et vocavit Iehova Mosen ad verticem montis, ascenditque Moses.*

16. *Et fuit die tertia.* Id tenendum memoria est quod ante admonui, in hoc formidabili speculo partim subiectam oculis fuisse Dei praesentiam, ut eius maiestas spectatores ad obsequium cogeret, doctrinamque assereret a contemptu, partim vero expressam fuisse naturam legis, quae per se nihil aliud quam meros terrores generat. Tonitru et fulguribus et tubae sonitu aër turbatus fuit, fumo et caligine mons obrutus, nempe ut suppliciter populus coram Deo se prosterneret, foedusque sibi propositum sancte amplexaretur: quia nunquam penetrat in animos religio, ut serio Dei verbum recipiant, donec purgatis ac correctis vitiis probe subacti fuerint. Atqui hic timor evangelio quoque est communis: quia sicuti in lege promulganda terram concussit Deus, ita de Christi adventu et instauratione ecclesiae per prophetam disserens, adhuc paulisper, inquit, et movebo coelum et terram (Agg. 2, 7). Itaque David, ubi ostendere vult Deum fuisse ecclesiae suae vindicem, hac imagine eum depingit. Neque enim dubium est, quum dicit Psal. 18, 8: Mota est et contremuit terra, montes concussi sunt, ascendit fumus in facie eius, ignis ex ore eius voravit, inclinavit coelos, et descendit caligo sub pedibus eius, quin ad historiam quae a Mose narratur, alludat. Clarius etiam Habacuc 3, 3: Deus de Theman veniet, sanctusque de monte Pharan. Interea manet alterum illud membrum, horrenda prodigia, ad quae expavescere populum necesse fuit, tanquam sigilla fuisse addita ad legis promulgationem: quia lex data fuit quae sopitas conscientias ad tribunal citaret, ut metu aeternae mortis ad Dei misericordiam confugerent.

17. *Et eduxit Moses populum.* Docemur his verbis non edita fuisse prodigia quae populum fugarent a Dei conspectu, nec timorem fuisse incussum qui exacerbaret animos in odium doctrinae, sed foedus Dei non minus fuisse amabile quam metuendum. Iubentur enim obviam ire Deo, ut prompto affectu se ad obtemperandum sistant. Hoc autem fieri non poterat nisi aliud in lege audirent quam praecepta et minas. In fumo tamen et igne, aliisque signis, permixtus fuit aliquis timor ex legis officio, quia nunquam veniae capax erit peccator, donec reatus sui conscius trepidare discat, imo horrore confusus ad Dei tribunal iaceat fere exanimis. Duobus proximis versibus explicat Moses quod breviter attigerat de occursu Dei. Deum enim propinquum fuisse docet, quoniam apparebat eius maiestas in vertice montis Sinai. Addit tamen stetisse intra limites: quia solus ipse ascendebat, et quidem vocatus. Nam diserte exprimens, non sponte, sed vocantis mandato transgressum fuisse vulgi metas, temeritatis crimen a se avertit. Porro inversum esse narrationis ordinem ex contextu ipso apparet: quod dum vetus interpres non observat sensum pervertit. Responsio Dei in voce tantundem valet atque sonora aut vocalis, nempe quam exaudiret populus: sicut postea videbitur ex 4. Deut. cap.

21. *Dixitque Iehova ad Mosen: Descende, contestare populum ne perrumpat ad Iehovam videndi causa, et cadat ex eis multitudo.* 22. *Quin etiam sacerdotes qui appropinquant ad Iehovam sanctificent se, ne forte rupturam illis faciat Iehova.* 23. *Et ait Moses ad Iehovam, non poterit populus ascendere in montem Sinai: quia tu nos contestatus es, dicendo: distermina montem, et sanctifica illum.* 24. *Et dixit ei Iehova, vade, descende, et ascendes tu et Aharon tecum, sacerdotes autem et populus non perrumpant ut ascendant ad Iehovam, ne forte rupturam in illis faciat.* 25. *Descendit itaque Moses ad populum, et loquutus est apud eos.*

21. *Dixitque Iehova ad Mosen.* Iteratur Dei mandato eadem prohibitio, ne populus fines transscendat, haud dubie quia non satis fuisset semel vetuisse: quod ex Mosis responso colligitur. Putabat enim, quum admoniti essent omnes, nihil opus esse novo interdicto. Atqui vehementius instat Deus, et iterum minis adhibitis denunciari iubet ut sibi attente caveant. Nempe sciebat cum praefractis sibi esse negotium: quibus domandis acrior poenae metus necessarius foret. Iam quum nihilo simus meliores, ne miremur si pluribus exhortationum stimulis subinde nos Deus pungat, minasque ingeminet: alioqui facile obreperet omnium quae semel praecepit oblivio. Confirmat etiam hic locus, quantopere displiceat Deo quae humana ingenia titillat curiositas. Diserte enim edicit, ne perrumpant ad videndum, non quod occultum aut absconditum esse

vellet quidquid erat utile cognitu: sed quia sobria esse debet inquisitio; et hic est legitimus sapiendi modus, humiliter discere ex ore Dei quod sponte docet, nec praecurrere nimio ardore cupiditatis, sed praeeuntem ipsum sequi.

23. *Et ait Moses ad Iehovam.* Quia persuasus erat Moses obsequentem fore populum excipit sufficere decretum illud quod semel patefactum erat, et repetitionem quodammodo esse supervacuam. Nam quod populum transcendere posse negat, tantundem valet ac si omnium nomine sponsorem se interponeret. Atque hoc quidem pro studio et ex regula caritatis: eum tamen falli, dum alios metitur ex suo affectu, patet ex Dei responso. Porro dum sine fastidio partes sibi iniunctas exsequitur, inde apparet, pluris fecisse Dei imperium quam a se conceptam opinionem: atque ita suo exemplo docuit: quaecumque nobis in mentem veniunt cogitationes, sub hoc iugum esse cogendas, ut sola Dei autoritas emineat. Quod sacerdotes nominat, posset oriri dubitatio: quia nondum munus sacerdotale Levitis mandatum erat. Itaque quidam intelligunt omnes primogenitos: quia vetusto consensu receptum est sacerdotii honore semper fuisse ornatos. Ego autem, quamvis facile admittam ex primogenitis fuisse delectos, non tamen probabile esse iudico, in illa immensa multitudine singulis domibus proprios fuisse sacerdotes. Interea coniicere licet, quum nullae tunc gentes profanae sacerdotibus caruerint, in electo populo non minus saltem fuisse ordinis. Quod enim caecis dictabat communis sensus, purior certe religio certius monstravit, cultum Dei a sacerdotio separandum non esse.

EX CAP. EXODI XX.

18. *Omnis populus videbant tonitrua et lampades, et clamorem buccinae, et montem fumantem, vidit* inquam *populus, et commoti sunt, steteruntque procul.* 19. *Atque dixerunt Mosi: Loquere tu nobiscum, et obsequemur: et ne loquatur nobiscum Deus, ne forte moriamur.* 20. *Respondit autem Moses populo: Ne timeatis: quia ut tentaret vos venit Deus, et ut sit timor eius ante conspectum vestrum, ut non peccetis.* 21. *Stetit igitur populus procul, Moses autem appropinquavit ad caliginem, in qua erat Deus.*

10. *Omnis populus videbant tonitrua.* Quia secundo loco fusius prosequitur Moses quae hic tantum breviter attingit: ego quoque plenam expositionem eousque differam. Si fuisset solus gloriae Dei spectator, levior futura erat testimonii fides. Postquam ergo decem verba recitavit, quae Deus audiente populo, ipse sacro suo ore protulit: simul adiungit palam fulsisse lampades, montem fumasse, personuisse buccinas, edita tonitrua. Unde sequitur, conspicuis et insignibus gloriae Dei notis sancitam fuisse legem apud totum vulgus, a maximo ad minimum usque. Accedit totius populi confessio: ubi terrore perculsus, deprecatur ne Deus amplius loqui pergat. Neque enim hominis vocem iam despicere fas fuit, quem ultro postularunt sibi dari internuncium, ne formidabili voce Dei consumerentur. Finem demonstrat, cur signa illa ad metum incutiendum apparuerint, quo scilicet Deus eos ad obsequium subigeret. Territi ergo fuerunt, non ut attoniti deficerent, sed tantum ut humiliati se Deo subiicerent. Atque hoc fit singulari privilegio, ut Dei maiestas, coram qua terra et coelum contremiscunt, filios eius non exanimet, sed tantum examinet.

RECITATIO HUIUS HISTORIAE EX DEUT. V.

22 [1]). *Verba haec loquutus est Iehova ad cunctam congregationem vestram in monte e medio ignis, nubis et caliginis, voce magna, et non addidit: scripsitque illa in duabus tabulis lapideis, et dedit illa mihi.* 23. *Fuit autem quum audivissetis vocem e medio tenebrarum, (mons enim ardebat igne) accessistis ad me omnes duces tribuum vestrarum, et seniores vestri.* 24. *Et dixistis: En ostendit nobis Iehova Deus noster gloriam suam, et magnitudinem suam, et vocem eius audivimus e medio ignis: hodie vidimus quod loquutus est Deus cum homine, et vixit.* 25. *Nunc igitur quare moriemur: consumet enim nos ignis magnus iste: si iterum audierimus vocem Dei nostri, moriemur.* 26. *Nam quae ulla fuit caro, ut audiat vocem Dei viventis, loquentis e medio ignis, sicut nos, et vivat?* 27. *Accede tu, et audi omnia quae dixerit Iehova Deus noster: tu autem loqueris ad nos quaecunque dixerit Iehova Deus noster tibi, et audiemus atque faciemus.* 28. *Audivitque Iehova vocem verborum vestrorum quum loqueremini ad me. Et dixit Iehova mihi: Audivi vocem verborum populi huius quae dixerunt tibi: bene dixerunt quaecunque loquuti sunt.* 29. *Quis det ut sit cor eorum istud illis, ut timeant me, et custodiant omnia praecepta mea omnibus diebus, ut bene sit illis et filiis eorum in saeculum?* 30. *Vade, dic eis: Revertimini in tabernacula vestra.* 31. *Tu vero hic sta apud me, et proferam tibi omnia praecepta et statuta et iudicia quae illos docebis, ut faciant in terra quam ego do illis possidendam.*

22. *Verba haec loquutus.* Ne ambigua sit legis autoritas, aut vilipendatur a populo, reducit Moses in memoriam certis signis conspicuam fuisse loquentis Dei praesentiam. Huc enim spectant ignis,

---

1) *In hebraico v.* 19—28.

nubes, et caligo, quibus insignita fuit vox Dei, ne obscura esset eius origo. Addit, vocem illam fuisse magnam, nempe quae ultra solitum modum longe lateque penetraverat. Nec paucos citat testes, sed ingentem illam multitudinem, quae magna ex parte propensior fuisset ad exstinguendam Dei gloriam, nisi claris experimentis fuisset illic cognita. Summa est, minime dubium esse legislatorem, cuius maiestas tunc tremendis prodigiis patefacta, et immensae multitudinis oculis repraesentata. De duabus tabulis opportunius alibi dicetur. Quod refert Moses Deum nihil adiecisse, eo perfectam vitae regulam decem verbis comprehendi significat, ac eorum scientia probe percepta absolvi omnes sapientiae numeros, ne quid ultra scire appetat populus: sed ubi finem loquendi fecit Deus, metam inquirendi sibi praefigat.

23. *Fuit autem quum audissetis.* Occurrit Moses, ne suam doctrinam minoris aestiment Israelitae, quia interpositus a Deo fuerat minister: quandoquidem id eorum rogatu ac postulatione factum erat. Scimus quam proterve soliti fuissent eum respuere: ac si in eo nihil nisi terrestre ac humanum cernerent. Deum igitur ipsum verba facere necesse fuit, ut servum suum a contemptu assereret in posterum. Nam populus ipse stulti et praeposteri voti convictus, nullo deinde praetextu reiicere Mosen potuit, ac si fidem vocationis suae non fecisset. Atque hic se prodidit mira pravitas, quod sancto prophetae postquam tot miraculis probatus fuerat, fidem abrogare illum non puduit. Certe si integri et aequi fuissent iudices, satis notum et compertum illis fuisset, Mosen non a se ipso nec proprio instinctu loqui, sed spiritus esse organum. Verum superbis et perverse morosis fastidio fuit Dei doctrina, quia per manum hominis mortalis afferebatur. Deum ergo importunis votis e coelo eliciunt, ut loquatur ipse. Atqui terror statim occupat eorum mentes, ut Dei vocem refugiant. Sic experientia docuit, nihil esse utilius quam Deum per os Mosis loquentem audire: et mercede suae temeritatis edocti sunt, docendi modum quem spreverant eligere atque optare. Ita enim se impiae contumaciae damnarunt, si fidem Mosi in posterum detraherent vel abrogarent, quem sibi postulaverant a Deo internuncium dari: quod nunc illis exprobrat. Plus quam enim indignum fuisset, ubi Deus morem gesserat eorum precibus, beneficium quod expetiverant, reiicere. Hac ratione commemorat, postquam oculati fuerant testes formidabilis Dei potentiae, rogasse ultro ne loqui pergeret. Ac ne obiicerent id a paucis vel inconsulte, vel per tumultum actum esse, mandata haec diserte testatur perlata fuisse a capitibus tribuum et senioribus.

24. *En ostendit nobis Iehova.* Propria confessione urgentur, ne posthac audeant de ministerio Mosis controversiam movere. Nam dum se fatentur vidisse gloriam Dei et magnitudinem, nisi ex professo velint Deo bellum inferre, obediendi necessitate se obstringunt. In fine versus, ubi dicunt Deum loquutum esse cum homine etc. non modo intelligunt esse homines in terra superstites qui Dei vocem e coelo delapsam auribus perceperint: sed cum admiratione praedicant quod fere incredibile erat. Etsi enim satis apud eos vulgatum erat Deum olim cum patribus loquutum: quia tamen praeterierat longum tempus ex quo cessaverant oracula, quasi ad rem novam obstupescunt. Videmus etiam ut longo post tempore, quoties apparuit servis suis Deus, metu mortis fuerint correpti. Fuit enim hoc illis instar proverbii: Moriemur, quia Deum vidimus (Iud. 13, 22). Merito autem hoc singulare privilegium celebrant, quod non fuerint absorpti a Dei gloria. Nam si conspectu eius montes liquescunt, et quidquid durissimum est solvitur, quidquid robustissimum est fractum concidit, quomodo staret homo, quo nihil magis fluxum aut fragile? Si arcano eius nutu concussus aër non animalia modo, sed arbores et rupes tremefacit, quid fiet ubi non modo virtutem suam in elementis profert Deus, sed e coelo descendens vocem ore suo emittit? Non abs re igitur pro miraculo ducunt Israelitae, se, audita voce Dei non fuisse in nihilum redactos. Quo suam vesaniam oblique perstringunt: quia inconsiderato voto interitum sibi accersiverant nisi subventum esset Dei misericordia. Sed videntur duobus proximis versibus secum pugnare. Nam quum experti essent non semper exstingui vel perire quibus Deus apparet, cur se morituros dicunt si continuet sermonem? Videntur quidem ita loquendo sibi parum constare: sed non frustra periculum, a quo mirabili Dei indulgentia elapsi fuerant, in futurum tempus metuunt. Perinde igitur est ac si dicerent: Semel Deum in nos provocasse plus satis est: quod hactenus ignovit, inaestimabilis est eius clementiae: cavendum interea nobis est, nisi mature corrigimus nostram stultitiam, ne graviores pervicaciae poenas demus. Hinc sumenda utilis admonitio. Quamvis enim non personuerit vox Dei nobis audientibus, experientia tamen veteris populi sufficere nobis debet, ut certo persuasi simus, quum Deus nobis doctores praeficit, optime saluti nostrae consulere: quia si e coelo ipse tonaret, nobis intolerabilis esset eius maiestas. Quod valere debet ad sedandum exitialem eorum pruritum qui Deum e coelo quotidie descendere cuperent, vel saltem oracula sua per angelos proferre: atque ita quos ex grege mortalium adhibet ministros fastidiunt. Denique haec historia illustre documentum est, ecclesiam externa verbi praedicatione divinitus regi, quia ita expedit.

26. *Nam quae ulla fuit caro.* Carnis nomen

contemptim (ut saepe alias) pro genere humano sumitur, quanquam enim ex corpore et anima constamus, ubi tamen notatur hominum fragilitas, et caduca evanidaque conditio, scriptura eos vocat carnem. Hoc sensu iubet Zacharias silere omnem carnem a facie Domini, Isaias omnem carnem esse foenum: ut alibi dicit, Aegyptiorum equos carnem esse, non spiritum (Zach. 2, 13. Isaiae 40, 6 et 31, 3). Ergo in his verbis causae redditio est, cur mirentur Israelitae se non fuisse morte consumptos post auditam Dei vocem. Neque tamen eos latebat Deum prius loquutum fuisse ex rubo ardenti: sed metu constricti non reputant quid ante acciderit, tantum ex sensu suo pronunciant, mortiferam carni esse Dei vocem, nisi interposito remedio mitigetur. Nam quod Rabbini fingunt, prophetas non censeri in numero hominum, frivolum est, nisi quod spiritu suo eos fulcit Deus ac roborat, ut recipiendis visionibus pares sint. Sciebant certe Israelitae ipsum quoque Mosen unum esse ex numero mortalium: sed quia sciebant electum esse a Deo interpretem, non dubitant coelesti virtute praeditum fore, ut Deum loquentem sustineat. Nec dubium est quin haec confessio illis fuerit expressa, ut tandem in suo gradu subsistere discerent, seque Mosi subiicere, cui toties rebelles fuerant. Discrimini ergo quod ante non patiebantur nunc libenter subscribunt. Quod se omnia quae iusserit Deus facturos promittunt, non dubium est quin ex zeli fervore prodierit. Itaque paulo post eorum responsum laudat Deus ipse. Ac tantundem sonant verba ac si dixissent, sibi non minore in pretio fore quidquid attulerit Moses quam si horribili voce tonaret Deus. Interea quoad ipsos, levitas et inconstantia mox deprehensa fuit. Ita saepe homines, quamvis ex professo fallere non appetant, neglecto virium suarum examine, temere ad dandam fidem prosiliunt, cui praestandae sunt impares. Rectum ergo pronunciat Deus quod dixerunt, nempe se Mosi fore obsequentes, ac eius doctrina contentos. Quae sententia ad nos etiam pertinet, qui iubemur audire Mosen et prophetas, praecipue vero unicum Dei filium: ne vagae speculationes altius quam par est nos rapiant.

29. *Quis det ut sit cor eorum.* Significat Deus non ita constantes et firmos in servandis promissis fore ut fuerunt faciles et propensi: atque ita non penitus excussam vel abstersam esse hypocrisin ex eorum animis. Porro humanum affectum improprie suscipit: quia frustra et absurde optaret quod in eius arbitrio est conferre. Certe penes ipsum est flectere et dirigere corda quocunque placuerit. Cur ergo aliunde dari optat ut populum semper contineat in officio: nisi quod sub hominis persona optandum magis quam sperandum esse docet ut continuo tenore populus fidem colat. Quare inscite hoc loco et similibus abusi sunt quidam ad stabiliendum in homine liberum arbitrium. Perinde accipiunt haec verba ac si flexibilis esset in utramque partem hominis voluntas, et recte agendi facultas suppeteret, Deus autem in otio eventum specularetur. Quasi vero hic agatur de arcano Dei consilio, ac non potius de fine et usu externae doctrinae. Nos vero innumeris scripturae testimoniis edocti, tenemus unius Dei esse proprium dare quod hic postulat. Sicuti continuo post optare se dicit ut bene sit Israelitis et filiis eorum: nempe quia per homines stare certum est quominus beati sint et felices, quoties Deus illos invitat, quando gratiam sibi oblatam repudiant. Neque tamen inde sequitur, positum esse in libero cuiusque arbitrio sibi felicitatem acquirere. Sed hic nobis consideranda est Dei voluntas qualis in verbo ostenditur, non autem quae penes ipsum latet. Nam quum omnes verbo promiscue invitet ad vitam, arcana inspiratione nonnisi quos elegit vivificat. In summa, Deus, quamvis approbet populi responsum, plus difficultatis in praestando fore dicit quam ut eventus respondeat.

30. *Vade, dic eis.* Populi votis clarius adiungit Dei consensum: ac si diceret, quod postulaverant, Dei scito ratum fuisse: unde sequitur, si Mosi parere abnuant, non modo perversae levitatis reos esse, sed violare coeleste decretum. Ante admonui cur legis doctrinam variis nominibus Deus insigniat, nempe quo libentius in ea acquiescant Israelitae. Caeterum ne sibi praescribi existiment quod exiguo tantum tempore vigeat, ac servandum sit, nominatim de legis perpetuitate disserit. Hoc enim sonant verba, ubi se docere pronunciat quid facturi sint in terra quam daturus est eis.

PRAEFATIO IN LEGEM.

EX EXODI XX.

1. *Et loquutus est Deus omnia verba haec: dicendo,* 2. *Ego Iehova Deus tuus, qui eduxi te e terra Aegypti, e domo servorum.*

EX DEUT. V. REPETITIO.

1. *Vocavitque Moses universum Israelem, et dixit eis: Audi Israel statuta et iudicia, quae ego hodie loquor in auribus vestris, ut discatis ea et custodiatis ad praestandum.* 2. *Iehova Deus noster percussit nobiscum foedus in Horeb.* 3. *Non cum patribus nostris percussit Deus foedus hoc, sed nobiscum, qui ipsi hodie omnes vivimus.* 4. *Facie ad faciem loquutus est Iehova nobiscum in monte:* 5. (*Ego stabam inter Iehovam et inter vos tempore illo ad annunciandum vobis sermonem Iehovae: quia timuistis a facie ignis, et non ascendistis in montem*) *dicendo,* 6. *Ego Iehova Deus tuus qui eduxi te e terra Aegypti, e domo servorum.*

DEUT. IV.

20. *Vos autem tulit Iehova, et eduxit vos e fornace ferrea ex Aegypto, ut sitis ei in populum haereditatis, sicut die hac.*

Exodi 20.—1. *Et loquutus est.* Multorum consensu receptum esse scio ut hic et proximus versus uno contextu legantur, atque ita simul primum ex decem praeceptis efficiant. Alii separatim legentes, affirmationem unius integri praecepti loco esse volunt. Atqui quum nihil iubeat hic Deus aut vetet, sed tantum prodeat cum suo imperio in medium, ut sibi populum addicat, et quam meretur autoritatem vendicet, quod autem dicit extendatur ad omnes legis partes: non dubito quin generalis sit praefatio, qua praeparat populi animos ad obsequium. Et certe oportuit ante omnia ius legislatoris sanciri, ne sperneretur vel contemptim exciperetur quod volebat mandare. His ergo verbis reverentiam sibi conciliat Deus antequam pie iusteque vivendi regulam praescribat. Porro non modo se Iehovam et unicum Deum esse pronunciat, qui iure creationis homines sibi teneat obstrictos, quibus esse dedit, et quorum vitam tuetur, imo qui omnium est vita: sed addit se peculiarem esse Deum Israelitis, quia operae pretium fuit, non tantum terreri populum Dei maiestate, sed suaviter etiam allici, ut lex pretiosa esset super aurum et argentum, et simul melle dulcior (Ps. 119, 103). Neque enim sufficeret metu servili cogi homines ad subeundum iugum, nisi dulcedine quoque adducti, libenter illud subirent. Postea commemorat singulare illud beneficium quo populum dignatus fuerat, et quo testatus fuerat non frustra fuisse a se electum. Redemptio enim certum erat adoptionis pignus: sed quo melius populum sibi devinciat, simul admonet qualis fuerit eius conditio. Aegyptus enim tanquam servile ergastulum fuerat, unde liberati fuerant Israelitae. Quare non iam sui iuris erant, quum eos sibi Deus acquisiisset. Hoc quidem in nos proprie non competit: sed sanctiore vinculo sibi nos obligavit per manum unigeniti filii: quem ideo mortuum esse et resurrexisse Paulus docet ut vivis dominetur et mortuis (Rom. 14, 9). Ita non unius tantum populi nunc est Deus, sed gentium omnium, quas in ecclesiam suam communi adoptione vocavit.

Deut. 5, 1. *Vocavitque Moses universum.* Quia poscebat docendi ratio, quam tenere proposui, et series, ut haec eadem praefatio, sicuti totidem verbis in Deuteronomio repetita est, coniunctim hic etiam legeretur: quinque versus qui in eo loco praecedunt: quia ad eandem summam pertinent, simul inserere placuit. Primo versu hortatur Moses populum, ut audiat quae proponit Dei iudicia et statuta. Finem quoque tradit, ut observent ad faciendum: ac si diceret se non inanes speculationes proferre, quas mente concipere, et de quibus loqui sufficiat: sed regulam formandae vitae in sua doctrina comprehendi, itaque seriam meditationem flagitat.

2. *Iehova Deus noster.* His verbis legem commendat quia singularis beneficii summique honoris loco ducendum sit, recipi a Deo in foedus. Ergo ut cupide se ad legem amplexandam accingant, ultro illis offerri dicit quod summopere expetendum erat, ut foedere coniuncti sint cum Deo. Proximo autem versu magnitudinem huius boni [1]) addita comparatione amplificat: quod plus ipsis contulerit Deus quam patribus. Quo illis tollitur omnis excusatio, nisi testandae gratitudinis causa totos se Deo tradant, ac quem experti sunt tam beneficum patrem vicissim colant sincero affectu. Qui subaudiunt in hac sententia, non tantum cum patribus nostris, sed etiam nobiscum, rectum sensum pervertunt. Inde autem illis errandi occasio, quia Deus olim foedus pepigerat cum Abraham: Isaac et

1) *Princeps:* loci.

Iacob. Sed refutatio facilis est: quia ad illos non refertur nomen patrum: sed eos qui ducentis annis superioribus mortui erant in Aegypto intelligit: quibus merito praefert populum superstitem, cum quo renovatum fuerat antiquum foedus. Porro haec temporis circumstantia non leviter eos ad parendum stimulare et accendere debuit: quia turpe et flagitiosum fuisset, non agnoscere se insigni privilegio patres antecellere, ut eos in Deo colendo studii ardore praecurrerent. Eodem argumento Christus apud discipulos utitur: Beati oculi qui vident quae vos videtis, et aures quae audiunt quae auditis. Multi reges et prophetae hoc optarunt, etc. (Matth. 13, 16 et Luc. 10, 23). Summa est, quo liberalius agit nobiscum Deus, eo gravius et minus tolerabile esse ingratitudinis crimen, nisi vocanti ultro prodimus obviam, eiusque doctrinae nos subiicimus.

4. *Facie ad faciem.* Iterum a certitudine legem commendat: quia ubi se Deus palam ostendit, ambigi non potest a quo autore sit profecta. Facie ad faciem loqui, tantundem valet ac coram et familiariter sermonem conferre. Et certe ita cum illis loquutus est Deus, ac si mortales inter se, et socii ultro citroque contraherent. Porro ne qua dubitatio restaret, Deus illustre gloriae suae documentum ante oculos in igne statuit. Neque enim alterius quam ipsius Dei vox potuit ex igne prodire. Proximo versu additur moderationis species, dum se interpretem fuisse dicit, qui accepta a Deo mandata illis exponeret. Atque ita conciliat quae videntur primo intuitu pugnare, quod Deus coram loquutus sit, et tamen per internuncium: quia ipsi audita Dei voce prae metu deprecati sunt ne eodem modo loqui pergeret. Unde sequitur, coelestis gloriae et maiestatis sensu fuisse convictos, ut de legis autoritate dubitare fas non esset. Sed hoc quia fusius narratum fuit, leviter tantum nunc perstringo.

Deut. 4, 20. *Vos autem.* Ex quo redempti sunt Deo prorsus esse obstrictos ratiocinatur, quia eos sibi in peculium acquisierit. Unde sequitur, sub iure eius esse et imperio: quia scelestae et foedae ingratitudinis esset, iugum sui redemptoris excutere. Quo autem sanctior sit obligatio, magnitudinem gratiae extollit, quia nihil ipsis miserius quum Deus porrexit manum ad eos liberandos. Itaque servitus illa metaphorice vocatur fornax et quidem ferrea. Deinde confertur longe diversus status, quia haec solida et maxime expetenda fuit felicitas, transire in Dei peculium.

LEVIT. XIX. IN FINE VERSUS XXXVI.

Ego Iehova Deus vester, qui eduxi vos e terra Aegypti. 37. *Custodite igitur omnia statuta mea, et omnia iudicia mea, et facite illa: ego Iehova.*

LEVIT. XX. VERSU VIII.

Custodite statuta mea, et facite ea: Ego Iehova sanctificans vos.

LEVIT. XXII.

31. *Observate praecepta mea, et facite ea: ego Iehova.* 32. *Et ne polluatis nomen sanctum meum, sed sanctificer in medio Israel. Ego Iehova sanctificans vos.* 33. *Qui eduxi vos e terra Aegypti, ut essem vobis in Deum: ego Iehova.*

DEUT. IV.

1. *Et nunc Israel audi statuta et iudicia, quae ego doceo vos, ut faciatis: ut vivatis, atque ingrediamini, et possideatis terram quam Iehova Deus patrum vestrorum dat vobis.* 2. *Non addetis ad verbum quod ego praecipio vobis, neque minuetis ex eo, ut custodiatis praecepta Iehovae Dei vestri, quae ego praecipio vobis.*

DEUT. V.

32 [1]). *Custodite ergo ut faciatis quemadmodum praecepit Iehova Deus vester vobis: ne declinetis ad dextram, aut ad sinistram.* 33. *Per omnem viam quam praecepit Iehova Deus vester vobis, ambulabitis, ut vivatis, et bene sit vobis, et prorogetis dies in terra quam possidebitis.*

DEUT. XIII. VERSU ULTIMO.

Quia audies vocem Iehovae Dei tui, ut custodias omnia praecepta eius, quae ego praecipio tibi hodie, ut facias quod rectum est in oculis Iehovae tui.

Levit. 19, 36. *Ego Iehova.* Idem agit his quatuor primis locis quod in praefatione vidimus. Nam partim ab autoritate Dei ratiocinatur, legi obedienter parendum esse, quia merito summum imperium sibi vendicet coeli et terrae conditor, partim vero beneficium redemptionis proponit, ut libenter se subiiciant eius legi, a quo salutem adepti sunt. Quoties enim se Iehovam nominat, occurrere debet eius maiestas, quae omnes in ordinem cogat. Redemptio autem ipsa voluntariam subiectionem

1) Hebr. v. 29. 30.

elicere debet. Initio repetit eadem verba quibus nuper usus fuerat: hinc hortatur ut custodiant statuta sua et iudicia, hoc est, in animos suos diligenter reponant: deinde admonet quorsum ad servandam legem debeant attendere, nempe ut operibus praestent quae illic Deus exigit. Nec vero abs re in fine secundi versus iterum pronunciat se esse Iehovam, quia nec praefractos animos subigere facile est, nec vagos retinere in Dei timore. Proximo versu adiicitur epitheton: Sanctificans vos, ut gratitudinem suam Deo probare studeant, qui singulari privilegio eos e communi numero exemit.

Levit. 22, 32. *Et ne polluatis.* Aliis verbis eandem sententiam confirmat, quum vetat nomen suum pollui, quibus verbis cultus eius ab omnibus corruptelis asseritur, ut purus et integer vigeat. Eodem spectat oppositum membrum quod mox sequitur. Sanctificant enim Dei nomen qui non deflectunt a recto et sincero eius cultu. Atque hoc sedulo notandum est quaecunque homines figmenta excogitant, totidem esse nominis Dei profanationes. Quantumvis enim sibi placeant in suis commentis superstitiosi, tota eorum religio sacrilegiis referta est, quibus Deus sanctitatem suam pollui conqueritur. Notanda etiam est mutua relatio, ubi se Deus sanctificari postulat, sicuti sanctificat ipse populum. Nihil enim magis indignum quam si Israelitae eum idolis permisceant, cuius beneficio excellunt supra gentes. Perinde enim est ac si reputare iuberet unde egregii sint, ut suae praestantiae autori gratiam rependant. In summa, quemadmodum a profanis gentibus illos segregaverat, ita omnes impias mixturas damnat, quibus vitiatur pietatis integritas, ut solus emineat repudiatis omnibus idolis.

Deut. 4, 1. *Et nunc Israel.* Docilitatem a populo requirit, ex qua discant Deo servire. Nam bene recteque vivendi initium est, tenere quid Deo placet. Ideo hinc orditur Moses, dum attentos esse iubet ad regulam ex lege petendam. Deinde admonet ut tota vita probent rite se in lege profecisse. Promissio quae inseritur, tantum eos spe haereditatis ad liberale obsequium invitat. Praecipuum caput est, ne quid addant vel detrahant purae legis doctrinae: quod fieri non potest quin se homines primum abdicent proprio sensu, deinde alienis omnibus commentis aures claudant. Neque enim alii censentur legis discipuli, nisi qui ex ea tantum sapiunt. Perinde ergo est ac si iuberet Deus suis praeceptis contentos esse: quia non aliter legem custodient, quam si prorsus eius doctrinae sint addicti. Unde sequitur, eos demum obedire Deo, qui tantum ab eius autoritate pendent: ac legi deferre suum honorem qui nihil a genuino eius sensu extraneum admittunt. Insignis locus, quo aperte damnatur quidquid hominum ingenio excogitari potest ad cultum Dei.

Deut. 5, 32. *Custodite ergo.* Hoc quoque versu rursus non tantum hortatur populum ad legem amplexandam, sed simul contentos esse iubet simplici eius doctrina. Et certe dimidia tantum pars obedientiae est, tanquam rectum et aequum suscipere quidquid Deus praecipit, nisi accedat haec sobrietas, ne quid ultra sibi accersant homines. Itaque alio quoque loco quem adiunxi, non minus severe prohibet Deus ne quid addatur, quam ne quid detrahatur. Atque haec apprime observatu digna est sententia quoniam praepostera lascivia rapitur totus fere mundus ad cultus fictitios, qui tamen praecise uno verbo damnantur, ubi Deus ita iubet suos acquiescere positae legi, ne iustiores esse appetant quam illic docentur. Similis est locus Deut. 12. versu ultimo: sed quia annexus est propriae circumstantiae, et ex superiore sententia pendet, illic commodius reponetur. Tandem subiicit, non aliter legi satisfacturos, quam si intra metas se contineant: et, quo sint magis proclives ad parendum, adiuncta promissione blande eos allicit.

Deut. 13, 18. *Quia audies.* Quanquam haec sententia aliunde pendet, (ut licet videre suo loco) generalis tamen est, et extenditur ad totius legis commendationem. Primo autem docet Moses, regulam pie vivendi ex ore Dei petendam esse: deinde adiungit parendum esse non ex parte, sed in solidum. Confirmat etiam quod de obedientia dixi, quia non aliter placent homines Deo, quam ubi voci eius auscultant. Porro notanda est loquutio, ubi Moses sibi partes ministri duntaxat sumens, soli Deo potestatem vendicat. Dicit enim se praecipere, sed diserte excipit Dei esse quaecunque affert praecepta.

EX DEUTER. IV.

5. *Videte, docui vos statuta et iudicia, sicut praecepit mihi Iehova Deus meus, ut sic faciatis in medio terrae, ad quam vos ingredimini ut possideatis eam.* 6. *Custodietis itaque, et facietis: quia haec est sapientia vestra et intelligentia vestra coram populis: qui dum audierint omnia statuta haec, dicent: Certe populus hic sapiens et intelligens est gens haec magna.* 7. *Quae enim gens tam magna est cui sic appropinquent dii, sicut Iehova Deus noster in quibuscunque invocamus eum?* 8. *Et quae gens est tam magna cui sint statuta et iudicia iusta, sicut est universa haec lex, quam ego propono hodie coram oculis vestris?* 9. *Verumtamen cave tibi, et custodi animam tuam sollicite, ne obliviscaris rerum quas viderunt oculi tui, neve recedant e corde tuo cunctis diebus vitae tuae, et doceas ea filios tuos et filios filiorum tuorum.* 10. *Die quo stetisti coram Iehova Deo tuo in Horeb, quum diceret*

Iehova mihi: Congrega mihi populum, ut recenseam illis verba mea, quae discent, ut timeant me omnibus diebus quibus vixerint super terram, et filios suos doceant. 11. *Itaque accessistis, et stetistis sub monte: (mons autem ille ardebat igni usque ad medium coeli, tenebrae, nubes, et caligo).* 12. *Et loquutus est Iehova ad vos e medio ignis: vocem verborum vos audiebatis, at imaginem ullam non videbatis praeter vocem.* 13. *Et renunciavit vobis pactum suum quod praecepit vobis ut faceretis, decem verba, et scripsit illa in duabus tabulis lapideis.* 14. *Mihi quoque praecepit Iehova eodem tempore ut docerem vos statuta et iudicia, ut faceretis ea in terra ad quam transitis ut possideatis eam.*

6. *Custodietis itaque.* Quo alacrius se accingant ad servandam legem, et in hoc studio constantius pergant, nihil illis esse melius vel magis optabile admonet. Neque enim rite colitur Deus, nisi propensis animis et voluntario obsequio, quod dulcedine magis elicitur quam extorquetur vi et rigore. Iam quum omnes excellere appetant, hanc fore Israelis maximam praestantiam dicit, Deum habere legislatorem et magistrum. Si quis obiiciat duobus argumentis refelli quod dicit: nempe, quia cunctis profanis gentibus incognita fuit Dei lex: deinde quod praescripta illic colendi Dei forma, totaque Iudaica religio non modo contemptui, sed etiam odio fuit: respondeo, hic alios populos non statui simpliciter iudices vel arbitros, sed verba ita esse resolvenda: Si ad iustam cognitionem ventum fuerit, nullus erit populus sub coelo qui se vobis aequare, nedum praeferre audeat: Nam ex ipsa comparatione agnoscent in quam altum dignitatis gradum vos Deus extulerit. Quamvis ergo neglecta iacuerit legis doctrina, imo etiam detestatus sit totus fere orbis: vere tamen praedicat Moses, quum normam vivendi Iudaeis Deus tradere dignatus est, theatrum in quo conspicua esset unius populi nobilitas, erectum fuisse coram aliis gentibus. Neque enim caecorum inscitia, Dei claritatem exstingui vel obscurari aequum fuit. Colligitur autem ex hoc loco tunc nos vere demum sapere ubi pendemus ab ore Dei, sensusque nostros eius verbo addicimus. Ubi reddidi: Certe populus hic, particula רק Hebraice legitur, quae saepe exclusiva est: ideo commode transferri posset: Tantummodo populus hic, etc. Dubium quidem non est quin ob gratiae privilegium eximia notetur populi conditio.

7. *Quae enim gens tam magna.* Quod in aliorum persona retulerat Moses, nunc suo nomine iterat, ac si addita ratione ostenderet, non temere celebres fore Iudaeos in toto mundo: quia re ipsa appareat nullos illis esse pares. Quanquam duo membra hic recenset, primo quod praesto sit illis Deus ad ferendum auxilium quoties eum implorant: deinde quod eos docuerit perfectam iustitiam, ultra quam nihil desiderari queat. Nam quum dicit Deum propinquum esse, ad praesentiam virtutis refero, quae multis miraculis satis superque cognita fuerat. Tale praesidium in diis suis merito negat gentes unquam sensisse, quae vota et clamores ad surda et mortua idola dirigebant.

9. *Verumtamen cave tibi.* Eadem est particula רק de qua nuper dixi: quae tantundem hoc loco valet ac si dixisset Moses, hoc tantum restare: nisi magis placeat, Verumtamen. Postea ad verbum legitur, custodi te, vel tibi, et custodi animam tuam, ubi gradatim procedit Moses, non vulgari observatione esse opus, sed intima vigilantia et sedulitate cavendum illis esse ne per ignaviam deficiant. Talibus enim stimulis excitanda est carnis nostrae tarditas, et simul firmanda mollities, et inconstantiae obviam eundum: quia nihil magis proclive quam ut subita oblivione concidat totus fervor, vel paulatim languescat. Apud gratos et memores, quantum opus erat, Deus stabilierat fidem legis suae: quae tamen est hominum incuria, non abs re postulat ut populus recordetur. Nec tantum eos recordari iubet qui oculati fuerint testes, sed filiis etiam et nepotibus tradere, ut rerum tam insignium memoria propagetur.

10. *Die quo stetisti.* Posset etiam legi Diem, accusandi casu, ut sit appositio. Certe fusius exponi liquet quae brevius attigerat. Populum enim citat tanquam oculatum testem: ne forte excipiat, sibi non constare unde hauserit Moses quod profitetur sibi a Deo iniunctum. Sciebant enim omnes nihil eum tentasse nisi manifesto Dei iussu. Deinde a fine ipso, et summa doctrinae confirmat, Deum esse autorem, quoniam non alio spectet nisi ut pure colatur Deus ipse, et populum habeat sibi obsequentem, quo nihil rectius aut aequius fingi potest.

11. *Itaque accessistis et stetistis.* Haec quoque exegetica narratio ad eiusdem rei probationem valet nempe Mosen nonnisi Dei praeconem et ministrum fuisse: quia toto populo spectante mons exarserit, ut palam fieret Deum e medio igne loqui. Quod dicit, vocem tantum audisse, nullam vidisse effigiem, potest vice concessionis accipi. Ita adversative legenda essent haec duo membra, quamvis nulla effigies apparuerit, vox tamen penetravit ad vestras usque aures. Sed hoc diserte expressum fuisse interpretor, quo certius testatum fieret illam fuisse Dei vocem, quae ab homine mortali emissa non fuerat. Nullo enim artificio se occultasset quisquam hominum, quin os loquentis conspicerent, qui videbant absque externo organo vocem ex igne prodire.

DEUT. IV.

32. *Interroga agedum de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex quo die creavit Deus hominem super terram, et ab extremo coeli, usque ad extremum coeli, an acciderit unquam aliquid secundum hanc rem magnam, vel auditum fuerit simile.* 33. *An audierit populus vocem Dei loquentis e medio ignis, sicut tu audisti, et fuerit superstes.* 34. *Vel an tentaverit Deus ut veniret ad gentem sibi assumendam e medio gentis, per probationes, signa et prodigia, proelia, manum fortem, brachium extentum, et visiones magnas, secundum omnia quae vobiscum egit Iehova Deus vester in Aegypto coram oculis vestris.* 35. *Tibi ostensum est ut cognosceres quod Iehova ipse est Deus, nec ullus praeter ipsum.* 36. *E coelis audire te fecit vocem suam, ut erudiret te: et in terra ostendit tibi ignem suum magnum, et verba eius audisti e medio ignis.* 37. *Et quia dilexit patres tuos, elegit semen eorum post eos, et eduxit te coram facie sua, in virtute sua magna ex Aegypto.* 38. *Ut expelleret gentes magnas a facie tua, et robustiores te, ac te introduceret ad dandam tibi terram earum in haereditatem sicut dies haec demonstrat.* 39. *Itaque scito hodie, et reduc ad cor tuum, quod Iehova est Deus in coelis sursum, et super terram deorsum, nec alius ultra.* 40. *Proinde observabis statuta eius, et praecepta eius, quae mando tibi hodie, ut bene sit tibi et filiis tuis post te, utque prolonges dies super terram quam Iehova Deus tuus dat tibi omnibus diebus.*

32. *Interroga agedum.* Vehementius hic celebrat et magnificis elogiis extollit Moses quae simplicius ante narravit edita fuisse miracula in promulgatione legis, quo sanctior esset legis dignitas. Porro comparatione amplificat testimonia, quibus sancita fuerat legis fides, vel certitudo: quia scilicet nihil unquam simile acciderat. Nam si exstitisset tale aliquod exemplum, aliquid detractum fuisset ex pretio, vel honore. Sed quum semel tantum ab exordio mundi tam illustre virtutis suae documentum protulerit Deus, hinc gravior legis approbatio. Addit etiam, si totum orbem perlustrent, nihil simile usquam reperturos. Nam quod subtilius hoc membrum quidam exponunt, ac si diceret creaturas omnes sursum et deorsum testes fore nunquam tot et tam insignibus miraculis conspicuam fuisse Dei virtutem, mihi non probatur: sicuti nimis restrictum videtur quod per dies antiquos alii intelligunt annales, vel diaria: quia non dubito quin simpliciter iubeat Moses inquirere et sciscitari an a mundi creatione, vel in remotissima aliqua plaga, tale quid contigerit.

33. *An audierit.* Magnitudinem et singularem praestantiam rei cuius proxime meminit, apertius designat: nempe quod audierint vocem Dei ex igne loquentis. Verum quidem est multis olim spectris confirmatas fuisse gentium superstitiones, sed inter portenta quae ultro ad se decipiendos finxerunt miseri homines, nihil est quod ad hoc miraculum accedat. Mentiti sunt seorsum complures, temere creditum fuit sermonibus quos effutiverant: hic autem non agitur de rumoribus leviter sparsis, nec de unius hominis somnio, sed plures septingentis millibus testes oculatos producit Moses, quibus certo clareque apparuit Dei gloria. Et ideo subiicit, Deum nunquam idem tentasse: quia hoc unicum specimen ediderit ad illustrandam omnibus saeculis legem suam. Quanquam hoc versu non tantum promulgationem legis attingit, sed totum liberationis cursum: quia in genere probationes et signa nominat. Dicit se assumpsisse gentem e medio gentis: quia posteros Abrahae, qui per Aegyptum dispersi, et quasi in eius visceribus inclusi, pars obscura duntaxat et ignobilis erant celeberrimi populi, incomparabili potentia eripuit: quale exemplum nusquam reperitur.

35. *Tibi ostensum est.* Primo dicit miraculis et prodigiis Deum ita probasse deitatem suam, ut certo scirent Israelitae ipsum esse Deum. Unde etiam colligit ipsum esse solum: quia etsi laceratur sacrum Dei nomen variis opinionibus, dum proprios sibi deos quisque fabricat, manet tamen illud fixum, potentiam et imperium Dei non posse distrahi, sed residere in unico subiecto, ut loquuntur. Itaque essentia unius Dei alias omnes deitates, quas nobis stulte comminiscimur, evertit atque abolet. Quod diligenter notandum est, quia saeculis omnibus commune fuit vitium ut expeterent plurium deorum mixturam: quum prae fulgore veri Dei figmenta omnia evanescere debeant. Sequenti versu hanc sententiam confirmat, quod Deus populum e coelo et ex igne erudierit. Quaeritur tamen quomodo haec duo conveniant, quae videntur pugnare, vocem Dei fuisse auditam e coelo et e medio ignis. Respondeo, simpliciter Mosen docere, vocem quae ex igne manavit ad aures populi, certis notis fuisse insignitam, ut constaret coelestem esse.

37. *Et quia dilexit.* Verba duplicem sensum admittunt. Nam initio versus ponitur copula, Et quia dilexit patres tuos: deinde secundo repetitur: Et elegit semen eorum. Ita uno contextu posset esse causae redditio, superioris sententiae respectu: tot miracula fuisse edita, quoniam Deus elegerat Abraham et semen eius. Alii secus accipiunt, populum hunc tot beneficiis ornatum fuisse a Deo, quoniam patres eorum dilexerat. Itaque copulam in medio versu omittunt, quod saepe fieri solet. In summa rei parum est discriminis: quia docere vult Moses, quidquid bonorum contulit Deus populo, fuisse gratuitum: quae circumstantia magis commendat Dei gratiam. Dixerat, insolito privilegio assumptam fuisse

gentem e medio gentis: nunc addit, non alia de causa id factum, nisi quia Deus amore suo complexus fuerit Abraham, Isaac, et Iacob, et eundem amorem erga posteros prosequutus fuerit. Notandum vero est, amoris nomine exprimi favorem qui ex mera liberalitate fluit, ut excludatur omnis personae dignitas: sicuti ex aliis locis apertius colligitur, ut cap. 7, v. 8, et Psalm. 78, v. 68. Idque facile patet ex verborum contextu, ubi electionem populi deducit ex amore quo Deus patres ipsos dignatus fuerat. Si quis obiiciat, electionem Dei esse aeternam, solutio in promptu est, semen Abrahae segregatum fuisse a cunctis gentibus, quia Deus gratis patrem adoptaverat. Tenemus nunc consilium Mosis, liberationem populi nonnisi Dei bonitati adscribi posse. Alia deinde circumstantia amplificat hoc beneficium, quod Deus magnis et robustis gentibus praetulerit ignobilem populum, cui non poterat ulla propria dignitas favorem acquirere.

39. *Itaque scito hodie.* Inculcat rursum quod nuper diximus, miraculis probatam fuisse gloriam unius veri Dei, sed per modum exhortationis. Quod enim Deus monstravit, sedulo et attente expendere iubet: quia in re tam manifesta nulla sit erroris vel inscitiae excusatio. Infert ergo ex superioribus, cavendum esse ne populus ad claras virtutis Dei ostensiones conniveat: ideoque iubet repetere memoria, quia ad oblivionem nimis propensa est hominum ingratitudo. Postea admonet quorsum velit cognosci Deus: nempe ut legem eius observent, et pareant statutis. Summa est, inexcusabiles fore, nisi obedienter legem recipiant quam sciunt esse a Deo profectam: quia plusquam stupidos esse oportet, nisi apud eos reverentiam sibi conciliet Dei maiestas, tot documentis cognita et perspecta. Ac, ne minoris doctrinam aestiment quae ab homine mortali producitur, fatetur quidem diserte se esse ministrum, sed nihil proponere nisi quod a Deo accepit.

EX DEUT. VII.

6. *Nam populus sanctus es Iehovae Deo tuo: te elegit Iehova Deus tuus, ut sis illi populus peculiaris ex omnibus populis qui sunt in superficie terrae.* 7. *Non quia plures essetis prae omnibus populis, amavit vos Iehova, et elegit vos: vos enim eratis pauciores omnibus populis.* 8. *Sed quia diligebat vos Iehova, et custodire volebat iuramentum quod iuraverat patribus vestris, eduxit vos Iehova in manu forti, et redemit vos e domo servorum e manu Pharaonis regis Aegypti.*

EX DEUT. X.

14. *Ecce, Iehovae Dei tui sunt coeli et coeli coelorum, terra et omnia quae in ea sunt.* 15. *Tantummodo in patribus tuis beneplacitum est Iehovae, ut diligeret eos: et elegit semen eorum post eos,* nempe *vos, ex omnibus populis, sicut hodie.* 16. *Circumcidite igitur praeputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis ultra.* 17. *Iehova enim Deus vester, est Deus deorum, et Dominus dominorum, Deus magnus, potens et terribilis.*

Deut. 7, 6. *Nam populus sanctus.* Distinctius explicat quod nuper vidimus de gratuito amore. Nam paucorum hominum comparatio cum toto orbe et cunctis gentibus, magnitudinem gratiae non parum illustrat, cui accedit maior verborum copia. Eadem fere sententia repetetur et paulo post, et demum in cantico: sed illic per modum exprobrationis, hic autem in alium scopum dirigitur, sicut ex contextu patet: nempe ut tanto beneficio devincti, se et sua obsequia Deo addicant. Principio de electionis fine disserit, quod Deus eos tam singulari honore dignatus sit ut sibi populum acquireret sanctum et purum ab inquinamentis omnibus, deinde addita quam dixi circumstantia beneficii praestantiam extollit. Quod a dignitate ratiocinatur decere eos sanctitati dare operam, hinc colligimus, quo uberiore quisque gratia ornatus est, eo sanctius obstringi ad pie iusteque vivendum. Neque enim dona quae apud nos locat Deus, inutilia iacere vult, sed fructus suos proferre: praesertim tenendum est, dum nos sibi adoptat et in ecclesiam colligit, non ad immunditiem nos vocari, sed ad vitae puritatem, atque ut virtutes enarremus eius qui nos ex tenebris vocavit in admirabile lumen[1]) suum (1. Thess. 4, 7. 1. Pet. 2, 9). Nomen Hebraicum סגלה (quod nos peculiarem vertimus) quidam pro thesauro accipiunt, vel re pretiosa et desiderabili: sicut dictum fuit Exodi 19. Certe ex pluribus locis constat hac voce designari aurum, argentum, margaritas, et similia. De rei tamen summa convenit, hoc elogium electo populo tribui, quod Deus in eo se oblectet: in quo refulget incomparabilis eius bonitas, quod miseros et nullius pretii homunciones tanti aestimat. Unde etiam apparet, sancta sua vocatione ipsum quasi ex nihilo creare quae non sunt, ut omnem terrenam essentiam superent.

7. *Non quia plures essetis.* Gratuiti favoris esse probat quod illos extulerit Deus in tantum honorem: quia praeteritis cunctis gentibus, eos solos amplecti dignatus sit. Nam dona Dei fere apud nos obscurat aequalis largitio: quemadmodum solis lumen, communis victus, et alia quibus ex aequo

1) *Princeps:* nomen.

fruuntur omnes, aut vilescunt, aut certe iustam gloriam non obtinent: quod autem singulare est, magis est conspicuum. Porro pro confesso sumit Moses, naturaliter nihil fuisse in populo illo, quo potior esset eius conditio vel nobilior: ex quo infert Deo non aliam fuisse causam cur ipsos deligeret quam meram dilectionem. Alibi autem diximus, hoc amore excludi vel exinaniri quidquid a se ipsis afferre vellent homines. Unde sequitur, nunquam satis gratos Deo fore Israelitas, qui praeter meritum tam liberaliter ab eo sunt tractati.

Deut. 7, 8. *Custodire volebat iuramentum.* Amorem Dei a filiis ad patres deducit. Suae enim aetatis homines alloquebatur, quum diceret ideo thesaurum esse Dei quia ipsos dilexerat: nunc addit non coepisse nunc primum eos diligi, sed originem amoris a patribus fluxisse, ex quo Deus Abraham, Isaac et Iacob adoptare voluit. Quanquam autem inde clarius evincit, posteros Abrahae nihil tale esse promeritos, quia tantum iure haereditatis sint Dei peculium: simul tamen notandum est, non alia causa adductum fuisse Deum quam mera liberalitate, ut Abrahae esset propitius. Ideo paulo post dicet, eos qui tunc erant superstites, caros esse Deo, quia iampridem dilexerat eorum patres. Sed nunc beneficentiam Dei ex eo magis commendat, quod foedus suum a patribus ad filios transmiserit, ut se in promissis fidum ac veracem ostenderet. In fine versus liberationem populi gratiae illius et effectum et testimonium esse docet.

Deut. 10, 14. *Ecce, Iehovae.* Gratiam qua vidimus populum Deo esse devinctum rursus inculcat: quia haec maxime efficax erat observatio ad ipsos movendos, ut se redemptori subiicerent, cui se totos et omnia sua debere admonebantur. Primo igitur admonet, eos non propria dignitate aut generis praestantia a reliquis differre, sed quia Deo placuerit eos praeferre, quum ex aequo omnibus dominaretur. Ad verbum est: Concupivit Iehova ad amandum patres vestros: qua loquutione haud dubie notatur propensus in amorem affectus: quod ex pluribus etiam locis colligere licet. Itaque non satis apte Hieronymus verbum adhaerendi posuit. Atque hoc desiderium quo libere et liberaliter inductus fuit Deus, opponit Moses aliis omnibus causis, ne quid Israel sibi vel patribus arroget. Notanda est etiam minoris et maioris comparatio. Haec enim inaestimabilis fuit dignatio, coelo, terra, eorum ornatu et copiis omnibus quodammodo praeteritis, animum adiicere ad paucos et obscuros homines. Atque huc pertinet restrictio, quod prae omnibus populis solum Abrahae semen elegerit. Nam רק hoc loco est exclusiva, ideo reddidi per tantummodo: nisi forte transferre libeat, atqui, vel, et tamen. Sensus quidem clarus est, Deum, posthabitis omnibus terrae populis adoptasse gratis Abraham cum eius genere. Neque enim patres tantum dilectos fuisse dicit, sed totam sobolem in eorum personis: quia alioqui non quadraret quae sequitur exhortatio.

Deut. 10, 16. *Circumcidite igitur.* Ex illatione apparet quorsum adoptionis facta fuerit mentio, nempe ut sanctius et maiore studio Deum colerent Iudaei, quem tam beneficum experti erant. Exigit ergo mutuum amorem. Nihil enim turpius quam non testari gratitudinem pie iusteque vivendo. Sed quia natura minime propensi sunt aut formati homines ad Dei obsequium, hortatur eos Moses ad sui abnegationem, atque ad domandos et corrigendos carnis affectus. Nam cor circumcidere tantundem valet ac purgare pravis cupiditatibus. Interea castigat superiorem eorum contumaciam, ubi vetat amplius, vel in posterum, dura esse cervice, ac si diceret, tandem exuendam esse illam pravitatem ingenii, in qua nimis diu obduruerant. Tenemus nunc consilium Mosis. Vult suos populares morigeros esse Deo et obedientes, a quo tam benigne provocati fuerant. Sed quia hactenus iniquam rependerant gratiam illius beneficiis, simul iubet mores in melius mutare. Priore autem membro alludit ad ritum legalem. Circumcisio enim quasi solennis consecratio erat, qua initiabantur Abrahae filii in Dei cultum et veram pietatem, et simul a profanis gentibus segregabantur, ut essent sanctum peculium. Atque his quidem rudimentis a pueritia imbutos esse oportuit, ut ex signo illo visibili discerent carnis et mundi inquinamentis renunciandum esse. Erant et alii circumcisionis fines: verum hic tantum de vitae novitate agitur, aut resipiscentia. Quare summa est, quum illos sibi Deus elegerit in populum, et externo symbolo eos sibi addixerit ad colendam sanctitatem, debere illos sincere et re ipsa probare se differre a profanis gentibus: quia spiritualiter non minus quam in carne circumcisi erant. Eos enim vere demum Iudaeos esse Paulus definit qui intus sunt circumcisi, et in abscondito, ut loquitur (Rom. 2, 28): non autem qui tantum gloriantur circumcisionis litera. Itaque saepius prophetae hypocritis et legis transgressoribus exprobrant praeputium, et incircumcisos vocant, quamvis signum visibile in carne gestarent. In summa, dum hortari vult ut se Deo sanctificent, ratiocinatur a natura et usu symboli, quo profitebantur se electum Dei populum. In secundo membro elegans est translatio a bobus sumpta, quae passim occurrit. Nam quia boves dum colla iugo placide submittunt, probe ab obsequium sunt subacti, durae cervicis vocantur qui feroci et praefracto sunt ingenio.

Deut. 10, 17. *Iehova enim Deus vester.* Ne doctrinam hanc vilipendant, terribile Dei imperium illis proponit, quia hinc contemptus aut negligentia,

dum maiestas Dei non semper iustam venerationem obtinet. Itaque incusso metu, ab indulgentia vel torpore eos deterret.

EX DEUT. XXVII.

9. *Et loquutus est Moses et sacerdotes Levitae ad omnem Israel, dicendo, Ausculta et audi Israel, hodie factus es in populum Iehovae Deo tuo.* 10. *Audias ergo vocem Dei tui, et facias praecepta eius, et statuta eius quae ego praecipio tibi hodie.*

Iterum exhortandi argumentum sumitur a singulari adoptionis gratia, qua Deus Abraham dignatus fuerat. Nihil enim ad obsequium praestandum acrius stimulare eos debuit quam amor ille plusquam paternus et gratuita benevolentia qua ipsos praevenerat. Quanquam simul his verbis fuerunt admoniti in quem finem segregati essent a reliquis gentibus. Colligit enim, quia recepti sunt a Deo in populum, obstringi ad servanda eius statuta: sicuti clarius docet Paulus (Tit. 2, 14), nos redemptos esse ab omni iniquitate, ut Christus mundaret sibi populum peculiarem, studiosum bonorum operum. Porro quia iam creati erant sacerdotes in quorum labiis peteretur legis doctrina: nunc ipsius Dei nomine prodeunt in medium, ac stipulantur, ut Deo liberaliter invitanti respondeat populus: neque id modo, sed eius ministris pareant.

EX DEUT. XXVI.

16. *Hodie Iehova Deus tuus praecepit tibi ut facias statuta haec et iudicia: custodias ergo et facias ea toto corde tuo, et tota anima tua.* 17. *Iehovam exaltasti hodie, quod tibi sit in Deum, et ambules in viis eius, et custodias statuta eius, et praecepta eius, et iudicia eius: et obedias voci eius.* 18. *Iehova quoque exaltavit te hodie quod sis ei in populum peculiarem, quemadmodum loquutus est tibi, et quod custodias omnia praecepta eius.* 19. *Et ponat te superiorem omnibus gentibus quas fecit, ad laudem, et nomen, et gloriam: et ut sis populus sanctus Iehovae Deo tuo, quemadmodum dixit.*

16. *Hodie Iehova.* Rursus Deum commemorat legis esse autorem, quo magis eos permoveat eius maiestas: neque id modo, sed quoniam peculiariter lex illis tradita fuerat eius quoque observationem iniunctam esse. Hinc hortatur ut diligenter animum adiiciant ad ea quae Deus iniunxit servanda, quia scilicet torpent homines in officio nisi saepius excitentur. Nam certe Deus, obsequium toties exigendo, oblique perstringit populi segnitiem. Per totam vero animam intelligitur seria apprehensio et cura, deinde sinceritas pura omni fuco et simulatione. Nihil enim Deo magis displicet quam hypocrisis quia cor intuetur. Si quis obiiciat frustra requiri quod mortalium nemo praestare potest, nempe ut toto corde lex servetur: respondeo totum cor opponi duplici, vel bipertito, atque ita tantundem valere atque integrum, vel minime fallax. Quanquam (ut postea videbimus) absurdum non est scopum proponi fidelibus ad quem contendant, non autem pertingant, quantisper eos moratur carnis infirmitas.

17. *Iehovam exaltasti.* Ab effectu ostendit nihil ipsis esse melius, nec magis optabile, quam legem Dei amplecti: nihil enim nobis magis honorificum quam Deo ius suum asserere, et in sublime attollere eius gloriam ut emineat. Admonet autem Moses si se Israelitae legi subiiciant, perinde id fore ac si eum locarent in iusto imperii sui gradu: fructum vero rediturum esse promittit quia vicissim eos extollet Deus, ut prae cunctis gentibus longe excellant, sicuti apud Isaiam dicitur: Sanctificate Deum exercituum, et ipse erit arx vestra. Nec aliter glorificari a nobis postulat, quam ut mutuo nos faciat gloriae suae consortes: atque ita blande eos allicit ad suscipiendam legem, quia solida eorum felicitas sita sit in hoc pietatis officio, si Deo penitus ad parendum se addicant. Porro haec ecclesiae praestantia, tametsi in mundo refulget, caecis tamen est abscondita: atque ut spiritualis est, nonnisi coram Deo et angelis laudem suam obtinet.

EX DEUT. VI.

20. *Quum interrogaverit te filius tuus cras, dicendo: Quid sibi volunt testimonia et statuta et iudicia, quae praecepit Iehova Deus noster vobis?* 21. *Tunc dices filio tuo: Servi fuimus Pharaonis in Aegypto, et eduxit nos Iehova ex Aegypto in manu forti.* 22. *Deditque Iehova signa et portenta magna et pessima in Aegypto in Pharaonem, et in totam domum eius, in oculis nostris.* 23. *Atque nos eduxit inde, ut introduceret nos, ac daret nobis terram de qua iuravit patribus nostris.* 24. *Itaque praecepit Iehova ut faciamus omnia statuta ista, ut timeamus Iehovam Deum nostrum in bonum nostrum omnibus diebus, ut conservaret nos in vita, ut in hac die.* 25. *Et iustitia erit nobis quum custodierimus ut faciamus omne praeceptum istud coram Iehova Deo nostro quemadmodum praecepit nobis.*

20. *Quum interrogaverit.* His versibus hoc unum

agit Moses ut legi parendo gratitudinem suam populus testetur, ac eadem religio ad posteros transeat quos a patribus doceri iubet. Summa est, merito servanda esse omnia legis praecepta, quibus Deus, post redemptum populum, beneficii laudem sibi asseruit. Itaque hoc etiam loco a redemptionis memoria legem commendat, ut libentius et propensiore studio eam revereatur populus. Plus enim autoritatis meretur, quia non ante imposita fuit quam sibi Deus populum devinxisset. Et nimis absurdum ac turpe fuisset, populum non amplecti Deum legislatorem, a quo sciebat se fuisse acquisitum. Secundo loco admonet in eundem finem creatos fuisse haeredes terrae Chanaan, ut Deum tantae gratiae autorem colerent. Ita duplici vinculo obstrictos esse colligitur: quia non semel modo Deus sibi ipsos addixit, sed in continua terrae possessione confirmavit sibi imperium. Quod autem terram dicit iureiurando patribus fuisse promissam antequam lex daretur, in eo nihil est absurdi. Etsi enim gratis munus hoc contulit, iure tamen exegit gratitudinis testimonium. Quemadmodum mera quidem liberalitate nos hodie ad spem aeternae haereditatis invitat, scopus tamen nostrae vocationis est ut vicissim tota vita celebremus eius gloriam. Quum dicit versu 24: Ut timeamus Iehovam, summam legis breviter notat. Neque enim sufficeret praestare quidquid illic iubetur, nisi referatur observatio ad Dei timorem et cultum. Deum quidem delectat integritas et rectitudo: sed nemo diceret rite compositam esse hominum vitam, si aequitatem inter se colendo, Deum iure suo fraudent. Porro timoris nomine legitimum honorem et cultum comprehendi, satis notum est. Paulo post ab utilitate legem commendat: quia eorum saluti consuluerit Deus, pie iusteque vivendi regulam tradendo. Quibus verbis docet, eos bis ingratos fore si respuant quod illis prodesse Deus voluit. Nam tantundem valet haec particula: In bonum nobis, ac si dixisset, Deum non modo iuris sui curam habuisse et respectum in ferenda lege, sed simul respexisse quid utile ipsis foret: quod sequenti versu clarius exprimit, docendo, hanc ipsorum fore iustitiam si legem observent: ac si diceret, praescriptam fuisse iuste vivendi formam quae Deo placeret: quo nihil expeti potest melius. Quomodo autem legis observatio sit iustitia per se, et tamen ex lege nemo iustificetur, alibi fusius dicetur. Nam quod lex iram et maledictionem duntaxat affert, non oritur ex defectu aut vitio doctrinae, sed culpae nostrae imputandum est qui a iustitia quam continet sumus procul remoti, imo alieni.

EX NUMER. XV.

37. *Dixit Iehova ad Mosen, dicendo:* 38. *Alloquere filios Israel, et dic eis ut faciant sibi fimbrias in angulis vestimentorum suorum, per generationes suas, et ponant in fimbria anguli filum hyacinthinum.* 39. *Et erit vobis instar fimbriarum, videbitisque eam, et recordabimini omnium praeceptorum Iehovae ut faciatis ea: et non aspicietis post cor vestrum, et oculos vestros, post quos vos fornicamini.* 40. *Ut recordemini,* inquam, *et faciatis omnia praecepta, et sitis sancti Deo vestro.* 41. *Ego Iehova Deus vester, qui eduxi vos e terra Aegypti, ut essem vobis in Deum: ego* inquam, *Iehova Deus vester.*

REPETITIO EIUSDEM SENTENTIAE. EX DEUT. VI.

6. *Erunt verba haec quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo.* 7. *Et iterabis* [1]) *ea filiis tuis, et disseres de ipsis sedens domi tuae, iter faciens, iacens in lecto, et surgens.* 8. *Et ligabis ea in signum in manu tua: et erunt in frontalia inter oculos tuos.* 9. *Scribes quoque ea in postibus domus tuae, et in portis tuis.*

ALTERA REPETITIO. EX DEUT. XI.

18. *Ponite verba haec in corde vestro, et animo vestro, atque ea ligate in signum in manu vestra, sintque in frontalia inter oculos vestros.* 19. *Et docete ea filios vestros, ut loquamini de eis quum sedebis domi tuae, et quum ambulabis per viam: quumque iacebis in lecto, et quum surges.* 20. *Scribes quoque ea in postibus domus tuae, et in portis tuis.*

EX EXODI XXIII.

13. *In omnibus quae praecepi vobis, cauti eritis.*

Num. 15, 38. *Alloquere filios Israel.* Paulo post fusius exponam huius praecepti finem. Quanquam ex proximo versu liquet, non alio spectare Deum nisi ut Iudaeos exerceat in assidua legis meditatione. Neque enim religio in fimbriis sita fuit, vel externa illa textura ullius per se fuit pretii: sed quum in studio pietatis pigri sint et obliviosi homines, voluit hoc adminiculo Deus eorum infir-

1) *In margine:* Vel: acues.

mitati consulere. Nam quum dicit aspectu admonitum iri ut recordentur, subindicat opus habere crassis rudimentis, quae externos quoque sensus feriant: deinde, nisi excitetur eorum memoria, nihil magis proclive fore quam ut obrepat oblivio. Mox autem addit, Deum nihil morari frigidam notitiam, sed serium affectum et praxin exigere. In secunda autem parte versus alteram necessitatem ostendit: quia scilicet non modo stimulanda sit eorum pigrities, sed cohibenda simul protervia. Nam quum dicit: Non aspicietis post cor vestrum, significat, nisi Deus arceat vagos ipsorum sensus, ad omne superstitionum et errorum genus nimium fore propensos. Ac primo quidem corda et oculos hominum legi suae opponens, una quam praescribit regula populum suum vult esse contentum, ne quid ex propriis figmentis admisceat: deinde vanitatis damnat quidquid apud se fabricant homines: et quantumvis arrideat ipsis carnis ratio, eam tamen respuit ac condemnat. Quod etiam ultima voce clarius exprimit, ubi dicit fornicari homines quamdiu propriis consiliis reguntur. Sententia apprime notatu digna: quod dum sibi valde placent qui arbitrio suo Deum colunt, suaque studia optima et rectissima esse iudicant, nihil aliud quam spiritualibus adulteriis se contaminant. Nam quae coram mundo censetur sanctissima devotio, eam Deus ore suo pronunciat scortationem esse. Per oculos haud dubie intelligit quidquid perspicaciae est in hominibus.

41. *Ego Iehova.* Quia in fine versus proximi iusserat sanctos esse Deo, ratione confirmat: quod scilicet in hunc finem eos redemit ut esset ipsis in Deum, hoc est, ut sancte coleretur. Ius ergo suum asserit Deo ex beneficio liberationis: quod male locatum fuisset: nisi eius imperio se addicerent. Repetitio quae mox additur ad confirmationem valet.

Deut. 6, 6. *Erunt verba haec.* His quatuor proximis versibus commendat rursus (ut nuper) Deus legis suae studium. Ac primum quidem vult eam cordibus infixam esse, ne scilicet unquam obrepat oblivio. Nempe cordis nomine memoriam et alias animae partes designat; ac si diceret, tanti esse hunc thesaurum, ut merito eum recondere in cordibus suis debeant, vel penitus doctrinam hanc defigere in animis suis, ne unquam effluat. Postea iubet continuum de illa fieri sermonem apud filios, ut patres sedulo attenti sint et incumbant ad docendi officium. Verbum ישב [1]) quo utitur Moses, proprie significat acuere: interpretes metaphorice positum existimant pro iterare, vel iugiter narrare: quia dum inculcatur coelestis doctrina, vix tunc quoque probe cordibus insidet. Verum quia hic sumitur in coniugatione Piel, posset transitiva esse significatio, nempe ut eam penetrare faciant in animos, ac si eos pungerent acumine gladii. Neque enim consentanea videtur illa translatio. Ne quem tamen offenderet novitas, mihi satis fuit quid sentirem exponere. Deinde ut populi segnitiem excitet, hortatur ut se publice et privatim in eius meditatione exerceat. Etsi autem videtur hyperbolice loqui, si quis tamen prudenter expendat quam tardi sint ac frigidi homines ad discendum, et ubi visi sunt nonnihil profecisse, quam sint obliviosi, facile agnoscet Mosen non abs re tam acriter insistere: sed summa necessitate fuisse adactum ut tam rigidus esset exactor. Hac ratione propheta Psalmo 1, 2 felices esse praedicat qui in lege Dei meditantur die ac nocte. Nullum ergo tempus vacuum relinquit a legis meditatione, sive sint domi, sive peregrinentur, sive dum cubitum eunt, vel mane surgunt e lecto. Atque ad hoc praeceptum videtur alludere propheta Psalmo 119, 62 ubi dicit: Media nocte surgam ad confitendum tibi super iudiciis tuis. Item, (v. 148) praevenerunt oculi mei vigilias, ut loquerer de sermonibus tuis. Neque enim loquendi verbo ad vanam loquacitatem, ad quam plus aequo multi proclives sunt, populum exstimulat Moses: sed ut se ipsos singuli confirment, et alii aliis sint doctores. Diversas autem actiones enumerat, ne haec varietas qua distrahi solent ingenia, a recto cursu pios abducat: ac si iuberet, quidquid negotiorum gerant, in hunc unum scopum praecipue intendere. Eadem ratione iubet brachialia ex legis praeceptis et frontalia confici: haud dubie ornatum hunc spiritualem aureis monilibus opponens: ac si diceret, ex pia legis recordatione rectius oblectationem capturos quam ex pomparum nugis, quae hominum sensus ad se rapiunt. Hoc dum crasse intelligunt Iudaei, sanctimoniae partem in externa illa ostentatione locarunt, ut putarent se fere defunctos si legem in frontibus et brachiis gestarent. Deinde longius etiam progressa est cacozelia, ut quo quisque censeri volebat aliis praestantior, latius dilataret sua phylacteria. Sic enim fimbrias vestium vocabant, in quibus perscriptae erant sententiae aliquae legis, quasi custodias. Quod vitium Christus severe exagitat in scribis et Pharisaeis (Matth. 23, 5): quia merum erat ludibrium huius admonitionis, et doctrinae profanatio. Et ex loco Exodi quem subieci, satis patet Dei consilium, ubi simpliciter attendere iubentur ad legis observationem. Sedulitas autem merito requiritur, non tantum ut in re maxime seria, sed quia pro nostra vanitate proclive est alio delabi, nisi excitetur nostra segnities.

Deut. 11, 18. *Ponite verba mea haec.* Iterum seriam attentionem requirit, ne si leviter tantum et neglectim excepta fuerit quam proponit doctrina, paulo post effluat. Ponere enim in corde vel super

1) *Sic editiones, nescio utrum lapsu calami autoris an alia de causa. In hebraeo aliud exstat verbum, nec* ישב *unquam acuendi refert sensum.*

cor, tantundem valet ac penitus recondere. Quanquam ubi nomen animae adiungitur, cordis nomen ad mentem refertur, vel est intelligentiae facultas. In summa, iubet non tantum in mente defixam habere legem, sed sincero quoque animi affectu amplecti. Secundo commendat illud quod nuper vidimus memoriae adminiculum: nempe ut in brachiis et frontibus gestent praecepta: ac si Deus illis assidue occurreret, ad excitandos eorum sensus. Neque enim (ut dictum est) ligaturas Deus moratus est: sed in alium finem voluit eas in brachiis et frontibus spectari: nempe ut pietatis curam suggererent et renovarent. Deinde eas in ornatus locum substituit, ut assuesceret populus praecipuam ex legis meditatione oblectationem capere. Unde satis refellitur stulta illa ambitio, quod hypocritae ex fimbriis et similibus nugis famam sanctitatis captarunt: crassus etiam error totius vulgi, quod externo habitu se erga Deum defungi putavit. Eodem pertinet quod postea sequitur, ut scribantur praecepta in portis urbium et in privatis aedibus. Diximus enim ut propensae sunt ad vanitatem hominum mentes, et innumeris illecebris subinde distrahuntur, talibus retinaculis opus habere. Atque hic finis clare exprimitur, dum singulos iubet de praeceptis legis disserere, sive quiescant domi, sive peregrinentur, sive dormitum eant, sive surgant: quia nisi accedat sedula exercitatio, fere statim evanescere contingit quidquid semel homines didicerint. Addit praeterea alium huius diligentiae fructum: nempe ut non tantum privatim singuli sibi consulant, sed erudiant etiam suos filios, quo lex Dei perpetua successione semper vigeat.

EX DEUT. XXVII.

1. *Et praecepit Moses et seniores Israelis populo dicendo, Custodi omnia praecepta quae ego praecipio vobis hodie.* 2. *Erit, quo die transieritis Iordanem ad terram quam Iehova Deus tuus dat tibi, statues tibi lapides magnos, et lines calce.* 3. *Et scribes in illis omnia verba legis huius, quum transieris ut venias in terram quam Iehova Deus tuus dat tibi, terram fluentem lacte et melle: sicut loquutus est Iehova Deus patrum tuorum tibi.* 4. *Erit ergo quum transieritis Iordanem, statuetis lapides istos de quibus ego praecipio vobis hodie, et lines eos calce.*

EIUSDEM CAPITIS VERSU VIII.

Et scribes in lapidibus omnia verba legis huius distincte[1] *explicando.*

1) *In margine:* ad verbum, bene.

1. *Et praecepit.* Eodem pertinet hoc praeceptum quo alia superiora. Nam sicut voluit Deus in aedium postibus scribi sua praecepta, et in vestium fimbriis, ut oculis assidue occurrerent, ita voluit in ipso terrae ingressu exstare monumentum, ex quo disceret populus in ea se habitare ut pure Deum coleret. Ergo ne unquam incuria populi obscura iaceret legis cognitio, aut ullo modo obliterari posset, voluit Deus in sublimi conspici illius summam. Unde colligitur similitudo quam dixi inter privatas singulorum domos et totam terram. Quum in foribus scripta essent praecepta, admonitus quisque fuit domum suam sacram esse Deo. Similis totius terrae fuit ratio, ut scirent quicunque illuc ingrediebantur, quasi sacrarium esse coelestis doctrinae: atque ita incitarentur omnium studia ad purum Dei cultum. Apta autem et concinna scripturae expressio, cuius mentio fit octavo versu, ad tollendam ignorationem facit.

EX DEUT. CAPITE XXXI.

10. *Et praecepit Levitis Moses, dicendo, Septimo quoque anno tempore anni remissionis, in solennitate tabernaculorum,* 11. *Quum venerit universus Israel ut appareat coram Iehova Deo, in loco quem elegerit, leges legem istam coram universo Israele in auribus eorum:* 12. *Congregando populum, viros, et mulieres, parvulos et peregrinos qui sunt intra portas tuas, ut audiant, et discant, timeantque Iehovam Deum vestrum, et custodiant faciendo omnia verba legis huius.* 13. *Et filii eorum qui non noverunt audiant, et discant timere Iehovam Deum vestrum, omnibus diebus quibus victuri estis super terram, ad quam transmisso Iordane pergitis ut possideatis.*

10. *Et praecepit Levitis Moses.* Eadem huius praecepti ratio quae proximi. Voluit ante oculos repraesentari et assidue versari: nunc eam septimo quoque anno recitari iubet, ne unquam intercidat eius cognitio. Sed ordinem verborum sequamur. Primo dicit legem se scripsisse. Antea vocalis tantum fuerat pietatis doctrina: quia tradebant patres filiis quasi per manus quod coelitus patefactum fuerat. Ita religio et fides populi in Aegypto nonnisi in veteribus oraculis et patrum traditione fundata erat. Verum quia nihil proclivius est quam ut hominum mentes, pro sua vanitate, protinus verae doctrinae obliviscantur, et se multis erroribus involvant, huic malo volens Deus occurrere, publicis tabulis consignavit pietatis regulam: ut, si ab ea deflecterent posteri, nullus esset iustitiae praetextus. En scribendae legis ratio, ut continua aetatum serie testata esset Dei veritas. Non intelligit sic

depositam fuisse legem apud Levitas ut eam supprimerent, vel soli essent eius custodes: verum si indifferenter omnes hortatus esset ad eam legendam, vix quisquam applicasset suum studium. Sic enim fieri solet ut quod in genere omnibus mandatur, singuli negligant. Ergo nomophylaces creantur Levitae, qui in aliorum contemptu vel negligentia sedulo advigilent ne intercidat Dei cognitio. Nec dubium est quin ideo tradita fuerit lex in eorum manus ut essent eius interpretes. Quo pertinet illud Malachiae 2, 7, Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius: quia nuncius Dei exercituum est. Nam quod continuo post subiicitur, ut septimo quoque anno legem recitent, non ita accipere convenit ac si reliquo tempore maneret apud ipsos abscondita. Voluit enim Deus quotidianos esse doctores, et populum officii sui assidue monere. Sed ne haec exercitatio obsolesceret, tam fastidio populi, quam sacerdotum ignavia, solennis ritus adiunctus fuit, ut septenis quibusque annis, ubi celeberrimus erat populi conventus, renovaretur legis promulgatio. Unde apparet, nihil esse tam sanctum et omni cautione munitum quod non perfringat ac violet hominum malitia. Nam quum adeo praecise Levitis iniuncta esset legis recitatio, prodigium fuit et quidem detestabile tempore Iosiae fuisse repertam, et omnes novitate fuisse expergefactos, ac si nihil unquam audissent (2. Reg. 22). Non idem prorsus contigit in papatu, sed quum tyrannice dominari vellent larvati episcopi, hoc artificio usi sunt de scripturae mysteriis fas non esse inquirere. Hinc factum est ut ipsi quidem secure ludicris ineptiis operam dederint: monachi autem eorum emissarii impune fabulati sint quidquid ipsis poterat venire in buccam. Porro consilium Dei fuit, septimo quoque anno populum monere ut legem assidue meditaretur.

12. *Congregando populum.* Ad verbum, congregare, in modo infinitivo: qui tametsi interdum pro imperativo capitur, hoc tamen loco perperam vertunt quidam: Congrega populum: ac si Mosi praeciperet haec mandata semel ad homines sui saeculi deferre: quum potius eandem sententiam contexat Moses. Cohaeret igitur hic versus cum superioribus: nempe ut lex de integro promulgetur quo anno indicere oportuit celeberrimum conventum: quia tunc clangore tubarum ad iubileum vocatus fuit populus. Denique verbum congregandi extenditur ad septennes conventus, quorum alibi fiet mentio. Nec certe tempori Mosis quadraret quod dicitur de populo qui habitat intra portas, quae tunc nullae erant. Fusius ergo exponit Moses cur septimum annum designaverit: quia scilicet tunc populus se in Dei conspectum sistebat. Mulieres et parvulos diserte nominat, ne qua sit sexus vel aetatis excusatio. Quo foedior est eorum improbitas qui non pueros modo sed mulieres arcent a pietatis doctrina: quando omnes a minimo usque ad maximum Deus ad scholam suam invitat vultque suos esse discipulos. Quantum ad peregrinos spectat, eos intellige non qui negotiandi causa venirent in terram Chanaan mox domum redituri, sed qui domicilium illic elegerant, et longa habitatione coaluerant in idem corpus cum Israelitis. Additur fructus et utilitas, ut audiendo discant timere Deum. Unde colligimus, ex cognitione religionem veram nasci, et quidquid pietatis ostentant homines Dei verbo non edocti, meram esse simulationem. Custodire ad faciendum, tantundem valet ac serio applicare suum studium ad parendum legis praeceptis.

13. *Et filii eorum qui non noverunt.* Iterum videmus non agi de praesenti convocatione sed quae repetenda erat singulis septenniis, ut posteritas contineretur in officio. Alter ergo usus recitationis monstratur, quia multi, qui per aetatem primae promulgationis testes esse non potuerunt, inde discent quomodo colendus sit Deus. Ac terrae possessio rursus illis proponitur, ut Dei beneficentia eos ad obsequium alliciat.

EX DEUT. VI.

10. *Erit autem quum introduxerit te Iehova Deus tuus in terram de qua iuravit patribus tuis, Abraham Isaac et Iacob, se daturum tibi eam, et urbes magnas et pulchras quas non aedificasti,* 11. *Et domus plenas omni bono, quas non replesti, et cisternas effossas, quas non effodisti: vineas et oliveta, quae non plantasti: et comederis, et saturatus fueris:* 12. *Cave tibi ne obliviscaris Iehovae, qui eduxit te e terra Aegypti, e domo servorum.*

10. *Erit autem quum introduxerit.* Quoniam prosperitas et opulentia ut plurimum excaecat hominum mentes, ne ad modestiam et moderationem satis attendant, sed potius lasciviant in suis concupiscentiis, ac se delitiis inebrient: huic vitio per anticipationem medetur Deus. Neque enim frustra admonet cavendum esse ne Dei obliviscantur, ubi large et laute ab eo tractati fuerint, sed quia sciebat commune hoc esse vitium ut satietas pariat ferociam: quemadmodum postea dicet in cantico: Saginatus Israel recalcitravit: pinguedine obductus est, dereliquit Deum factorem suum, et pro nihilo habuit Deum salutis suae. Principio autem quam turpis et indigna futura sit eorum ingratitudo, ostendit si tot praeclaris Dei beneficiis onusti eius memoriam abiiciant. Nam ut inaestimabilis fuit Dei bonitas, urbes illis tradere alienis manibus conditas,

et quaecunque alii sua industria magnisque laboribus paraverant, in illos transferre: ita eo magis detestabilis erat impietas, ipsum negligere, quum se quotidie in illa multiplici bonorum congerie repraesentaret. Discamus itaque ex hoc loco liberalitate Dei nos invitari ad eius cultum: et quoties benigne nobiscum agit, gloriam suam ante oculos nobis statuere. Sed ex opposito meminerimus, quae debebant nobis esse vehicula ad mentes nostras sursum tollendas vitio nostro converti in remoras et obstacula: quo scilicet magis ad cavendum attenti simus. In fine versus 12 alia circumstantia eorum dementiam coarguit, si repente ditati intemperanter insultent: ac si diceret, minime tolerabilem hanc esse socordiam, si Dei beneficentia ornati non cogitent de sua origine: quia nihil magis ad humilitatem eos flectere debuit quam misera illa servitus unde erepti fuerant. Ergo amplae dominationi, in quam illos Deus extulerat, opponit domum servorum, ut pristinae sortis recordatio proterviam omnem compescat.

EX DEUT. IX.

1. *Audi Israel: Tu transis hodie Iordanem, ut ingrediaris ad possidendum gentes magnas et robustas praeter te, urbes magnas et munitas usque ad coelum:* 2. *Populum magnum et procerum, filios Enacim quos tu nosti, et de quibus tu audisti: Quis consistet coram filiis Enac?* 3. *Scito itaque hodie quod Iehova Deus tuus ipse est qui transit ante te, ignis consumens: ipse delebit eos, ac humiliabit eos coram te, ut expellas eos perdasque eos cito, quemadmodum dixit Iehova tibi.* 4. *Ne dicas in corde tuo, quum expulerit Iehova Deus tuus illos a facie tua, dicendo: Propter iustitiam meam introduxit me Iehova ut possideam terram hanc: quum propter iniquitatem gentium istarum Iehova expellat eas a facie tua.* 5. *Non propter iustitiam tuam et rectitudinem cordis tui tu ingredieris ad possidendam terram eorum, sed propter impietatem gentium istarum Iehova Deus tuus expellit eas a facie tua, ut confirmet verbum quod iuravit ipse Iehova patribus tuis, Abrahae, Isaac et Iacob.* 6. *Scito itaque quod non propter iustitiam tuam Iehova Deus tuus dat tibi terram istam optimam, ut possideas eam: siquidem populus durae cervicis es.*

1. *Tu transis hodie Iordanem.* Totus hic locus elogium continet gratuitae Dei liberalitatis, qua sibi populum devinxit ad legis obsequium. Debuit autem (ut iam visum est) acerrimus hic esse stimulus ad pungendos Israelitas, ut penitus raperentur ad colendum et amandum Deum, cui tantopere obstricti erant. Consilium ergo Mosis fuit docere: nullis meritis Israelitas, sed singulari Dei beneficio haeredes fore terrae Chanaan: idque totum manare ex foedere et adoptione gratuita: ut vicissim perstarent in fideli observatione foederis, atque ita magis propensi essent ad eius cultum. Nimis enim indignum esset non occurrere Deo voluntarios ad subeundum eius imperium quos sua gratia praevenit. Porro ne sibi quidquam arrogent, magnitudinem potentiae Dei in eo commendat quod tot gentium victores esse nequeant, nisi mirabiliter e coelo adiuti. Hac ratione dicit gentes illas multitudine et numero, deinde fortitudine bellica praecellere. Addit, eorum urbes esse magnas et inexpugnabiles: postremo in illis esse filios gigantum procera statura formidabiles. Nam Enac (ut narratur Iosue 15. capite) famosus gigas fuit, cuius posteri vocati sunt Enacim. Et quo tollatur eis dubitatio, citat ipsos testes, quod illorum conspectu fuerint exterriti ut velint cursum retroflectere. Nunc tenemus quorsum tendant omnes circumstantiae, nempe ut in victoriis populi et felici successu refulgeat Dei gloria. Haec verba, quos tu nosti, et de quibus audisti, ad exploratores referenda sunt. Neque enim gigantes illi adhuc populo coram innotuerant: sed ad omnes transfert quod paucorum erat: quia ex eorum relatu passim grassatus erat terror per castra, ac si iam venissent ad conflictum. Quia ergo persuasi fuerant se hostibus fore impares, et exanimati fuerant ad rumorem, Moses eos proprio testimonio coarguit: ne forte postea laudem uni Deo debitam ad se rapiant. Docemur autem ex his verbis eam esse hominum ingratitudinem ut Dei beneficia quantum in se est obscurent, neque unquam cedant, nisi convicti.

3. *Scito itaque hodie.* Colligit ex superioribus, nimis malignos fore Israelitas nisi agnoscant Dei manu profligatos esse hostes. Et quo magis illustret miraculum, similitudine utitur, Deum igni comparans, qui insolito modo et incredibili tot populos consumet. Perinde enim est ac si dixisset, humanitus fieri non posse, nec usitatis rationibus, ut tot populi et tam bellicosi cito pereant. Alibi vocatur Deus ignis consumens, diverso sensu, ut iram eius ac potentiam metuamus. Sed hic tantum intelligit Moses admirabile fore eius opus dissipationem gentium Chanaan:

4. *Ne dicas in corde tuo.* Nunc apertius admonet populum ne se fastu et stulta gloriatione efferat. Nisi tam pravo et maligno fuisset ingenio, satis erat uno verbo gratiam Dei ostendi: sed non potuit aliter eos Moses ad gratitudinem adducere nisi correcta et deiecta superbia. Obstaculum igitur illud tollit, quo conspicua sit apud eos Dei liberalitas. Dicere in corde tantundem valet ac reputare, vel opinionem concipere. Quare non tantum castigat Moses linguae iactantiam, sed occultum fastum quo

EX DEUT. XI.

8. *Custodite ergo omne praeceptum quod ego praecipio vobis hodie, ut roboremini, et ingrediamini, possideatisque terram ad quam vos transitis ut possideatis eam.* 9. *Atque ut prolongetis dies super terram quam iuravit Iehova patribus vestris se daturum illis et semini eorum, terram fluentem lacte et melle.*

1. *Omne praeceptum.* Quamvis primus versus inter promissiones referri possit, quibus postea videbimus sancitam fuisse legem a Mose, quia spe mercedis proposita Israelitas ad officium hortatur et impellit: opportuno tamen loco hic eum inserere mihi visus sum: quando consilium Mosis non aliud fuit, quam promissae haereditatis dulcedine eos allicere ad recipiendam legis doctrinam. Merito itaque haec sententia inter alias numerari potest, quibus praeparati fuerant animi eorum, ut Deo se qua decebat mansuetudine et docilitate subiicerent: ac si dixisset: Quia non procul iam a vobis distat terra Chanaan, vicinitas ipsa animare vos debet ad subeundum alacrius Dei iugum. Nam idem Deus qui legem vobis hodie statuit, ad fruitionem eius terrae vos invitat, quam iureiurando pollicitus est patribus vestris. Et certe ex hac clausula versus patet Mosen non simpliciter illis mercedem promittere, si legem servaverint: sed potius superiorem gratiam, qua Deus ultro illos praevenerat, in medium proferre, ut vicissim gratos se praestent. Praecepta vero sua vocat, (ut iam ante vidimus) non quae ipse pro arbitrio commentus sit, sed quae ore Dei ipsius dictata fideliter tradit, quasi de manu in manum. Hoc etiam ex versu proxime sequenti colligere melius licet ubi superioris temporis beneficia commemorat, et simul in memoriam reducit, quot et quam variis documentis eos Deus erudierit, ut assuefaceret et formaret ad obsequium. Ac primo quidem in genere operum Dei, quae per quadraginta annos viderunt, recordari iubet: mox tamen ad species descendit, nempe afflictionibus Deum probasse quid in eorum cordibus lateret. Sic enim resolvi debet oratio: Ut affligendo tentaret te, ac sciret. Quibus verbis admonet non sine optima causa fuisse multis aerumnis et incommodis duriter exercitatos: quia opus esset tali examine. Simul tamen oblique perstringit eorum pervicaciam, quae tunc detecta fuit: quum alioqui illis facile esset rebus prospere fluentibus simulare magnum Dei timorem, qui tamen nullus erat, sicut re ipsa compertum est.

Deut. 8, 3. *Et afflixit te ac esurire te fecit.* Quod aliquamdiu fuerint in deserto famelici, eius penuriae utilitatem demonstrat, quia inde cognoverint non pane tantum et vino, sed arcana Dei virtute ali genus humanum. Etsi enim fatentur omnes Dei beneficentia terram esse fertilem, sic tamen potui et cibo affixi sunt eorum sensus, ut non conscendant altius, nec Deum agnoscant patrem et nutritium, sed potius eum alligent externis mediis quibus sunt addicti: ac si eius manus per se et absque instrumentis quidquam efficere ac praestare non posset. Deinde quod a Deo sentiunt procreari terrae fructus, frigida tantum imaginatio est, quae statim effluit, nec haeret in memoria. Lucet quidem satis clare in usu, qui naturaliter ex creaturis percipitur, tam potentia Dei quam bonitas. Sed facit pravitas humani ingenii, ut quae testimonia erant, quasi vela obscurent claram lucem. Ad haec, maior pars Deum procul subducit et in otium relegat, ac si partes suas resignasset coelo et terrae. Hinc fit ut praesenti copia et opibus confisi, Dei gratiam non implorent, imo praetereant quasi supervacuam, destituti autem consuetis subsidiis prorsus desperent, ac si ad succurrendum non sufficeret sola Dei manus. Ergo quoniam non satis proficiunt homines natura duce et magistra: quin potius in operum Dei intuitu caecutiunt, documentum semel in miraculo hoc statui oportuit, unde palam fieret, non solum Dei beneficentia pasci homines dum vescuntur pane et vino, sed etiam si deficiat omnis annona. Quamvis aliqua in verbis sit asperitas, planus tamen est sensus, non consistere hominum vitam in alimentis, sed inpirationem Dei sufficere ut vivant. Ac tenendum est, non de aeterna animae vita hic agi, sed tantum simpliciter doceri, quamvis absint panis et vinum, sustentari et vegetari posse corpora solo Dei nutu. Ita fixum maneat, perperam, licet argute, hoc ad vitam spiritualem trahi, et relationem fingi doctrinae ad fidem: quasi gratia quae promissionibus offertur, et fide recipitur, animas vivificet: quia simpliciter vigor, qui diffusus a spiritu Dei nos sustinet, dicitur egredi ex ore eius. Ac omnino repetitur Psalmo 104, 30 quod prius dictum fuerat a Mose: Emittis spiritum tuum, et creantur, et renovas faciem terrae. Videtur autem diserte addita fuisse particula Non in solo: ne, si panem qui nobis ad victum destinatus est, prorsus excluderet Moses, Deo faceret iniuriam. Sic ergo verba temperat, quamvis hominum vitam sustineat panis, hanc tamen futuram nimis fore debilem, nisi praecipuas partes occupet interior Dei virtus: deinde sufficere vim intrinsecam, (ut loquuntur) quam a se inspirat, ut desint alia adminicula. Atque haec doctrina primum nos ad gratitudinem incitat, ut acceptum Deo feramus quidquid suppeditat nobis per creaturas ad vitam fovendam ac tuendam: deinde si quando nos destituant omnia mundi adiumenta, ut discamus tamen ab eo solo vitam sperare. Quod utrumque tenere non vulgaris sapientiae est. Hunc locum Christus ad veram et genuinam praxin optime aptavit (Matth. 4, 4). Nam quum suaderet diabolus

ut sedandae famis causa iuberet lapides in panes converti, respondit, Scriptum est, non in pane solo vivit homo, etc. Ac si diceret, aliud esse in manu Dei remedium, qui ut victum non suppeditet, solo nutu potest homines vegetare. Verum quia haec fusius tractavi in meis commentariis, quibus Harmoniam evangelicam exposui, nunc levius attingo. Eodem fine addit vestes eorum non fuisse attritas per longum tempus, et calceos mansisse integros: nempe ut certo persuasi essent, quaecunque spectant ad vitae humanae conservationem et quotidianos usus, sic esse in manu Dei posita, ut non solum fruitio ab eius benedictione pendeat, sed etiam duratio et status.

Deut. 8, 5. *Sciasque in corde tuo.* Concludit in continuo progressu operum Dei, ex quo educti fuerant Israelitae ex Aegypto, cognosci posse in illis docendis paternam Dei curam. Nimis enim restricte a quibusdam accipitur verbum יסר pro castigare, quum omnes rectae educationis partes comprehendat: ac si dixisset, nisi posthac morigeri sint, atque ad officium propensi, plus quam esse indociles, quum probe edocti fuerint et sub optima disciplina habiti, nec quidquam omiserit Deus quod a patrefamilias requiri possit. Hinc sequitur, pridem et multis rudimentis assuefactos esse ad amplexandam legis doctrinam, non secus ac filios decet paternae voci obedientes esse. Quod etiam proximo versu clarius explicat, iterum colligens, servandam igitur ipsis esse legem, et in praeceptis Dei ambulandum. Ubi etiam breviter notandum est, caput legis rite servandae esse Dei timorem: qua de re iam alibi. Quod ex undecimo capite Deuteronomii attexui, posset etiam referri inter promissiones: quia Deus spe suae benedictionis populum ad obedientiam allicit: sed quia proponitur quae tunc in conspectu erat terrae possessio, locus hic non male quadrare visus est: quia non aliud fuit Dei consilium quam hac commendatione praeparare animos populi ad legem servandam.

EX DEUT. XXIX.

2 [1]). *Vocavitque Moses universum Israelem, et dixit eis: Vos ipsi vidistis omnia quae fecit Iehova in oculis vestris in terra Aegypti Pharaoni et omnibus servis eius, et universae terrae eius:* 3. *Probationes magnas quas viderunt oculi tui, signa et portenta illa magna.* 4. *Neque dedit vobis Iehova cor ad intelligendum, et oculos ad videndum, et aures ad audiendum usque in hunc diem.* 5. *Et deduxi vos quadraginta annis per desertum: non inveteraverunt vestimenta vestra super vos, nec calceamentum vestrum veteravit super pedem vestrum.* 6. *Panem non comedistis, neque vinum et siceram bibistis: ut intelligatis quod ego Iehova Deus vester.* 7. *Venistis tandem ad locum istum: egressusque est Sehon rex Esbon, et Og rex Basan in occursum nostrum ad proelium, et percussimus eos:* 8. *Et abstulimus terram ipsorum, tradidimusque in haereditatem Rubenitis, et Gaditis, et dimidiae tribui Manasse.* 9. *Custodiatis ergo verba pacti huius et facite ea, ut prospere agatis* [1]) *in omnibus quae facturi estis.*

2. *Vocavitque Moses.* Hic etiam locus apte legis praefationi convenit, quia tendit ad eius commendationem, et populi animos ad docilitatem instituit ac comparat. Exordium vero sumit a Dei beneficiis, quae experti fuerant tam in exitu quam in peregrinatione quadraginta annorum. Turpissimae enim ingratitudinis fuisset, non se addicere redemptori, qui adeo liberaliter cum ipsis egerat. Et sane quod potentissimo regi se opposuerat in gratiam servorum, inaestimabile paterni erga ipsos amoris signum fuit. Porro ne obscura esset redemptio, virtutem quam illic Deus exseruit, magnificis elogiis pro dignitate amplificat.

4. *Neque dedit Iehova.* Praeteriti temporis socordiam exprobrando, ad studium intelligendi eos stimulat: ac si diceret, nimis diu obstupuisse ad tot miracula: ideoque non esse amplius cunctandum quin expergefacti melius ad Deum attendant: non quod prorsus eos latuissent Dei opera tanquam attonitos: sed quia statim effluxerat omnis cognitio. Nam sicuti ebrius, aut qui veterno morbo laborat, audito clamore paulisper attollit caput, et oculos aperit, mox vero in soporem revolvitur: ita nunquam serio ad consideranda Dei opera mentem applicuit populus, quia ubi miraculo aliquo excitatus fuit, paulo post sequuta est oblivio, ut merito crassum illum torporem variis modis exagitet Moses. Caeterum non simpliciter eos amentiae damnat, et caecitatis, et surditatis: sed amentes, caecos et surdos fuisse pronunciat, quia non fuerint praediti coelesti gratia, ut rite in tot documentis proficerent. Unde discimus singulare esse spiritus donum, recta intelligentia pollere: quia semper vel in clara luce caecutient homines, donec a Deo illuminati fuerint. Quod de Israelitis narrat Moses, omnibus haud dubie commune est. Conspicua Dei gloria ideo non fuisse ad eius timorem et cultum adductos pronunciat, quia nec mentem, nec oculos, nec aures illis dederit. Atqui homines creando, naturaliter illis mentem indiderat, contulerat etiam aures, et oculos: sed Moses significat, quidquid ingenitum est nobis lucis, vel suffocari vel evanescere, ut

1) Hebr. 1—8.

1) *In margine*: Vel, intelligatis.

quod ad praecipuum sapientiae caput spectat, sensus omnes nostri iaceant inutiles. In naturae quidem corruptione lux adhuc in tenebris lucet, verum quae mox obtenebrescit. Itaque tota intelligentia, et rationis facultas, in qua sibi placent et gloriantur homines, mera est caligo, vel fumus. Ideo non abs re postulat David (Psal. 19, 13 et 18, 24) illuminari sibi oculos, ut consideret arcana legis [1]. Quanquam minime nos a culpa eximit hic defectus: quia (ut inquit) nulli sapiunt nisi quibus datum est a patre luminum, proprio tamen vitio desipimus. Et propria conscientia quisque satis superque arguitur, superbia et torpore implicitam esse ignorantiam, ac proinde voluntariam esse. Nomen cordis hoc loco non pro sede affectuum capitur, sed pro mente ipsa, quae est intellectiva animae facultas.

5. *Et deduxi vos.* Descendit ad beneficia quibus populum suum continuo quadraginta annorum progressu prosequutus est. Neque tamen omnia recenset, paucis et quidem maxime insignibus exemplis contentus: quod vetustate non fuerint attritae eorum vestes, et divinitus pasti fuerint, quum nulla ex terrae proventu alimenta suppeterent. His testimoniis patefactam fuisse Dei gloriam admonet, ut se eius imperio subiicerent.

7. *Venisti tandem.* Tertia species, quod hostes qui primi ad impediendum transitum occurrerant, Deus profligaverit, atque ita iam in statione quieta locare ipsos coeperit. Nam quod illic duae tribus et dimidia domicilium elegerant, quasi in speculo cernere licebat paratam esse fruitionem promissae terrae. Hinc ergo colligit Moses, obstrictos esse ad servandam legem, et ad gratitudinem fideli sinceroque obsequio praestandam hortatur. Ergo finis narrationis est, ut doctrinae suae reverentiam conciliet: quia verbum שכל in Hiphil tam feliciter quam prudenter agere significat. Utramque lectionem posui, quum optime conveniat uterque sensus. Visum enim fuit capite 4 hanc fore unicam populo sapientiam, si obediat Dei statutis. Nec aliunde speranda est prosperitas quam ex Dei benedictione, quae passim Israelitis promittitur, si legem custodiant.

EX DEUT. VIII.

7. *Quia Iehova Deus tuus introducit te in terram bonam, terram ubi torrentes, aquarum fontes, et abyssi erumpentes per valles et colles.* 8. *Terram frumenti, et hordei, vitis et ficus, et malogranati: terram oleae oliviferae, et mellis.* 9. *Terram in qua non comedes panem in penuria, nec ulla re indigebis: terram cuius lapides sunt ferrum, et e cuius montibus effodies aes.* 10. *Comedes igitur, et satiaberis: et tunc benedices Iehovae Deo tuo in terra illa quam dedit tibi.*

1) *In Psalmis adscriptis haec non leguntur.* (119, 18?)

REPETITIO EIUSDEM SENTENTIAE EX DEUT. XI.

10. *Terra enim quam tu ingrederis ut possideas eam, non est sicut terra Aegypti, ex qua egressi estis, in qua seminabas semen tuum, et irrigabas pede tuo, ut hortum oleris.* 11. *At terra ad quam vos transibitis ut possideatis eam, terra montium et vallium est: de pluvia coeli bibes aquam.* 12. *Est terra quam Iehova Deus tuus requirit: semper sunt oculi Iehovae Dei tui in ea, a principio anni usque ad extremum anni.*

EX DEUT. VI.

1. *Istud autem est praeceptum, statuta et iudicia quae praecepit Iehova Deus vester ut docerem vos, ut faciatis illa in terra ad quam vos transitis ut possideatis:* 2. *Ut timeas Iehovam Deum tuum, custodiendo omnia statuta eius et praecepta eius, quae ego praecipio tibi, tu et filius tuus, et filius filii tui, omnibus diebus vitae tuae: et ut prolongentur dies tui.* 3. *Audias ergo o Israel, et custodias ut facias, ut bene tibi sit, utque multiplicemini valde, quemadmodum dixit Iehova Deus patrum tuorum tibi in terra, quae fluit lacte et melle.*

EX DEUT. VI.

17. *Custodiendo custodietis praecepta Iehovae, Dei vestri, et testimonia eius, et statuta eius quae praecepit tibi.* 18. *Faciesque quod rectum et bonum est in oculis Iehovae, ut bene sit tibi, et ingrediaris possideasque terram bonam, quam iuravit Iehova patribus tuis.* 19. *Ut expellat omnes hostes tuos a facie tua, sicut loquutus est Iehova.*

Deut. 8, 7. *Quia Iehova.* Brevis summa est verborum et rei. Habitationem opibus et commodis omnibus refertam fere ante oculos illis proponit, ut illic alacrius Deum colant, et gratitudine sua pensare studeant tam singulare beneficium. Octavo capite bonitatem terrae commendat, quod irrigua sit, ac per eam fluant aquae per valles et montes, deinde quod omne genus fructuum producat qui ad alimenta sufficiant: neque id modo, sed fodinas

etiam ferri et aeris contineat. Capite autem undecimo, idem aliis verbis clarius et magis specialiter explicat: quia accedit comparatio terrae Aegypti: cuius foecunditas etsi annua Nili inundatione mirabilis est, et tanquam insigne miraculum celebratur: tamen indiget magno labore et cultura: nempe quia ductis sulcis irrigatur manu et industria hominum. Terra autem Chanaan a Dei benedictione pendet exspectatque pluviam e coelo. Atque peculiarem terrae dotem splendidis verbis extollit Moses, terram illam dicens respici semper a Deo, ut vicissim Israelitae attente Deum respiciant, et quidem assidue. Huc enim pertinent verba: Iugiter a principio usque ad finem anni. Ac si dixisset, ingratos fore Deo, nisi assidue ad eum sua studia dirigerent: quia non desinebat quotidie illis prospicere. Verum quidem est, nullum esse orbis angulum benedictionis Dei expertem, et eius testimonium esse quod Nilus totam Aegyptum foecundat: sed quia semel id quotannis accidit, deinde eius aquae per sulcos huc illuc hominum artificio ducuntur: non frustra Moses inde exhortationis materiam sumpsit, assidue dandam illis esse operam meditandae legi: quia non tantum singulis anni temporibus, sed prope singulis momentis cogat eos necessitas implorare opem Dei, quum videant terram ipsam petere semper a Deo ariditatis suae remedium. Quaeritur tamen quomodo tam magnifice praedicet Moses opulentiam terrae Chanaan, quae hodie inter fertiles vix numeratur: adeoque Mosi proterve insultant profani homines, quoniam eius encomia refellant omnes, qui vel negotiandi causa, vel quacunque alia illuc profecti sunt. Ego vero non dubito quin semper nobilis fuerit multiplici frugum omnium proventu: sicut postea suo loco videbimus, ex botris probatam fuisse eius fertilitatem. Verum simul tenendum est, novo et insolito modo auctas fuisse eius copias, populi adventu: ut ostenderet Deus se regionem illam prae aliis omnibus benedixisse, ut liberaliter filios suos pasceret. Quamdiu ergo in haereditatem concessa fuit terra illa filiis Abrahae, resplenduit in eius ubertate, quod Deus promiserat per Mosen. Nunc vero magna ex parte desertam esse vel sterilem, adeo mirari non debemus, ut potius mirum sit restare obscura quaedam vestigia antiquae foecunditatis: quia impleri oportuit quod ipse quoque Deus minatus fuerat. Ergo quae hodie conspicitur terrae deformitas, adeo nihil derogat testimonio Mosis, ut potius demonstret ante oculos Dei iudicium, quod alibi videbimus denunciatum fuisse. In summa, sicuti Deus terram prius frugiferam magis locupletavit in gratiam populi sui: ita, ut eiusdem populi scelera puniret, sale eam conspersit, ut triste spectaculum esset suae maledictionis.

Deut. 8, 10. *Comedes igitur et satiaberis.* His verbis admonet, nimis fore socordes nisi eos ad obedientiam alliciat tanta Dei liberalitas: quia nihil magis absurdum quam ubi bene referti sumus ac saturi, non agnoscere unde nobis profectus sit victus. Apte itaque Moses a populo gratitudinem exigit, ubi et terra sibi promissa et omni bonorum abundantia fruetur.

Deut. 6, 1. *Istud autem est praeceptum.* Idem his tribus versibus repetit quod iam alibi pluribus locis visum est: quum Deus tam liberaliter tractet Israelitas, nimis fore perversos nisi eos tanta dulcedo ad legis amorem alliciat. Tenendum etiam est quod attigi: quamvis promissiones quibus populum stimulavit Moses ad studium legis servandae, in alium locum distulerim, consulto tamen ante legis explicationem locos posuisse, quibus Moses terram promissam tanquam oculis populi subiiciens, praeparat animos ad obsequium, et imperium tam benefici patris amabile iucundumque reddit. Quum ergo iam creati essent terrae haeredes, Moses ad fruitionem eos invitans, doctrinam cuius causa ipsos adoptaverat, propensis animis amplecti iubet: et Deo, cuius gratuita bonitate praeventi erant, se vicissim in obsequium addicere. Sicuti autem octavo et undecimo capite laudavit terrae ubertatem, ita eandem sententiam nunc confirmat: vel potius, quod breviter dixerat capite sexto postea fusius explicat. Conveniunt quidem haec omnia, felicem vitae statum, qui ante oculos erat, debuisse populi gratitudinem accendere, ne periret tam insignis beneficentia. Itaque Moses commemorat se leges et edicta in medium protulisse, quibus instituerentur in timore Dei: simul admonet quam indignum sit, non rapi ad Dei et legis amorem terrae delitiis et opulentia. Praetereo quae alibi exposui, quod scilicet nihil a se ipso docuerit, sed fidelis fuerit Dei interpres: deinde quod doctrinam iubet propagari ad posteros, et de manu in manum transmitti, ut nunquam intercidat. Idem confirmat alter locus ex fine eiusdem capitis sumptus. Unde apparet quam difficile sit homines probe formari ad servandam legem, quorum segnitiem Deus non frustra toties excitat. Subest enim tacita vel socordiae vel levitatis exprobratio, ubi Deus quod satis fuerat uno verbo monstrasse, flagitare non desinit. Notanda etiam est iustitiae definitio, ut faciant quod in oculis Dei rectum est: quod carnis rationi et iudicio opponitur.

EX DEUT. VIII.

11. *Cave tibi ne obliviscaris Iehovae Dei tui, ut non observes praecepta eius, et iudicia eius, et statuta eius, quae ego praecipio tibi hodie.* 12. *Ne forte com-*

edas et satureris, et domos egregias aedifices, atque habites in illis: 13. *Et boves tui ovesque tuae multiplicentur, argentum quoque et aurum multiplicetur tibi: omne* inquam *quod est tibi multiplicetur:* 14. *Tum elevetur cor tuum, et obliviscaris Iehovae Dei tui, qui eduxit te e terra Aegypti, e domo servorum.* 15. *Qui deduxit te per desertum magnum et terribile serpentis adurentis, et scorpionis, et sitis, in quo nulla erat aqua: qui eduxit tibi aquam e petra silicis.* 16. *Qui pavit te man in deserto, quod non noverant patres tui, ut affligeret te, et probaret te, ut benefaceret tibi in novissimo tuo.* 17. *Ut dicas in corde tuo, potentia mea et robur manus meae paravit mihi has opes.* 18. *Sed memineris Iehovae Dei tui, quia ipse dat tibi facultatem ad parandas opes, ut confirmet pactum suum quod iuravit patribus tuis, sicut in hac die.*

11. *Cave tibi ne.* Quam necessaria fuerit haec admonitio, ex communi totius humani generis vitio, quod passim adhuc nimium grassatur, aestimare licet. Vix enim centesimus quisque reperietur in quo ferociam non generet satietas. Dicet postea Moses in cantico de pervicacia illius populi: Dilectus, pinguedine obductus et saginatus calcitravit. Necesse igitur fuit fraenum iniici tam refractariis hominibus imo arctius constringi eorum lasciviam in rebus prosperis. Sed ad nos quoque eandem doctrinam extendere licet ac convenit: quia omnes fere inebriat felicitas, ut contra Deum intemperanter lasciviant, suique et illius obliviscantur. Itaque Moses non tantum vetat Israelitas ingratos esse Deo, sed admonet ut se custodiant (hoc enim verbo utitur pro cavere) ab impia illa ingratitudine. Alteram mox custodiam adiungit pro legis observatione. Haec tamen summa est, summa cura et attentione opus esse ad cavendum ne in rebus laetis obrepat Dei oblivio: atque ita excusso eius timore, et abiecto legis iugo, carnis suae cupiditatibus indulgeant. Nam contemptum legis docet ingratitudinis signum fore, quia scilicet fieri non possit quin Deo se subiiciant, legemque eius observent, si modo reputent solo eius beneficio se feliciter agere. Quod pluribus verbis legem designat, diximus iam alibi ad perfectae doctrinae commendationem valere: ac si diceret, nullam recte vivendi partem illic esse omissam. Asserit etiam hoc loco (ut saepe alias) ministerii sui fidem, ne tergiversentur, dum hominis mortalis imperium detrectant, non se propterea Deo rebelles esse. Ergo non aliter pietatem eorum Deo placituram dicit nisi legem a se propositam observent.

12. *Ne forte comedas et satureris.* Fusius explicat quod nuper vidimus: fieri scilicet posse ut longiore temporis tractu a Dei timore et studio legis deficiant, eoque magis cavendum ne diuturna quies et laetitia callum illis obducat. Causa autem defectionis quam exprimit diligenter notanda: nempe superbia, qua hominum animos inflare solent divitiae et opes. Rarum enim modestiae exemplum est in laeta fortuna, quin potius, simulac se florere vident homines, turgere fastu incipiunt: atque ita suam altitudinem mirantur ut Deum quoque ipsum despiciant. Hac ratione vetat Paulus (1. Tim. 6, 17) divites huius saeculi nimis alte sapere, vel sperare in bonis incertis. Decebat quidem, quo benignius a Deo tractamur, placidius nos submittere eius imperio sed alio (ut dixi) nos rapit naturae pravitas, ut Dei indulgentia, quae nos flectere ad mansuetudinem debebat, insolescamus. Quod si non protinus contingat, ubi tamen continuo tenore fluit prosperitas, paulatim optimos quosque corrumpunt delitiae, ut tandem a se ipsis degenerent. Ergo si rectum cursum tenere cupimus, in hoc tam exitiali superbiae morbo sanando eniti nos oportet. Deinde quia Satanae artificio continua prosperitas suis illecebris nos demulcet, discamus non uno tantum die cavere, sed excubias agere toto vitae cursu. Superbiae autem prudenter occurrit Moses, revocans Israelitis in memoriam qualis fuerit prima eorum conditio. Unde enim fit ut confidentia et fastu intumescant qui sibi et aliis videntur in mundo beati? nisi quod de origine sua non cogitant: sed perinde ac si delapsi essent e nubibus, omnia prae se despiciunt. Pauci enim Codro similes, qui regnum adeptus, semper ingenue prae se tulit ex quo patre natus esset, nempe figulo. Huic vitio (quod nimis passim regnat) nunc medetur Deus, dum Israelitis commemorat pristinum statum, et reputare iubet singulari beneficio inde ereptos fuisse. Sola enim liberationis memoria in illis arrogantiam domare poterat: quando nihil magis absurdum quam eos insolescere qui ante mancipia fuerant superbissimae gentis, nec sibi libertatem acquisierant propria virtute, sed praeter spem et meritum obtinuerant a mera Dei gratia: deinde profugi erraverant per desertum, ac tandem, Deo duce, terram sibi promissam ingressi fuerant. In summa, perinde agit cum illis Deus ac si homini, qui repente dives factus se intemperanter gereret, exprobretur pristina inopia et mendicitas. Porro quia tardiores erant quam ut prompto et alacri animo hanc admonitionem susciperent, pluribus verbis amplificat Moses Dei beneficia quae experti erant in deserto. Fuit enim hoc incredibile, non modo inter truculentas bestias, sed inter scorpiones et viperas, et quidquid virulentum est in genere serpentium, turbam illam ex viris, mulieribus, pueris, et servis permixtam habitare multis annis. Clarius refulsit Dei bonitas in repentino miraculo, quod siticulosis potum ex rupe ante arida praebuit. Sed quia proximo versu commemorat, man fuisse pro pane vel alimento, haec duo simul coniungam.

16. *Qui pavit te man in deserto.* Dixerat eductam

fuisse aquam e silice quum siti laborasset populus: nunc alterum addit, man fuisse illis panis loco: quasi diceret, quum cibus et potus deficerent, pereundum fuisse inopia, nisi praeter naturam utrumque dedisset Deus, qui durum silicem in aquas fecit defluere, et e nubibus panem produxit. Porro iterum repetit quod ante dixerat, penuria afflictum fuisse populum, ut haec esset fidei et patientiae probatio. Atqui in ipso examine detecta fuit tam incredulitas populi quam intemperies. Tandem illustrata magis fuit Dei bonitas et virtus, quod ingratitudini eorum ignoscens, nihilominus eorum necessitati opem tulit. Nam si nullam esuriem passi fuissent, neglectim acceptum fuisset Dei beneficium in quotidiano cibo. Huc pertinet quod in fine ponitur, ut bene faceret tibi demum extremo tuo tempore. Ex quibus verbis discamus etiam nos, ideo saepe nos destitui necessariis subsidiis ut ad auxilium Dei, quod in extremis rebus apparet, cognoscendum expergefiant sensus nostri. Nam sicuti rerum copia velum oculis nostris obducit, vel eorum aspectum hebetat, sic rursum nuditas et inopia hebetudinem purgat et abstergit, ut oblata Dei beneficia clarius perspiciant.

17. *Ut dicas in corde tuo.* Speciem superbiae, de qua nuper loquutus est, exprimit: nempe dum suae industriae, vel labori, vel consilio arrogant homines quod Dei benedictioni ferre acceptum debuerant. Dictum quidem fuit, aliis etiam modis extolli corda: sed hoc praecipuum est superbiae caput, ad nos trahere et rapere quod Dei proprium erat. Nihil enim melius nos in modestia et humilitate continet quam gratiae Dei agnitio: quia cristas adversus eum erigere ex quo pendemus, cui nos et nostra omnia debemus, insanae temeritatis est. Recte ergo Moses humani cordis ex Dei oblivione superbiam coarguit, si putent marte suo partum esse quod Deus quasi precario largitus est, ut eos sibi devinctos teneret. Dicere in corde, Hebraeis significat secum reputare, vel apud se cogitare. Non ergo externa tantum oris professio exigitur, qua prae se ferant homines Dei liberalitati se esse gratos: (quando saepe in ea nihil aliud est quam simulatio et vanitas): sed vult serio persuasos esse, a mera eius beneficentia fluere quidquid possident. Prius dicit quamvis terram ingressi, pane et aliis cibis vescerentur, man tamen, quo Deus eos aluerat in deserto, perpetuum fore documentum, non pane solo sustineri vitam hominum, sed arcana Dei virtute, quae vigorem inspirat. Nunc vero alteram doctrinae partem addit, quod olim Deus nihil agentes nutrivit gratis et vestivit, hinc doceri, etiam dum strenue laborant ac satagunt, quidquid acquirunt, non tam suae industriae praemium esse, quam fructum benedictionis Dei. Neque enim tantum affirmat, primo terrae ingressu fuisse ditatos, quia Deus liberaliter cum ipsis egerit, sed hoc extendit ad totum humanae vitae cursum, sua vigilantia et sedulitate nihil consequi homines, nisi quatenus e coelo Deus benedicit. Quod plenius continuo post explicat, ubi iubet revocare subinde in memoriam Deum esse qui dat facultatem, etc. Etsi enim non vult nos Deus torpere inutiles, quod tamen dicit Paulus de evangelii praedicatione, in minimis etiam rebus valet: nempe et eos qui plantant, et eos qui rigant, nihil esse, sed omnia esse penes Deum, cuius unius virtute terra fructificat (1. Cor. 3, 7). Tenendum igitur est, quamvis hominum desidiam improbet Deus, inopiaque et fame puniat, eos tamen qui ad opus intenti sunt, non propria sedulitate parare opes, sed mera Dei benedictione ditescere. Atque in hac doctrina precatio quam nobis dictavit Christus fundata est, qua nobis petimus dari panem quotidianum. Etsi autem hoc pertinet ad cunctos mortales, Moses tamen ad electum populum peculiariter accommodat, in quo magis refulget Dei benedictio: et simul admonet, quod Deus alimenta illis suppeditat, pendere ex foedere, quo sibi genus Abrahae adoptavit.

EX EXODI XXIII.

20. *Ecce, ego mitto angelum coram te, ut custodiat te in via, et introducat te in locum quem praeparavi.* 21 [1]. *Cave a facie eius, et obtempera voci eius, ne exacerbes eum, neque enim parcet transgressioni vestrae: nomen meum intra ipsum.* 22. *Si autem audiendo audieris vocem eius, et feceris omnia quae loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te.* 23. *Nam praecedet angelus meus faciem tuam, et introducet te ad Emorrhaeum, et Hitthaeum, et Perezaeum, Chananaeum, Hivaeum, et Iebusaeum, et exterminabo illos.*

EX EODEM CAPITE.

25. *Coletis Iehovam Deum vestrum, et benedicet pani tuo, et aquis tuis: auferamque infirmitatem e medio tui.* 26. *Non erit abortum faciens et sterilis in terra tua: numerum dierum tuorum complebo.* 27. *Terrorem mittam coram te, et interficiam omnem populum ad quem venies, et dabo omnes hostes tuos tergum.* 28. *Mittam crabronem ante te, qui expellat Hivaeum, Chananaeum, et Hitthaeum a facie tua.* 29. *Non eiiciam illum a facie tua anno uno, ne sit*

---

1) *In margine:* ad verbum, custodias te, vel, custoditus sis.

terra desolatio, et multiplicetur contra te bestia agri. 30. *Paulatim paulatim eiiciam illum a facie tua, donec crescas et haereditate accipias terram.* 31. *Ponam autem terminum tuum a mari rubro usque ad Philisthin, et a deserto usque ad fluvium, nam dabo in manus vestras habitatores terrae.*

20. *Ecce, ego mitto.* Hic admonet Deus Israelitas, sic coniunctam esse eorum salutem cum observatione legis, ut hanc negligendo illam amittant. Dicit enim se per manum angeli fore illis ducem: hoc paterni amoris signum. Sed ex opposito non impune illis cessurum minatur, si tanta gratia contempta suas cupiditates sequuti sint: quia non effugient conspectum angeli, quem illis praefecit custodem. Omnes fere Hebraei doctores (quibus multi subscribunt) putant hoc de Iehosua esse dictum: nimis inconsiderate, quando in eius personam minime convenit quae paulo post magis expendemus. Sed eorum error satis superque hinc refellitur, primum quod si de Iehosua accipimus, caruisset populus ductore angelo, quamdiu in deserto peregrinatus est. Deinde quod postea dictum fuit Mosi, angelus Iehovae praecedet te. Item: Ecce mitto angelum meum coram te (Exod. 32, 34. Exod. 33, 2). Et Moses alibi hoc Dei beneficium commendat, quod populum eduxerit per manum angeli. Sed quid longa disputatione opus est, quum iam ante aliquoties facta fuerit mentio angeli liberatoris? Iam quia hoc fixum esse debet, non haberi sermonem de homine mortali, memoria tenendum est quod ante diximus, non quemlibet angelum designari, sed omnium angelorum principem, qui et idem semper fuit caput ecclesiae. In qua re sufficere nobis debet Pauli autoritas dum Corinthios admonet ne tentent Christum sicut tentarunt patres in deserto (1. Cor. 10, 9). Et hoc ex magnifico elogio colligitur quod paulo post subiiciet Moses, nomen Dei fore in medio eius. Quod etsi vulgo praetereunt, ego tamen magni ponderis esse arbitror. Verum notanda sunt singula. Quum pronunciat Deus se angelum mittere qui custodiat populum in via, voluntariam sibi obedientiam conciliat: quia nimis indignum sit eum pro nihilo ducere, vel oblivisci, cuius experiuntur paternam erga se curam. Sed proximo versu, iniecto terrore, ignaviam eorum excitat, ubi iubet cavere a facie eius, quia futurus sit vindex scelerum: ubi etiam concinna allusio in ambigua verbi significatione notanda est. Nam quum שמר Hebraeis custodire significet, postquam dixit angelum illis fore custodem, admonet ut se vicissim custodiant. In quo iam attollitur angelus supra hominum gradum: quia iudex statuitur, si quid deliquerint Israelitae: non quomodo prophetis iudicium defertur respectu doctrinae, penes quam summa est potestas, sed quia nihil eum latebit. Hoc enim uni Deo scriptura vendicat tanquam proprium, ut ambulemus coram facie eius. Eodem pertinet quod sequitur: Ne exacerbes eum: quod passim Deo adscribitur. Verum hoc plurimum momenti (ut nuper dixi) habere mihi videtur, nomen Dei fore intra ipsum, vel in medio eius, quod tantundem valet ac si dictum esset, in ipso residebit maiestas et gloria mea: ideoque penes ipsum erit tam cordium cognitio, quam imperium et iudicii potestas. Porro angeli nomine Christum designari iam ante diximus non esse absurdum: quia etsi nondum erat mediator carne indutus quoties tamen apparuit veteri populo, specimen edidit futurae missionis.

22. *Si autem audiendo.* Terrorem quem ingessit mitigat duplici de causa, ut scilicet suaviter eos alliciat potius quam cogat poenae metu: deinde ne, si angelum formidabilem sibi esse ducant, anxietas animo concepta gustum misericordiae et favoris obscuret. Etsi autem promissiones, quibus sancitur legis obedientia, in alium locum differo, hanc tamen inter exhortationes, vel elogia quibus legis dignitas commendatur includere visum est: quia respicit in praeteritum tempus. Sic enim resolvi debet oratio: Videte ut Deo respondeatis liberaliter vobiscum agenti. Quod patribus vestris promisit de terrae haereditate, praestare nunc paratus est, nisi pravitas vestra obstiterit. Date igitur locum eius gratiae, ut per manum angeli vos ad quietem suam adducat. Iam quo acrius eos stimulet necessitatem auxilii sui ostendit: ac si diceret, nihil illis fore miserius, nisi contra tot hostes eius defensione tuti essent. Commemorat enim plures robustissimos populos, quibus minime pares futuri erant nisi ductu angeli militarent. Dicit ergo, si modo pareant legi suae, non esse cur sibi metuant: quia omnes qui ad resistendum surrexerint sola sua virtute prosternet.

25. *Coletis Iehovam Deum vestrum.* Haec quidem promissio ad alias proxime accedit, quibus proprium locum destinavi: hoc tamen habet diversum, quod populum invitans ad studium servandae legis, foederis iampridem cum patribus initi effectum proponit ante oculos, quo alacrius legem suscipiant. Itaque non abs re nuper dixi, quae in praeteritum tempus respiciunt promissiones proprium locum hic habere, ubi praeparantur animi ad Dei obsequium et legis observationem, quia genus Abrahae Deus sibi elegerit, quod favore suo prosequeretur. Ideoque benedictionem suam promittit in pane, et aquis, et prospera valetudine. His enim tribus constat praesentis vitae status. Addit alia duo, foecunditatem in sobole et vitae longitudinem. Summa est, Dei liberalitate fuisse praeventos, ut libenter eum colerent, et iam in promptu esse quidquid promisit, si modo eius gratiae respondeant. Etsi autem magna fuit illius terrae ubertas, et multiplex

copia, hic tamen nulla fit vini et olei mentio, sicut aliis locis, sed tantum simplicis victus, ac si diceret, necessaria vitae subsidia illis non defore.

27. *Terrorem meum*. His verbis facile patet commendari paternum Dei amorem erga populum, ut praepararentur animi ad subeundum iugum legis. Ergo non tam hic proponitur illis merces, si legem Dei servarint, quam pudor illis incutitur si ingrati fuerint Deo liberatori, qui terrae promissae fruitionem paulo post illis daturus erat. Porro dicitur Deus terrorem suum immittere, quum arcano instinctu corda hominum debilitat. Unde colligimus, tam formidinem quam fortitudinem in manu eius esse. Cuius rei in omnibus historiis exstant non obscura exempla, si modo ius suum obtineret Deus apud homines. Saepe continget fortium virorum animos pavore concidere, rursum ignavos et timidos erumpere in subitam audaciam. Ubi causa non reperitur, profani homines ad caecum fortunae imperium confugiunt, vel a Pane et Satyris fingunt attonitas reddi mentes. Nos vero discamus ita in arbitrio Dei esse flectere in utramque partem hominum corda, ut tam animosos terrore deiiciat, quam erigat pusillanimes. Ex hoc loco sumptum est quod legitur Psal. 44, 3: Tu manu tua gentes expulisti, et plantasti patres nostros: quia non gladio suo possederunt terram, et brachium eorum salutem non contulit ipsis. Quin etiam Rahab quae et meretrix erat, et ex gente incredula, hoc tamen agnovit, quum diceret exploratoribus: Ecce, dissolutum est cor nostrum: quia Iehova Deus vester, est Deus in coelis sursum, et in terra deorsum (Iosue 2, 11). Non exprimit quidem quod hic habemus, perculsos fuisse divinitus intestina formidine, sed solum dicit pavorem ex sensu potentiae Dei venire, causam tamen cur ita tremant non esse humanam fatetur. Altius conscendit Moses, Deum non tantum obiecto externo terrore fugare vel profligare hostes suos, sed intus quoque operari in eorum animis, ut turbati tumultuantesque diffugiant: sicuti sequitur in fine versus: Dabo eos tergum: ac si diceret, se facturum ut mox terga vertant qui ne conspectum quidem populi sustinebunt.

28. *Mittam crabronem*. Quamvis ad fugam satis valeret caecus ille terror cuius meminit, sibi tamen ad manum praesto fore alias quoque rationes dicit, quibus hostes abigat, sine ullo discrimine, et sine magna molestia populi. Neque tamen se magnos bellatores, et validos missurum denunciat, sed tantum muscas et crabrones. Ac si diceret, eousque Deum populo suo fore propitium ut minima quoque animalcula instruat et armet ad dispellendos illius hostes. Ita facilitas victoriae monstratur: quia cessantibus gladiis, soli crabrones profligandis et exterminandis hostibus sufficient. Addit tamen exceptionem, ne querantur Israelitae si terra mox vacua et veteribus incolis purgata non pateat: et admonet hoc populo fore utile ut paulatim hostes consumat. Quamvis ergo primo intuitu videri posset Deus minus praestare quam pollicitus fuerat, et ita aliquid ex sua gratia rescindere, vel imminuere, docet tamen Moses hoc quoque modo ipsorum saluti consuli, ne in terram vastam et desertam irrumpant ferae bestiae, quae plus noxarum quam hostes afferant. Contigit quidem ignavia populi ut diu hostibus suis permixtus fuerit, quia minus strenue exsequutus fuerat Dei vindictam. Imo tunc impletum est quod Deus minatus est per Iosue (Iosue 23, 13): Si adhaeseritis reliquiis gentium istarum, sciendo sciatis quod non adiiciet Iehova Deus vester eas perdere coram facie vestra: sed vobis erunt in laqueum et offendiculum, in flagellum lateribus vestris, et in spinas oculis vestris. Quod ergo tardius et sub finem demum regni Davidis exterminatae sunt impiae et profanae gentes, ut populo tranquilla cederet terrae possessio, eorum culpae imputandum, quibus diffidentia et ingratitudo torporem induxit, ut se in otio tenerent. Verum si nulla segnities tardasset effectum promissionis, experti essent non longius differri a Deo ultimum gentium excidium quam illis expediret.

31. *Ponam autem terminum*. Minime dubium est quin foedus quod pepigerat cum Abraham, paulo aliis verbis confirmet. Brevius Abrahae dictum fuerat, dabo semini tuo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphratem (Genes. 15, 18). Hic quatuor numerantur mundi plagae, et loco Nili ponitur alterum mare, quod opponitur mari Tharsis. Neque enim novum aliquid sperare iubentur Israelitae: sed in memoriam illis revocatur quod quidem ab ipso usque Abraham per manus acceperant. Unde melius perspicitur quod dixi, foedus antiquum illis proponi, ut gratuito Dei favori respondeant, et eum vicissim colant ac venerentur, qui iam ipsos anteverterat. Porro quum hac benedictione se ipsos fraudassent, remedium adhibuit Deus eorum vitio, quum novum statum sub Davide erexit, cui haec eadem promissio fuit repetita, ut habetur Psalmo 72. Quum ergo ad illud usque tempus truncata fuisset quodammodo haereditas, renovato statu, solida et plena fruitio contigit. Caeterum quia felicitas illa et imperii amplitudo non diuturna fuit, sed Solomone defuncto collapsa est, ac tandem pessundata regni dignitas: ideo Zacharias de ultima et perfecta instauratione disserens, iisdem verbis utitur (Zach. 9, 9). Unde colligimus Christi demum adventu huius vaticinii effectum fuisse exhibitum: non quod genus Abrahae dominari tunc coeperit intra fines hic positos: sed quia Christus suo imperio complexus est quatuor mundi partes, ab ortu solis usque ad occasum, et a septentrione usque ad meridiem. Interea huius immensitatis prae-

ludium fuit Davidis potentia, dum sibi terrae promissae dominium asseruit. Absurdum autem videri non debet, aliquid veteri populo fuisse detractum ex haereditate quae illis ex foedere speranda erat: quin potius in eo relucet incredibilis Dei bonitas, quod quum se prorsus abdicassent, Deus tamen cum illorum pravitate certans non destiterit se fidelem re ipsa probare. Idem et in gentium vocatione cernere licet, nam si in fide stetissent Iudaei, coniunctae illis fuissent gentes: sicut dictum erat. Apprehendent in illa die decem homines fimbriam viri Iudaei (Zach. 8, 23). Fecit autem eorum defectio ut tantum primitias ecclesiae inde collegerit Deus, et postea in vacuum locum gentes substitutae fuerint. Hoc modo neque gradum suum tenuit populus ille, quia a primogenitura excidit: et tamen firma stetit Dei veritas: sicuti fusius disputat Paulus 11 ad Rom. capite.

EX DEUT. XXIX.

29 [1]). *Secreta sunt Iehovae Deo nostro, revelata autem nobis et filiis nostris usque in saeculum, ut faciamus omnia verba legis huius.*

EX DEUT. XXX.

11. *Praeceptum hoc quod praecipio tibi hodie, non est absconditum a te, nec procul remotum.* 12. *Non est in coelis ut dicas: Quis nobis ascendet in coelum ut deferat illud ad nos, et annunciet nobis, ut ipsum faciamus?* 13. *Nec est ultra mare, ut dicas: Quis nobis traiiciet mare ut deferat illud ad nos, et annunciet nobis, ut ipsum faciamus?* 14. *Certe valde propinquus est tibi sermo in ore tuo, et in corde tuo, ut facias ipsum.*

Deuter. 29, 29. *Secreta sunt.* Ambiguum huius loci sensum fecit concisa brevitas. Neque tamen singulas expositiones necesse est discutere: tantum breviter attingam quae magis receptae sunt, ne fallant. Coactum est quod afferunt quidam Hebraei, scelerum quae sunt abscondita Deum solum esse vindicem: quaecumque vero in hominum notitiam prodeunt transgressiones, eas esse puniendas a iudicibus terrenis. Neque enim de poenarum exsequutione hic agitur: sed Moses simpliciter usum legis doctrinae commendat. Probabilior esset eorum sententia qui legis excellentiam celebrari volunt, quod illic arcana sua patefecit Deus: nisi obstaret grammaticae ratio. Neque enim uno contextu haec legenda sunt: Secreta Dei nobis esse revelata: quia id non patitur ה agedia, vel demonstrativum pronomen quod utrique adiicitur, deinde quae interponitur copula. Mihi vero dubium non est, hic per antithesin conferri patefactam in lege doctrinam cum occulto et incomprehensibili Dei consilio, de quo siscitari fas non est. Quare (meo iudicio) copula vice adversativae particulae capitur, ac si dictum esset, Deus quidem apud se continet secreta quae scire nostra nihil interest, neque etiam expedit, et quae sensum nostrum transscendunt: at haec quae nobis promulgavit, ad nos et filios nostros pertinent. Locus insignis et observatu apprime dignus, quo tam audacia et nimia curiositas damnatur, quam excitantur piae animae ad discendi studium. Scimus quam cupide appetant scire homines quorum nec cognitio quidquam prodest, et investigatio etiam est noxia. Vellent omnes esse Dei consiliarii, et in ultima coelorum adyta penetrare: imo libenter excuterent forulos omnes. Unde merito dixit profanus ille poeta: Nil mortalibus arduum est: Coelum ipsum petimus stultitia. Interim quod nobis Deus aperte proponit, et vult familiariter notum esse, vel negligitur, vel fastidio habetur, vel, tanquam nimis obscurum, procul reiicitur. Priore igitur membro breviter castigat Moses, et cohibet illam temeritatem, quae transsilit metas divinitus fixas. Altero autem hortatur ad amplexandam legis doctrinam, in qua nobis exposita est Dei voluntas, ac si coram nobiscum loqueretur. Atque ita occurrit eorum malitiae qui lucem oblatam refugiunt, et perperam obscuritatis insimulant doctrinam, in qua se Deus ad modulum ingenii nostri demisit. In summa pronunciat, Deum omnibus qui se discipulos ei offerunt optimum esse magistrum: quia fideliter et clare quidquid utile est cognitu demonstret, doctrinae quoque perpetuitas asseritur, ne unquam intercidat, aut vetustate obsolescat. Quatenus autem lex sit perpetua, libri 2. Institutionis cap. 11, fusius disserui. Ipsa quidem pie iusteque vivendi regula etiam hodie vigorem suum retinet, quanquam iugo servitutis et maledictione sumus soluti. Caeremoniis autem sic finem imposuit Christi adventus ut ipso effectu non inanes vel umbratiles duntaxat fuisse certius probaverit. Postremo obedientiam a populo flagitat Moses: ideoque datam esse legem admonet non tantum ut sciant Israelitae quid rectum sit, sed quidquid praecepit Deus observent. Verum quidem est non posse omnibus eius praeceptis in solidum satisfieri: sed perfectio quae exigitur, ad veniam petendam cogit eos qui se alioqui Dei iudicio obnoxios sentiunt: ut mox dicendum erit. Deinde notandum est, huc spectare doctrinam de tota lege servanda, ne separent homines praeceptum unum ab aliis, et se aliqua tantum parte de-

1) Hebr. 28.

functos putent: quia tale divortium non admittit Deus, qui non minus furari vetuit quam occidere (Iac. 2, 11).

Deut. 30, 11. *Praeceptum hoc quod.* Haec sententia proximae similis est, ac in eundem finem tendit: legem enim a facilitate commendat Moses: quia non ambages vel aenigmata illic proponat Deus, ut suspensos teneat animos, vel disquisitione torqueat: sed pro captu adeoque ruditate populi familiariter doceat quidquid opus est. Ideo apud Isaiam (45, 19). Iudaeis exprobrat quod in tenebris vagati sint, eorum pravitate et socordia factum esse: quia non in abscondito loquutus erat, nec frustra dixerat semini Iacob: Quaerite me. Hic autem eos ad discendum invitat Moses: quia facili et clara docendi ratione ante oculos posita non sint perdituri operam. Scimus enim desidiae patrocinium inde ut plurimum quaeri, si in rebus profundis et arduis magnus labor, absque magno profectu, sumendus sit. Ideo negat Moses legem esse obscuram in cuius studio praeter modum fatigari oporteat: sed Deum illic explicite et distincte loqui, nec aliud requiri quam ut diligentiam adhibeant. Porro ita illis eripit ignorantiae praetextum, quia in tanta luce errare nequeant, nisi sponte caecutiendo, vel claudendo oculos. Unde etiam colligimus quam impie blaterent papistae scripturam densis tenebris esse obsitam, et quam improbe ab eius accessu, tanquam labyrinthi nescio cuius, plebem arceant. Certe aut spiritum sanctum, qui eius claritatem tantopere asserit, mendacii coarguant oportet, aut illam sacrilego convicio infamant. Quod si veteri populo adempta fuit excusatio, nisi lege magistra et directrice viam teneret, bis et ter damnabilis est nostra socordia, nisi in evangelio, ubi inaestimabiles omnis sapientiae thesauros Deus aperuit, quantum ad salutem satis est, proficimus. Perperam vero et inscite locum hunc sophistae arripiunt ad probandum liberum arbitrium. Negat Moses praecepta legis esse supra nos. Quid? An ut eorum observatio viribus nostris subiecta sit? Certe nihil tale sonant verba: neque ex eius consilio rite expenso elici potest hic sensus. Tantum enim Iudaeos animat et alacres esse iubet legis discipulos: quia facile intelligent quidquid a Deo illic praecipitur. Atqui longe aliud est praestandi facultas quam intelligentia. Adde quod Paulus (Rom. 10, 8) locum hunc optima ratione ad evangelium accommodat: quia doctrinam ipsam mente comprehendere nihil prodesset, nisi accederet reverentia et seria obediendi voluntas. Sumit autem pro confesso, adeo non esse nostri arbitrii recte velle, ut ne ad cogitandum quidem simus idonei. Unde sequitur, iacere tanquam frivolum et de nihilo dictum quod hic habetur, si simpliciter accipitur de lege. Aliud etiam respicit Paulus, quia lex perfectam iustitiam exigit, a nemine mortalium posse cum fructu eam recipi. Nam ut quis Deo parere studeat, longe tamen semper a perfectione aberit: ideoque ad evangelium venire necesse est, in quo laxatur rigor ille: quia intercedente venia obediendi voluntas, plenae obedientiae instar, Deo grata est. Insistit enim Paulus in postremo versu, prope esse verbum in ore et corde, ut populus illud praestet. Iam constat corde hominum lapidea esse, et contumaciter legi adversari: in lege vero ipsa literam duntaxat mortuam et mortiferam contineri. Quomodo igitur sedem in corde haberet literalis doctrina? Quod si Deus spiritu regenerationis pravitatem cordis corrigat, ac duritiem molliat hoc non legis est sed evangelii proprium. Deinde quia in filiis Dei, etiam ex quo regeniti sunt, semper manent residuae carnis cupiditates, nemo reperietur mortalium qui legem faciat. In evangelio autem paterna indulgentia recipit Deus quod non omni ex parte absolutum est. Tunc igitur demum in corda penetrare incipit verbum Dei, et iustum fructum in vita proferre, ubi Christus cum spiritu suo et gratuita venia affulget. Itaque verissime concludit Paulus hoc esse verbum fidei quod in evangelio praedicatur: quia nec efficaciter lex adducit Deo homines, et eius observatio propter summum rigorem est impossibilis. Hoc autem novi foederis peculiare est beneficium, legem scribi in cordibus, et visceribus insculpi: deinde remitti severam illam exactionem, ne vitia quibus adhuc laborant fideles, obstaculo sint quominus Deo placeat mutila et dimidia eorum obedientia.

EX LEVIT. XXVII.

34. *Haec praecepta quae praecepit Iehova Mosi ad filios Israel in monte Sinai.*

EX DEUT. I.

1. *Haec sunt verba quae loquutus est Moses ad omnem Israelem trans Iordanem in deserto, in planitie, e regione Suph, inter Paran et Thophel, et Laban, et Haseroth, et Dizahab.* 2. *Undecim dies sunt ab Horeb, itineris montis Seir, usque ad Cades Barnea.* 3. *Fuit autem quadragesimo anno, undecimo mense, prima mensis, loquutus est Moses ad filios Israel iuxta omnia quae praeceperat Iehova ei ad illos.* 4. *Posteaquam percusserat Sehon regem Emorrhaeorum qui habitabat in Hesbon, et Og regem Basan, qui habitabat in Astaroth in Edrei.* 5. *Trans Iordanem in terra Moab incepit Moses explanare legem hanc, dicendo.*

EX DEUT. IV.

44. *Haec est lex quam proposuit Moses coram filiis Israel.* 45. *Haec testimonia et statuta et iudicia quae pronunciavit Moses filiis Israel, quum egressi essent ex Aegypto.* 46. *Trans Iordanem in valle e regione Beth-peor in terra Sehon regis Emorrhaeorum, qui habitabat in Hesbon: quem percussit Moses et filii Israel, quum egressi essent ex Aegypto.* 47. *Et possederunt terram eius, et terram Og regis Basan, duorum regum Emorrhaeorum, qui erant trans Iordanem ad ortum solis.* 48. *Ab Aroer qui erat iuxta ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion qui est Hermon.* 49. *Et universam solitudinem trans Iordanem ad orientem usque ad mare planitiei, sub effusionibus aquarum.*

EX DEUT. XXIX.

1 [1]). *Haec sunt verba foederis quae praecepit Iehova Mosi ut pangeret cum filiis Israel in terra Moab praeter foedus quod pepigerat cum ipsis in Horeb.*

Levit. 27, 34. *Haec sunt praecepta.* Prior locus commendat legem quae promulgata fuit et scripta in duabus tabulis, cum sententiis quae simul fuerunt annexae ad Dei mentem clarius explicandam. Neque enim tantum decem verba illic protulit Deus, sed quod breviter perstrinxerat, interpretatus est. Porro huic doctrinae fidem conciliat Moses: primum ab autoritate, quia divinitus sit tradita, deinde quod sibi non sumpserit legislatoris partes, sed a Deo creatus fuerit, ac vocatus ad hoc munus obeundum. A filiis autem Israel reverentiam exigit, quoniam ad eos missus fuerit doctor et magister.

Deut. 1, 1. *Haec sunt verba.* Hi duo posteriores loci proprie ad appendices spectant, quibus postea Deus clarius et magis familiariter illustravit legem prius a se datam: comprehendunt quoque exhortationes, quibus populi animos subegit ad obsequium et elogia quibus legem ornavit ac stabilivit. Summa est, Mosen prodire Dei ministrum et praeconem, qui ex ipsius ore Israeli praescribat quidquid rectum et iustum est. Caeterum quum dicit: Praeter foedus initum in monte Horeb, non significat quidquam fuisse additum, nisi quatenus oportuit decem verba pluribus exponi, ne brevitas obscuritatem pareret in rudi et tardo populo. Neque enim Deus, ut solent terreni reges, experientia admonitus legem suam locupletavit novis praeceptis: sed consuluit pigro et crasso populi ingenio. Ergo particula exceptionis non designat aliquid adventitium, sed tantum significat Deum secundo iterasse foedus suum, quo distinctius et certius posset intelligi. Qua in re rarum indulgentiae specimen edidit, quod sub terrae ingressum foedus suum circiter annis quadraginta post eius promulgationem renovavit, luculenta explicatione addita, quia tunc cum nova gente erat negotium. Ideo locus exprimitur, unde et temporis ratio apparet.

Deut. 4, 44. *Haec est lex.* Eodem spectat hic ultimus locus, legem scilicet de integro fuisse promulgatam ex quo limen terrae promissae attigerat populus, quo propensior esset ad obsequium, praesertim quum iam duae tribus et dimidia victis Emorrhaeis sedem adeptae essent ac domicilium. Ideo enim habitationis fit mentio, quia gustus perceptae gratiae acuere debebat eorum studium quo alacrius pergerent. De regione et locorum nominibus alibi videbimus. Nunc tenere satis est, renovatam fuisse legis memoriam, postquam extra sortem obtigerat statio filiis Ruben et Gad, et dimidiae tribui Manasse, reliquis autem certa possessio ante oculos subiecta esset. Caeterum ostendit Moses, quamvis pluribus verbis legem explicuerit, nihil tamen additum fuisse ad eam summam quae initio promulgata fuerat: quin potius significat, quaecunque annis quadraginta docuit, non alio spectasse quam ut legem Dei probe exacteque tenerent.

---

1) Hebr. 28, 69.

LEX.

PRAECEPTUM PRIMUM.

EX EXODI XX.

3. *Non erunt tibi dii alieni coram facie mea.*

REPETITIO EIUSDEM.
EX DEUT. V.

7. *Non erunt tibi dii alieni coram facie mea.*

3. *Non erunt.* Hoc praecepto iubet Deus se unum duntaxat coli: et purum omni superstitione cultum requirit. Etsi enim videtur simplex prohibitio, tamen affirmativam ex negativa elicere oportet, quemadmodum ex sequentibus melius patebit. Prodit ergo in medium, ut in eum solum respiciant Israelitae sibique ius suum vendicat, ne alio transferatur. In verborum expositione non omnes consentiunt. Quidam enim פנים accipiunt pro ira, ac si dictum esset: Ne alienos deos tibi accersas ad iram meam provocandam. Et fateor nomen hebraicum saepe hoc sensu poni. Illud tamen alterum mihi rectius videtur: Ne facias tibi deos coram facie mea. Sed adhuc aliqua est varietas, quia de particula על non convenit. Sunt enim qui exponant: Ne facias tibi deos prae me, vel quos mihi praeferas. Citant locum Deut. 21, ubi vetat Deus, si cui sint duae uxores, et ex utraque liberi, ne primogenituram ad secundum transferat coram facie primogeniti. Verum ut demus illic fieri comparationem minoris et maioris, nimis frigidum esset, hoc loco non aliud Deum postulare quam ne superiorem gradum obtineant dii alieni: quando nec sibi aequari patitur, vel etiam comites adiungi. Vitiatur enim et adulteratur religio, simul ac minimum aliquid detrahitur ex Dei gloria. Et scimus, quum suos Baalim colerent Israelitae non ita ipsos subrogasse in locum Dei, ut eo posthabito tribuerent illis summum imperium. Fuit tamen haec minime tolerabilis profanatio cultus Dei, ac proinde impia huius praecepti transgressio, patronos sibi deligere penes quos deitatis pars aliqua resideret: quia nisi eminet solus Deus tantundem obscuratur eius maiestas. Genuinum esse ergo sensum existimo, ne quos sibi deos fingant Israelitae, quos vero et unico Deo opponant. Nam Hebraeis Coram facie, ut plurimum significat e regione. Non vult igitur Deus sibi obtrudi socios, et tanquam in conspectu suo locari. Interea mihi probabile est, ipsum alludere ad manifestationem, quae populum in sincera pietate retinere debuerat. Sic enim tradita in lege fuerat vera puraque religio, ut illic quodammodo luceret Dei facies. Alia gentium ratio, quae tametsi falsos deos sibi temere fingebant, non tamen coram facie Dei, quae illis erat incognita. Sciamus ergo hos demum censeri legitimos Dei cultores, qui figmentis omnibus valere iussis, ipsi uni adhaereant. Nec vero dubium est quin his verbis comprehendatur interior Dei cultus, quando praeceptum hoc differt a proximo, ubi externa idololatria damnabitur. Et homines sibi aliis modis deos facere quam in statuis, aut picturis, aut ulla visibili specie, satis notum est. Angelos si quis adoret loco Dei, vel arcanum aliud numen stulte imaginetur, hac lege reum teneri nullus negabit. Vendicat ergo Deus sibi etiam cordium affectus, ut spiritualiter solus colatur. Atque huc non inepte referri potest particula Coram facie mea: quia etsi hominum oculos latet eorum impietas qui ad perversos cultus clam degenerant, et intus fovent suos errores, Dei tamen cognitionem non effugiet eorum hypocrisis et perfidia. Hinc etiam sequitur, non rite coli unicum Deum nisi separetur ab omnibus figmentis. Quare non sufficit eius nomen obtendere, nisi corruptelae omnes verbo eius adversae facessant. Unde emergit discrimen verae religionis a pravis superstitionibus. Quando enim praescripsit Deus quomodo velit a nobis coli, ubi vel tantillum deflectimus ab hac regula, deos alienos nobis statuimus, illum in ordinem cogendo.

LOCI AD PRAECEPTI HUIUS EXPOSITIONEM SPECTANTES.
EX DEUT. VI.

4. *Audi Israel, Iehova Deus noster Deus unus est.*

EX DEUT. VI.

13. *Iehovam Deum tuum timebis, et ipsum solum coles.*

ITEM EX DEUT. X.

20. *Iehovam Deum tuum timebis, eum coles, eique adhaerebis.*

ITEM EX DEUT. VI.

16. *Non tentabitis Iehovam Deum vestrum, sicut tentastis in Masa.*

Deut. 6, 4. *Audi Israel.* Quod Moses Deum unum esse asserit, non ad solam eius essentiam, quae incomprehensibilis est restringitur, sed intelligi etiam debet de virtute et gloria quae populo innotuerat. Quasi diceret, defectionis reos fore nisi in solo Deo acquiescant, qui sibi eos devinxerat. Ideo non modo Iehovam appellat, sed simul addit Deum illius populi quem alloquitur. Ita omnes aliae deitates in nihilum rediguntur, et iubetur populus fugere et detestari quidquid a pura Dei cognitione mentes abducit: quia etsi relinquitur ei suum nomen, maiestate tamen sua exuitur, simulac miscetur in turba. Ideo per Ezechielem 20, 39 dicit: Ite ambulate quisque post idola vestra. Quibus verbis non solum repudiat omnes mixturas, sed testatur malle se pro nullo duci quam non coli in solidum. Scite tamen orthodoxi patres contra Arrium hoc loco usi sunt: quia quum passim Christus vocetur Deus, haud dubie ille est idem Iehova qui se unicum Deum pronunciat: quod et de spiritu sancto eadem ratione asseritur.

Deut. 6, 13. *Iehovam Deum tuum timebis.* Hinc melius liquet quorsum nuper dixerit unum esse Deum, nempe ut unus in solidum colatur: quia nisi in ipso solo defixae sint mentes, distrahitur in varias partes religio, quam distractionem mox sequitur errorum labyrinthus. Primo autem reverentiam exigit, deinde cultum qui illam testetur ac demonstret. Porro timor subiectionem in se continet, dum se homines Deo addicunt, quia illos in ordinem cogit formidabilis eius maiestas. Hinc nascitur cultus, pietatis testis. Sed notandum est, timorem de quo hic praecipitur, voluntarium esse, ut nihil magis cupiant homines quam obedire Deo. Quum ergo dixi nos a Deo sub iugum cogi potentiae et magnitudinis suae sensu, non intellexi extorqueri violentum et servile obsequium: tantum dicere volui non ante adduci posse homines ad parendum Deo, quam timore subacti fuerint: quia ingenita illis pravitas semper religionis contemptum et licentiam secum trahit. Itaque apud Ieremiam 5, 22, ut ad timorem homines hortetur, terribilem suam potentiam proponit in fraenando maris impetu: qui tamen metus veros eius cultores longius adducit. In altero loco quem ex 10. capite Deuter. subiecimus, Adhaerendi verbum rursus confirmat, simulac vel tantillum a Deo homines deflectunt vitiari eius cultum. Huc enim spectat coniunctio ad quam suos cultores vocat ut ei quodammodo agglutinati non alio respiciant.

Deut. 6, 16. *Non tentabitis Iehovam.* Quum haec doctrina haud dubie ad primum praeceptum referri debeat, ex ea colligimus, hoc praecipuum esse caput pietatis, Deo tribuere quod suum est, nec quidquam ex iure quod sibi vendicat, detrahere. Incredulitas (ut ante vidimus) fons et causa tentationis fuit in Masa: quia quum neque in Dei providentiam recumberet populus, neque in paterno eius amore acquiesceret, erupit ad impatientiam, atque huc tandem prorupit ut Deum sibi adesse non putaret nisi improbae eius cupiditati obsequeretur. Videmus ergo Deum non aliter recte coli nisi ubi propriis virtutibus ornatur. Unde etiam apparet non posse a fide divelli veram pietatem: quia si in Deo agnoscimus residere quidquid optandum est boni, omnia ab eo exspectabimus et petemus: patienter etiam et aequis animis feremus nos eius arbitrio regi: denique nos et vitam nostram in eius manum trademus.

EX LEVIT. XIX [1]).

1. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo,* 2. *Loquere ad universum coetum filiorum Israel, et dic eis: Sancti estote, quia ego sanctus Iehova Deus vester.*

1. *Loquutus est Iehova.* Huc tendit exhortatio, primum ne Dei cultum metiantur ex suo ipsorum ingenio, sed ex illius potius natura: deinde ut a studio puritatis incipiant. Nihil enim difficilius quam homines exuere affectus carnis ut se ad Dei imitationem forment. Ad haec libenter torpent in suis sordibus, et externam pietatis speciem ad eas tegendas obtendunt. Hic ergo ad Dei imitationem revocantur, qui eos adoptando, imaginem suam gestare voluit, sicuti filii probi et non degeneres patrem referunt. Si quis Deum sanctitate aequare studeat, vesana erit aemulatio. Sed quanquam ab angelis quoque longissime distant vel perfectissimi quique, non tamen obstat minimi cuiusque imbecillitas quominus ad Dei exemplum aspiret. Atque ad hoc caput pertinent omnes caeremoniae quibus veterem populum Deus ad sanctitatem exercuit, ut postea videbitur. Etsi autem non semel occurrit haec sententia, quia tamen in illis

1) Haec pericopa abest ab Ed. 1563 lat. non autem a gallica.

locis ad confirmationem specialibus praeceptis annectitur, doctrinam generalem nunc ex hoc loco tenere sufficiat.

EX DEUT. VI.

14. *Non ambulabitis post deos alienos e diis populorum qui undique circum vos sunt:* 15. *Quoniam Deus zelotes Iehova Deus tuus in medio tui est, ne forte irascatur furor Iehovae Dei tui in te, et disperdat te e superficie terrae.*

14. *Non ambulabitis.* Hoc loco vetat Moses populum a simplici Dei cultu deflectere, quamvis hinc inde versentur ob eorum oculos superstitionum exempla. Erat enim haec valde noxia tentatio, nusquam reperiri qui legis doctrinae subscriberent: quum apud singulas gentes aliqua vigeret religio, aut saltem nominaretur. Quoniam ergo varii cultus totidem essent distractiones a recta via, necesse fuit periculo mature occurrere, et ita stabilire unius Dei autoritatem, ut gentium omnium consensum vilipendere Iudaei auderent. Additur comminatio, in promptu fore vindictam, si ad superstitiones desciscant: quoniam Deus sit zelotes, et inter ipsos resideat. De priore voce plura dicturus sum in secundum praeceptum. Hoc interea teneant lectores, Deum vocari zelotem, quia nullam aemulationem admittit, quae detrahat eius gloriae, nec sustinet cultum sibi uni debitum alio transferri. Quum se in medio populi habitare admonet, partim ex praesenti aspectu terrorem incutit, partim vero oblique perstringit eorum ingratitudinem, si ipso relicto, deos sibi e longinquo accersant.

EX DEUT. XVIII.

9. *Quum tu ingressus fueris in terram quam Iehova Deus tuus dat tibi, ne discas ad faciendum secundum abominationes gentium istarum:* 10. *Non invenietur in medio tui qui traducat*[1]) *filium suum, vel filiam suam per ignem, qui divinet divinationes, augur, magus, et incantator,* 11. *Colligans colligationes, consulens Pythonem, prognostes*[2]), *et qui sciscitatur a mortuis.* 12. *Abominatio enim est Iehovae quisquis facit haec, et propter abominationes istas evellit eos Iehova Deus tuus a facie tua.* 13. *Integer eris cum Iehova Deo tuo.* 14. *Nam gentes istae quas tu obtinebis attentae sunt ad prognostas et ad divinos: quod ad te, non ita permisit tibi Iehova Deus tuus.*

1) *In margine:* ad verbum. Transire faciat.
2) *Ibid.:* Vel, ariolus *et sic quoque v.* 14.

9. *Quum tu ingressus.* Quam cupide mala exempla arripiat humanum genus, et quam proclive sit ad eorum imitationem, experientia plus satis notum est, praesertim qui in alienam terram veniunt, facile assuescunt ad mores et ritus. Haec ratio est cur diserte Deus cavere iubeat Israelitas ne terram Chanaan ingressi, quidquam contagionis ab eius incolis contrahant. Generalis quidem est doctrina: sed periculo quod propius instabat, occurrere necesse fuit. Porro dilucide hoc loco exponit Moses quid sit habere deos alienos, nempe profanas mixturas involvere cum Dei cultu: cuius puritas hac una ratione asseritur, ubi facessunt omnes alienae superstitiones. Summa igitur est, ut abstineat populus Dei ab omnibus hominum commentis, quibus pura et casta religio adulteratur. Nam in genere voluit Deus arcere cultores suos ab omnibus fallaciis quibus ab initio Satan delusit ac fascinavit miseros homines. Species tamen quasdam enumerat quae usu et consuetudine magis invaluerant. Verum quo certius nobis pateat Dei consilium, tenere convenit quid ipsi in his quae damnat vitiis displiceat. Quum naturaliter homines scire appetant, etiam in superstitiosis cupiditas a bono principio semper manavit, utpote quam Deus omnium mentibus indidit, quum genus nostrum a brutis animalibus distinctum vellet. Iam et hoc reprehensione caruit, quod homines ignorantiae suae conscii non putarunt aliam sciendi viam sibi tenendam esse, quam ut Deum consulerent. Atqui hoc unum gentibus propositum fuit, quum magos et ariolos consulerent, scientiam qua se destitui videbant, e coelo petere. Ita dubium non est quin se in tenebris demersos esse confessi sint, et lucem intelligentiae singulare esse Dei beneficium. Unde et nomen divinationis: quia persuasum illis erat res arcanas non comprehendi humano captu, sed hanc cognitionem divini esse instinctus. Verum (ut suis artificiis quae per se recta sunt diabolus pervertit) haec naturae quae diximus semina duobus vitiis corrupta sunt: quia et immodica cupiditas plus sciendi quam fas esset mentibus obrepsit, et illicitos deinde sciendi modos captarunt. Ex his fontibus, nempe stulta curiositate, et nimis licentiosa temeritate, vel audacia, profluxit quidquid superstitionum et errorum in mundo grassatum fuit. Ideoque duabus his pestibus occurrit Deus artes magicas vetando: quae in hoc perperam excogitatae sunt ut eruerent et in lucem proferrent quae ipse voluit abscondita. Optima enim sciendi ratio est sobrietas, ut sufficiat cognoscere quantum expedit. Altius tulit homines sua libido, ut in profundissima quaeque arcana penetrare cuperent. Alterum vero quod attigi,

multo[1]) deterius, quod perversis modis res occultas exquirere tentarunt. Videbimus paulo post, Deum quoque res futuras praedixisse per servos suos, sed nonnisi quatenus expedire noverat, ac tantum eo consilio, ut palam faceret, peculiarem se curam ecclesiae gerere. Atqui ut insatiabilis est hominum curiositas, non respiciunt quid sibi utile sit: sed exemplo Adae volunt esse diis similes, et omnia sine exceptione scire. Quum tam improbis votis non indulgeat Deus, se ad diabolum patrem mendacii transferunt: sub fallaci tamen nominis Dei praetextu, ut dictum est. Haec tot vanitatum origo, quibus semper mundus fuit implicitus. Iam ad species descendo.

16. *Non invenietur in medio tui.* Horribilis hic furor ac omnino prodigiosus, quo dementatae fuerant gentes, Iudaeos quoque postea invasit, ut filios immolarent atque etiam comburerent in honorem deorum quibus se addixerant. Quanquam probabile est, bonam partem non exarsisse tanta vesania sed superstitione levius esse defunctos, quum scilicet liberos suos tantum per flammam traiicerent. Hoc illis fuit lustrationis genus ad omnes sordes expiandas. Sed multos ad mactationem usque impulit crudelis ille zelus, ut ne proprio quidem sanguini parcerent. In quo tamen Abrahae exemplum iactabant, ac si quidquam esset simile inter obedientiam sancti viri, qui praeeunte Dei mandato, filium suum Isaac immolare paratus fuit, et inter barbarum populi impetum, qui vetante et reclamante Deo liberos suos iugulavit. Caeterum in hoc tam foedo spectaculo videmus quanto ardentius ferantur homines ad impios cultus quos illis dictavit sua temeritas, quam ad studium rite colendi Dei, ubi palam et diserte praecipit quid rectum sit. Haec quidem prima parentum cura esse debet ut liberos suos Deo consecrent: sed unicus apud Iudaeos initiandi ritus fuit circumcisio, quo contentos esse oportuit. Recenset deinde Moses divinationum species, quibus profanae gentes deditae fuerunt, ut stultam plus quam fas esset sciendi cupiditatem explerent. Quanquam non improbo quod quibusdam placet, primo loco genus poni, deinde adiungi partes. In quibus explicandis brevis ero, nec refutandis singulis opinionibus insistam: etsi quosdam etiam ex Rabbinis crasse hallucinari certum est. מעונן libenter recipio deductum esse a nubibus, ideoque pro auguribus vel pro astrologis iudiciariis accipi consentaneum est. Sunt qui radicem huius vocis esse malunt מעון quod locum Hebraeis significat. Atque haec etymologia non male quadraret fanaticis, qui ex astrorum situ omnia divinant: quia tam planetis quam signis zodiaci stationes suas assignant ad mutuos respectus. Hoc quidem probe convenit, tam auguria hoc loco, quam frivolas astrorum observationes damnari: dum scilicet homines praepostere curiosi, astris subiiciunt omnes rerum eventus. Nomen מנחש quod sequitur, divinum vel ariolum significat: quod satis liquet ex 44 capite Geneseos, ubi Ioseph se in scypho divinasse simulat, quia vulgo putabant arte vaticinandi praeditum. Ac nomen etiam hinc serpentibus inditum propter astutiam. מכשף quidam interpretantur praestigiatorem, qui oculos spectris obiectis perstringat, ac deludat. Sequitur quintum, quod vertimus colligans colligationes: quo nonnulli intelligunt incantatores, qui magicis artibus cogunt serpentes in unum locum. Quod meo iudicio frigidum est: itaque aliis potius assentior, qui notari volunt evocationes daemonum. Verum quia commode verti potest, colligens, vel committens coetum, non prorsus repudio quod alii tradunt, referri ad imaginarios conventus: ad quos miseri homines (quos diabolus fascinavit) se rapi somniant, ut simul epulentur, saltent, et nefandis conspirationibus se obligent. Vulgo synagogas nominant. In sexto nulla est ambiguitas, ubi vetatur populus consulere Pythonem. Sic enim proprie Hebraicum nomen אוב vertere licet post Lucam, fidum et idoneum interpretem, dum narrat spiritum Pythonis Pauli voce eiectum ex puella (Act. 16, 16). Et interdum scriptura אובות vocat quicunque daemones eliciunt ad danda responsa: cuius fallaciae insigne exemplum memoratur in sacra historia de Pythonissa, quae Samuelem mortuum Sauli ostendit (1. Sam. 28, 7). Pythonem Graeci verterunt, quod in primis celebres erant praestigiae Pythii Apollinis. Septimus ordo est ידעני qui recte dici possunt gnostae, vel cognitores. Neque enim dubito quin honorificum hoc nomen fallendi causa obtenderent: quod impostoribus minime novum est. Sic olim genethliaci et similes pro mathematicis se venditarunt. Et hic est astus Satanae, furari honesta virtutum et rerum bonarum nomina, quibus integumentum suis mendaciis faciat: sicuti Aegyptiis et Chaldaeis impostoribus nomen sapientum imposuit. Ergo quum prophetae dicantur videntes, vana falsorum vatum prognostica opposuit, quae simplices obstupefacerent. Nam quod quidam nomen hoc ab ave deducunt, nimis puerile est figmentum: ac miror in re aperta adeo turpiter delirasse, dum argutiam de nihilo affectant. Ultimo loco damnatur necromantia, hoc est, fallax et delusoria vaticinandi scientia ex mortuorum responsis: quam perperam quidam restringunt ad eos qui dormiunt ad sepulcra, ut mortuos per somnium loquentes audiant: quia pluribus modis stulti homines colloquia cum mortuis captarunt. Porro discamus ex hoc loco, quoties Deus fraenum Satanae laxat, quam prodigiosis ludibriis fascinet miseros homines, et quantam fal-

1) *Princeps:* nihilo.

lendi efficaciam obtineat ille mendacii pater ex iusta Dei vindicta, ad excaecandos incredulos. Nam quod a nasutis haec tanquam fabulosa ridentur, id fit supino contemptu: quia non reputant quam horribili iudicio digni sint, qui lucem sponte exstinguendo, tenebras sibi accersunt. Pretiosior enim Deo est sua veritas, quam ut eam reiici impune sinat. Certe sacrilega esset audacia, negare unquam in usu fuisse artes magicas: quia hoc modo Deus incogitantiae argueretur, ac si legem tulisset de rebus quae nullae erant. Quod obiicitur absurditas, sic nimium extolli Satanae potentiam, ac si in eius manu essent praedictiones, quas Deus uni sibi vendicat: deinde posset miscere vivorum colloquia cum mortuis, et convertere rerum formas: solutio facilis est. Quod ad vaticinia spectat, nihil opus est subtiliter disputare unde res occultas praesciscat Satan (in qua parte nimis anxie, meo iudicio, se torsit Augustinus) quia supervacuus est ille labor, si tenemus iusto Dei iudicio permitti diabolis aliquam vaticinandi speciem, qua incredulos magis ac magis decipiant: sicut alibi fusius tractandum erit. Interea scimus, omnibus falsorum deorum oraculis per flexiloquas ambages derisos fuisse incredulos, ut sero tandem eventu sentirent se illaqueatos fuisse lethalibus decipulis. Itaque iure apud Isaiam 41, 23 Deus omnibus idolis abrogat futuri temporis scientiam. Id tamen non obstat quominus Satanae aperiat quaedam abscondita, quorum praedictione, quasi fallaci gustu, deliniat reprobos. Fateor certe Romanos augures, temporis progressu, abiecta augurandi cura, crassis tantum figmentis abusos fuisse ad fallendum vulgus. Verum nisi olim vel maxime perspicaces Satan hoc artificio in errorem traxisset, non toties in praecipuis Cyri laudibus poneret Socraticus Xenophon, auguriis fuisse intentum, et ita edoctum a patre. Denique temporum omnium experientia convincit, homines perverse curiosos saepe a Satana per magos didicisse quod humanitus cognosci non poterat. De operum effectu, sive mortuos excitet, sive fascinet homines et bruta animalia, sive incantationibus novas facies rebus induat, sic habendum est, quaecunque videtur edere miracula, meras esse praestigias. Atque, ut est pater tenebrarum, certum est nihil posse nisi apud incredulos, quorum obtenebratae sunt mentes, ut album a nigro non discernant. Vidimus tamen ante ut magi Pharaonis aemulati sint in miraculis Mosen. Quare nihil mirum si Dei permissu vel elementa turbet, vel morbis et aliis noxis infestet reprobos, vel oculis phantasmata obiiciat. Quo magis rogandus est nobis Deus ut hostem compescat, tot pestiferis artibus contra nos instructum.

12. *Abominatio enim est Iehovae.* Primum Dei autoritatem vult esse instar fraeni ad ipsos regendos, deinde vindictam illis proponit, quam paulo post visuri erant adversus gentes: imo cuius ipsi exsequutores et ministri erant futuri. Quum enim minime obscurum illis esse posset, indigenas terrae Chanaan non evulsum iri ex tranquillis sedibus nisi Dei manu, causam excidii hanc assignat, quod se et terram sacrilegis illis et nefandis superstitionibus polluerant. Tam insigni igitur exemplo eos deterret, ne scelera imitentur quae Deum tam graviter ulcisci eventus ipse monstrabat. Sicuti Paulus fideles admonet diligenter cavendum esse a peccatis quae iram Dei concitant contra inobedientes (Ephes. 5, 6).

13. *Integer eris.* Respicit ad fidem mutuam sacri foederis, quo ut se obstrinxerat Iudaeis, ita vicissim eos sibi devinxerat, ne se idolis prostituerent, vel appeterent alienas religiones, quae huc illuc abstrahunt mentes hominum. Haec igitur integritas opponitur omnibus mixturis vel corruptelis quae a sincero Dei unius cultu nos abducunt: quia simplicitas quae nos continet in coelestis doctrinae obedientia, spiritualis est castitas, quam exigit Deus ab ecclesia sua. Et circumstantia loci hoc satis clare probat, Deum ab omni licentia cohibere Iudaeos, ut suo imperio addicti non circumspiciant in diversas partes, nec ferantur vana levitate, sed constanter maneant in puro cultu quem illis praescripserat. Hac ratione Paulus se pro Christo zelotypum esse asserit (2. Cor. 11, 2): et quia Corinthios Christo adiunxit se metuere, ne, sicut Evam decepit serpens sua astutia, ita impostorum illecebris inducti, excidant a simplicitate quae est in Christo.

14. *Nam gentes istae.* Sicuti quam Deus poenam sumpturus erat de gentibus, nuper proposuit ad terrorem, ita nunc admonet hac lege vacuam haereditatem tradi Iudaeis, ut tanti beneficii memores ab omnibus inquinamentis sibi caveant: et ideo pristinis terrae incolis succedere, ut sint ab illis separati. Quorsum enim illa mutatio nisi ut novum populum sibi acquireret Deus, terramque omni immunditia purgaret? Porro tametsi duas tantum species superstitionum repetit, per synecdochen tamen omnes alias designat. Summa est, ne gentibus sint similes in vitiis et corruptelis, quae illis fuerant exitii causa, quando non tantum homines profligaverat Deus, sed perversos quoque eorum ritus. Secundam partem versus quidam in duas sententias dividunt: Tu autem non sic facies: deinde, Iehova dat tibi, et subaudiunt terram. Ego autem non dubito quin pronomen אתה sic resolvi debeat, quantum vero ad te. Proinde uno contextu legendum censeo: Non sic tibi permisit Deus. Nam significatio verbi נתן late patet. Summa huc tendit, ut pluris sit illis Dei prohibitio quam gentium exempla.

15. *Prophetam e medio tui, ex fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Iehova Deus tuus: illum audietis:* 16. *Secundum omnia quae petiisti a Iehova Deo tuo in Horeb, in die conventus, dicendo: Non adiiciam audire vocem Iehovae Dei mei, et ignem hunc magnum non videbo amplius, ne moriar.* 17. *Et dixit Iehova ad me: Bene egerunt in eo quod loquuti sunt.* 18. *Prophetam suscitabo illis e medio fratrum suorum sicut te, ponamque verba mea in ore eius: loqueturque ad eos quaecunque ei mandavero.*

15. *Prophetam e medio.* Hoc per anticipationem additum est, ne exciperent Israelitae, deterius secum agi quam cum totius mundi populis. Fuit enim semper (et quidem merito) singularis boni loco habitum cum Deo communicare, sicuti nihil est optabilius. Invaluerat autem opinio, magicis artibus, Pythonum responsis, scientia augurandi homines ad Deum propius accedere. Secum ergo male agi conquestus fuisset populus Israel, si ab omnibus vaticiniis et responsis fuisset exclusus. Huic querimoniae vel obiectioni occurrit Moses, pronuncians non minus familiarem ad Deum accessum illis fore, quam si palam ipse descenderet e coelo: modo rectam viam teneant, et ratione, quam optimam esse censuit, contenti sint. Itaque propheticam doctrinam pro omnibus gentium commentis unam apud ipsos vigere iubet. Ita significat, quamvis non palam descendat e coelo Deus, illis tamen, quatenus expediet, voluntatem eius certam, et clare notam fore, quia per servos suos prophetas fideliter eos erudiet. Qua ratione apud Isaiam 43, 10, ubi falsorum deorum vaticinia derisit: Israelem nominat testem suum: utpote apud quem sua arcana et coelestis sapientiae thesauros deposuerat. Videmus iam designari modum quo Deus vult populum suum sciscitari de rebus ad salutem necessariis: quod ex 8. cap. Isaiae clarius patet: Si dixerint vobis, Inquirite a Pythonibus et divinis: annon populus Deum suum consulet, a vivis ad mortuos? Ad legem et ad testimonium. Nec dubium est quin ex hoc loco doctrinam illam sumpserit Isaias, ubi damnatis erroribus quos sibi excogitant curiosi homines, iubet fideles simpliciter ad legem attendere: et hac discendi regula contentos esse iubet, nisi velint misere vagari. Hinc colligimus in nomine prophetae esse enallagen numeri. Nam quod nonnulli ad Iosue, alii ad Ieremiam restringunt, prorsus insulsum est: quando hic de continuo regendae ecclesiae tenore disserit Moses, non autem recitat quid facturus sit Deus ad breve tempus. Nihilo rectior est eorum sententia qui praecise de solo Christo accipiunt. Nam illud quod dixi Dei consilium tenere convenit, non relinqui Iudaeis excusationem, si ad Pythones vel magos declinent, quia Deus nunquam eos destituet prophetis et doctoribus. Quod si ad solum Christum eos ablegasset, in promptu erat exceptio, durum esse per duo annorum millia carere prophetis et revelationibus. Nec firmae sunt duae illae rationes quibus insistunt quidam, prophetam cui testimonium reddit Moses excellentiorem esse suo praecone, deinde non posse hoc elogium aptari veteribus prophetis, similes fuisse Mosi, quum alibi dicatur nullum similem postea surrexisse (Deut. 34, 10). Neque enim quidquam decedit ex eius dignitate, si alios vel pares vel minores commendet, ut audiantur, quicunque a Deo missi fuerint. Quod ad comparationem spectat, non semper hac particula Sicut notatur aequalitas. Verum igitur est nullum prophetam fuisse sicut Mosen, nempe qui par esset omnibus modis, vel in quo fulgerent tantae dotes: sed non minus verum est, fuisse omnes similes Mosi: quia Deus continua successione doctores ecclesiae suae praefecit qui idem munus obirent. Quo pertinet illud, lex et prophetae usque ad Iohannem etc. (Matt. 11, 13 et Luc. 16, 16), ubi videmus alios Mosi substitui tanquam collegas in gubernanda ecclesia, usque ad Christi adventum. Quanquam scite Petrus et concinna analogia testimonium hoc ad Christum accommodat (Act. 3, 18), non ut excludat reliquos Dei servos, sed ut admoneat Iudaeos, si reiicitur Christus, simul repudiari hoc inaestimabile Dei beneficium. Sic enim donum prophetiae viguit in populo veteri et subinde alii aliis additi sunt doctores, ut ante Christi adventum quaedam fuerit interruptio. Ideo in tristi dissipatione quae reditum ab exsilio babylonico sequuta est queruntur fideles in Psalmo signa sua iam non conspici, nec exstare amplius prophetam (Psal. 74, 9). In hunc finem hortatur Malachias 4, 4, populum ut recordetur legis datae in Horeb. Et continuo post subiicit: Ecce, mitto Eliam prophetam, etc. ac si diceret instare tempus quo perfectior manifestetur doctrina, et lux plenior affulgeat. Vere enim dicit Apostolus (Heb. 1, 1) saepe olim Deum et pluribus modis loquutum fuisse patribus per prophetas: tamen extremis diebus loquutum fuisse nobis in unigenito filio. Et certe exoriente evangelii doctrina completus fuit doctrinae propheticae cursus, quia in solidum exhibuit Deus quod hic promittit. Adeoque id passim tritum fuit, ut Samaritana quoque mulier diceret venturum esse Messiam qui doceret omnia (Ioan. 4, 25). Quo pertinet quod nuper citavi de transitu a lege et prophetis ad evangelium. Unde conficitur, aptissime expositum fuisse a Petro locum hunc de Christo. Nisi enim Deum mendacii arguere vellent Iudaei, necesse fuit ad eos Christum respicere, per cuius manum promissa erat et doctrinae stabilitas, et rerum omnium instauratio. Pridem destituebantur prophetis quos testatus fuerat Moses nunquam ipsis defore, et quos promiserat legitimos fore ministros retinendi

in obsequio populi, ne ad superstitiones deflecterent. Ergo aut nulla ipsis erat religio aut exspectandus erat summus ille doctor, qui unus impleret omnes numeros prophetici muneris. Iam notandae sunt circumstantiae, quibus Iudaeos in sobrietate retinet. Fuit hoc non vulgaris indulgentiae, quod Deus e populo illo prophetas sibi sumpsit, ne opus esset longius cursitare ad petenda oracula, et simul ut familiariter pro suo modulo docerentur. Quod autem alios prophetas sibi comparat Moses, ad commendationem doctrinae ipsorum valet. Assueverant longo usu ad hanc disciplinam ut Deum ore hominis loquentem audirent, et stabilita erat Mosis autoritas, ut certo persuasi essent se divinitus gubernari, et sibi patefieri quidquid ad salutem sufficeret.

16. *Secundum omnia quae petiisti.* Ingratitudinis reos agit, nisi prophetis se placide subiiciant: quoniam hac in parte eorum voto Deus obtemperet. Nam quo amabilius illis esset maioreque in pretio munus propheticum, ac ne propter aspectum mortalis hominis vilesceret, hanc illis confessionem Deus extorsit, nihil esse melius quam ut interpretes ex hominibus eligeret. In legis promulgatione palam resplenduit visibilis Dei maiestas, cuius sensu expavefacti, ultro Mosen sibi dari optarunt doctorem, et coelestis vocis praeconem. Quam utilis fuerit terror ille ad commendationem doctrinae quae per homines praedicatur, ante visum est. Vanis speculationibus in sublime ferri nostra ingenia plus satis experimur. Ita vellemus Deum, quoties obrepit aliqua dubitatio, e coelis elicere. Convinci ergo suae imbecillitatis Israelitas necesse fuit, ne captum suum transscenderent: sed quod Dominus illis utile esse providerat, summi beneficii loco expeterent, et simul valedicerent superbae curiositati, quae semper eos titillasset, nisi remedio adhibito mature fuisset correcta. Eius autem doni, quod sibi optimum esse iudicarunt, minime excusabile fuisset fastidium. Summa est, Deum semel apparuisse ut prophetis suis fidem et autoritatem acquireret: ordinem vero regendae ecclesiae, et testandae suae voluntatis instituisse quem populus ipse experientia cognoverat summopere sibi esse utilem.

17. *Bene egerunt.* Recitat Moses iudicio et voce Dei fuisse comprobatum illud votum. Neque enim si stulta levitas homines impulerit ad aliquid praepostere optandum, ideo ratum id protinus esse debet: sed, ubi accedit Dei consensus et quasi suffragatio, quod sibi placere ostendit, fixum et inviolabile stare debet. Unde sequitur, Deum in mittendis prophetis, ut maxime expedit, consulere hominum saluti. Porro quod surgunt pii doctores qui fideliter viam salutis monstrent, hoc asserit singulare esse favoris sui testimonium: laudemque sibi vendicat, quum secundo repetit: Suscitabo prophetam. Sicut et Paulus docet: Quomodo praedicabunt, nisi mittantur (Rom. 10, 15)? Et sane, eodem teste Apostolo ad hanc provinciam nemo reperietur idoneus: sed facultas recte docendi a Deo est (1. Cor. 2, 14 et 4, 1). Unde sequitur, Deum certo praesentiae suae symbolo favorem erga nos suum testari quoties spiritus sui dotibus illustrat, et in medium producit fidos probosque doctores. Postea admonet Moses Deum sic gubernare ecclesiam suam hominum manu et opera, ut sibi nihil deroget. Sibi enim hoc proprium retinet, quasi in os suggerere prophetis quod loquantur, nec plus illis permittit quam loqui et proferre quaecunque mandaverit. Videmus ergo creatos ab initio fuisse pastores, non ut dominarentur ipsi, vel suis commentis ecclesiam subiicerent: sed tantum ut spiritus sancti essent organa. Atque hodie qui plus sibi licentiae usurpant, cum sacrilega sua tyrannide procul abigendi sunt.

EX DEUT. XIII.

1 [1]. *Quum surrexerit in medio tui propheta, vel qui somnium somniabit, et dederit tibi signum vel portentum,* 2. *Eveneritque tibi signum et portentum quod dixerat tibi, dicendo: Eamus post deos alienos quos non nosti, et colamus eos:* 3. *Non obedies verbis prophetae illius, aut somnium somniantis: quia tentat vos Iehova Deus vester, ut sciat an diligatis Iehovam Deum vestrum toto corde vestro, et tota anima vestra.* 4. *Post Iehovam Deum vestrum ambulabitis, illumque timebitis, ac praecepta eius custodietis: voci eius obedietis et eum coletis, eique adhaerebitis.*

EX DEUT. XVIII.

21. *Quia si dixeris in corde tuo: Quomodo cognoscemus verbum quod non loquutus fuerit Iehova?* 22. *Quando loquetur propheta in nomine Iehovae, et non exstiterit res illa, neque evenerit: sermo est quem non loquutus est Iehova, per superbiam enim loquutus est propheta ille: ne timeas ab eo.*

Postquam a peregrinis gentium fallaciis Israelitas retraxit Moses, nunc etiam vetat ne, si inter ipsos exoriantur falsi doctores, se nimis credulos praebeant: ac sedulo caveant ab omnibus novis commentis, nec ullius impulsu vel tantillum a lege deflectant. Neque enim a professis solum hostibus vel exteris superstitionibus periculum est, sed per intestinas quoque fraudes insidiatur Satan, et sacro Dei nomine ad fallendum abutitur. Ergo piorum

1) Hebr. 2—5.

fidem non tantum verbi claustris extra muniri et circumdari oportet, ne qua aliunde corruptela obrepat: sed intus quoque eiusdem verbi praesidio firmari, ne se furtim insinuent nova commenta, quibus vitietur doctrinae puritas. Porro ex hac prohibitione colligimus, eam esse certitudinem in coelesti doctrina quae fidem nostram labefactari vel concuti non sinat, modo in ea vivas egerit radices ac probe fundata sit. Nam frustra vetaret Deus falsos doctores admittere, nisi cavendi rationem simul ostenderet. Et certe nihil minus consentaneum quam ut ambigua sit religio, cuius regula quum fideliter praescripta sit in lege et exposita definitio, merito exigit a suis Deus ne vacillent, sed constanter persistant in veritate sibi tradita. Vere enim de lege praedicat Isaias 45, 19 non frustra illic dictum esse semini Iacob ut Deum quaereret. Atqui in Deo quaerendo non sufficeret docere quid rectum sit, nisi in eo stabiliantur animi. Certa igitur et firma sit religio necesse est, aut non erit rite composita. Nec vero dubium est, quod de evangelio testatur Paulus (Ephes. 4, 14), legi quoque fuisse commune, ut discipulos suos instrueret contra omnium tentationum certamina, ne essent pueri fluctuantes et qui circumagerentur quolibet vento doctrinae per versutiam hominum, etc. Sed verba propius et ordine expensa summam rei clarius ostendent.

Deut. 13, 1. *Quum surrexerit in medio tui.* Iam videmus non de errorum fallaciis agi, quas Satan per totum orbem sparserat, sed quae prodituræ erant ex ipso ecclesiae sinu. Ac si diceret, legem non ideo solum datam esse quae Israelitas a profanis gentibus separet, sed quae integros custodiat in pura fidei castitate. Nam ut hodie ecclesiam Christus sibi desponsat per evangelii praecones, ut instar pudicae virginis se sistat in eius obsequium (2. Cor. 11, 2), nec ullis lenociniis se abduci sinat a fidei simplicitate: ita olim veterem populum desponsans sibi Deus, iussit aures claudere impostoribus: qui sunt veluti Satanae lenones ad violandum sacrum illud et speciale coniugii vinculum, quo Deus vult suis coniunctus esse. Huic malo cur velit Deus obnoxiam esse ecclesiam, paulo post videbimus. Interea utile est de periculo admonitos esse fideles, ut sint in assiduis excubiis ad cavendas Satanae insidias. Neque enim uno tantum saeculo regnavit haec pestis, sed grassabitur usque ad finem mundi: ac tenendum est illud Petri: Sicut olim fuerunt pseudoprophetae apud Iudaeos, ita sub regno Christi fore falsos doctores, qui inducant exitiales sectas (2. Petr. 2, 1). Caeterum non domesticos tantum hostes Moses designat, sed qui prophetico titulo se insignient, quo maiore licentia magisque impune decipiant. Unde colligimus, non sufficere gradum honoris, vel plausibile aliud nomen, sive pastoris, sive prophetae, sive sacerdotis, nisi coniuncta sit sinceritas quae vocationi respondeat. Quos enim hic Deus fugere et abominari iubet? nempe qui prophetas se iactabant: sed ubi probe examinati fuerint, detracta larva pudefient. Species generi subiicitur: quum idem ille vocatur somniator, quia se Deus olim prophetis nunc per visiones, nunc per somnia patefecit. Uterque ergo honorificus praetextus fuit ad conciliandum favorem. Gravior tamen quae sequitur tentatio, si praedictione aliqua se commendaverit. Quis enim vaticinium eventu probatum contemneret? praesertim quum pronunciet Isaias 41, 21 uni hoc Deo esse proprium. Augetur etiam magis pubitatio, quod Deus postea 18. capite hoc symbolo discernere videtur veros prophetas a falsis. Respondeo, Quod sibi Deus vendicat praedictionis gloriam, id minime obstare quin interdum Satanae quoque ministris vaticinandi munus in re aliqua concedat. Deterior quovis mercenario praecone fuit Balaam, qui aeterna Dei decreta evertere optasset: cuius tamen linguam divino spiritus instinctu directam fuisse scimus, ut eius gratiae esset praeco ad quam exstinguendam conductus fuerat. Haec igitur inter se non pugnant, aliquem esse perfidum impostorem, et tamen particulari vaticinandi dono simul esse praeditum: non ut semper vera oracula proferat (sicut nec Caiaphas, qui semel prophetavit, perpetuo fuit verax) sed quatenus Dei permissu hoc vel illud praenoscere dabitur, ut species una veritatis multorum errorum sit integumentum. Recte tamen et apte alibi per Mosen Deus coarguit vanitatis temerarios spiritus, qui promittunt quod non impletur. Spectandum est enim eius consilium. Multi se insinuant clandestinis artibus, et tandem audacter prorumpunt qui gloriantur se prophetas esse: dubitat populus an eos admittere debeat. Quia vero ut plurimum contingit talium hominum stultitiam divinitus infamia [1]) et dedecore notari, dum videt mundus futiliter loquutos esse: merito respondet Deus exspectandum esse eventum, ne promiscue et absque iudicio quidvis recipiant Israelitae. Stat ergo principium, loqui in nomine Dei qui praedicunt quod re ipsa evenit. Neque enim de rebus homini incognitis quod verum est pronunciarent nisi dictante ipso Deo. Quo etiam pertinet Ieremiae responsum ad Hananiam: Prophetae qui fuerunt ante nos, loquuti sunt de bello, fame et peste: si quis de pace loquutus est, eventu comprobatum est quod missus a Deo esset in veritate (Ier. 28, 5). Pollicebatur Hananias prosperum belli successum: quia sciebat Ieremias eum mentiri, experientiam adducit testem falsitatis, nisi facta dictis respondeant. Hactenus nulla est repugnantia, dum vaticinia quaecunque

1) *Princeps:* insania.

vera sunt dicuntur a Deo proficisci, et tamen idem propheta qui verum praedixit, alia in parte est impostor. Et in primis tenenda est Pauli admonitio: Quia reprobi non recipiunt dilectionem veritatis, ut salvi fiant, Deum mittere efficaciam illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur, qui non crediderunt veritati, sed approbarunt iniustitiam (2 Thess. 2, 10). Hinc docemur non tantum laxari Satanae habenas ad nocendum, sed armari potentia ut efficaciter ad extremùm interitum reprobos trahat. Idem nunc docet Moses. Nam quod de signis dissentiunt interpretes Hebraei, nulla ratione nititur. Certum est adhibita fuisse signa quae vaticiniis autoritatem acquirerent, ut quum Isaias nudus incessit (Isa. 20, 2), Ieremias catenam collo induit (Ierem. 28, 10): certum quoque est magicis incantationibus Satanam saepe ludere. Sed non dubito quin per signum et portentum intelligat incredibile quidpiam et inopinatum, quod ad praesagiendum valeat. מופתים vocant Hebraei miracula quibus Deus futurum aliquid portendit, ac si e coelis loqueretur. Generalius est nomen אות, quia pro vexillo, vel tessera, vel symbolo interdum capitur. Utrumque hic positum est pro signis insolitis, quae testantur quasi praesentem Dei potentiam: quo sensu admonet Christus (Mat. 24, 11) suos discipulos ut sibi caveant a signis et prodigiis mendacibus. Etsi autem oculos spectris perstringit Satan, ut falsa aemulatione Dei gloriam ad se trahat, ostendimus tamen ex Paulo, et ante narravit Moses, impostores in edendis miraculis esse vindictae Dei ministros, ut talibus laqueis capiantur reprobi. Si quis excipiat, signa igitur fore inutilia, quae tam noxiae possunt esse decipulae quam veri confirmationes, respondeo, nunquam tantum licentiae diabolo concedi quin per medias tenebras tandem emergat lux Dei. Continget ergo, veram Dei potentiam ad tempus obscurari (quod ante vidimus in historia magorum,) sed nunquam obruetur. Ita in miraculis, quibus lex fuit sancita, sic refulsit gloria Dei ut sine dubitatione fidem apud pios obtineant. Sic extra controversiam sunt miracula quae fidem evangelio conciliant, quia notas prae se ferunt divinitus insculptas, quibus omnis fallaciae suspicio facile tollitur. Et sane, ut crassa hebetudine obsitae sunt hominum mentes, quemadmodum in ordinario cursu operum Dei caecutiunt, ita et in miraculis semper fere hallucinantur, nisi ad discutiendam caliginem verbum Dei praefulgeat. Ergo ut in signis rite proficiamus, statuenda est inseparabilis doctrinae cum signis connexio. Recte itaque Moses eos qui signorum praetextu pietatem evertere volent, repudiandos esse docet: quia impie et scelerate dividunt quae Deus coniunxit, et signa, quae tanquam adminicula rectae doctrinae subserviunt, perperam detorquent in contrarium usum. Postquam autem certis et evidentibus signis obsignata fuerat religio apud Iudaeos, adventitiis signis attendere fas non erat, nec carebat turpi ingratitudine. Nunc tenemus summam huius loci, perseverandum scilicet esse in unius Dei cultu, ut ne ostenta quidem ad concutiendos populi animos quidquam habeant momenti. Ideo notanda est particula: Quos non nosti: quia significat Moses, certius testatam esse Iudaeis Dei quem colunt gloriam, quam ut deflectendo huc vel illuc excusabilis sit eorum levitas: atque ita opponitur cognitio, quae infixa esse debebat eorum cordibus, et solide subsistere quibuslibet diaboli artificiis quae tantum instabiles percellunt.

3. *Quia tentat vos Iehova.* Tentandi verbum quoties Deo tribuitur, non sonat in malam partem, nec sumitur pro insidiose captare, vel fraudum aucupia tendere ad irretiendos simplices, sed tantum pro examinare. Explorat autem Deus hominum corda, non ut discat quod prius fuit incognitum, sed ut re ipsa patefaciat quod latuit. Ita eius Scire ad experientiam tantum refertur. Frigida quidem est ac spinosa Augustini solutio, Ut sciat, hoc est, scire vos faciat. Sed quum ad Deum transferri humanos sensus passim tritum sit, quid opus est verba torquere, quae nihil aliud significant quam Deum explorare, ut re ipsa pateat quod dubium esse potuit? Sic tentavit Deus Abraham (Gen. 22, 1), dum experimentum in re seria sumpsit fidei eius, vel obedientiae. Neque tamen huic sententiae repugnat quod nuper attigi, et saepius legitur, Deum Satanae et impiorum opera uti ad tentandum, quia spectandus est finis ad quem probationes suas dirigit, unde patebit longe distare eius consilium a Satanae malitia et dolis. Notatu autem digna est haec ratio, quae absurditatem removet qua terreri facile erat debiles animos. Nihil enim minus consentaneum quam ut insultet Deo Satan, et inferos coelo misceat, vel ad se impune rapiat quod Dei proprium est. Ergo ne talis disceptatio bonos torqueat ac fatiget, vel perplexos teneat, mature occurrit Moses, admonens, Deum interea non iacere otiosum vel stertere, deposita ecclesiae suae cura, sed consulto vocare ad examen veros cultores pietatis, ut ab hypocritis eos discernat. Id autem fit dum adversus tentationum insultus constanter perstant in recta fide, neque labuntur e gradu. Idem et de sectis pronunciat apostolus, necessario eas in ecclesia surgere, ut qui probati sunt manifesti fiant (1. Cor. 11, 19). Quare non est inique ferendum, nec obstrependum Deo si fidei constantiam, quae auro et argento pretiosior est, igne fornacis probari velit: sed iusto eius consilio modeste acquiescere oportet. Si quis rursus obiiciat, quum plus satis nota sit hominum imbecillitas, parum humaniter Deum facere, dum eos subiicit periculosis tentationibus: in promptu est responsio. Fateor quidem, ut tener est carnis nostrae sensus, durum hoc et

a paterna Dei clementia remotum videri. Nam certe ubi se ingerit oculis miraculum, difficile est non succumbere. Sed quum nullos laedit tentatio, nisi quorum impietas, quae detegitur, iam ante convicta erat et damnata, sinceri autem Dei cultores servantur immunes a noxa, quam iniuste eripietur Deo haec libertas, ut perfidae simulationi larvam detrahat? Quisquis puro corde Deum amat, inexpugnabili coelestis spiritus virtute instruitur, ne illaqueetur mendaciis. Hac mercede dignatur Deus seriam et non fictam pietatem, ut fideli eius custodia protecti quicunque recto sunt corde, nunquam lethale vulnus sentiant. Cur interea iusto exitio non addiceret qui sponte appetunt perire? Nec vero mirum quod alibi pronunciat, se esse qui decipit pseudoprophetas, nempe ut iustam ultionem exerceat in reprobos, qui sibi cupide mortiferas fallacias accersunt. Ergo quum certa sit bonis omnibus victoria, ut insidiae Satanae nihil illis sint quam virtutis exercitia: cur in crimen trahatur Deus quod Satanae et impiorum malitia illis materiam coronae et triumphi parat? Tantum hoc axioma teneamus, Dei protectione semper tutos et salvos fore quicunque ex animo Deum amant ac reverentur. Est quidem singulare Dei donum et electionis arcanae fructus, cordis integritas: fateor: verum quando reprobos contemptus, vel simulationis, vel superbiae, vel pravitatis coarguit propria conscientia, culpa defectionis quae in ipsis residet indigne in Deum transfertur. Satis igitur est ad refutandam carnis proterviam, et maledicta omnia, quicunque recto sunt corde muniri spiritus auxilio, ne Satan eos suis venenis inficiat nec quenquam perire nisi volentem. Atque ita statuendum est eos omnes qui salutis doctrinam quam semel visi fuerant amplecti, postea respuunt et abnegant, nihil aliud quam fallaci professione fucum fecisse, quia si Deum sincere diligerent, firmi corde manerent inter quaslibet agitationes. Continget quidem interdum pios quoque labi in errores, et ab improbis circumveniri: sed tantum aliqua in parte, et ad tempus: ut scilicet nunquam excidant a fundamento, et mox resipiscant. At tunc quoque notandum est, suae negligentiae aut levitatis dare poenas: quia non satis attenti fuerunt ad Dei sermonem, vel non satis reverenter coluerunt pietatis studium. Hinc praeterea colligimus, dum multi tergiversantur se ex professo refugere pietatis doctrinam, quia vident multis dissidiis et contentionibus huc illuc distrahi, nihil aliud quam profanum Dei neglectum vel odium inutiliter fucare. Certatur variis opinionibus, fervent etiam pugnae: verum quisquis docili et mansueto spiritu verum quaeret, ac Deo se tradet ac subiiciet discipulum, nunquam spiritu iudicii et discretionis privabitur. Sed quia alii fastidiose audiunt, alii e sublimi despiciunt, alii exstinctum cupiunt Dei verbum, alii vilipendunt, tenendum est quod dicit propheta: Quod perit pereat (Zach. 11, 9): et post eum Paulus, Qui ignorat, ignoret (1. Cor. 14, 38). Quando semper verum illud fuit, nemini occultam esse Dei veritatem, nisi cuius mentem excaecavit deus huius saeculi (2. Cor. 4, 4): id vero praecipue locum habet ubi lux affulsit e coelo, quae errare non patitur, nisi qui oculos claudunt. Ideo mox attexitur remedium: Post Iehovam ambulabitis: ac si diceret Moses sufficere ad cavendum quod Deum habent rectae viae ducem: sicuti iam eos gratuita liberalitate praevenerat. Verum quia magna pars Deo vocanti non respondet, viamque monstrantem non respicit: additur etiam ut illum timeant: quia timor Dei caput est sapientiae (Psal. 111, 10). Tandem rursus inculcat Moses, si modo propositum sit hominibus obedire Deo, satis edoctum iri eius voce quid factu sit opus. Adhaerendi verbo perseverantiam denotat, et ita oblique perstringit eorum inconstantiam, qui eo relicto et valere iusso post inania commenta vagantur.

Deut. 18, 21. *Quia si dixeris in corde tuo.* Pendet exceptio haec a prohibitione quam ante recitavimus ex 18 capite Deuter. Prophetas Deus in locum suum subrogans docendo populo, non vulgari eos autoritate ornaverat, iubens eorum praeceptis acquiescere. Atqui non semper officio satisfaciunt quibus docendi partes sunt impositae. Merito itaque obrepit dubitatio, quomodo statuet populus tanquam ore Dei loqui, ut discernat veros a falsis. Itaque non ponitur vocalis interrogatio: sed praevenit Deus tacitas haesitationes, quae suspensos alioqui tenerent animos. Dicere enim in corde tantundem valet ac secum ambigere, ubi periculum ostenditur. Porro ut scrupulum eximat, non enumerat omnes discretionis notas, quia non doctrinam quidem attingit, sed duntaxat vaticinia. Caeterum populariter, ut rudes et crassos homines, iubet attendere an vera praedicant qui sibi vendicant nomen propheticum. Etsi autem (ut nuper diximus) falsi quoque doctores hac in parte aemulantur Dei servos, et in particulari vaticinio veraces deprehenduntur: sufficit tamen probationis tesseram apponi, quae ἐπὶ τὸ πολὺ accidit: sicuti Deus ipse eodem symbolo vult ab idolis distingui et separari. Neque vero affirmative pronunciat Moses, fidem habendam esse vatibus, quoties dictis responderit eventus: sed tantum admonet, si attente considerent non posse decipi, quia Deus statim pseudoprophetas ludibrio exponet, eorumque fatuitatem refellet. Ita hunc locum prudenter accommodat Ieremias 28, 6 in usum sui temporis, ut re ipsa pateat Hananiam temere mentiri dum promittit scelerum impunitatem, quamvis impendeat Dei ultio. In summa, nihil aliud vult Moses quam populum non fore obnoxium errandi periculo si Deo pure obedire studeat: quia

iusto eius iudicio fiet ut appareat temeritas omnium qui sacrum eius nomen falso arripuerint, atque ita larva illis detrahatur.

22. *Per superbiam loquutus est.* Non stultitiae modo et vanitatis damnat qui sua commenta ingerunt pro Dei mandatis, sed arrogantiae, ut sane haec impia est et non tolerabilis audacia obtendere pro coelesti oraculo quod in hominis terreni cerebro natum est. Atqui hoc nomine detestabilis redditur eorum impietas qui revelationum fumos obiectant deterrendis simplicibus. Proinde subiicit ut sibi non metuant ab eiusmodi propheta, quia, ut Satanae ministris nihil est fastuosius, confidenter suas iactantias crepant, quibus non moveri difficile est, atque adeo concuti, nisi hic ad resistendum clypeus succurreret, terrificos eorum sonitus posse tuto floccipendi. Quae doctrina valde hodie nobis est utilis. Scimus quam insolenter glorientur papistae de catholica ecclesia, de sede apostolica, quantopere ferociant in Petri nomine, quam impetuose per anathemata et diras fulminent: sed ubi compertum fuerit, quidquid obtrudunt pro spiritus oraculis, inania esse hominum figmenta, facile erit discutere illas formidines quae ex eodem manant superbiae fonte.

EX LEVIT. XVIII.

21. *E semine tuo non dabis quod traiiciatur coram Moloch: neque profanabis nomen Dei tui: Ego Iehova.*

EX LEVIT. XIX.

36 [1]). *Non augurabimini, neque divinationi eritis intenti.* 31. *Non respicietis post Pythones, et ariolos non inquiretis, ut polluamini in ipsis. Ego Iehova Deus vester.*

EX DEUT. XII.

29. *Quum exciderit Iehova Deus tuus gentes ad quas tu venis possidendas a facie tua, et eas posséderis, et habitaveris in terra ipsarum.* 30. *Cave tibi ne te illaquees post ipsas, postquam deletae fuerint a facie tua: et ne inquiras ad deos earum, dicendo: Quomodo servierunt gentes istae diis suis, sic etiam ego faciam.* 31. *Non facies sic Iehovae Deo tuo: quia quidquid abominatio est Iehovae, et quod odit, fecerunt diis suis: quin etiam filios suos et filias suas combusserunt igni diis suis.* 32 [1]). *Omne igitur verbum quod ego praecipio vobis, observabitis ad faciendum: non adiicies super illud, neque minues quidquam ex eo.*

1) Imo 26.

Levit. 18, 21. *E semine tuo.* Tribus praeceptis levius perstringit Moses quod in Deuteronomio fusius expositum nuper vidimus. Illic enim tam impias oblationes damnavit quam Pythonum responsa, artes magicas et incantationes. Nunc priore loco adulterina sacrificia attingit: praesertim impurum et detestabilem cultum in liberis consecrandis idolo gentium, quem Moloch vocabant, deinde prohibitionem attexit, ne fictitiis revelationibus attendant. Hic autem in duobus locis Levitici binas tantum species recenset, nempe auguriis et divinationibus dare operam: deinde responsa petere a spiritu pythonico, et magos vel ariolos consulere. Comprehendit tamen alias omnes de quibus ante diximus. Ac ne leve delictum esse existiment, pollui affirmat quicunque huic curiositati se dedunt. Caeterum ultima confirmatio, quae nunc in utroque membro additur, ad summam primi praecepti spectat. Se enim Iehovam et Deum Israelis pronuncians Deus, tam cultum sibi uni debitum exigit, quam superstitiones omnes damnat quibus adulteratur pura religio. Ac subest antithesis, qua Deus se fictitiis omnibus idolis opponit: ideoque licebit verba sic resolvere: Quoniam ego Deus sum aeternus, et ab omnibus aliis separatus quos sibi gentes stulte fabricant, et vos mihi elegi in populum peculiarem, puros et separatos esse volo (ut aequum est) ab omnibus inquinamentis.

Deut. 12, 29. *Quum exciderit Iehova.* Haec sententia superiori affinis est quam retulimus ex 18 capite Deuteronomii. Quia enim ad gentium imitationem proclivis fuisset lapsus, ut populus falsos deos coleret, in quorum tutela et praesidio esse regionem incolae iactaverant, omnis etiam inquisitio severe interdicitur. Hoc enim est idololatriae principium ubi cognita est genuina cultus Dei simplicitas: non illic acquiescere, sed curiosius inquirere sitne aliquid in hominum figmentis fide dignum. Novitatis enim illecebra mox capiuntur mentes: ut quod verbo Dei traditum erat, multiplici fermento inquinent. Nec tantum ab inquirendi studio eos retrahit et prohibet: sed diserte edicit ut sibi caveant, vel se custodiant: nempe quia, ut lasciva sunt hominum ingenia, semper illis obrepit curiositas, cuius dulcedine pascuntur. Ergo Deus claustra populo suo circumdat, quibus separetur ab omni noxio studio. Quin etiam ita vult abhorrere

1) Hebr. 13, 1.

a superstitionum usu ut auditus quoque contagionem fugiat. In verbis hoc breviter notandum, ubi vertimus Possidere gentes, Mosen non intelligere cessuras in praedam, ut iure mancipii serviant, sed id referre ad terram. Ideo dicit, Possidebis a facie tua: hoc est: Vacua erit terrae possessio illis profligatis. Et hoc verbum in coniugatione Hiphil expellere significat, ut ante vidimus. Ad quem sensum forte allusit Moses. Verbum נקש pro quo illaqueare reddidi, quidam interpretes accipiunt pro offendere, alii autem pro rapi, quod ad syntaxin esset aptius: Ne rapiaris post illas. Nolui tamen a sententia magis recepta discedere, quum optime conveniat illaqueandi metaphora. Ac si dixisset, perversos omnes gentium ritus, totidem esse Satanae retia vel decipulas ad circumveniendos homines si propius accedant. Quia mox sequitur: Postquam deletae fuerint, sunt etiam qui vertant: Ne pereas post illos. Ac si proposito interitus illarum exemplo, metum iniicere vellet.

31. *Non facies sic.* Ex his verbis colligere licet quid sit non asciscere sibi alienos deos, nempe, ubi hominum commentis valere iussis, hoc unum attenditur, quid Deus praecipiat. Cur enim aliter coli vult Deus ab electo populo quam gentes solitae sint colere deos suos, nisi quia notabile discrimen esse oportet, ne confusa sit religio? Et certe nisi se homines astringant verbo Dei, ut certo statuant, nihil aliud sibi licere quam quod illic docentur, non tantum vacillabunt, sed quidquid occurret, promiscue recipient. Itaque tenendum est istud Non sic, et hoc fraeno cohibendae mentes, ne qua se insinuet vel ingerat superstitio, quae Dei cultum inquinet. Addidit, Deum non modo repudiare extraneos illos cultus, sed etiam abominari: quod ut melius persuadeat, speciem unam ponit in qua manifestior erat absurditas. Foeda enim barbaries est, foetus insontes exuri a parentibus.

Deut. 12, 32. *Omne igitur verbum.* Hac clausula breviter docet non alium esse legitimum Dei cultum nisi quem sibi probari verbo suo testatus est, et obedientiam esse quasi pietatis matrem. Ac si diceret, praepostera esse studia quaelibet, ac superstitione infecta quae ad hanc regulam non diriguntur. Unde colligimus, ad primi praecepti observationem requiri veri Dei notitiam ex eius verbo conceptam, quae cum fide coniuncta est. Vetando quidquam addere vel detrahere, quidquid comminiscuntur homines pro suo ingenio, simpliciter damnat tanquam adulterinum. Unde sequitur, alienos deos sibi fabricare quicunque in Deo colendo aliud sequuntur quam normam ab ipso praescriptam. Ideoque per Isaiam horribilem vindictam huius temeritatis denunciat: Quia hic populus me coluit praeceptis hominum, ecce, rem stupendam facio. Auferam enim sapientiam a sapientibus, etc. [Isa. 29, 14]. Quum vero pompae omnes cultus papalis congeries sit vanarum traditionum, nihil mirum si illo quem Deus minatus est stupore excaecati fuerint praecipui quique duces et magistri.

APPENDICES CAEREMONIALES PRIMI PRAECEPTI.

INSTITUTIO PESAH.

EX EXODI XII.

1. *Loquutus est Iehova ad Mosen et ad Aharon in terra Aegypti, dicendo:* 2. *Mensis iste principium vobis erit mensium, et primus idem vobis in mensibus anni.* 3. *Loquimini ad totum coetum Israel, dicendo: Decima huius mensis tollat sibi quisque agnum secundum domum patrum, agnum domatim.* 4. *Quod si minor fuerit familia quam pro agno, assumet ipse vicinum suum qui propinquior fuerit domui suae, pro numero animarum, singuli ad mensuram cibi sui numerabitis pro agno.* 5. *Agnus erit vobis integer, masculus, anniculus, quem ex ovibus aut capris tolletis.* 6. *Et erit vobis in custodia usque ad decimam quartam diem huius mensis: mactabitque eum omnis coetus Israel inter vesperas.* 7. *Et tollent e sanguine, ponentque super duos postes, et in superliminari ad domos in quibus eum comedent.* 8. *Et comedent carnem in ipsa nocte assam igni, et azymos panes cum amaritudinibus comedent.* 9. *Non comedetis ex eo crudum,*

vel coctione coctum in aquis, sed assum igni: caput eius cum cruribus eius, et cum intestinis eius. 10. *Nec residuum facietis quidquam ex eo usque mane: quod autem reliquum fuerit ex eo usque mane, comburetis.* 11. *Sic comedetis illum, lumbis vestris accincti, et calciamenta vestra in pedibus vestris, et baculus vester in manu vestra, et comedetis ipsum cum festinatione. Est Pesah Iehovae.* 12. *Nam transibo per terram Aegypti nocte hac, et percutiam omnem primogenitum in terra Aegypti ab homine usque ad iumentum: et in cunctis diis Aegypti edam iudicia: ego Iehova.* 13. *Et erit sanguis vobis in signum per domos in quibus vos fueritis: et videns sanguinem ipsum transsiliam vos: nec erit in vobis plaga interitus, quum percutiam terram Aegypti.* 14. *Et erit vobis dies iste in memoriam: et celebrabitis eum festum Iehovae in generationes vestras, statuto aeterno celebrabitis eum.* 15. *Septem diebus infermentata comedetis: prima die cessare facietis fermentum e domibus vestris.* 16. *Et in die primo, convocatio sancta, die quoque septimo convocatio sancta erit vobis: omne opus non fiet in eis, verumtamen quod comedetur ab omni anima, illud tantummodo fiet a vobis.* 17. *Observabitisque infermentata: quia hac ipsa die eduxi exercitus vestros e terra Aegypti: observabitis* inquam *diem istum in generationibus vestris statuto perpetuo.* 18. *In primo mense, decimoquarto die mensis, in vespera comedetis infermentata usque ad diem vicesimum primum mensis in vespera.* 19. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* 20. *Omne fermentum non comedetis: in omnibus habitaculis vestris comedetis infermentata.*

1. *Loquutus est Iehova.* Etsi Paschatis institutio aliqua ex parte ad quartum praeceptum pertinet, ubi de Sabbatho et diebus festis agetur: quatenus tamen solenne fuit redemptionis symbolum, quo populus se Deo liberatori obstrictum esse professus est, et quodammodo eius imperio se addixit, non dubitavi tanquam appendicem primi praecepti huc inserere. Diei ipsius observatio iterum suo loco recurret: nunc tantum notare convenit, quo Deus populum sibi uni penitus devinctum haberet, caeremoniam hanc mandasse, ex qua discerent Israelitae, nunquam ab eo deflectere cuius beneficio et manu redempti erant. Hoc enim modo sibi ipsos acquisierat in populum peculiarem. Ideoque quoties illis defectionem a puro cultu exprobrat, tantae gratiae oblitos esse conqueritur, cuius memoria ad eos retinendos satis valere debuerat. In summa igitur celebratio paschatis Israelitas docuit non esse fas respicere in alium Deum quam in suum redemptorem: deinde aequum et rectum esse ut se in eius obsequium consecrarent, qui ipsos a morte in vitam restituerat. Itaque velut in speculo, vel tabula picta, repraesentavit eorum oculis suam gratiam: et quod semel experti fuerant, postea quotannis recognoscere voluit, ne unquam memoria intercideret. Primum definiamus quid sit pascha: utor iam trito et vulgari nomine. In etymologia non est ambiguitas, nisi quod transitus Dei tantundem valet ac transsilitio, qua factum est ut domus Israelitarum manerent intactae. Nam Deus de redemptione secunda loquens per Isaiam, 31, 5, ad hunc locum haud dubie alludit, quum dicit, Transsiliam super Ierusalem. Ratio igitur est, quod vindicta Dei Israelitas praeterierit, ne quid noxae illis aut laesionis inferret. Quod autem duplicis transitus mentio fit apud Mosen, non idem est verbum utroque loco: sed Pesah refertur ad electum populum, Abar autem ad Aegyptios: quasi dixisset: Per medios hostes vindicta mea perrumpet, passimque grassabitur: vos autem intactos transsiliam. Quum ergo parcere vellet Deus Israeli suo, ad spem huius salutis, symbolo interposito, erexit fidelium animos: deinde perpetuum gratiae suae monumentum instituit, ut liberationis memoriam quotannis pascha renovaret. Primum enim pascha celebratum fuit in re praesenti, ut pignus esset ad trepidas mentes confirmandas. Annua autem repetitio sacrificium fuit gratiarum actionis, quo posteri commonefierent se redemptionis iure proprios esse Dei clientes. Caeterum tam prima institutio, quam perpetua lex altius spectavit. Nec vero Deus populum veterem semel redemit, ut salvus et incolumis maneret in terra, sed ad haereditatem usque vitae coelestis voluit ipsum perducere. Ergo pascha non minus spiritualis gratiae symbolum fuit quam circumcisio: ideoque analogiam et similitudinem habet cum sacra coena, quia et easdem continuit promissiones, quas hodie nobis Christus obsignat, et docuit non aliter Deum suis esse propitium quam sanguinis expiatione. In summa tam futurae quam praeteritae redemptionis fuit symbolum. Qua ratione scribit Paulus Christum pascha nostrum esse immolatum (1 Cor. 5, 7): quod non staret si veteres illic tantum de temporali beneficio admoniti fuissent. Hoc tamen primo statuamus, observationem Pesah divinitus mandatam fuisse sub lege, ut Deus a populo suo gratitudinem exigeret, sibique addiceret sua virtute et gratia redemptos. Nunc ad singula descendo. Iubet Deus Israelitas exordium anni facere a mense quo egressi fuerant ex Aegypto, non secus ac si dies esset natalis: sicuti exitus ille quaedam fuit renascentiae species. Ergo quum fuissent in Aegypto sepulti, novae vitae origo fuit, et novae lucis exortus, data a Deo libertas. Etsi enim praecesserat adoptio, quia tamen ex multorum cordibus fere evanuerat medio tempore, necesse fuit quodammodo regigni, ut certius cognoscere inciperent Deum sibi esse in patrem. Qua ratione apud Oseam 13, 4 dicit: Ego Iehova Deus tuus ex terra Aegypti,

et Deum praeter me non agnosces: quia tunc scilicet maxime illos sibi acquisierat in populum peculiarem. Clarius etiam paulo ante 11, 1: Quum puer esset Israel, dilexi eum, atque ex Aegypto vocavi filium meum. Hoc etsi generi Abrahae commune fuit cum aliis gentibus, annum inchoare mense Martio: tamen hac in parte diversa ratio fuit: quod soli electo populo sua resurrectio quotannis ante oculos posita fuit. Nam Hebraei ipsi ad illud usque tempus annum inchoaverant a mense Septembri, qui vocatur chaldaice Tisri, quo existimant multi creatum fuisse mundum: quia statim ab ipsa creatione terra maturas fruges produxit, ut tanquam in perfecto statu esset eius foecunditas. Et hodie duplex manet apud Hebraeos annorum series et observatio. Nam in negotiis omnibus quae spectant ad communem vitae usum, veterem et genuinam supputationem retinent, ut primus mensis sit initium autumni: in cultu autem Dei et festis diebus sequuntur quod praecepit Moses: et hic est annus legalis, qui fere Martio nostro respondet, non tamen per omnia: quia nobis in usu non sunt veteres embolismi. Nam quum duodecim lunares circuitus non aequarent solis cursum, intercalabant, ne absurda, annorum progressu, et enormis diversitas oriretur. Ita fit ut mensis Nisan, quo pascha celebrabant, interdum apud Iudaeos aut serius aut citius incipiat, prout moram adfert intercalatio.

3. *Loquimini ad totum.* Quaeritur hoc loco, quum unus tantum agnus in sacrificium oblatus sit pro reconciliatione ecclesiae, et unius tantum Christi sanguine placatus fuerit Deus, cur in singulas domos agnum iusserit mactari, ac si peculiaria seorsum quibusque essent sacrificia. Sed facilis est solutio: quia tametsi eodem omnes sanguine a clade protecti essent, et generalis ille ritus omnes simul coniungeret in societatem eiusdem expiationis, non tamen abs re Deus speciali illa (ut ita loquar) applicatione privatim voluit singulas domos commonefieri, ut propius sentirent collatam sibi gratiam. Sicuti hodie idem nobis omnibus est baptismus, quo communiter inserimur in corpus Christi, singulis tamen suus baptismus confertur, quo certius agnoscant se adoptionis esse participes, ideoque ecclesiae membra. Noluit ergo Deus, quum singulis domibus praeciperet agnum mactare, populum suum distrahere in spes diversas, sed tantum familiariter ostendere singulas domos sibi esse obstrictas, nec salutem modo totius populi debere sibi ferri acceptam, sed in familiis omnibus singulare suum beneficium lucere. Quod autem vicinos adiungi voluit, si numerus capitum in una domo ad Pesah comedendum non sufficeret, causa fuit, ne quid residuum maneret. Iam cur totum agnum absumi oportuerit, haec inter alias videtur praecipua esse ratio, ut ne sacrum hoc epulum miscerent cum victu quotidiano, deinde ne eius dignitas vilesceret aspectu rancidae carnis. Forte hoc quoque spectavit Deus, ne qua in servandis reliquiis obreperet superstitio: quare et ossa comburi iussit.

5. *Agnus erit vobis integer.* Videbimus alibi, in omnibus sacrificiis hoc diligenter ex legis praescripto fuisse cavendum, ne quid maculae aut vitii inesset: quo admonitus fuit populus, non esse legitimam expiationem nisi ubi adesset summa perfectio, qualis nunquam in hominibus reperta est. Non igitur mirum si nunc Deus Pesah exigit unius anni et integrum: ut scirent Israelitae ad Deum propitiandum requiri pretium excellentius quam posset inveniri in toto genere humano. Iam quum talis praestantia multo minus in pecude exstaret, illa visibili agni vel hoedi integritate monstrata fuit coelestis perfectio Christi ac puritas. Huc etiam pertinet quod iussi sunt a decimo mensis usque ad decimum quartum diem habere in custodia separatum a reliquo grege. Quod vero sanguine aspergi voluit Deus postes et superliminare, hoc signo clare docuit, nullis prodesse sacrificium nisi qui eius sanguine tincti sunt ac insigniti. Tantundem enim valuit aspersio haec ac si notam sanguinis singuli in fronte gestarent. Et certe Christus sanguinem suum fundendo non omnes liberavit, sed fideles tantum qui se illo sanctificant. Ac praecipuas quidem partes obtinet interior aspersio, quam Petrus fieri docet spiritus virtute (1 Pet. 1, 2): sed externo symbolo edocti fuerunt Israelitae se non aliter posse ab ira Dei protegi quam opposito sanguinis clypeo. Idque respondet superiori doctrinae, unum et idem sacrificium particulare fuisse singulis aedibus, ut privata cognitio eos serio afficeret quibus generalis fuisset frigida vel minus efficax. Cur assatam potius quam elixam carnem postulet, nescire malo, quam argutias comminisci non satis firmas, qualis illa est Christum in cruce fuisse quodammodo tostum. Mihi ad verum potius accedere videtur quod Deus festinationem notare voluerit: quia collectis vasis celerius in veru torretur caro quam in olla coquatur. Quo pertinet quod mox sequitur praeceptum de ratione edendi: ubi tria notanda sunt, panes azymi, condimentum ex herbis amaris, lumbi accincti cum reliquo peregrinantium habitu. Panes infermentatos haud dubie confici iussit Deus propter subitum discessum: quia volebat quasi momento populum suum ex Aegypto rapere. Ergo ex farina tumultuarie subacta panes azymos coxerunt. Huius rei memoriam quotannis renovari oportuit, ut scirent posteri liberationem divinitus fuisse oblatam, quoniam nullo viatico instructi patres trepide fugam arripuerant. Nam maior apparatus nonnihil obscurasset coelestem gratiam, quae in annonae inopia melius refulsit. Herbis amaris contentos esse voluit Deus: quia viatoribus, dum properant, et maxime

in terra hostili, non suppetunt lautitiae, sed illis obvium quodque condimentum optime sapit: nec eos offendit amaritudo, sicuti in copia et otio accidere solet. Forte etiam pristinae conditionis fuerunt admoniti: quia sub tam dira tyrannide et acerba nihil suave aut iucundum esse potuit. Clarius tamen expressa fuit festinatio, quum calceati, succincti, innixique baculis agnum raptim comederent. A coena transitus est ad lectum et quietem. Itaque veteres et calceos exuere et discumbere solebant. Hunc morem invertit populi necessitas quando mox a coena fugere coactus est. Ideo additur ratio esse Pesah Iehovae: quoniam in trepidatione et saeviente Dei gladio salvi evaserint. Sed memoria repetere convenit quod ante diximus, duplicem huius sacramenti fuisse usum: quia in recordatione praeteriti beneficii populum exercuerit, et spem aluerit redemptionis futurae. Itaque Pesah non tantum quid Deus praestitisset populo suo, sed quid ab eo deinde sperandum esset, admonuit. Proinde dubium non est quin debuerint ex hoc ritu Israelitae discere se hac lege redemptos esse ex tyrannide Aegyptiaca, ut salus longe praestantior adhuc ipsos maneret. Hoc vero spirituale mysterium clarius patefactum fuit Christi adventu. Ideo Paulus veterem hanc figuram ad nos accommodans, quia Christus pascha nostrum immolatus est, iubet nos epulari non in fermento veteri malitiae et versutiae, sed in panibus azymis, sinceritatis et veritatis (1 Cor. 5, 7). Voluit igitur olim Deus domos in quibus celebraretur pascha, corruptione omni puras esse: idque longe magis hodie praestare nos oportet, ne quo malitiae fermento sacrificium quo nos Christus a morte aeterna redemit, inquinetur. Eodem pertinent quae sequuntur, ne simus illecebris mundi dediti: ne voluptatum dulcedine tardetur cursus noster, sed in terra peregrinemur, semper accincti et expediti ad properandum: et quamvis amara sit crux Christi, non tamen eius gustum refugiamus.

12. *Nam transibo per terram.* Hoc ad primum pascha spectat, qua nocte liberandi erant ex Aegyto. Nominatim vero Deus se iudicem fore pronunciat adversus falsos deos: quia tunc maxime apparuit quam nihil esset in ipsis auxilii, et quam vanus fallaxque esset eorum cultus. Frigidum enim et coactum quod nugantur quidam Rabbini, idola fuisse prostrata: quia solo redemptionis miraculo satis magnifice omnes superstitiones deiectae sunt, et quidquid de idolis creditum fuerat, stultitiae et vanitatis damnatum est. Ideo affirmat Deus se non tantum illius gentis, sed deorum quoque fore victorem. Forte ad hunc locum allusit Isaias 19, 1, quum diceret: Ecce, ascendet Iehova super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur idola a facie eius: quia scilicet, quoties populi sui apparuit servator, gloriam suam contra omnes impios et vitiosos cultus asseruit.

14. *Et erit dies iste vobis.* Hoc de annua celebratione dicitur, quae tam monumentum fuit exitus quam symbolum futurae liberationis. Quod autem vocatur ritus vel edictum saeculi, hac voce notari perpetuitatem fateor, sed quae tantum usque ad renovationem vigere debuit: quae ratio tam in circumcisione quam in toto legali cultu valere debet, qui etsi Christi adventu quoad usum abolitus fuit, tunc demum veram soliditatem obtinuit. Quare mutatio qua differimus a populo veteri, nihil ex hoc perpetuo statuto detrahit: sicuti nec foedus novum, quod ad substantiam interitus est veteris, sed quod ad formam duntaxat. Paulo post ubi dicit: Tantum quod comedetur, hoc solum fiet a vobis, sensus est, ab omni opere cessandum esse, nisi ut cibum illius diei sibi parent. Quae exceptio diserte fuit posita, ne sibi permitterent in aliis negotiis sacras ferias violare.

EX EODEM CAPITE.

24. *Observabitis itaque rem istam*[1]), *in statutum tibi et filiis tuis usque in saeculum.* 25. *Et erit quum intraveritis terram quam dabit Iehova vobis, ut pollicitus est, tunc observabitis hunc cultum.* 26. *Erit autem quum dixerint vobis filii vestri: Quis est cultus iste vobis?* 27. *Tunc dicetis: Est sacrificium Pesah Iehovae, qui transiliit domos filiorum Israel in Aegypto quando percussit Aegyptios, et domos nostras eruit.*

EX EODEM CAPITE.

43. *Et dixit Iehova ad Mosen et Aharon, Statutum Pesah: Nullus alienigena comedet ex eo.* 44. *Sed omnis servus viri pecunia emptus, postquam ipsum circumcideris, comedet ex eo.* 45. *Advena et mercenarius non comedet ex eo.* 46. *In eadem domo comedetur: non efferes extra domum foras e carne, et os non confringetis ex eo.* 47. *Universus coetus Israel facient*[2]) *ipsum.* 48. *Quod si inquilinus apud te peregrinetur, ut faciat Pesah Iehovae, circumcidetur ei omnis masculus, et tunc accedet ad faciendum illud, eritque sicut indigena terrae: nullus autem incircumcisus vescatur ex eo.* 49. *Lex una erit indigenae et peregrino, qui peregrinatur in medio vestri.*

24. *Observabitis itaque.* Iterum repetit prae-

1) *In margine:* vel, verbum istud.
2) *In margine:* id est, mactabunt.

ceptum de annua observatione, et diserte exprimit, quum ingressi fuerint terram, quotannis hoc ritu celebrandam esse memoriam liberationis. Addit autem quod prius non attigerat, ut filios quoque suos doceant: sine quo adminiculo spectaculum fuisset frigidum et inutile. Doctrina enim merito anima sacramentorum dici potest, qua remota nullus superest vigor, tantum abest ut nos vivificent. Ergo ne Pesah mortua esset actio, Deus hoc loco mutam esse vetat. His autem verbis, Quum interrogaverit te filius tuus, non intelligit Moses exspectandum esse dum ultro inquirant filii patrumque studium praeveniant: sed tantum aetatem designat discendo idoneam. Quanquam oblique simul pueros, ubi per aetatem cognoscere poterunt quid pascha significet, ad docilitatem hortatur, et diligenter sciscitari iubet de caeremoniae usu: ut ita religio per manus propagata semper in populo vigeat. Iam quum agnus paschalis respondeat sacrae coenae, colligere hinc licet, non alios rite ad eam percipiendam admitti nisi qui doctrinae sunt capaces.

43. *Statutum Pesah. Nullus alienigena.* Quia pascha sacrum erat vinculum quo Deus electum populum sibi tenere devinctum volebat, omnes exteros ab eius participatione arcet: quia promiscua vescendi libertas indigna fuisset profanatio. Et certe quum appendix sit primi praecepti, ad eos tantum pertinet ad quos dirigitur legis praefatio, Israel, Iehova Deus tuus, Deus unus est. Scimus apud gentes nullum ad sacra fuisse admissum nisi qui esset initiatus. Fuit illa praepostera imitatio veri et legitimi ordinis: quia in solam Dei institutionem competit haec ratio, ne testimonia gratiae quibus suam ecclesiam solam dignatur, alieni promiscue usurpent. Adde quod paschati adiuncta fuit puri et genuini cultus professio, quae exteris communis non erat. Circumcisio enim tunc fuit instar maceriae, quae profanas gentes a sancto genere Abrahae discerneret. Ergo si quis cum electo populo pascha celebrare vellet, circumcidi oportuit, ut se vero Deo addiceret. Neque enim signum externum duntaxat spectavit Deus, sed finem, ut sincerae pietatis studium promitterent qui circumcidebantur. Primo igitur excludit Moses omnes extraneos, nempe qui ob praeputium immundi erant. Deinde exceptiones duas addit, nempe ut servi pecunia empti circumcidantur (quod necessitatis fuit) liberi autem et sui iuris homines, si velint eundem amplecti cultum, recipiantur ipsi quoque ad pascha. Unde apparet, non modo peculiarem Dei populo fuisse hunc ritum, sed futurae liberationis symbolum fuisse. Neque enim testari poterant alienigenae se consortes fuisse illius redemptionis quae tantum generi Abrahae promissa fuerat: ideoque vana et inutilis fuisset apud eos sacri epuli pompa. Nec vero turbam illam solum designat Moses quae ex Aegypto sequuta fuerat Israelitas, sed legem de omnibus exteris praescribit, qui postea multis saeculis, negotiandi causa venturi erant in terram. Non dubium igitur quin Pesah celebrando aliam redemptionem speraverint: quando ad ipsos non extendebatur quae iam olim exhibita fuerat filiis Abrahae. Neque enim ex quo coeperant censeri in populo, terrae portio illis cadebat in sortem, nec potior eorum erat conditio quoad iura terrena: sed tantum ut ecclesiae membra essent. Porro ob coenae et paschatis analogiam hodie quoque durat huius legis vigor, ne quis pollutus vel impurus ad sacram coenam se ingerat, sed recipiantur soli fideles, postquam Christo nomen dederint. Quod etiam notatur his verbis: Eadem erit lex indigenae et extranei: nempe ut sacramenti religio ab omnibus sancte colatur, atque ita pariter oblatam gratiam inter se communicent, et hac in parte aequalis sit omnium conditio, quae in terrae haereditate diversa erat.

46. *Et os non confringetis ex eo.* Cur os nullum frangi voluerit Deus, mihi incertum est: nisi ut hoc quoque signum esset festinationis: quia raro ad medullas accedunt convivae, nisi dum longius epulae protrahuntur. Nam quod tradunt quidam non imminui Christi virtutem (quae per ossa designatur) dum vescimur eius carne, vereor ne sit nimis argutum. Prius autem illud quod attigi, ut simplicius est, ita non male quadrat: quum in procinctu stantes raptim comederent, iussos fuisse ossa comburere, ad rumpendam omnem moram. Quod autem de agno praeceperat Deus, voluit in filio suo unigenito palam impleri: ut veritas typo suo, et substantia umbrae respondens, ostenderet non alio quam Christi sanguine reconciliari Deum populo suo. Unde iterum patet veteres sub lege in agno paschali de futura redemptione fuisse edoctos: quia non recte alioqui accommodaretur ad Christum hic locus: quem dum evangelista citat (Ioann. 19, 33), pro confesso sumit typice fuisse tunc ostensum quod Deus per filium suum volebat praestare, unde factum est ut nota visibili insignitus fuerit, quae probaret ipsum esse verum pascha. Porro ne ullum os in Christo frangeretur, admirabili Dei providentia factum est. Decretum erat militibus ossium fractione mortem Christi accelerare non minus quam latronum. In latronibus exsequuntur suum consilium: ne idem in Christo tentent, divinitus retentos esse certum est, ut ossium integritas quoddam esset proximae redemptionis praesagium.

EX EXODI XIII.

3. *Tunc dixit Moses ad populum: Memento diei huius quo egressi estis ex Aegypto, e domo servorum: quia in fortitudine manus eduxit vos hinc Iehova:*

neque comedatur fermentatum. 4. *Hodie vos egredimini mense Abib.* 5. *Quum te introduxerit Iehova in terram Chananaei, Hittaei, Amorrhaei, et Hivaei, et Iebusaei, de qua iuravit patribus tuis se daturum tibi, terram fluentem lacte et melle, tum coles cultum istum in mense isto.* 6. *Septem diebus comedes infermentata, die autem septimo solennitas erit Iehovae.* 7. *Infermentata comedentur septem diebus: nec conspicietur apud te fermentatum, neque apparebit apud te fermentum in universo termino tuo.* 8. *Annunciabisque filio tuo eo die, dicendo: Propter hoc quod fecit*[1] *Iehova mihi quum exirem Aegypto.* 9. *Et erit tibi in signum super manum tuam, et in memoriale inter oculos tuos, ut sit lex Iehovae in ore tuo, quia in manu forti eduxit te Iehova ex Aegypto.* 10. *Observabisque statutum hoc in tempore suo quotannis.*

3. *Tunc dixit Moses ad populum: Memento.* Repetit quod de azymis prolixe dixerat capite proximo, non tam docendi quam hortandi causa. Nam rem ipsam satis dilucide tradiderat, ut non alia explicatione opus esset, sed stimulos addere utile fuit, quo maiore studio ad praestandum officium incumberent, maxime vero ne longiore temporis tractu (ut fieri solet) paulatim frigesceret studium. Hortatur ergo ut quod ante mandavit, diligenter observent postquam venerint in terram. Atque ex hac connexione patet, in eundem finem tendere utrumque praeceptum, de offerendis primogenitis, et Pesah celebrando, ut liberatio populum electum contineat in speciali veri Dei cultu.

4. *Hodie vos egredimini.* Comparat diem exitus cum toto tempore habitationis in terra Chanaan: ac si diceret, non redimi ut subita tantum laetitia fruantur, sed ut omnibus saeculis beneficii sint memores. Amplitudinem vero terrae et ubertatem rursus commendat ob duas maxime causas. Prior est, ne post insignes victorias superbia occupet eorum animos, et in affluentia bonorum pinguedo eorum oculos hebetet: deinde ut ipsa bonorum magnitudine magis ad gratitudinis officia et Dei cultum animentur. Poterant enim tot gentium victores et tam opimae lataeque terrae domini insolescere, ut ad Deum colendum minus essent attenti: nisi admoniti fuissent, debere se hoc tantum uni Deo, quod multis populis victis, illorum ditione potiti essent. Caeterum ostendit Moses, quo maior fuerit erga ipsos Dei liberalitas, eo minus fore excusabiles, nisi totis viribus studeant gratos se praestare. Hoc consilio repetit gentium nomina, quibus profligatis futuri erant terrae haeredes, deinde addit terram fluentem lacte et melle, ut larga rerum copia, quae versabitur ante oculos, ad pietatem magis ac magis eos incitet. Qui mensem Abib tantundem valere putant atque Ab, qui Iulio nostro respondet, longe falluntur. Constat enim mense Nisan circa aequinoctium vernum egressos fuisse Israelitas ex Aegypto: cuius rei minime dubium est testimonium paschatis observatio, per manus a patribus tradità. Iam quum Hebraei omnia mensium nomina, quae illis post duo millia annorum in usu fuerunt, a Chaldaeis mutuati sint, absurdum esset Abib hoc loco tanquam proprium accipere, praesertim quum in scriptura nullum reperiatur proprium nomen. Quando autem appellative hoc nomen positum esse ratio demonstrat, videndum cur tribuatur Martio vel initio Aprilis. Qui Abib vertunt fruges maturescentes, nihil habent rationis, quum simpliciter nomen hoc significet, quidquid adolescit. Unde et ad culmos segetis transfertur. Quum igitur in calidis illis regionibus aequinoctio verno assurgant segetes, ab effectu mensis Nisan vocatur culmorum. Probabilis etiam coniectura est (ut ante diximus) mutari anni exordium, quo illustrior esset ecclesiae nativitas: ac si tunc renovatus esset mundus. Quod putant quidam, eodem mense Noe egressum esse ex arca, ut verna temperies ipsum cum aliis animantibus renascentem exciperet, in medio relinquo, ut dixi cap. 8 in Genesin. Si tamen recipitur illa sententia, prolepsis erit in numero mensium: quae tamen absurda non erit: quia utile fuit populum assuefieri ad ritus legales. Sed de rebus incertis non contendo.

8. *Annunciabisque filio tuo eo die, dicendo.* Repetit etiam quod ante vidimus, patribus iniungi docendi partes, ut cultum Dei ad posteros transmittant. Proximo capite dictum fuit: Quum interrogaverint te filii, etc. nunc brevius iubet praedicari Dei beneficium, quamvis nemo interroget: quia ultro ad liberos in timore Dei educandos propensi esse debent parentes. Repetit etiam quod ante vidimus, renovandam quotannis liberationis memoriam ne unquam effluat, ut facile negligitur pietas nisi assidue in eius studio exerceantur homines. Similitudine autem utitur, quum dicit fore in signum super manum, et memoriale inter oculos. Ac si diceret non secus eorum oculis proponi redemptionem in paschate, quam annulus qui in digito gestatur subinde conspicitur, vel ornamentum quod in fronte ligatur. Qua etiam ratione prius voluit tam in capite quam in manibus et vestium fimbriis describi legis praecepta. Summa est, in Pesah debere monumentum exstare gratiae Dei, ut nunquam obrepat oblivio: sicuti ornamenta quae in fronte et digitis apparent, continuo sui aspectu mentes expergefaciunt. Quanquam si quis magis probet Mosen ad eos alludere qui tarditatis suae conscii, subsidia memoriae sibi conficiunt, non repugno. Quasi diceret quoniam obliviosi sint, utendum esse hoc remedio, quod eos ad gratitudinem sollicitet. Idem

1) *In margine:* vel, Propterea quod hoc fecit.

paulo post repetet in primogenitis offerendis. Quod autem mox sequitur, apertius confirmat pascha ad primum mandatum spectare, nempe ut lex Dei sit in ore ipsorum. Quibus verbis significat, non sufficere externo ritu defungi nisi ad finem suum referatur: nempe ut Deo eiusque doctrinae se addicant. Porro oris meminit, non quod praecipuum hoc sit, disserere aut loqui de lege, (quia si in lingua esset pietas, optimi Dei cultores essent hypocritae) sed diserte flagitat, ubi quisque studium suum privatim contulerit ad discendam legem, ut alii quoque alios mutuo doceant atque hortentur.

EX DEUT. XVI.

3. *Non comedes cum illo fermentatum: septem diebus comedes cum illo infermentata, panem afflictionis: quia festinanter egressus es e terra Aegypti: ut memineris diei quo egressus es e terra Aegypti, omnibus diebus vitae tuae.* 4. *Neque conspicietur apud te fermentum in omni termino tuo septem diebus: neque pernoctabit de carnibus quas sacrificabis in vespera die primo usque mane.*

EX EXODI XXIII.

18. *Non immolabis cum fermento sanguinem victimae meae: neque pernoctabit adeps agni mei usque mane.*

EX EXODI XXXIV.

25. *Non immolabis cum fermento sanguinem sacrificii mei: neque pernoctabit usque mane sacrificium solennitatis Pesah.*

Deut. c. 16, 3. *Non comedes cum illo fermentatum.* Quia hoc symbolo admonebantur se ex praesenti incendio trepide elapsos esse: ideo toties inculcat Moses prohibitionem fermenti. Atque haec ratio nunc exprimitur, ut in memoriam revocetur afflictio, ex qua erepti fuerant. Nam quum ne ad panem quidem coquendum suppeteret tempus, summis angustiis fuisse coarctatos oportet. Panis ergo azymus vocatur afflictionis, ut modus liberationis magis illustret Dei gratiam. Repetit quod ante vidimus, ne quid in diem proximum maneat residuum ex carne agni. In priore loco Exodi quia generaliter loquitur Moses, primo intuitu praeceptum referri posset ad iuge sacrificium. Verum alter locus dubitationem tollit, ubi diserte exprimitur pascha. Adipem vero poni uno in loco pro tota carne et qualibet parte agni, mirum non est: sive per synecdochen id fiat, sive Deus praecipuam sanctitatem in adipe commendet, ex quo non licebat vesci, et qui exurebatur in omnibus sacrificiis.

EX NUMER. IX.

1. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen in deserto Sinai, anno secundo quo egressi sunt e terra Aegypti, mense primo, dicendo:* 2. *Facient filii Israel Pesah in tempore suo.* 3. *Decimo quarto die mensis huius inter duas vesperas facietis illud tempore suo: secundum omnes ritus suos, et iuxta omnes caeremonias suas facietis illud.* 4. *Alloquutus est itaque Moses filios Israel ut facerent Pesah.* 5. *Feceruntque Pesah in primo mense, decimo quarto die eiusdem inter duas vesperas in deserto Sinai: secundum omnia quae praeceperat Iehova Mosi, sic fecerunt filii Israel.* 6. *Fuerunt autem quidam immundi super anima hominis, qui non potuerunt facere Pesah die ipso: tunc accesserunt coram Mose et coram Aharon ipso die.* 7. *Dixeruntque homines illi ad eum: Nos immundi sumus super anima hominis, ut quid prohibemur ne offeramus oblationem Iehovae tempore suo in medio filiorum Israel?* 8. *Et dixit ad eos Moses: State, et audiam quid praecipiat Iehova pro vobis.* 9. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen, dicendo:* 10. *Alloquere filios Israel, dicendo: Quicunque fuerit immundus super anima, aut fuerit in via remota, ex vobis, vel ex generationibus vestris, faciet Pesah Iehovae.* 11. *Mense secundo, decimo quarto die inter duas vesperas facient illud: cum infermentatis et herbis amaris comedent illud.* 12. *Non relinquent* quidquam *ex eo usque mane, neque os confringent in eo: secundum omnes ritus Pesah facient illud.* 13. *Vir autem qui est mundus, aut in via non fuerit, et cessaverit facere Pesah, excidetur anima illa e populis suis, quia oblationem Iehovae non obtulit tempore suo, peccatum suum portabit vir ille.* 14. *Si vero habitaverit apud vos peregrinus, et fecerit Pesah Iehovae, iuxta ritum Pesah, et iuxta caeremonias eius sic faciet: ritus unus erit vobis, tam peregrino quam indigenae terrae.*

Numer. 9, 1. *Loquutus est autem Iehova.* Quod Deus ante annum elapsum populo in memoriam reducit celebrationem paschatis, quanta fuerit populi incuria inde colligitur, quae etiam ingratitudinem prodit. Quid enim facturi erant post annos quinquaginta, quum periculum fuerit ne oblivio illis tam exiguo tempore obreperet? Nam si ultro ad officium seduli fuissent, supervacuum erat iterum repetere quod tam severe additis minis iniunctum fuerat.

Nunc vero admonet Deus, anno ad finem vergente, instare diem quem paschati praefixerat, quo certius discerent Israelitae, quotannis recurrere solenne istud sacrificium, atque ita nefas esse intermitti. Deinde iubet diligenter servari omnes caeremonias, ne quo extraneo fermento puram institutionem corrumpant. Tandem laudatur eorum obedientia, quod nihil Dei mandato addiderint, vel inde quidquam omiserint.

6. *Fuerunt autem quidam.* Hic per occasionem inseritur quaestio, si quos impediat subita immunditiès ne pascha simul cum aliis celebrent, quid factu opus sit: quum e populo suo expungat Deus quicunque non coluerint eam redemptionis suae memoriam. Etsi autem hic attingitur historia, quia tamen praecipuas partes obtinet doctrina quae ad puram iustamque paschatis observationem pertinet, imo locus hic quasi appendix est generalis praecepti, in eundem contextum referre visum est. Dicit Moses quosdam repertos fuisse immundos super anima hominis, nempe quia vel cadaver attigerant, vel ingressi fuerant domum funestam, vel interfuerant mortui hominis exsequiis: tales enim lex pollutos censebat, ut alibi videbitur. Hinc species repugnantiae: quia nec immundis licebat ad sacrum epulum accedere, et omittere tale pietatis exercitium nefas erat. Et Moses confessus est se hac in re perplexum esse, quum tempus ad Deum consulendum petiit. In quo perspicitur singularis prophetae modestia, quod de re dubia pronunciare ausus non est, quamvis fuisset legislator. Sed hoc modo clarius ostendit se minime ex proprio sensu legem tulisse, cuius ne interpres quidem esse auderet, nisi accepto novo mandato. Ergo Deus speciali exceptione posita, ἀντινομίαν tollit. Nam quos iusta necessitas excusabat, iis assignat secundum mensem, ut paschatis sint ipsi quoque participes, nec tamen diem suo arbitrio mutent. Hoc privilegio non tantum immundos sublevat, sed qui procul remoti erant ab hominum contubernio de quibus eadem moveri poterat quaestio. Neque enim consentaneum fuisset aliquem seorsum pascha edere: imo, si minor erat familia, accersebantur vicini, ut ad totum agnum edendum numerus sufficeret. Peregrinus ergo aut viator, si procul a suis abesset, opus habebat remedio ne in poenam incideret. Porro tenendum est hoc non dari contemptoribus, neque hac indulgentia foveri profanam incuriam, sed tantum consuli eorum necessitati qui immunditiem errore contraxerant, vel non potuerant effugere, vel qui praeter spem in itinere deprehensi fuerant. Dicuntur enim ultro conquesti fuisse apud Mosen qui propter immunditiem privati fuerat agni paschalis esu. Unde colligitur pia eorum sollicitudo. Talibus ergo permittitur alterum pascha: ut secundo mense recuperent quod absque sua culpa perdiderant. Interea severe mandatur ne quid mutent in toto ritu. Et hac causa iterum repetitur quod ante visum fuit, ut cum herbis amaris comedant, ne os confringant, et similia. Sed ne longius extenderetur libertas, rursus poena edicitur si quispiam, exceptis duabus his causis, pascha facere neglexerit. Scimus enim, nisi coerceantur homines, nimium sibi licentiae concedere ad captandos hinc inde praetextus. Clarius autem hic exprimitur quam antea, agnum paschalem fuisse victimam. Sic enim dicitur versu 7: Cur prohibebimur ne offeramus oblationem? Et v. 13: Quia oblationem Iehovae non obtulit. Quod ideo admoneo, quia existimant quidam sic occisum fuisse agnum paschalem ut non esset sacrificii immolatio: quum tamen distincte Paulus doceat victimam illic fuisse oblatam, et deinde annexum epulum. Sic enim sonant eius verba, Christus pascha nostrum immolatus est, itaque epulemur. In nomine animae, quoties pro corpore exanimi capitur, antiphrasin esse existimo linguae hebraicae satis frequentem.

APPENDIX ALTERA DE PRIMOGENITIS CONSECRANDIS. EX EXODI XIII.

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Sanctifica mihi primogenitum: quidquid aperit vulvam in filiis Israel, tam in hominibus quam in iumentis, meum est.*

EX EODEM CAPITE.

11. *Quumque introduxerit te Iehova in terram Chananaeorum, quemadmodum iuravit tibi et patribus tuis, et dederit eam tibi.* 12. *Tunc transferes omnem apertionem vulvae ad Iehovam: omnem apertionem* [1]) *emissionem iumenti quod tuum erit: mascula, Iehovae erunt.* 13. *Omne autem primogenitum asini redimes hoedo: quod si non redemeris, cervicem franges ei: omne quoque primogenitum hominis in filiis tuis redimes.* 14. *Quum autem interrogaverit te filius tuus cras, dicendo: Quid hoc? Tum dices ad eum, in fortitudine manus eduxit nos Iehova ex Aegypto e domo servorum.* 15. *Et fuit quum indurasset se Pharao quominus dimitteret nos, occidit Iehova omne primogenitum in terra Aegypti, a primogenito hominis usque ad primogenitum animalis: idcirco ego sacrifico Iehovae omnem apertionem vulvae sexus masculini, omne autem primogenitum filiorum meorum redimo.* 16. *Et erit in signum super manum tuam, et in*

1) *In margine:* vel foetum, vel primogenitum.

frontalia inter oculos tuos: quia in fortitudine manus eduxit nos Dominus ex Aegypto.

EX EXODI XXII.

29 [1]). *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.* 30. *Sic facies de bove tuo, et de pecude tua: septem diebus erit cum matre sua, die autem octavo dabis eum mihi.*

EX EXODI XXXIV.

19. *Quidquid aperit vulvam, meum est, et omne pecus tuum quod memorabitur inter primogenita boum et ovium.* 20. *At primogenitum asini redimes ove: quod si non redemeris, tunc cervicem praecides illi: omne primogenitum filiorum redimes.*

EX LEVIT. XXVII.

26. *Verumtamen primogenitum quod iure primogeniturae debetur Iehovae inter animalia, nemo consecrabit: sive bos, sive ovis, Iehovae est.*

EX DEUT. XV.

19. *Omne primogenitum quod nascetur in armento, aut in grege tuo, masculum sanctificabis Iehovae Deo tuo: non uteris opera primogeniti bovis tui, neque tondebis primogenita gregis tui.* 20. *Coram Iehova Deo tuo comedes eum annuatim in loco quem elegerit Iehova, tu et familia tua.*

Exodi 13, 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Hoc quoque ad primum praeceptum respicit: quod Deus sibi ius in primogenitis vendicat, ne unquam intercidat redemptionis memoria. Sic enim admoniti fuerunt Israelitae colendum sibi esse Deum illum cuius gratia salvi evaserant a communi Aegypti clade: deinde singulari privilegio se ideo fuisse ereptos ut se liberatori Deo consecrarent. Nam oblatio quam hic flagitat, nota fuit separationis inter ipsos et profanas gentes. Primus foetus vocatur apertio vulvae, quia principium est generationis. Quod autem dicitur: In filiis Israel, quum sermo fiat tam de brutis animalibus quam de progenie et liberis, hac nota feras bestias a iumentis aliisque cicuribus ac domesticis animalibus discernit. Etsi autem primogenitos in genere Abrahae sibi offerri iubet, non dubium tamen est quin hoc ad totius populi sanctificationem extendi debeat. Primogenita autem dicit sua esse, quia eorum praecipue salutem debebant eius misericordiae acceptam ferre: sed eadem ratione significat omnes esse suos.

11. *Quumque introduxerit te.* Prosequitur quod initio capitis attingere coeperat, de consecrandis primogenitis, ut hoc modo testentur singulari Dei beneficio se esse salvos, quando primogenitis Aegyptios orbavit. Animalia autem sibi adduci iubet ut scilicet mactentur in tabernaculo: trita figura, qua olim dicebantur fideles se et sua dona in conspectum Dei sistere, quum ad tabernaculum accederent. Quod Exodi 22. iubentur alere septem diebus primogenita, positum esse interpretor ut obviam fraudibus eatur: quia si foetus teneriores avulsi ab uberibus matrum statim fuissent traditi sacerdotibus, inutilis fuisset oblatio. Quanquam non dubito diem octavum fuisse electum, quia circumcisioni praescriptus erat. Additur exceptio, ut pro asino pretium solvatur, cuius immunda fuisset oblatio. Quantum ad liberos eorum attinet, ipsos quoque redimi oportuit: quia nec poterant offerri in sacrificium, nec fieri sacerdotes.

Exodi 34, 19. *Quidquid aperit vulvam meum est.* Definit hoc loco qualis debeat esse oblatio, nempe ut tam liberos suos quam immunda animalia pretio redimant: quod autem in sacrificium offerri potest, id adducant ad tabernaculum. Porro homines sibi Deus consecrari noluit, quia tribum leviticam elegerat, ut alibi videbimus. Liberi ergo et sui iuris manebant masculi compensatione pecuniae. Immunda vero animalia eodem modo accommodari poterant in usum domesticum, nempe postquam Deo, cuius erant propria, et qui ea sibi vendicabat, solutum fuerat pretium. Si quis tamen non tanti aestimaret asinum, vel aliud immundum animal caput abscindi lex iussit, quia alioqui sacrilegium fuisset utilitatem percipere ex Dei peculio, vel (quod idem est) aptare in privatum usum quod Deus sibi adiudicaverat.

Levit. 27, 26. *Verumtamen primogenitum.* Hic interponitur una cautio, ne quis offerat quod iam est in ipsius Dei mancipio. Nam quia homines ut plurimum ad ostentationem propensi sunt, ac proinde in testanda pietate una fidelia dealbant duos parietes (ut est in proverbio), huic vitio occurrit Deus, primogenita sibi offerri vetans, quia id erat offerre ex rapina. Summa est, ne consecrando quod iam Deo debetur, ficta liberalitate alienum et sacrum furentur. Nec miremur hanc legem fuisse latam: quia omnibus fere ingenita est haec ambitio, ut inani donationis specie Deum obstringere cu-

1) Hebr. 28, 29.

piant: ideoque sibi accersant diversos titulos ad iactanda pietatis officia quae nulla sunt. Et certe nisi Iudaeis iniectum fuisset fraenum, zeli duplicis famam captassent ex fallaci oblatione, nec illis religio fuisset, dicandi praetextu eripere Deo quod ipsius erat.

Deut. 15, 19. *Omne primogenitum.* Adiungitur altera cautio, ne quem fructum percipiant ex primogenitis. Poterant enim bovis opera vel ad arandum, vel ad vecturas uti: poterant etiam agnos tondere, et postea animal deterius adducere ad tabernaculum. Iubet ergo Deus sibi bona fide et in solidum persolvi quod debetur. Quod si ex malis moribus natae sunt bonae leges: hinc apparet quam audaci cupiditate semper rapti fuerint homines ad impium lucrum: quum expresso edicto prohiberi necesse fuerit ne ex Dei iactura ditescere appeterent. Quare si acuti et sagaces sint alii ad alios circumveniendos, nihil mirum, quando minime dubitant malis artibus cum Deo ludere.

APPENDIX ALIA DE CENSU SOLVENDO. EX EXODI XXX.

11. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 12. *Subduces summam filiorum Israel, prout numerati fuerint inter eos: dabunt singuli redemptionem animae suae Iehovae quum numeraveris eos, et non erit in eis plaga quum numeraveris eos.* 13. *Hoc dabunt quisque transiens inter numeratos, dimidium sicli secundum siclum sanctuarii. Viginti obolorum est siclus, dimidium sicli erit oblatio Iehovae.* 14. *Dives non augebit, et pauper non diminuet ex dimidio siclo, dando oblationem Iehovae ad expiandas animas vestras.* 15. *Accipiesque pecuniam expiationum a filiis Israel, et dabis eam in opus tabernaculi testimonii: eritque filiis Israel in memoriale coram Iehova, ad expiandas animas vestras.*

12. *Subduces summam filiorum Israel.* Tributum quod hic in peragendo censu populi exigit Deus, optima ratione annectitur primo praecepto. Nam Deus tributarios sibi faciens, suae ditionis ac imperii esse ostendit, et quia sibi eos acquisiverat, pendi sibi voluit illud agnitionis voluntarium munus. Principes in subditis numerandis recensent vires suas: Deus autem, qui hominum opera et auxilio non indiget, voluit Israelitas saltem aliquo symbolo testari se degere sub eius manu a quo redempti erant. Itaque quum David populum recensuit (2. Sam. 24, 2), haec fuit quaedam populi emancipatio a Dei subiectione: ideoque haec sive superbia, sive temeritas, sive ingratitudo tam severe punita fuit. Porro quia censeri populum et utile et rectum fuit, addita exceptione id permittitur, ut pretium redemptionis in singula capita solvendo, Deum unicum regem agnoscant. Quod alii placationem vel expiationem non male vertunt, quia dum se fatebantur Deo vitam debere, hoc gratitudinis testimonio illis erat propitius. Quanquam posset a tegendo deduci: quia cum ultro se Deo subiicerent, et confugerent sub umbram alarum eius, hoc integumento muniti erant ac tuti. Ideo paulo post dicitur munus hoc offerri Deo, ad propitiandum super animabus. Et hoc aliis verbis exprimitur. Ne contingat plaga, aut clades: quia in sola Dei protectione sita erat eorum salus, ne quibuslibet malis obnoxii essent. Et quum Pharaonis servi essent, non fuisset legitima eorum libertas nisi Deo autore et vindice. Quare ne poena tanquam servis fugitivis infligeretur, aequum fuit salutem solemni ritu ipsos Deo adscribere. Parem vero summam omnibus indixit, ut singuli, cuiuscunque essent ordinis, a minimo usque ad maximum, scirent se totos illius esse. Nec mirum est, quum hoc esset ius personale, (ut vulgo loquuntur), facultates non venisse in rationem, ut plus conferret dives quam pauper, sed idem pro singulis capitibus pretium solveretur. Valebat autem siclus sanctuarii tetradachma Atticum quod Budaeus aestimat quatuordecim solidis gallicis, vel circiter. Nam didrachma septem facit solidos, sicuti drachma simplex duos et sesquialterum, minus denariolo turonico. Illud est didrachma cuius mentio fit apud Matthaeum 17, 24. Nam quum subacti a Romanis essent Iudaei, probabile est, quo magis contumeliosa esset servitus, hoc ius tributi ad victores translatum esse. Nam haec oblatio divinitus praescripta, quum liberationis esset symbolum Iudaeos ab omni profano imperio eximebat, tanquam liberos, vel uni Deo addictos. Sed quia Dei iugum sua pervicacia excusserant, se iure suo exspoliari sponte passus est Deus ut alienae tyrannidi eos subiiceret. Idque contigit sub Christi adventum, ut eius desiderium in eorum animis nova et insolita oppressio magis accenderet. Quantisper autem ex legis mandato census hic solutus est, admoniti fuerunt Iudaei se populum esse Deo sacrum.

EX NUMER. VI [1]).

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Alloquere filios Israel, et dic eis: Vir aut mulier quum separaverit se vovendo votum Nazaraei, ad se-*

1) *Abhinc in latinis exemplaribus nullae amplius rubricae Appendicibus praefiguntur. Gallicum vero hic et deinceps easdem adscribit ut antea:* Autre dependence du voeu des Nazariens.

parandum se Iehovae: 3. *A vino et sicera separabit se, acetum vini, et acetum sicerae non bibet, neque ullum liquorem uvarum bibet, nec uvas recentes et siccas comedet.* 4. *Omnibus diebus separationis suae, ex omni quod conficitur ex vite vinifera, ab acinis usque ad corticem, non comedet.* 5. *Omnibus diebus voti separationis suae novacula non transibit super caput eius, donec impleti fuerint dies quibus separabit se Iehovae, sanctus erit, crescere sinet caesariem capitis sui.* 6. *Omnibus diebus quibus separabit se Iehovae, ad animam mortui non ingredietur.* 7. *Super patre suo aut super matre sua, super fratre suo aut super sorore sua, non polluet sese illis quum mortui fuerint: quia consecratio Dei sui est super caput eius.* 8. *Omnibus diebus separationis suae sanctus erit Iehovae.* 9. *Si autem mortuus fuerit mortuus iuxta eum statim mox, et polluerit caput separationis eius: radet caput suum die purificationis suae, die septimo radet illud.* 10. *Die autem octavo afferet duos turtures, vel duos pullos columbae ad sacerdotem, ad ostium tabernaculi conventionis.* 11. *Et faciet sacerdos unum pro peccato, et alterum in holocaustum: expiabitque illum de eo quod peccavit super cadavere, et sanctificabit caput eius die illa.* 12. *Et separabit Iehovae dies separationis suae, afferetque agnum anniculum pro delicto: et dies priores erunt irriti, quoniam polluta fuit separatio eius.* 13. *Haec autem est lex* Nazaraei, *die quo completi fuerint dies separationis eius, conferet se ad ostium tabernaculi conventionis.* 14. *Offeretque oblationem suam Iehovae, agnum anniculum perfectum unum in holocaustum, et agnam unam anniculam perfectam in sacrificium pro peccato, et arietem unum perfectum in hostiam prosperitatum.* 15. *Canistrum praeterea* panum *infermentatorum, similam placentarum conspersarum oleo, et lagana infermentata uncta oleo, et minham eorum, et libamina eorum.* 16. *Et offeret* illa *sacerdos coram Iehova, facietque sacrificium pro peccato illius, et holocaustum illius.* 17. *Arietem quoque faciet sacrificium prosperitatum Iehovae, una cum canistro infermentatorum: faciet item sacerdos minham eius, et libamen eius.* 18. *Tum radet Nazaraeus ad ostium tabernaculi conventionis caput separationis suae, capietque caesariem capitis separationis suae, et ponet super ignem qui est subter sacrificium prosperitatum.* 19. *Capiet praeterea sacerdos armum coctum de ariete illo, et placentam infermentatam unam e canistro, et laganum infermentatum unum, et ponet super manus Nazaraei, postquam rasa fuerit separatio eius.* 20. *Et elevabit ea sacerdos elevatione coram Iehova: sanctitas est sacerdoti ultra pectusculum elevationis, et ultra armum exaltationis, et postea bibat Nazaraeus vinum.* 21. *Haec est lex Nazaraei qui voverit, et oblationis eius Iehovae pro separatione sua, praeter id quod attinget manus eius: secundum votum suum quod voverit, sic faciet secundum legem separationis suae.*

2. *Vir aut mulier quum separaverit.* Proxime Deus censum indixit in singula capita, quo Israelitae agnoscerent se esse eius libertos. Itaque ea professione omnes a minimo usque ad maximum sibi obstrinxit: nunc de arctiore obligationis vinculo disseritur. Si quis Deo ad tempus sponte se vovebat, eos vocarunt Nazaraeos: quod tantundem valet atque separatos, vel eximios, quia maior erat in illis dignitas et praestantia quam in communi plebe. Erant enim tanquam ecclesiae ornamenta, et Deus volebat in illis speciale gloriae suae decus fulgere. Dum itaque cum Israelitis expostulat Amos quod prophetas a docendi munere prohibuerint, et Nazaraeos corruperint potu vini, amplificandi criminis causa dicit singulari dote fuisse ornatos (Amos 2, 11): quum Deus ex eorum filiis Nazaraeos et prophetas creasset. Et Ieremias ubi deplorat ecclesiae cladem, in hac deformitate insistit, quod non appareant Nazaraei, ut olim, candidi instar nivis, etc. (Thr. 4, 7). Nec dubium est quin Iacob filium Ioseph titulo Nazaraei inter fratres suos insigniens (Gen. 49, 26), spiritu prophetico ad gradum honoris alluserit, quo postea sub lege excelluerunt qui se Deo separaverant, quasi ecclesiae lumina. Etsi ergo ad totum populum non pertinuit haec religio, merito tamen inter pietatis exercitia censeri debet: quia Nazaraei tanquam antesignani erant ad viam aliis monstrandam. Etsi autem non omnes trahebant ad suum exemplum, zeli tamen ipsorum ardor rudibus et infirmis non parum proderat, ut quisque pro suo modulo incitaretur. Porro quia fictitios omnes cultus abominatur Deus, licentiam hanc compescuit, claram et certam legem ferendo. Et ex testimonio Amos quod nuper citavi, colligitur non alium fuisse autorem Nazaraeatus quam Deum ipsum. Tenendum igitur est Nazaraeos fulsisse in populo Dei quasi pretiosas gemmas, et quamvis pauci eos imitarentur, fuisse tamen quasi signiferos et duces, qui studium colendi Dei in vulgo accenderent. Obiter vero notandum est Sampsonem diverso modo fuisse Nazaraeum: quia non ad tempus duntaxat votum suscepit, sed ab utero sanctificatus fuit in totam vitam, et segregatus ab aliorum numero: qua etiam in parte Christi fuit typus, et quasi personam gessit. Et certe quidquid hic docetur, ad unicum sanctitatis fontem referri debet: ac si Iudaeis Christi imago in speculo ante oculos posita fuisset. Nam quo quisque propius sub lege ad Deum accessit, in eo magis enituit Christus. Scimus totum legale sacerdotium nihil aliud fuisse quam eius effigiem. Similis in Nazaraeis ratio, quos puritas et abstinentia insigni privilegio ornavit.

3. *A vino et sicera.* Primum mandatum ut non solum abstineant a vino, sed ne uvas gustent, vel quidquam vinaceum. Simplex observatio erat, vinum aut siceram quae inebriat, non bibere: sed

quia perperam astuti sunt homines in quaerendis subterfugiis, species exprimere necesse fuit, in quibus fraus legi fieri poterat. Ita vini abstinentia non caruisset delitiis: sive uvis recentibus, sive passis se saturassent: sive aquam permiscuissent uvis, et inde expressissent liquorem: vel in aliis confectionibus delicatis aequassent vini suavitatem. Hinc vero apparet quam multiplices recessus et latebras habeat hominum hypocrisis, dum sine pudore excogitant crassos tergiversandi modos ad Deum quoque fallendum. Sed notandum simul est, tolerabilem coram Deo non esse eiusmodi vafritiem cui nihil aeque placet quam sinceritas. Videbimus etiam alibi, sacerdotes quum vicibus suis peragerent munus suum in templo, fuisse ab usu vini prohibitos. Haec similitudo ostendit quod iam dixi, Nazaraeos fuisse ita segregatos a vulgo, ut ad honorem sacerdotii accederent. Porro vini abstinentia non modo ad cavendam ebrietatem illis iniuncta fuit, sed ut victus esset restrictior et magis frugalis: cuius praecipuas lautitias scimus esse in potu vini. Itaque quicunque abstemii non sunt, contenti potius erunt mediocri et vulgari cibi copia quam privari vino sustineant. Colligere tamen ex hac doctrina licet, in victus temperantia sobrium vini usum primas partes tenere: ac in omni liguritione et gulae ingluvie hoc maxime esse damnabile: si quem nimis oblectet vini sapor, quo se ingurgitet. Itaque mirum est, quum monachi sub papatu perfectione angelica se venditent, omnes uno consensu refugere vini abstinentiam. Multis nefas est tota vita bubulam vel suillam carnem attingere: ac martyres se fore gloriantur si malint obstinate mori quam carnem edere, si ita necessitas postulet. Atqui in eorum continentia adeo nihil aequabile est ut haec in cibo austeritas plus illis licentiae in potu acquirat: ac si data opera se ulcisci vellent. Quare eorum iactantia nihil putidius, quum sola carnis abstinentia merum Dei sit ludibrium.

5. *Novacula non transibit.* Cur Deus voluerit Nazaraeos comam alere, certo definiri non potest: nisi ut praesenti consecrationis suae symbolo magis ac magis de voto servando commonefierent. Quidam putant insigne fuisse decoris, ac si coronam in capite gestarent. In quo plusquam ridiculi sunt clerici papales, qui in circulari rasurae forma Nazaraeis se comparant. Mihi vero sufficit illa ratio, quod Deus ad praestandam voti fidem visibili signo eos assidue exercuerit. Virile est tondere caput, idque, teste Paulo, dictat sensus naturae (1. Cor. 11, 6). Nazaraeis ergo in capite conspicua fuit sua sanctitas, ne per incuriam vel oblivionem delinquerent. De mulieribus quaestio est, quibus supervacuum videtur hoc praeceptum: quae tamen facile solvitur, ideo astrictas fuisse ad capillum fovendum, ut non tantum ex consuetudine, sed etiam ex voto comatae essent. Quanquam synecdoche nihil habebit absurdi, ut dicatur de utroque sexu quod tantum ad viros pertinet. Hic etiam diabolus olim ludos suos egit, quum monachos excitavit, (sicuti refert Augustinus [1]) qui prolixa coma sanctimoniam ostentarent. Nam quo speciosior esset caelibatus, cui nomen dederant, negabant se esse viros: quia se castraverant propter regnum coelorum. Ergo longior capillus erat virginitatis insigne. Haec exempla nos a Satanae imposturis cavere docent, ne κακοζηλία nos simias magis veterum quam imitatores faciat.

6. *Ad animam mortui.* Hoc etiam illis commune fuit cum summo sacerdote, ne parentes quidem mortuos lugere. Quanquam duo praecepit Moses, ne vel ingressu funestae domus, vel luctu se Nazaraei polluant. Officium quidem humanitatis erat sepelire mortuos, si qui tamen ex plebe mortuum attigerant, vel accesserant ad lectum aut feretrum, polluebantur. Plus autem a Nazaraeis Deus exigit, ne scilicet immunditiem contrahant: quia non satis fuit (ut paulo post iterum dicetur) communi more se purgare, sed oportuit ab omnibus inquinamentis esse procul remotos. Cur autem tactus cadaveris pollutio fuerit, suo loco fusius tractabitur. Nunc uno verbo tenendum est, quia in morte repraesentatur Dei maledictio peccati merces, admonitos fuisse Israelitas ut sibi caverent ab operibus mortuis. Luctus alia fuit ratio, ut qui specialem Dei cultum profitebantur, alios incitarent ad magnitudinem animi et constantiam. Dolere et flere, dum amicis orbamur, si vitiosum esset, non flevisset Christus ad sepulcrum Lazari (Ioh. 11, 35): sed quia moerori semper adiuncta est perturbatio, et in luctu homines ut plurimum ambitioni et pompae student, ac se ipsos ultro et data opera ad excessum provocant, ac si non eos iam natura plus aequo illuc raperet: moderationis exemplum dare non poterant Nazaraei, si lugentibus se miscuissent. Ergo sicuti lautitiae prius fraenatae sunt, ita nunc contrario morbo, nempe tristitiae, remedium adhibetur. Etsi autem modum sibi omnes statuere debent, Nazaraeis tamen praescribitur aliquid maius, ut tanquam soluti et exuti terrenis affectibus, reliquo populo antecellant: sicuti de sacerdote postea videbitur.

9. *Si autem mortuus.* Hic praecipitur quid opus sit factu si contigerit immunditiês quae nulla diligentia praecaveri potuit. Si domum funestam sciens et volens ingressus esset Nazaraeus, vel ad mortuum accessisset, non absque scelere violata fuisset religio: verum in morte repentina excusabilis erat error, quem tamen Deus expiari iubet. Quidquid enim temporis a voto praeterierat, pro nihilo ducit, nec

1) *In margine:* In libro de Opere monachorum.

vult in rationem venire. Haec non levis fuit poena, ut de integro votum solvere inciperet qui nullius culpae reus erat. Praeter temporis iacturam, sacrificium quoque adiicitur, quo se ad novam consecrationem praeparet qui pollutus fuit. Sed quia voluntaria erat consecratio, nemo de immodico rigore conqueri potuit, cui se ultro submiserat. Interea ostensum fuit quam pretiosa Deo esset cultus sui puritas. Duae pronuntur hebraicae voces ex diversis radicibus, quamvis sint affines eiusdem significationis: qua loquendi forma melius exprimere voluit Moses inopinatum mortis casum. Nam quod prius intelligunt quidam Iudaei de cruenta caede, alterum vero de subito interitu, puerile est meo iudicio.

13. *Haec est autem lex Nazaraei.* Nunc tandem docet Moses quomodo post completum voti tempus redire debeant Nazaraei ad communem vitam. Ac primo iubet se sistere ad ostium tabernaculi: deinde offerre illic agnum integrum in holocaustum, ovem in sacrificium pro peccato, et arietem in hostiam prosperitatum, cum placentis oleo conspersis, laganis, et panibus azymis, oblatione, et libaminibus. Quantum ad hostiam prosperitatum, quia erat gratiarum actio, non male quadrabat: neque etiam holocaustum: quia merito sibi gratulari poterant et celebrare Dei bonitatem qui perfuncti fuerant illo pietatis officio, quoniam eos dignatus fuerat Deus non vulgari honore. Sed quid sibi voluerit sacrificium pro peccato, quaestio est: neque enim puris et sanctis necessaria erat expiatio. Hic certe perspicimus, quamlibet alacriter et strenue conentur homines totos se offerre Deo, nunquam tamen attingere ad metam perfectionis, neque assequi quod student, quin semper obnoxii sint Dei iudicio, nisi eorum vitiis ignosceret. Unde apparet quam turpiter desipiant papistae: dum operibus supererogationis se Deum placare somniant. Nam si qua unquam supererogatio grata Deo fuit, sanctitas Nazaraeorum quae testimonium habuit a lege, hoc honore digna fuit. Deus tamen, completo voto, reatum fateri iubet: neque illum cultum loco meriti obtrudere patitur, sed sacrificium requirit: ut aliunde mutuentur quod ipsis deest qui videntur omnium perfectissimi.

EX DEUTER. XXVI [1]).

1. *Quum autem ingressus fueris terram quam Iehova Deus tuus dat tibi in haereditatem, et possederis eam, et habitaveris in ea:* 2. *Tunc accipies de primitiis omnium fructuum terrae, quas afferes e terra tua quam Iehova Deus tuus dat tibi, et pones in canistro: ibisque ad locum quem elegerit Iehova Deus tuus, ut illic habitare faciat nomen suum.* 3. *Et venies ad sacerdotem qui erit in diebus illis, dicesque illi: Annuncio hodie Iehovae Deo tuo quod ingressus sum terram quam iuravit Iehova patribus nostris se daturum nobis.* 4. *Capietque sacerdos canistrum e manu tua, et ponet illud coram altari Iehovae Dei tui.* 5. *Et loqueris, ac dices coram Iehova Deo tuo: Syrus* ille *inopia laborans pater meus descendit in Aegyptum, et peregrinatus est illic cum viris paucis, et evasit illic in gentem magnam, robustam et multam.* 6. *Molestia autem nos affecerunt Aegyptii, et afflixerunt nos, imposueruntque nobis servitutem duram.* 7. *Clamavimus itaque ad Iehovam Deum patrum nostrorum, et exaudivit Iehova vocem nostram, et aspexit afflictionem nostram, et laborem nostrum, et oppressionem nostram.* 8. *Et eduxit nos ex Aegypto cum manu forti, ac brachio extento, et terrore magno, et signis atque portentis.* 9. *Et introduxit nos ad locum istum, deditque nobis terram istam, terram fluentem lacte et melle.* 10. *Nunc igitur ecce, attuli primitias fructus terrae quam dedisti mihi o Iehova. Et relinques illud coram Iehova Deo tuo, atque adorabis coram Iehova Deo tuo.* 11. *Et laetaberis in omni bono quod dederit tibi Iehova Deus tuus et domui tuae, tu et Levita, et peregrinus qui est in medio tui.*

1) Autre dependence d'offrir les premices.

EX NUMER. XV.

17. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 18. *Alloquere filios Israel, et dicas eis: Quum ingressi fueritis terram ad quam ego introduco vos,* 19. *Tum fiet, quum incipietis comedere de pane terrae, offeretis oblationem Iehovae.* 20. *De primitiis conspersionum vestrarum placentam offeretis in oblationem: sicut oblationem areae, sic offeretis illam.* 21. *De primitiis conspersionum vestrarum dabitis Iehovae, oblationem per generationes vestras.*

EX EXODI XXII.

28. *Plenitudinem tuam et lacrymam tuam non differes.*

EX EXODI XXIII.

19. *Primitias frugum novarum terrae tuae adduces in domum Iehovae Dei tui.*

EX EXODI XXXIV.

26. *Principium primitivorum terrae tuae inferes in domum Iehovae Dei tui.*

Deut. 26, 1. *Quum ingressus fueris.* Eodem iure primitias frugum suarum solvere iussi sunt Israelitae, quo censum in singula capita, nempe ut se et sua omnia Dei esse profiterentur. Hoc tantum fuit discriminis, quod census symbolum manumissionis fuit: ut agnoscerent se esse liberos, quia singulari Dei beneficio redempti essent. Primitiis autem testati sunt vectigalem Deo terram esse, nec alio titulo se eius esse dominos quam precario, ut directum imperium et proprietas penes Deum unum maneret. Ergo huc tendebant primitiae, ut quotannis renovarent adoptionis suae memoriam: quod illis data esset peculiaris haereditas in terra Chanaan, in qua Deum pie sancteque colerent, simulque reputarent, non promiscuo gentium more divinitus se ali, sed instar filiorum: unde et sacer cibus. Ac de primitiis quidem alibi rursus agendum erit, quatenus pars fuerunt oblationum: sed hic praecipuum finem inserere necesse fuit, ut sciremus ideo fuisse impositas populo, ut victum Deo acceptum referrent, testandae pietatis causa, ac separati a reliquis gentibus, uni Deo Israel devincti essent.

2. *Tunc accipies de primitiis.* Scimus in primitiis totum anni proventum fuisse consecratum. Ergo in illis gestavit populus testimonium suae erga Deum pietatis, quem in victu quotidiano nutritium experiebatur. Hodie cessat quidem umbratilis ille ritus, sed veram observationem adhuc manere Paulus docet, ubi nos hortatur ad glorificandum nomen Dei etiam in cibo et potu (1. Cor. 10, 31). Quantum ad locum spectat ubi offerri debebant primitiae, et cur dicatur illic Deus nomen suum locasse, alibi videbimus, quum ad sacrificia ventum fuerit. Tantum breviter perstringo quae sunt praesentis instituti.

3. *Annuncio hodie.* His verbis confessi sunt Israelitae se non adeptos esse terrae dominium propriis viribus, aut beneficio fortunae, sed mera liberalitate De, idque ex pacto. Itaque duo sunt huius sententiae membra, Deum gratuito pollicitum esse Abrahae terram illam, ut cederet in haereditatem posteris: deinde fidem servasse non modò quum filios Abrahae in possessionem adduxerat, sed quia tranquilla quies erat gratiae accessio. Idem paulo post fusius prosequitur, ubi iubentur Israelitae narrare quam misera fuit patrum conditio donec eos Deus favore suo complexus est, et misericordia dignatus. Respondendi verbum simpliciter accipio, ex usu linguae hebraicae, pro loqui, vel effari nisi magis placeat testificari: quod optime convenit. Describitur enim solennis professio, qua se Deo quotannis obstringebant. Porro originis suae principium non sumunt ab Abraham, sed a Iacob: in cuius persona illustrior poterat conspici gratia Dei. Nam ex terra Chanaan profugere coactus, consumpserat in Syria bonam partem aetatis: (non enim domum reversus est, nisi senex) deinde rursus fame et inedia compulsus fuerat migrare in Aegyptum: ubi tandem mortuus fuerat. Ergo neque haereditario iure, neque suo marte obtigerat illis terra: in qua ne peregrinari quidem concessum fuerat patri Iacob. Syrum porro nominant, quia, quum uxores duxisset apud Laban, et filios genuisset, et priusquam se accingeret ad reditum provectae iam esset aetatis, videri poterat renunciasse terrae Chanaan. Quum ergo per multos annos contentus fuisset domicilio quod sibi in Syria elegerat, merito confessi sunt eius posteri fuisse quasi advenam et exterum, quia diu fuerat extorris: et simili ratione se quoque censeri posse alienigenas. Addunt, patrem suum Iacob iterum valedixisse terrae Chanaan, quum urgente inopia descendit in Aegyptum. Et dum commemorant illic peregrinatum fuisse cum paucis, postea crevisse in gentem magnam: hoc modo agnoscunt se esse Aegyptios, quum illinc essent oriundi, ubi exordium fuerat nominis et gentis. Reliquo contextu melius confirmant se in terram Chanaan ductos fuisse Dei manu: quia oppressi tyrannide ad ipsum clamaverint, ac exauditi fuerint. Signa etiam et portenta celebrare iussi sunt, quibus clarius patefacta fuerat redemptio: ne dubitanter gratias Deo agerent, sed purum eius cultum opponerent omnibus gentium figmentis. Alioqui enim frigidum fuisset hoc pietatis exercitium. Quod ultimo versu sequitur: Et laetaberis, videtur quidem esse promissio, quasi Deus proposita benedictionis suae fiducia, populo stimulum adderet ad maiorem studii alacritatem: sed clarior et magis genuinus videtur sensus fore si copula vertatur in adverbium temporis Tunc. Est enim hoc praecipuum in usu cibi et potus, laeta et hilari conscientia percipere ex Dei manu paterni favoris testimonium. Nihil inquietudine miserius. Ideoque Paulus (Rom. 14, 2) certitudinem maxime requisit, ne quis cibum gustet absque fide. Quo igitur promptiores sint ad officium Israelitae, admonet Moses, tunc demum liberum illis fore gaudium in usu donorum Dei, si gratitudine defuncti fuerint, ut mandavit.

Numer. 15, 20. *De primitiis.* Hic aliud genus primitiarum indicitur: ut sacras placentas offerant ex prima conspersione. Offerebantur ex frugibus et spicis: sed in ipso pane magis viva fuit repraesentatio. Deus ergo, sicuti ex area, ita et pistrino et furno prodire voluit gratitudinis symbola, ut in ipso quoque panis esu populus eum ante oculos haberet.

Exodi 22, 28. *Plenitudinem tuam.* Colligere

licet ex hoc loco, oblatas fuisse primitias ut se et sua Israelitae Deo addicerent: quia haec duo coniunctim praecipit Moses ut mature consecrent Deo ex copia novarum frugum, et primogenitos foetus. Scimus autem in offerendis primogenitis repetitam fuisse liberationis memoriam, ac si salutem gentis suae adeoque pecorum acceptam Deo ferrent. Hoc vero ad redemptionis gratiam fuit additum, quod continuo tractu victus etiam illis suppeteret. Quod plenitudinem quidam ad vinum restringunt, quia largiore copia fluat ex torculari, lacrymam vero de oleo accipiunt, quod parcius distillat, mihi non placet. Nec eorum sententiam probo qui plenitudinem restringunt ad fruges aridas. Rectius mihi videtur, plenitudinem sumi pro genere, per lacrymam vero notari liquores, ac si iuberet Moses, non tantum uvas et baccas olearum offerre, sed guttas ipsas quae expressae fuerint e fructibus. Altero loco idem confirmat Moses, ne in primitiis Deum fraudent, atque ita sepeliant redemptionis beneficium, et in cibo et in potu profanescant: quin potius in parte frugum totius anni victum sanctificent. Nec vero abs re Moses rem unam minime obscuram toties inculcat, quum tam multae admonitiones spretae et vilipensae fuerint a Iudaeis, simulac reversi sunt ab exsilio Babylonico: sicuti conqueritur Malachias capite tertio.

EX LEVIT. XII [1]).

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Loquere ad filios Israel, dicendo: Mulier si misso semine conceperit, et pepererit masculum, immunda erit septem diebus: iuxta dies separationis morbi sui immunda erit.* 3. *Porro die octavo circumcidetur caro praeputii eius.* 4. *Et triginta tribus diebus sedebit in sanguine purificationis: nullam rem sacram tanget, et ad sanctuarium non veniet, donec completi fuerint dies purificationis suae.* 5. *Quod si feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, secundum separationem suam, et sexaginta sex diebus sedebit in sanguine purificationis suae.* 6. *Postquam autem impleti fuerint dies purificationis suae pro filio vel pro filia, afferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbae, aut turturem, in oblationem pro peccato, ad ostium tabernaculi conventionis ad sacerdotem.* 7. *Et offeret ipsum coram Iehova: et expiabit eam, et mundabitur a vena sanguinis sui. Haec est lex parientis masculum vel feminam.* 8. *Quod si non potuerit offerre agnum, tunc accipiet duos turtures, aut duos pullos columbae, unum in holocaustum, et alterum ad oblationem pro peccato: expiabitque eam sacerdos, et mundabitur.*

1) Autre dependence de purifier les femmes apres leur enfantement.

2. *Mulier si misso semine.* Haec caeremonia spectavit in duos fines: nam primo admoniti fuerunt Iudaei de communi naturae corruptione, deinde oblatum illis fuit mali remedium. Immunda cur pronuncietur mulier quae concepit et peperit, minime obscurum est, nempe quia totum Adae genus pollutum est, ac sordibus infectum: ut mater ex sobole quam utero gestat iam contrahat immunditiem, deinde iterum ipso partu inquinetur. Hinc apparet quam foeda et foetida coram oculis Dei nostra sit conditio: quando nascendo, atque etiam nondum nati, contagionem matribus nostris aspergimus. Omnium fere consensu receptum est, hic tantum damnari libidinem in coitu viri et mulieris, sed nimis crasso errore: neque enim exigitur purificatio nisi in progenie. Atque huc pertinet verbum תזריע quod recte exprimi non potest nisi per verbum seminandi, ideoque non hic damnatur generaliter impuritas in concubitu, sed in generatione, quod diligenter notandum est. Coitus enim viri et mulieris per se, absque sobolis respectu, turpis est ac pudendus. Atqui nunc sobolis procreatio, quae debuerat obscoenitatem tollere, pollutionis censetur causa: quia totum Adae genus contagione refertum est. Unde etiam aperte refellitur error Pelagii, qui peccatum negavit ab Adam propagatum esse ad posteros, et nos imitatione, non origine, peccatum a parentibus trahere finxit. Neque enim immunda esset mater si puri et integri ab omni inquinamento essent liberi. Voluit igitur hoc ritu Deus veterem populum docere, cunctos homines maledictos nasci, et corruptionem haereditariam secum afferre, quae matres ipsas polluat. Si quis obiiciat, sanctum coniugium hoc modo dedecore probroque affici, in promptu est responsio: quod thorus coniugalis macula caret, id debere adscribi Dei indulgentiae. Quod ergo generant maritus et uxor legitime coniuncti, non simpliciter licitum esse censetur, ac si generatio prorsus omni vitio careret, sed per veniam et singulari privilegio: quia coniugii sanctitas tegit quod alioqui poterat in culpam imputari, et ipsas vitiosae naturae sordes abluit. Unde apparet nulla ignominia notari coniugium, cuius respectu legitima est sobolis procreatio. Neque tamen inde sequitur, liberos qui inde gignuntur sanctos esse et a labe immunes: quia sub reatu maledictionis manent quicunque ab incredulis nascuntur: qui vero a fidelibus ducunt originem, supernaturali gratia, et speciali adoptione liberantur a communi interitu. Atque id palam et distincte testatum esse voluit Deus, sacrificium pro eorum purificatione exigens. Etsi enim Moses de sola matre videtur loqui, Lucas tamen fidus interpres sobolem ipsam simul compre-

hendit. Si quaeratur annon ad labem naturae corruptae abolendam sufficeret circumcisio: respondeo, hinc melius liquere quanta sit nostra immunditiеs, in qua purganda non fuit Deus uno symbolo contentus: sed ut in continua eius meditatione suos exerceret, alterum subsidii loco addidit: idque fecit praesertim, quia sciebat quam profunda sit hominum hypocrisis, quam secure [1]) sibi in vitiis blandiantur, quam difficile sit eorum superbiam humiliare: et ubi suas miserias agnoscere coacti sunt, quam facilis subrepat oblivio. Ergo quod expressa circumcisionis fit mentio, per anticipationem dictum esse arbitror: ne obiicerent Israelitae, circumcisionem hac de causa sibi esse datam ne qua restaret maledictio: ideoque significat Deus, quamvis circumcisio praecedat, non tamen fore purgationem de qua nunc praecipit supervacuam. Quae hic de semine garriunt Rabini, cum ridicula sunt, tum propter spurcitiam indigna pudicis auribus: quum simpliciter, ut diximus, Mosi propositum fuerit, tunc demum purgationis fore ream mulierem si ex coitu nascatur generatio. Porro quia filius Dei, quamvis non tantum mundus esset, sed ipsa puritas, sustinuit tamen in se personam generis humani, huic legi se subiecit: et (quemadmodum docet Paulus) legi factus est obnoxius, ut eos qui sub legis maledictione erant redimeret. Atque hac voluntaria subiectione veterem ritum abrogavit, ut hodie necesse non sit sistere pueros infantes ad tabernaculum visibile cum sacrificio, sed tantum quaerenda sit in ipso puritas.

22. *Et triginta tribus diebus.* Septem dierum immunditiеs in masculo, et quatuordecim in femella, ad fluxum sanguinis refertur: sicuti et de fluxu menstruo alibi videbitur. Reliquo postea tempore prohibetur a sacris et accessu sanctuarii (qua voce hic intelligitur atrium) atque ita censetur profana: non tantum ut ipsa sortem suam defleat, sed ut maritus quoque, tali spectaculo admonitus, discat originale peccatum horrere et detestari. Fuit enim haec seria ad poenitentiam exhortatio, quum in sobole, in qua alioqui fulget Dei benedictio, se contaminari agnoscerent. Iam quaeritur cur tempus purgationis sit duplicatum in femella. Quidam hoc naturali causae adscribunt, quia fluxus sanguinis tunc sit diuturnior. Et certe haec pars fuit castitatis et continentiae, ne mariti uxores tunc attingerent. Sed quia alius est huius caeremoniae finis, nempe ut divinae maledictionis speculum esset in totum humanum genus, huc magis attendere convenit. Quod quidam magis in partu femellae matrem inquinari sentiunt, quia in hoc sexu maior sit vitiositas, nescio an firmum sit. Magis forte probabile esset quod alii causam fuisse existimant: quia mulier initium fuit defectionis, dum a serpente decepta maritum secum perdidit, et posteros secum traxit in eandem ruinam. Mihi tamen rectius videtur circumcisionis respectu levatam vel diminutam fuisse poenam in masculis. Etsi enim Deus symbolo illo utrumque sexum sibi consecrabat, singulari tamen gratia dignatus est masculos, foedus suum in eorum carne incidens. Quare et circumcisionis eorum diserte meminit: cui adiuncta erat dignitas, ut feminis praecellerent. In fine capitis pauperum habetur ratio, ne, si nimio sumptu gravati essent, tardiores ad legem servandam redderentur. Unde colligimus, Deum externas pompas et opes nihil morari: quum exiguum pauperis sacrificium pro inopiae modulo, non minus quam pingue divitis, gratum ei fuerit.

1) *Princeps:* severe.

EX DEUTER. XXIV [1]).

8. *Observa in plaga leprae, ad observandum diligenter et faciendum secundum omnia quae docuerint vos sacerdotes Levitae: sicuti praecepi eis, ita observabitis ad faciendum.* 9. *Recordare quid fecerit Iehova Deus tuus Mariae in itinere, quum egressi estis ex Aegypto.*

EX NUMER. V.

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Praecipe filiis Israel ut eiiciant e castris omnem leprosum, omnem seminifluum, et omnem immundum super anima.* 3. *Tam masculum quam feminam eiicietis: extra castra eiicietis eos, ne contaminent castra sua, quia ego habito in medio eorum.*

LEVIT. XIII.

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen et Aharon, dicendo:* 2. *Homo quum fuerit in cute carnis eius tumor, vel scabies, vel alba macula, et in cute carnis eius fuerit plaga leprae, ducetur ad Aharon sacerdotem, vel ad unum e filiis eius sacerdotibus.* 3. *Tunc videbit sacerdos plagam in cute carnis: quod si pilus in plaga versus fuerit in albedinem, et superficies plagae profundior fuerit cute carnis eius, plaga leprae est, et postquam viderit eum sacerdos iudicabit illum contaminatum* [2]). 4. *Quod si macula alba fuerit in cute carnis eius, et profundior non fuerit aspectus eius*

1) Autre dependence de forclorre les lepreux.
2) *In margine:* Vel, contaminabit illum.

cute, nec pilus eius versus fuerit in albedinem, includet sacerdos plagam septem diebus. 5. *Postea videbit eum sacerdos die septimo: et si plaga fuerit aequalis coram oculis eius, nec creverit plaga in cute, includet eum sacerdos septem diebus secundo.* 6. *Tunc inspiciet sacerdos ipsum die septimo iterum, et si subnigra* [1]) *fuerit plaga, nec creverit plaga in cute, tunc mundum declarabit* [2]) *eum sacerdos: scabies est: et lavabit vir vestimenta sua, et mundus erit.* 7. *Quod si crescendo creverit scabies in cute postquam ostensus fuerit sacerdoti in purgatione eius, inspicietur secundo a sacerdote.* 8. *Ubi autem viderit sacerdos crescere scabiem in cute, immundum iudicabit eum sacerdos, lepra est.* 9. *Quoties plaga leprae fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem:* 10. *Et aspiciet sacerdos, et si tumor albus fuerit in cute, et mutaverit pilum in albedinem, et alimentum carnis vivae in tumore,* 11. *Lepra inveterata est in cute carnis eius: ideoque contaminabit eum sacerdos, quia immundus est.* 12. *Sin germinando germinaverit lepra in cute, et operuerit lepra totam cutem plagae, a capite ad pedes eius, et totum aspectum oculorum sacerdotis:* 13. *Tunc inspiciet sacerdos, et si operuerit lepra totam carnem eius, tunc mundam iudicabit plagam: ubi tota versa est in albedinem, munda* [3]) *est.* 14. *Quo autem die visa fuerit in eo caro viva, immundus erit.* 15. *Et ubi viderit sacerdos carnem vivam, immundum iudicabit ipsum, caro viva immunda est, lepra est.* 16. *Vel si reversa fuerit caro viva, et conversa in albedinem, tunc veniet ad sacerdotem:* 17. *Et inspiciet sacerdos: et si versa fuerit plaga in albedinem, mundam iudicabit sacerdos plagam illam: munda est.* 18. *Et si fuerit in cute carnis alicuius ulcus* [4]), *et illud sanatum fuerit,* 19. *Et exstiterit in loco ulceris tumor albus, aut macula alba subrufa, ostendetur sacerdoti:* 20. *Et quum inspexerit sacerdos, si pilus profundior fuerit cute, et pilus conversus fuerit in albedinem, contaminabit eum sacerdos: quia plaga leprae est ex ulcere germinans.* 21. *Et si viderit eam sacerdos, et non fuerit in ea pilus albus, nec fuerit profundior cute, sed fuerit subobscura, tunc includet eum sacerdos septem diebus.* 22. *Si vero crescendo creverit per cutem, immundum iudicabit eum sacerdos: plaga est.* 23. *Si vero suo loco constiterit macula alba, nec creverit, adustio ulceris est: mundum* [5]) *iudicabit eum sacerdos.* 24. *Quum fuerit caro in cuius cute erit adustio ignis, et in viva carne adustionis macula alba subrufa, vel alba:* 25. *Inspiciet eum sacerdos: et, si versus fuerit pilus in albedinem in macula illa, et superficies eius fuerit profundior cute, lepra est in adustione germinans:*

1) *In margine:* Vel, obscurius contracta.
2) *Ibid.* Vel, mundabit.
3) *Ibid.* Vel, mundus.
4) *Ibid.* Vel, pustula ardens.
5) *Ibid.* Vel, mundam.

ideo immundam iudicabit eam sacerdos, plaga leprae est. 26. *Quod si inspexerit eam sacerdos, et non fuerit in macula pilus albus, nec profundior cute, sed fuerit subnigra, includet eum sacerdos septem diebus.* 27. *Postea inspiciet eum sacerdos die septimo: et si crescendo creverit in cute, immundam iudicabit eam sacerdos, plaga leprae est.* 28. *Quod si in loco suo steterit macula, nec creverit per cutem, et eadem fuerit contracta* [1]), *tumor adustionis est: ideoque mundum iudicabit eum sacerdos: quia ardor exustionis est.* 29. *Si viro aut mulieri exorta fuerit plaga in capite, aut in barba,* 30. *Tunc inspiciet sacerdos plagam: et si superficies eius profundior erit cute, et fuerit in ea pilus flavus et tenuis, immundum iudicabit sacerdos: macula nigra est, lepra capitis aut barbae est.* 31. *Si autem inspexerit sacerdos plagam maculae nigrae, et superficies eius non fuerit profundior cute, nec pilus niger in ea, includet sacerdos plagam maculae nigrae septem diebus.* 32. *Et quum inspexerit sacerdos die septima, si non creverit macula illa nigra, nec in ea fuerit pilus flavus, et aspectus maculae nigrae non fuerit profundior cute:* 33. *Tunc radetur, sed maculam nigram non radet, includetque sacerdos maculam nigram septem diebus secundo.* 34. *Postea inspiciet sacerdos maculam nigram die septima: et, si non creverit macula nigra in cute, nec superficies eius profundior fuerit cute, mundum iudicabit eum sacerdos: lavabitque vestimenta sua, et mundus erit.* 35. *Si autem crescendo creverit macula per cutem post purificationem suam,* 36. *Tunc inspiciet eam sacerdos: et, si creverit macula illa in cute, non requiret ad examen sacerdos pilum flavum: immundus est.* 37. *Quod si in oculis eius constiterit macula, et pilus niger fuerit in ea, sanata est macula illa, mundus est, et mundum iudicabit eum sacerdos.* 38. *Quum in cute carnis viri aut mulieris fuerint maculae, maculae* inquam *albae,* 39. *Inspiciet sacerdos, et, si in cute carnis eorum fuerint maculae albae, subnigrae* [2]), *macula alba est quod floret in cute, mundus est.* 40. *Vir quum depilatum fuerit caput eius, calvus est, mundus est.* 41. *Quod si ex parte faciei suae caput habuerit depilatum, recalvaster est, mundus est.* 42. *Quod si in calvitio eius aut parte depilata fuerit plaga alba, subrufa, lepra germinans est in calvitio, vel parte eius depilata.* 43. *Aspiciet ergo eum sacerdos: et, si tumor plagae albus, rufus in calvitio eius aut parte depilata, sicut species leprae in cute carnis,* 44. *Vir leprosus est, immundus est: contaminando contaminabit illum sacerdos: in capite eius est plaga eius.* 45. *Leprosi autem in quo fuerit plaga illa, vestimenta erunt scissa, et caput eius nudum, et pilum labri operiet, et Immundus, immundus sum, clamabit.* 46. *Cunctis diebus quibus fuerit plaga in eo, contaminabitur,*

1) *In margine:* Vel, subnigra.
2) *Ibid.* Vel, contractae.

immundus est: seorsum habitabit: extra castra mansio eius erit. 47. *Si in veste fuerit plaga leprae, in veste lanea, aut in veste linea,* 48. *Aut in stamine, aut in subtegmine ex lino, aut ex lana, aut in pelle, aut in quovis opere pelliceo,* 49. *Et fuerit plaga illa viridis aut rufa in veste, aut in stamine, vel in subtegmine, vel in quovis opere pelliceo, plaga leprae est, ostendetur sacerdoti.* 50. *Et inspiciet sacerdos plagam, includetque plagam illam septem diebus.* 51. *Postea inspiciet plagam illam die septimo: si creverit plaga illa per vestem, vel per subtegmen, vel pellem in omni opere pelliceo, lepra corrodentis plagae est, immunda est.* 52. *Comburetque vestem, vel stamen, vel subtegmen ex lana, vel ex lino, vel quodvis opus pelliceum in quo fuerit plaga illa: quia lepra corrodens est, igni comburetur.* 53. *Quod si, ubi inspexerit sacerdos, ecce non creverit plaga illa in veste, vel in stamine, vel in subtegmine, vel in quovis opere pelliceo,* 54. *Tunc praecipiet sacerdos, et lavabunt id in quo est plaga: et recludet illud septem diebus secundo.* 55. *Inspiciet vero sacerdos, postquam lotum fuerit, plagam illam: et, si non mutuaverit plaga illa colorem suum, nec plaga creverit, immunda est, igni combures illud: corrosio est in calvitio eius vel in parte eius depilata.* 56. *Quod si dum inspexerit sacerdos, ecce, subobscura fuerit plaga postquam lota fuit, abscindet eam e veste, vel e pelle, vel e stamine, vel e subtegmine.* 57. *Quod si conspecta fuerit ultra in veste, vel in stamine, vel in subtegmine, vel in quovis opere pelliceo, lepra germinans est, igni combures illud in quo fuerit plaga illa.* 58. *Vestis autem, sive stamen, sive subtegmen, aut quodvis opus pelliceum quod laveris, si recesserit ab eis plaga, lavabitur secundo, et mundum erit.* 59. *Haec est lex leprae vestimenti lanei, vel linei, vel staminis, vel subtegminis, vel cuiusvis operis pellicei, ad iudicandum illud mundum vel immundum.*

Deut. 24, 8. *Observa in plaga leprae.* Scio quantopere inter se dissentiant interpretes, et quam varie torqueant quidquid de lepra scribit Moses. Quidam allegoriis nimis cupide sunt addicti: alii Deum existimant, tanquam providum legislatorem, salubre dedisse mandatum, ne morbus contagiosus in populo serperet. Quae opinio nimis est diluta, et prope insipida, et breviter a Mose ipso refellitur, tam ubi Mariae exemplum commemorat, quam ubi causam assignat cur eiici debeant, ne scilicet contaminent castra in quibus habitat Deus: ad haec ubi seminifluos et pollutos super mortuo in eodem gradu censet. Quare antequam plenam tractationem aggrederer, visum est, quasi instar praefationis, duos locos proferre, ex quibus melius pateret Dei consilium. Dum in Deuteronomio iubet populum sedulo attentum esse super plaga leprae, non dubium est quin hoc modo sanciat quod prolixius ante tradiderat in Levitico. Ac primo defert iudicium sacerdotibus, ut quod pronunciaverint ratum sit ac firmum: deinde sacerdotes ipsos: ne temere quod libitum fuerit pronuncient, simpliciter sequi vult quod illis praescribit, ut tantum ministri sint, vel praecones, ipse autem quoad summam autoritatem unicus sit iudex. Legem quam posuit confirmat singulari exemplo: quia ipse Mariam sororem Mosis eiecerit ad tempus, ne eius immundities, quamdiu leprosa erat, castra pollueret. Nam quod quibusdam videtur populum hortari, ne peccando malum illud sibi accersat, sicut fecerat Maria, alienum est. Illud autem quod dixi optime fluit, imperium Dei quod Mariam prohibuit e castris, perpetuae legis vim habere et pondus, quia tunc praescripsit quid semper fieri vellet.

Numer. 5, 2. *Praecipe filiis Israel ut eiiciant e castris.* Clare ostendit hic locus Deum minime functum esse medici officio, ut sanitati populi consuleret, dum voluit leprosos e castris arceri: sed hoc externo ritu et caeremonia populum exercuisse in studio puritatis, quia leprosis seminifluos et immundos super anima coniungens, simpliciter populum ab omni immunditia remotum esse iubet. Idem confirmat quae sequitur ratio: Ne castra polluant in quibus habitat Deus. Perinde autem est ac si diceret, omnia domicilia electi populi, sanctuarii sui esse partes, quas indignum sit ullo inquinamento foedari. Scimus enim quam licentiose Dei cultum vitiare sibi permittant homines, dum sacra miscent profanis quemadmodum vulgo dicitur. Itaque videmus ut pessimi quique se non ultimos esse iactent inter Dei cultores, nec dubitent manus pollutas ingerere, quantumvis severe illos repudiet Deus. Ergo utile fuit hoc visibili documento veterem populum moneri, eos omnes qui inquinati sunt, Deum non rite colere, quin potius suis sordibus inficere quod alioqui sanctum est, ideoque pietatis exercitiis perperam abuti: deinde non debere tolerari in sancto coetu, ne ad alios perveniat contagio. Nunc breviter expendamus decimum tertium caput Levitici.

Levit. 13, 2. *Homo quum fuerit in cute.* Quoniam non quaelibet scabies lepra erat, nec immundum reddebat hominem, Deus iudicium sacerdotibus deferens, certis notis scabiem vulgarem a lepra discernit deinde adiungit discrimen inter diversas leprae species. Non enim omnis lepra insanabilis fuit, sed quum sanguine prorsus vitiato, cutis ipsa arrosione obduruerat, vel intumuerat ex corruptione. Hoc igitur primo loco notandum, nomen leprae Graecis et Latinis, et nomen צרעה Hebraeis latius patere quam ad morbum insanabilem, quia a medicis vocatur elephantiasis, tam ob duritiem cutis quam ob colorum varietatem: non quod penitus conveniat densitas corii in homine et elephanto, sed quia morbus ille cuti stuporem inducit. Ψώρα quae Graecis dicitur, etsi non est leprae species, aliquantum

tamen accedit. Ita videmus distinctione fuisse opus inter lepram et scabiem: quemadmodum hodie si de prurigine iudicandum sit, (quae vulgo dicitur morbus sancti Menani [1]) spectandae erunt notae quibus a lepra differt. Quod vero ad diversas leprae species attinet, fateor me non esse medicum, ut subtiliter de illis disputem, et ab exacta inquisitione consulto abstineo quia mihi persuasum est, morbum de quo hic agitur peculiari modo (qui hodie nobis incognitus est) grassatum fuisse apud Israelitas. Quaenam enim apud nos erit cognitio domus leprosae? Et probabile est, quum scirent profani scriptores hac tabe laborare populum Iudaicum, hinc arripuisse mentiendi licentiam, ut fingerent omnes posteros Abrahae fuisse scabiosos, et vi expulsos fuisse ab Aegypto, ne reliquos inficerent. Cuius calumniae vetustos fuisse autores ex Iosepho apparet, tam libro 9 Antiquitatum, quam adversus Appionem, eadem tamen a Cornelio Tacito et Iustino repetitur. Quanquam non dubito, Aegyptios, superbissimam gentem, ut dedecoris sui et vindictae divinitus inflictae memoriam delerent, fucum fecisse, et crasso mendacio vertisse in populum innoxium quod ipsis contigerat, quum pustulis et ulceribus percussi sunt. Sed videbimus postea inter Dei maledictiones, eum iisdem poenis quas de Aegyptiis sumpserat, castigasse populi sui scelera: Percutiet te Deus ulcere Aegypti, sanie, ardore, etc. Unde probabili ratione colligitur, Deum singularibus exemplis (quae hodie nobis abscondita sunt) ultum fuisse populi veteris scelera: sicut postea exorti sunt novi morbi, a quibus immunis fuit antiquitas. Certe clara et solida ratione refellit Iosephus illius commenti vanitatem, quod Moses cum turba exsulum fugatus fuerit ex Aegypto, ne morbi sui tabe regionem corrumperent: quia si huic malo passim fuissent obnoxii, nunquam de ipsis e communi societate arcendis tam severas tulisset leges. Primum iubet Deus, quoties suborta fuerit suspicio leprae, hominem se offerre sacerdoti: si quod indicium leprae apparuerit, iubet occludi ad tempus ad septem dies, donec ex morbi progressu appareat lepram esse incurabilem. Quod Deus sacerdotes, et quidem nonnisi ex primo ordine, indices constituit, documento est spiritualem Dei cultum respici magis quam carnis sanitatem. Si quis roget annon contagiosus sit morbus lepra, ideoque expediat omnes qui ea tacti sunt prohiberi ab hominum consuetudine: fateor id quidem esse verum: sed nego finem hunc praecipue spectatum esse. Successu enim temporis poterant rectius cognoscere medici ex arte et scientia: atqui Deus solis sacerdotibus iniunxit has partes, et discretionis regulam tradidit. Nec praefecit quoslibet Levitas, sed tantum filios Aharon qui primarii erant, quo maior esset iudicii autoritas. Itaque crasso errore, vel potius impudentia, hanc iurisdictionem ad se traxerunt sacrifici papales. Summis sacerdotibus (inquiunt) sub lege permissum fuit discernere lepram a lepra: ergo idem iuris ad episcopos translatum est. Apertius deinde ludunt. Sedet officialis, vicarius episcopi, tanquam legitimus cognitor: medicos et chirurgos accersit, ex quorum responsis pronunciat quod sibi fatetur esse incognitum. En quam scite ritum legalem ad nostra tempora accommodent. Porro foedius ludibrium est quod ad gregarios quoslibet alio sensu extendunt quod dixerunt in solos episcopos competere. Nam quia peccatum quo laborant omnes, spiritualis est lepra, hinc colligunt a coetu fidelium omnes excludi, donec absolutione mundati ac recepti fuerint, quod munus sacrificis quibuslibet commune esse volunt. Subiiciunt postea non posse ferri iudicium nisi causa cognita: unde tandem inferunt requiri confessionem. Atqui si placeant argutiae, potius in contrariam partem ratio nos ducet. Neque enim de morbo occulto sacerdotes voluit Deus cognoscere, sed postquam manifesta indicia emerserant. Hinc sequetur praepostere trahi in iudicium occulta peccata, et contra ius et fas ad eorum confessionem miseros homines adigi. Caeterum cavillis valere iussis, tenenda est analogia inter nos et veterem populum. Vetuit Deus olim externam carnis immunditiem tolerari in populo. Christi adventu cessavit umbratilis figura. Ergo docemur sordes omnes, quibus corrumpitur puritas cultus Dei, non esse tolerantia inter nos fovendas. Et certe huic caeremoniae respondet excommunicatio, qua purgatur ecclesia, ne passim grassentur corruptelae, si improbi et scelerati locum in ea promiscue cum bonis occupent. Iam quod morbo adhuc obscuro et dubio iubet Deus morbidum hominem septem diebus includi, moderationem commendat ne, qui adhuc sanabilis est, ante tempus damnetur. Et certe haec media ratio observanda est ne iudex ignoscendo nimis sit remissus ac solutus, et tamen rigorem aequitate temperet: praesertim vero ne sententiam praecipitet nimis festinando. Ubi vertimus mundum vel immundum iudicabit, hebraice legitur mundabit vel immundabit eum sacerdos: quo melius sancitur iudicii gravitas, non secus ac si a Deo ipso profectum esset. Et certe nulla medicinae peritia dictare potuit septimo die incurabilem esse lepram, de qua tam exiguo ante tempore dubitatum fuerat, nisi Deus immunditiem singulari quodam modo detegeret, ac sacerdotum oculos regeret suo spiritu.

29. *Si viro aut mulieri*. Hic non agitur de calvitie, quae ut plurimum in senio contingit: sed depilatio quae nascitur ex lepra, ab aliis discernitur: quarum etsi origo et causa est ex aliqua intemperie,

1) Meani 1563. Menani 1617. *Gallus:* Maen.

tamen hominem non contaminant. Verum quia nonnullae species a lepra non ita multum distant primo intuitu, (ut est ophiasis et alopecia) ideo distinguere necesse fuit.

44. *Vir leprosus est, immundus est.* Priore membro versus dicit leprosum debere immundum censeri: secundo autem iubet sacerdotem de hac immunditie sententiam ferre, ne in coetu feratur. Hac ratione dicit: Plaga eius super caput eius: quod tantundem valet ac subiici iustae ignominiae. Sumit enim pro confesso Moses, Deum notare publica infamia quoscunque lepra percutit, ac proinde admonet merito et iuste sustinere hanc poenam. Proximus versus et tertius formam exsequutionis continent: nempe ut scissuram in veste gestet, quae sit nota dedecoris, incedat capite aperto, et ore tecto (sic enim interpretor operimentum labii), ad haec ut sit ipse praeco suae pollutionis: denique ut habitet extra castra, quasi ablegatus ab hominum consortio. Ubi Moses praesentem statum populi respicit, quantisper in deserto peregrinabatur. Nam ex quo terram incolere coepit populus, eiecti sunt leprosi ex urbibus et pagis ut seorsum degerent. Quod os vel labium operire iussos quidam volunt ne foetore anhelitus sanos laederent, nescio an satis firmum sit. Equidem magis arbitror, quia civiliter mortui erant, symbolum quoque mortis gestasse in ore clauso: sicut ipsa solitudo communi vita eos privabat. Ubi vertimus: Immundus, immundus, clamabit, verbum יקרא indefinite sumentes, passive exponunt Vocabitur: et fateor multis locis tantundem valere ac si pluralis esset numerus. Sed quia repetitio nominis Immundus est emphatica, probabile est verbum קרא non simpliciter accipi pro vocare. Itaque in hanc sententiam magis inclino, ipsos ex legis praecepto procul ab accessu propria voce fugasse omnes, ne quis incautus tactu se pollueret. Quanquam probabile est publica voce promulgatam fuisse immunditiem, ut se omnes mutuo cohortarentur ad cavendum. Et videtur ad hunc locum alludere Ieremias (Thren. 4, 15), ubi de urbis inquinamentis loquens, dicit omnes passim clamasse, Immundus, fugite, fugite.

58. *Vestis autem.* Hoc genus tabis Deus pro immensa sua clementia voluit nobis esse incognitum. Tineis quidem laneas et pelliceas vestes obnoxias reddidit, vasa multa rubigini, ferrugini, aerugini aliisque vitiis et corruptelis, denique humanum genus circumdedit putredine, ut omni ex parte oculis se ingererent poenae peccati: sed quid sit lepra in vestibus nescitur. Eius autem expiatio sub lege admonuit veterem populum, sedulo cavendum esse ab externis quoque sordibus, ut se mundarent ab omni carnis et spiritus inquinamento. Rei summam attingere satis mihi visum est, quia in verbi insistere supervacuus fere esset labor: quanquam damnare nolim eorum diligentiam qui haec quoque examinant: sed mihi propositum non est fungi grammatici officio.

EX LEVIT. XIV [1]).

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Haec erit lex leprosi die purgationis suae*, nempe *adducetur ad sacerdotem.* 3. *Et egredietur sacerdos foras extra castra, et inspiciet sacerdos: et si sanata fuerit lepra a leproso,* 4. *Tunc praecipiet sacerdos ut tollantur ei qui mundatur duae aves vivae, mundae, et lignum cedrinum, et coccus vermiculi et hyssopus.* 5. *Et praecipiet sacerdos ut mactetur avis una super vas fictile super aquas vivas.* 6. *Avem vivam tollet, et lignum cedrinum, et coccum vermiculi, et hyssopum: et tinget illa, et avem vivam in sanguine avis mactatae super aquas vivas.* 7. *Et sparget super eum qui mundatur a lepra septem vicibus, mundabitque eum: et emittet avem vivam in superficiem agri.* 8. *Et lavabit qui emundatur vestimenta sua, et radet omnem pilum suum, lavabitque se aqua, et mundus erit: postea ingredietur castra, habitabitque extra tabernaculum suum septem diebus.* 9. *Die autem septimo radet omnem pilum suum, caput suum, et barbam suam, et supercilia oculorum suorum, atque omnem reliquum pilum suum radet: lavabit quoque vestimenta sua, postquam laverit carnem suam aqua, et purificabit se.* 10. *Die autem octavo tollet duos agnos immaculatos, et agnam unam anniculam immaculatam, et tres decimas similae pro minha mixta oleo, et sextarium unum olei.* 11. *Statuetque sacerdos qui mundat virum mundandum, et illa coram Iehova ad ostium tabernaculi conventionis.* 12. *Tolletque sacerdos agnum unum quem offert in sacrificium pro delicto, et sextarium olei, et agitabit ea agitatione coram Iehova.* 13. *Mactabitque agnum in loco in quo mactare solet oblationem pro peccato, et holocaustum*, nempe *in loco sanctitatis: quia sicut hostia pro peccato*, ita *oblatio pro delicto, est sacerdotis, sanctitas sanctitatum est.* 14. *Accipietque sacerdos de sanguine oblationis pro delicto, et ponet super tenerum auris mundandi dextrae, et super pollicem manus eius dextrae, et super pollicem pedis eius dextri.* 15. *Accipiet praeterea sacerdos de sextario olei, et fundet in manum suam sinistram.* 16. *Tingetque ipse digitum suum dextrum in oleum quod est in manu sua sinistra, spargetque de oleo digito suo septem vicibus coram Iehova.* 17. *De residuo vero olei quod in manu sua ponet sacerdos super tenerum auris mundandi dextrae, et super pollicem manus eius dextrae, et super pollicem pedis eius dextri, ultra sanguinem oblationis pro*

1) De la purgation des lepreux.

delicto. 18. *Quod autem superest de oleo quod est in manu eius, ponet super caput mundandi: expiabitque eum sacerdos coram Iehova.* 19. *Faciet item sacerdos oblationem pro peccato, emundabitque mundandum ab immunditia sua, et postea mactabit holocaustum.* 20. *Et ascendere faciet sacerdos holocaustum et minham super altare: expiabitque eum sacerdos, et mundus erit.* 21. *Si autem pauper fuerit, et manus eius non possit assequi, tum accipiet agnum unum in hostiam pro delicto in elevationem ad expiandum illum, et decimam partem similae unam permistam oleo pro minha, sextariumque olei.* 22. *Duos praeterea turtures, aut duos filios columbae, quodcunque apprehendere poterit manus eius: eritque unus in hostiam pro peccato, et alter pro holocausto.* 23. *Afferetque ea octavo die purificationis suae ad sacerdotem, ad ostium tabernaculi conventionis coram Iehova.* 24. *Suscipietque sacerdos agnum oblationis pro delicto, et sextarium olei, atque agitabit ea sacerdos elevationem coram Iehova.* 25. *Mactabitque agnum oblationis pro delicto, ac tollet sacerdos de sanguine oblationis pro delicto, ponetque super tenerum auris mundandi dextrae, et super pollicem manus eius dextrae, et super pollicem pedis eius dextri.* 26. *De oleo quoque fundet sacerdos in manum suam sinistram.* 27. *Spargetque sacerdos digito suo dextro de oleo quod est in manu sua sinistra septem vicibus coram Iehova.* 28. *Ponet quoque sacerdos de oleo quod est in manu sua super tenerum auris emundandi dextrae, et super pollicem manus eius dextrae, et super pollicem pedis eius dextri, in loco sanguinis oblationis pro delicto.* 29. *Quod autem superest de oleo quod est in manu sacerdotis, ponet super caput emundandi ad emundandum illum coram Iehova.* 30. *Faciet item unum de turturibus, vel ex pullis columbarum, ex iis quae apprehenderit manus eius.* 31. *Quod* inquam *apprehenderit manus eius faciet unum pro peccato, et alterum in holocaustum cum minha, emundabitque sacerdos mundandum coram Iehova.* 32. *Ita est lex eius in quo fuerat plaga leprae, cuius manus non poterat apprehendere mundationem sui.* 33. *Et loquutus est Iehova ad Mosen et Aharon, dicendo:* 34. *Quum ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego do vobis in possessionem, et posuero plagam leprae in domo terrae possessionis vestrae:* 35. *Veniet ille cuius erit domus, renunciabitque sacerdoti, dicendo: Tanquam plaga* leprae *visa est mihi in domo.* 36. *Tunc praecipiet sacerdos, et expurgabunt domum antequam ingrediatur sacerdos, ut dispiciat plagam, ne polluatur quidquam quod sit in ea domo: et postea ingredietur sacerdos ad contemplandam domum.* 37. *Tunc considerabit plagam ipsam: et si quidem in plaga quae est in parietibus domus, fuerint nigredines, flavedines, vel rubedines: et aspectus earum fuerit depressior reliquo pariete:* 38. *Egredietur sacerdos e domo ad ostium domus, et claudet domum septem diebus.* 39. *Postea revertetur sacerdos die septimo, et contemplabitur: et si quidem creverit plaga in parietibus domus,* 40. *Tunc praecipiet sacerdos, et eruent lapides in quibus fuerit plaga illa, proiicientque illos extra civitatem in locum immundum:* 41. *Domum autem radere iubebit intrinsecus per circuitum, et effundent pulverem quem abraserint extra civitatem in locum immundum.* 42. *Et accipient lapides alios quos reponent loco lapidum illorum, et lutum aliud capient, et complanabunt domum.* 43. *Quod si reversa fuerit plaga, et effloreat in illa domo postquam erui fecit lapides, et abradi domum, et posteaquam obducta fuit:* 44. *Tunc ingredietur sacerdos, et considerabit: et si quidem creverit plaga in domo, lepra corrodens est in ipsa domo, immunda est.* 45. *Destruetque domum, et lapides eius, et ligna eius, atque universum lutum domus, educetque extra civitatem in locum immundum.* 46. *Qui autem ingressus fuerit domum illam omnibus diebus quibus iusserit eam claudi, immundus erit usque ad vesperam.* 47. *Et qui dormierit in ea domo, lavabit vestimenta sua: quique comederit in domo, lavabit vestimenta sua.* 48. *Si autem ingrediendo ingressus fuerit sacerdos: contemplatusque viderit non crevisse plagam in ipsa domo, postquam ipsa obducta fuit: mundam iudicabit sacerdos domum, quia sanata sit plaga illa.* 49. *Tollet itaque ad purificandam domum duos passeres, et lignum cedrinum, et coccum vermiculi, et hyssopum.* 50. *Mactabitque passerem unum super vas fictile, super aquas vivas.* 51. *Capietque lignum cedrinum, et hyssopum, et coccum vermiculi, et passerem vivum, et tinget illa in sanguine passeris mactati, et in aqua vivente: aspergetque domum septem vicibus.* 52. *Purificabitque domum illam sanguine passeris, et aqua viva, et passere vivo, lignoque cedrino, et hyssopo, et cocco vermiculi.* 53. *Postea dimittet passerem vivum extra civitatem super faciem agri, purgabitque domum, et munda erit.* 54. *Ista est lex omnis plagae leprae, et maculae nigrae.* 55. *Et leprae vestis, et domus.* 56. *Et tumoris, et scabiei, et candentis maculae:* 57. *Ad docendum quid agendum, quo die immundus et quo die mundus declarandus est.*

2. *Haec erit lex leprosi.* Nunc disserit Moses quomodo purgari et restitui debeant qui sanati fuerint a lepra. Hactenus docuit quos admittere debeat sacerdos in sacrum coetum, et inter mundos censere: nunc ritum expiationis praescribit unde populus discat quantopere abominetur Deus immunditiem, quam solenni piaculo elui iubet: deinde ut agnoscat qui sanatus est, singulari Dei beneficio se esse ex morte ereptum, et in posterum ad studium puritatis sit magis attentus. Nam sacrificii, quod hic exigitur, duo fuerunt membra, sordis ablutio, et gratiarum actio. Semper autem tenendus est finis ille quem proximo capite notavi, hac caeremonia edoctos fuisse Israelitas, caste pureque colendum

esse Deum, et procul arcenda esse inquinamenta, ne profanetur religio. Quoniam igitur lepra pollutio quaedam erat, qui ab ea sanati erant, eos noluit Deus nisi interposito sacrificio in sanctum coetum recipi: ac si eos reconciliaret sacerdos postquam excommunicati fuerant. Iam quae notatu digna sunt excutere convenit. Sacerdoti iniungitur purgandi munus: et tamen simul interdicitur ne quos purget nisi qui iam puri et mundi sunt. Ubi Deus ab una parte sibi vendicat laudem sanationis, ne ad homines trahatur: rursus tamen stabilit disciplinam quae vigere debet in ecclesia. Ut res clarius pateat, solius Dei est peccata remittere. Quid igitur homini restat nisi ut testis sit ac praeco gratiae divinitus collatae? Non potest ergo absolvere Dei minister nisi quem ante Deus absolverit. In summa, non est in potestate vel arbitrio hominis absolutio, sed tantum secundas partes sustinet minister, ut Dei iudicio subscribat, vel potius ut promulget Dei sententiam. Hinc illa insignis Isaiae 43, 25, sententia: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, Israel, et nullus praeter me. Quo etiam sensu passim apud omnes prophetas promittit Deus mundum fore populum, ubi ipsum mundaverit Interea tamen hoc non obstat quominus suo quodam modo sordes populi abluant qui vocati sunt ad docendi munus. Nam quum sola fides corda purificet, quatenus recipit quod ex ore hominis profert Deus testimonium: minister, qui nos Deo reconciliatos esse testatur, merito censetur abolere nostras sordes. Haec expiatio nunc quoque viget, tametsi pridem desierit caeremonia esse in usu. Quia autem a mera Dei gratia proficiscitur spiritualis quam fide percepimus sanitas, illius gloriae nihil derogat hominis ministerium. Meminerimus itaque haec duo inter se optime quadrare, nostrae puritatis unicum esse autorem Deum: neque tamen ideo modum quo utitur ad nos purgandos negligendum esse. Atque hoc proprie ad disciplinam spectat, ut qui publica autoritate semel eiectus est a sacro coetu, non recipiatur nisi poenitentiam et vitae novitatem professus. Ac notandum est, hanc iurisdictionem datam fuisse sacerdotibus, non tantum quatenus gestabant Christi personam, sed etiam ministerii, quod illis nobiscum fuit commune, respectu.

3. *Et egredietur sacerdos.* Haec est cognitio de qua fusius tractatum fuit proximo capite, sine qua fas non erat eum qui semel eiectus esset recipere. Praeceptum cuius continuo post fit mentio, refero ad Levitas, ex quibus unum aliquem comitem fuisse sacerdoti probabile est, ut sacrificium pararet, atque ita primas tantum partes obirent sacerdotes. Summa autem ritus, quoad duas aves, huc tendit, purgationem a lepra speciem quandam esse resurrectionis. Aves duae subiiciebantur ante oculos: unius sanguine redimebatur alterius libertas, quia non exibat nisi prius demersa in sanguine et aqua, hinc aspersio ad hominem purgandum. Repetitio septies fiebat, ut altius infigeret hominum memoriae assiduam gratiae meditationem. Scimus enim septenario numero perfectionem saepe in scriptura notari. In eundem finem pilum radebat, et se lavabat aqua qui fuerat sanatus. Neque tamen primo die domum ingrediebatur, sed demum octavo die. Interea septimo radebat barbam, supercilium oculorum, et omnes pilos: se et vestes lavabat: hinc transibat ad sacrificium. Adeo est difficile homines assuefacere ad seriam utriusque rei cognitionem, ut odio habeant sua vitia, et pro dignitate aestiment gratiam Dei qua liberantur.

10. *Die autem octavo.* Sicuti infantes die octavo post ablutam immunditiem quam ex utero attulerant, inserebantur in ecclesiam, et fiebant eius membra, ita nunc dies octavus praescribitur ad eos restituendos qui recepta sanitate quasi iterum nascuntur. Nam pro mortuis habiti sunt quos lepra a sacro coetu abdicabat. Ergo sacrificium instituitur quod circumcisionem aliqua ex parte deletam instauret. Porro non omnium quae hic commemorantur ratio mihi constat, et velim lectores non esse nimis curiosos. Quaedam dici possunt probabiliter, sanguine hostiae tingi auriculam dextram, pollicem manus et pollicem pedis, quia restituitur ad communem vitae usum et consuetudinem leprosus, ut liberum habeat ingressum, liberas actiones, liberam denique sermonis communicationem: quia in aure mutua est loquendi et audiendi relatio. Inungitur vel abstergitur caput oleo, ne quid in toto corpore impurum resideat. Egenis autem et tenuibus parcit Deus, ne cogantur duos agnos offerre, atque ita praeter facultatem graventur. Unde apparet non aestimari pretio sacrificia, sed pio affectu, ubi liberaliter quisque offert prout datum est.

34. *Quum ingressi fueritis terram.* Hic de alio leprae genere disseritur, quod nobis hodie esse incognitum, non sine causa gaudemus. Sicut autem singularibus privilegiis ornaverat Deus populum illum, ita si dona quibus excellebat foedaret, consentaneum fuit ingratitudinem illam atrocioribus exemplis puniri. Itaque mirum non est poenas fuisse inflictas, quarum auditus admirationem nobis excitat et horrorem. Fuit triste spectaculum, videre lepram grassantem in humanis corporibus: sed hoc simile portento, domos quoque inquinari lepra, quae dominos cum familiis eiiceret, quia si illic volentes et scientes substitissent, ad eos et vasa omnia serpebat contagio. Quoniam autem eos publica ignominia Deus notabat, quorum domos percutiebat lepra, iubet eos reatum profiteri: nec solum ubi malum invaluerit, sed ubi emergere coeperit suspicio. Porro ex lege apparet quosdam fuisse leviter castigatos: quia si post inspectionem sacerdotis,

septem diebus macula non crescebat abrasis parietibus, possessor in domum suam redibat. Alios gravius mulctabat Deus, quibus necesse erat aedes funditus diruere, quod incurabilis esset pollutio. Etsi autem haec irae Dei signa erant, in expiandis tamen sordibus populum illum ad studium puritatis exercuit: quia perinde hoc fuit ac si ab accessu sanctuarii arceret qui e domo immunda prodibant. Summa igitur fuit, sedulo dandam esse operam ut domos suas singuli puras, et castas, et ab omni labe intactas servarent. Quod si per Dei misericordiam cessabat plaga, sacrificium gratiarum actionis, sicuti pro hominibus, offerri debuit. Caput proximum, ubi non generaliter de inquinamentis agitur et eorum purgatione, sed tantum attingitur una species quae ad libidinem carnis refertur, locum forte opportunum haberet sub septimo praecepto: ex contextu tamen mox patebit in hanc classem referri debuisse.

EX LEVIT. XV. [1]).

1. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen et Aharon, dicendo:* 2. *Loquimini ad filios Israel, et dicite eis, unusquisque quum semen eius defluet de carne sua, immundus est.* 3. *Haec vero erit immunditia eius in semine ipsius, si emittat caro eius semen suum, vel clauserit carnem suam semine suo, immunditia eius est.* 4. *Omne stratum in quo iacuerit qui patitur fluxum seminis, immundum erit: et omne id super quo sederit, immundum erit.* 5. *Quicunque item tetigerit lectum eius, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit sese aqua: eritque immundus usque ad vesperam.* 6. *Et qui sederit super aliquid super quo sederit seminifluus, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit se aqua: eritque immundus usque ad vesperam.* 7. *Qui vero tetigerit carnem seminiflui, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit sese aqua: eritque immundus usque ad vesperam.* 8. *Et si despuerit seminifluus super mundum, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit se aqua: eritque immundus usque ad vesperam.* 9. *Et omne sagma super quo equitaverit seminifluus, immundum erit.* 10. *Atque omnis qui tetigerit omne quidquid fuerit subter eum, immundus erit usque ad vesperam: et qui portaverit ea, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit sese aqua: eritque immundus usque ad vesperam.* 11. *Omnis autem quem tetigerit seminifluus, et manus suas non abluerit aqua, lavabit vestimenta sua: posteaquam laverit sese aqua: eritque immundus usque ad vesperam.* 12. *Et vas fictile quod tetigerit seminifluus, confringetur: omne autem vas ligneum lavabitur aqua.* 13. *Quum autem mundatus fuerit seminifluus a fluxu suo, numerabit sibi septem dies ab emundatione sua, lavabitque vestimenta sua, posteaquam laverit quoque carnem suam aqua viva: et mundus erit.* 14. *Die vero octava capiet sibi duos turtures, aut duos pullos columbinos, venietque coram Iehova ad ostium tabernaculi conventionis, et tradet eos sacerdoti.* 15. *Quos sacrificabit sacerdos, unum pro peccato, et alterum in holocaustum: et emundabit illum sacerdos coram Iehova a fluxu ipsius.* 16. *Quum autem ex aliquo egressa fuerit effusio seminis, lavabit aqua totam carnem suam: immundusque erit usque ad vesperam.* 17. *Et omnis vestis, omnisque pellis super quam fuerit aliquid de effusione seminis, lavabitur aqua et immunda erit usque ad vesperam.* 18. *Mulier quoque cum qua dormierit vir patiens effusionem seminis, lavabitur aqua et immunda erit usque ad vesperam.* 19. *Mulier autem quum fuerit fluens sanguine, et erit fluxus eius per carnem eius, septem diebus erit in separatione sua: et omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperam.* 20. *Et omne super quo iacuerit in separatione sua, immundum erit: omne quoque super quo sederit, immundum erit.* 21. *Omnis praeterea qui tetigerit lectum eius, lavabit vestimenta sua, et lavabit sese aqua: immundusque erit usque ad vesperam.* 22. *Omnis etiam qui tetigerit quamcunque sedem super quam sederit, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit sese aqua: immundus erit usque ad vesperam.* 23. *Quod si instrumentum aliquod fuerit super stratum ipsum, vel super sellam super quam sederit: quum tetigerit illud aliquis immundus erit usque ad vesperam.* 24. *Quod si dormiendo dormierit quis cum ea, et fuerit immunditia eius super eum, immundus erit septem diebus: et omne stratum super quo dormierit, immundum erit.* 25. *Mulier autem, quum fluet fluxus sanguinis eius diebus multis praeter tempus menstrui sui, vel quum patietur fluxum sanguinis ultra menses suos: cunctis diebus fluxus immunditiae suae erit sicut diebus menstrui sui, immunda est.* 26. *Omne stratum in quo dormierit cunctis diebus fluxus sui, sicut stratum menstrui sui erit, et omnis sedes super qua sederit, immunda erit secundum immunditiam menstrui sui.* 27. *Quicunque tetigerit eam immundus erit, lavabitque vestimenta sua, et lavabit se aqua, immundusque erit usque ad vesperam.* 28. *Quod si mundata fuerit a fluxu suo, tunc numerabit sibi septem dies, et postea mundabitur.* 29. *Die autem octava tollet sibi duos turtures, aut duos pullos columbinos: afferetque illos ad sacerdotem ad ostium tabernaculi conventionis.* 30. *Et faciet sacerdos, unum in hostiam pro peccato, et alterum in holocaustum: emundabitque illam sacerdos coram Iehova a fluxu immunditiae suae.* 31. *Separabitque filios Israel ab immunditiis suis, ne moriantur propter immunditias suas, dum polluerint tabernaculum meum, quod est in medio eorum.* 32. *Ista est lex patientis fluxum seminis, et eius ex quo egreditur effusio seminis, ut sit immundus propter illam.* 33. *Et aegrotantis in fluxu suo, et*

1) Des pollutions qui adviennent par flux.

eius qui profundit fluxum suum, sive sit masculus, sive femina, et viri qui dormierit cum immunda.

2. *Unusquisque, quum semen eius defluet.* Hic alia genera contaminationum attingit, in quibus requiritur solennis purgatio. Ac primo docet viros pollui seminis fluxu: qui bifariam contingit, vel quum semen ipsum ebullit per somnium, vel quum paulatim distillat, ex morbo qui Graecis dicitur *γονόῤῥοια*. Posset quidem aptari haec appendix (ut dixi) ad septimum praeceptum, quia videtur hic omnis intemperies libidinis damnari: verum si propius attendimus, lex generalis est de colenda puritate, nec ad solam pudicitiam restringi debet. Fluxio enim ex morbo et debilitate, nisi contracta sit ex immodico veneris usu, nihil commune habet cum libidine venerea. Iam quod paulo post subiicitur de menstruis mulierum, eandem habet rationem cum aliis sordibus et inquinamentis. Summa igitur est, seminis eiectionem censeri inter pollutiones quae Israelitas arcebant ab accessu tabernaculi, et externo Dei cultu. Ideoque semper tenenda est regula, vitiosum esse quidquid ab homine immundo proficiscitur, nec quemquam se aut sua posse Deo rite offerre, nisi qui anima et carne purus est ac integer. Sicuti Paulus (2. Cor. 7, 1) finem et usum huius caeremoniae explicat, dum hortatur fideles ut recepti in peculiarem Dei populum mundent se ab omni inquinamento carnis et spiritus. Porro immunditiem contrahi pronunciat, non modo quum semen emittitur, verum si retentum fuerit: nec hominem ipsum modo reddit immundum, sed quidquid attigerit: ut sunt, lectus, sella, ephippium equi, vestis stragula: ut etiam ad alios perveniat contagio, si quis in eodem strato iacuerit, vel equitaverit super eisdem ephippiis. Ita horrorem incutere voluit Deus, quo magis essent sollioiti ad fugiendas sordes. Neque enim crimen per se detestabile fuisset, nisi quatenus hoc externo exercitio vel symbolo ostensa fuit spiritualis puritas. Sicuti etiam Psalmo 24 veritas huius figurae describitur: Quis ascendet in montem Iehovae? vel quis requiescet in sanctuario eius? Mundus manibus et mundus corde. Ergo qui in seminis fluxione nullius culpae sibi conscius erat, debuit tamen signo illo commonefieri de naturae suae corruptela: et simul aliis esse exemplo, ut unusquisque disceret sedulo sibi cavere, quia totum humanum genus occupat vitiositas. In ablutione propositum fuit mali remedium: sicuti nota ignominiae ad poenitentiam adduxit. Eum qui labe aliqua infectus est, pudefieri expedit, ut sibi displiceat: sed desperationem gigneret mali cognitio nisi adiuncta spe veniae. Ergo semper ad aquam fuerunt ablegati quibus necessaria erat purgatio. Quoties autem fit aquae mentio, subeat in mentem illud Ioannis, Christum venisse in aqua et sanguine ad sordes omnes purgandas et expiandas (1. Ioan. 5, 6). Praeter aquam additur sacrificium ex turturibus, vel duobus pullis columbarum. Quod eodem referri debet, nempe immundis aliunde petendam esse purgationem, quam tandem adepti sumus Christi sacrificio.

19. *Mulier autem quum fuerit fluens.* Nunc de mulieribus agitur quae duplici fluxu sanguinis laborant. Nam omnibus fere per singulos menses recurrit (unde menses et menstrua) et quaedam haemorrhoidas patiuntur, vel continuum profluvium. Utrasque immundas esse pronunciat: ac menstruosis quidem praefigitur certum tempus separationis, quo lex eas arcebat a congressu virorum: si vero praeter morem usitatum sanguis fluat, differtur tempus purgationis, quousque destiterit. Unde apparet, in omni re pudenda propositam fuisse Iudaeis admonitionem suarum sordium: ut hoc modo ad verecundiam consuescerent, et studerent puritati. Quod etiam ex fine capitis certius patet, ubi dicitur: Separate filios Israel ab immunditiis suis, ne moriantur, si polluerint tabernaculum meum. Breviter, inquam, consilium suum Deus exponit, ut omnis profanatio longe a populo facessat: quia velit in suis cultoribus vigere sinceritatem, nec ferre possit tabernaculum suum ulla macula foedari.

EX DEUT. XXIII [1]).

1 [2]). *Non ingredietur qui contusione fractos aut abscissos habet testiculos, in congregationem Iehovae* 2. *Non ingredietur spurius congregationem Iehovae: etiam generatione decima non ingredietur congregationem Iehovae.*

1. *Non ingredietur.* Quod de mutilis et illegitimis hic traditur, ad eundem finem spectat: ne Dei ecclesia turpibus maculis contaminetur, atque ita reverentiam suam amittat religio. Duo genera hominum reiicit Moses a coetu fidelium, castratos scilicet, deinde spurios. Sed antequam de re ipsa tractemus, tenenda est vocum definitio. Prima quaestio est, quid sit ingredi in congregationem: altera, quid sit confractos habere testiculos: tertia, quinam ממזרים quos vertimus spurios. Multi exponunt prohiberi ab ecclesia utrosque, ne publicum aliquod munus capessant: alii, ne uxores ducant ex semine Abrahae: quia neque honestum esset eas mamzeris prostitui, et effeminatis nubere absurdum esset quae ad multiplicandum Dei populum creatae erant. Sed mihi utraque sententia frigida videtur. Nam

1) D'autres vices qui excluent les hommes du tabernacle.
2) Hebr. 2, 3.

quod postea additur de exteris quibusdam populis, non ita potest accipi, ne qua illis praefectura vel dignitas mandetur. Deinde satis exprimitur per coetum Iehovae, religionis castitas et puritas. Non dubito igitur quin arceat Moses a communicatione sacrorum qui his duabus maculis foedati essent. Etsi enim communis illis circumcisio erat cum electo populo, voluit tamen Deus ipsos probri sui notam gestare, ut aliis essent exemplo, et populus maiore studio ab omni pollutione sibi caveret. Hoc quidem tenendum est, privilegium illis negari quod legitimis Israelitis proprium erat, ut essent sacrorum participes ac socii. De fractis testiculis curiosius, meo iudicio, disputant Iudaei quam res ferat: et tandem a recto sensu discedunt. Neque enim aliud voluit Deus, quam excludere a coetu populi sui, quoties sacri conventus agebantur, mutilos et vitiatos in parte genitali. Quanquam per synecdochen plus comprehendit. Deinde externum corporis vitium damnando, praestantiam sui generis illis commendat, ut meminerint se electum esse eius peculium: non superbiendi causa, sed ut tantae nobilitati vitae sanctitas respondeat.

2. *Non ingredietur spurius.* Voce ממזר consentiunt omnes spurium notari, qui natus est incerto patre: sed alii aliter accipiunt. Quidam enim extendunt ad omnes nothos, qui ex scortatione sunt geniti: quidam vero de iis sermonem haberi putant quorum dubia est origo: quos appellant Vulgo genitos quorum scilicet matres, passim et turpiter se prostituendo, fecerunt sua effraeni libidine ut foetus illis nascatur quasi ex monstruosa permixtione. Quae secunda opinio mihi magis placet. Voluit autem hoc symbolo Deus semen Abrahae monere quam eximia esset illius dignitas, quod segregatum esset a pollutis gentibus. Interea noluit a spe salutis in totum miseros excludere, qui nulla sua culpa patris nomen ciere non possent, sed tantum poena temporali eos humiliavit, et eorum exemplum voluit aliis prodesse.

NUMER. XIX [1]).

1. *Loquutus est insuper Iehova ad Mosen et Aharon dicendo:* 2. *Hoc est statutum legis quod praecepit Iehova, dicendo: Alloquere filios Israel, ut afferant ad te vaccam rufam perfectam, in qua non sit macula, super quam non ascenderit iugum.* 3. *Et dabitis eam Eleazar sacerdoti, qui educet eam extra castra, et mactandam curabit ante se.* 4. *Capietque Eleazar sacerdos de sanguine eius digito suo, et sparget e regione faciei tabernaculi conventionis de sanguine eius septem vicibus.* 5. *Postea comburendam curabit vaccam in oculis suis: pellem eius, et carnem eius, et sanguinem eius una cum fimo eius comburet.* 6. *Tunc accipiet sacerdos lignum cedrinum, et hyssopum, et coccum vermiculi, proiicietque in medium combustionis vaccae.* 7. *Et lavabit vestes suas sacerdos, lavabit quoque carnem suam aqua, et postea ingredietur castra, immundusque erit sacerdos usque ad vesperam.* 8. *Ille quoque qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua aqua, lavabit et carnem suam aqua, immundusque erit usque ad vesperam.* 9. *Colliget autem vir mundus cinerem illius vaccae, et ponet illum extra castra in loco mundo: eritque congregationi filiorum Israel in custodiam in aquam separationis: nam expiatio est.* 10. *Et lavabit qui collegerit cinerem vaccae vestimenta sua, immundusque erit usque ad vesperam: et erit filiis Israel et peregrino qui peregrinatur in medio eorum, in statutum perpetuum.* 11. *Qui tetigerit cadaver omnis animae hominis, immundus erit septem diebus.* 12. *Ipse purificabitur eo die tertia, et die septima mundus erit: quod si non purificatus fuerit die tertia, die septima non erit mundus.* 13. *Quicunque tetigerit mortuum, animam hominis qui mortuus fuerit, et non fuerit purificatus, tabernaculum Iehovae polluit: et excidetur anima illa ex Israel: quia aqua separationis non fuit aspersa super eum, immundus erit, adhuc immunditia eius erit in ipso.* 14. *Haec est lex: Quum quis mortuus fuerit in tabernaculo, quicunque ingressus fuerit tabernaculum, et quidquid fuerit in tabernaculo, immundum erit septem diebus.* 15. *Omne item vas apertum super quo non fuerit operculum adiectum, immundum est.* 16. *Quicunque praeterea tetigerit in superficie agri occisum gladio, aut mortuum, aut os hominis, aut sepulcrum, immundus erit septem diebus.* 17. *Tollentque pro immundo de pulvere combustionis oblationis pro peccato, et ponent super eum aquam vivam in vase.* 18. *Capiet item hyssopum, et intinget in aquam vir mundus, et sparget super tabernaculum, et super omnem supellectilem, et super animas quae fuerint ibi, ac super eum qui tetigit os illud, vel occisum, vel mortuum, vel sepulcrum.* 19. *Asperget, inquam, mundus super immundum die tertia, et die septima, et mundabit eum die septima: postea lavabit vestimenta sua: lavabit quoque sese aqua, et mundus erit in vespera.* 20. *Vir autem qui immundus fuerit, et non purificaverit se excidetur anima illa e medio congregationis, quia sanctuarium Iehovae polluit: aqua separationis non est aspersa super eum, immundus est.* 21. *Et erit eis in statutum perpetuum: et qui sparserit aquam separationis, lavabit vestimenta sua: quique tetigerit aquam separationis, immundus erit usque ad vesperam.* 22. *Et quidquid tetigerit immundus, immundum erit: et anima quae tetigerit ipsum, immunda erit usque ad vesperam.*

1) Autre dependence de la purgation generale du peuple.

1. *Hoc est statutum legis.* Quia fieri non potest quin fideles dum versantur in mundo, aliquid contagionis subinde ex multarum sordium attactu contrahant, describitur hic aquae confectio, cuius aspersione abluant et expient suam immunditiem: deinde notantur certa genera pollutionum, quarum purgatio exigitur. Iubet Deus mactari vaccam rufam, quae iugum nunquam passa sit: et comburi extra castra simul cum pelle et excrementis, cineres colligi ab homine mundo, et exponi extra castra ad communes populi usus. Verum ut vim reconciliandi habeat aqua quae tincta fuerit hoc cinere, iubet simul Deus septies coram altari spargi sanguinem digito sacerdotis. Porro huius caeremoniae duplex fuit finis. Voluit enim Deus attentum reddere populum ad sordes suas propius reputandas: atque ut intus puri essent, voluit tamen sedulo circumspicere ne aliunde inquinarentur. Deinde quoties infecti essent aliqua labe, docuit aliunde petendam esse expiationem, nempe a sacrificio et aspersione. Atque ita admonuit, frustra homines a se ipsis remedia quaerere ad se purgandos: quia nulla puritas nisi ex sanctuario prodiret. Qui subtiliter in singulis argutantur, quaedam parum firma afferunt: fruantur ergo suo sensu. Nobis vero sufficiat tenere quorsum Deus spectaverit in hac caeremonia, et quae inde utilitas redierit ad populum. Per colorem rufum volunt notari peccatum. Interea ne in manifestam repugnantiam incurrant, coguntur absurde interpretari quod sequitur, integram requiri vaccam et absque macula, ac si dictum esset, ne qua sit in pilis varietas: quum idem exigat Deus quod in reliquis sacrificiis, quae ut vitiosa reiiciebantur, si qua in illis exstaret deformis nota. Quo sensu additur: Quae nunquam iugum tulerit. Ergo mihi dubium non est quin praecipiat Deus eligi puram iuvencam, non mutilam vel claudam, et quo melius appareat integritas, iugi adhuc expertem. Quid ergo sibi vult rufus color? Primum nescire malo quam dubium aliquid asserere: deinde probabilis coniectura est, electum fuisse colorem magis vulgarem et consuetum, ne quid esset nimis conspicuum, vel in albedine, vel in nigredine. Hoc quidem fixum manere debet, integram et omni vitio puram iuvencam debuisse offerri et quae ad ferendum iugum non fuisset manibus hominum subacta, ut purgatio nihil haberet humanum. Toti autem populo datur mandatum offerendi: quia, ut ablutionis simus participes, necesse est ut Christum quisque patri offerat. Etsi enim ipse unus, et quidem semel, se ipsum obtulit, quotidiana tamen oblatio, quae fit per fidem et preces, nobis mandatur: non qualem imaginati sunt papistae, a quibus coena impie hoc perverso errore in sacrificium conversa fuit, quod putabant quotidie immolandum esse Christum, ut mors eius prodesset. Verum longe diversa est haec de qua loquor fidei et precum oblatio, qua tantum nobis applicamus vim et fructum mortis Christi.

3. *Et dabitis eam Eleazar.* Hic clarum ponitur discrimen inter duas oblationes: quia populo non permittitur iuvencam mactare, sed hoc munus est proprium sacerdotis. Ita mediate obtulit populus per sacerdotis manum, quo modo etiam hodie, quamvis Deo placando ante eius faciem Christum sistamus, necesse tamen est ipsum intervenire et fungi sacerdotis partibus. Porro iuvencam educi oportuit e castris, in signum anathematis: quoniam piaculum erat. Qua ratione etiam piaculares victimae, quarum sanguis inferebatur in sancta sanctorum, cremabantur extra castra. Cuius figurae veritas in Christo impleta fuit: qui ideo extra portas urbis passus est, teste apostolo (Heb. 13, 11). Quia autem haec quaedam erat reiectionis species, ne minoris pretii esset iuvencula, aut maledictione pollutam ducerent Israelitae, sacrum et grati odoris eius sanguinem ostendit Deus, septies altare ipso aspergi iubens, quod fas non erat ulla immunditie inquinari. Hoc idem in Christo clarissime perspicitur. Etsi enim factus est pro nobis maledictio, et peccatum vocatur, quia peccata nostra in cruce maledicta portando, expiatrix fuit victima, nihil tamen ex eius puritate detractum est, quum eius sanctitas totius mundi esset sanctificatio. Obtulit enim se ipsum in spiritu, et per sanguinem proprium intravit in sancta (Heb. 10, 14), et mors eius vocatur alibi a Paulo sacrificium suavissimi odoris (Ephes. 5, 2 et Phil. 4, 18).

6. *Tunc accipiet sacerdos lignum cedrinum.* Ut cum aquae aspersione coniuncta simul esset sanguinis aspersio, in ignem coniiciebantur lignum cedrinum, hyssopus, et coccineum ligamen, ex quibus aspersorium fieri solebat. Nisi enim hoc visibili symbolo admoniti fuissent Israelitae, non ita liquido scivissent se non tantum aqua ablui, sed sacrificii etiam oblatione deleri suas sordes. Sanguinem vero fundi non satis erat, nisi eius irrigatione mundati essent, ut ante visum fuit. Quum autem ligni cedrini pretiosus sit odor, in hyssopo vis sit purgandi: hinc iterum colligimus, mundam fuisse illam victimam, quamvis peccata simul cum eorum maledictione et piaculo sustineret. Quomodo autem aspergamur Christi sanguine, docet Petrus, nempe per spiritum (1. Pet. 1, 2): imo singulas huius caeremoniae partes in Christo inveniri docet Ioannes in sua canonica (1. Ioann. 5, 6), Christum venisse scribens in aqua et sanguine, et spiritum qui veritas est, de eo testificari.

7. *Et lavabit vestes suas.* Videntur haec primo intuitu pugnare, sacram Deo et puram esse iuvencam et tamen polluere sacerdotem suo contactu: quae tamen optime inter se conveniunt. Quod enim tam sacerdos quam minister combustionis immundi

erant usque ad vesperam, non leviter populum pungere debuit, ut peccatum magis abominari disceret. Sed quum cineres colligere nonnisi mundo homini fas esset, nec alibi reponere quam in loco mundo, hoc symbolo demonstratum fuit, non subsistere ullam maculam in ipso sacrificio, sed ab extranea et adventitia labe censeri quodammodo impurum: quia abstergendis sordibus destinatum erat. Unde et aqua in quam coniiciebatur cinis, tam aqua separationis quam expiatio dicta fuit. Haec enim lectio quam reddidi genuina est: ac perperam vertunt alii: In aquas separationis, et ad expiationem. Vetus interpres, quoad hanc vocem, sensum non male reddidit, quod vacca sit combusta pro peccato. Sed quoniam Hebraei חטאת tam scelus vel peccatum, quam hostiam cui imponitur maledictio, significat: melius exprimitur quod voluit Moses nomine expiationis. Separatio autem ad homines refertur, quos propriae sordes arcebant a sacro coetu. Quaeritur tamen cur statutum hoc commune dicatur tam advenis peregrinantibus in terra Israel quam indigenis: quia minime consentaneum fuisset mundari incircumcisos. Solutio facilis est, peregrinos intelligi non qui prorsus alieni essent a populo, sed qui oriundi ex gentibus profanis amplexi erant legem: eos in sacrificiis et reliquo cultu Deus aequat Abrahae filiis: ne, si dispar esset conditio, scinderetur ecclesia, in cuius corpus insiti erant.

11. *Qui tetigerit cadaver.* Nunc species quasdam pollutionum recitat in quibus necessaria fuit lotio: omnes tamen ad unum caput redeunt, nempe contactum cadaveris, ossium, sepulcri, contaminare homines. Neque hic distinctio ponitur inter hominis occisi cadaver, et eius qui in lecto mortuus est. Unde sequitur mortem hic proponi tanquam maledictionis Dei speculum. Et certe si consideratur eius origo et causa, in quolibet homine mortuo se profert naturae corruptio, qua imago Dei foedata est: quia nisi toti vitiosi essemus, non nasceremur ad interitum. Sed alio etiam significandi modo Deus populum docuit, labem contrahi, ubi communicamus operibus infructuosis tenebrarum. Peccata enim vocat apostolus (Heb. 6, 1) opera mortua vel ab effectu, vel quia, sicuti fides est vita animae, ita infidelitas in morte ipsam detinet. Quum ergo cadaver, ossa, sepulcrum, designent quidquid afferimus ex utero: quia, donec simus regeniti, et nos spiritu suo et fide vivificet Deus, vivendo sumus mortui: non dubium est quin admoniti fuerint filii Israel ut se puros Deo servarent, ab omni corruptione abstinendum esse: quod si ex hominis mortui contactu macula infecti essent, confugiendum mox esse ad ablutionem. Denique non alio spectavit caeremonia, nisi ut puri a vitiis carnis sincere Deum colerent, seque exercerent in continua meditatione poenitentiae: quod si a puritate excidissent, Deum interposito sacrificio et lotione, studerent sibi placare.

13. *Quicunque tetigerit mortuum, nec purificatus.* Gravitas poenae capitalis ostendit quantopere Deo placeat munditìes. Poterat quispiam, si oblitus esset die tertio vel septimo se aspergere, temporis iactura redimere suam negligentiam: quia tantum protrahebatur in alium diem lustratio, sed ingredi cum sordibus sanctuarium, capitale erat: quia hoc modo permixta fuissent sacra profanis: imo pollutum fuisset altare cum toto Dei cultu. Verum quidem est levis momenti fuisse tactum cadaveris, nec pro scelere nefando fuisse habendum: sed hic externa immunditìes per se non reputatur ac si labe ex pio officio contracta offensus esset Deus: quin potius finis caeremoniae spectandus est, quod Deus talibus rudimentis Israelitas tanquam pueros docere voluit, si quis inficeret sacra suis sordibus, minime in hac audacia esse tolerandum. In hoc igitur sita fuit religio, cultum Dei magis esse pretiosum, quam ut eum impune contaminari sinerent Israelitae. Unde colligimus sacrilegio irrogatam fuisse poenam. Summa huc redit, Deum non rite coli nisi corde sincero et puris manibus: si quid autem labis contractum sit, expiatione opus esse, antequam liber ad sacra accessus pateat. Notandum vero est, quoad contactum, parem fuisse rationem, sive in agro iaceret cadaver, sive domi. Verum si quis in tabernaculo esset mortuus, solo ingressu homines fuisse pollutos, similiter vasa quae operculo carerent fuisse polluta.

22. *Et quidquid tetigerit immundus.* Alii vertunt: Quisquis tetigerit immundum, immundus erit. Nam quum Hebraei neutro genere careant, potest relativum אשר et nomen הטמא tam masculinum quam neutrum esse: et uterque sensus non male conveniet: nisi quod ex secundo membro colligimus, potius de contagione hic tractari, qua immundi tam homines quam vestes et reliqua vasa inficiunt. Neque enim ad vesperam usque duntaxat immundi erant qui tetigerant cadaver, ossa, vel sepulcrum, sed totis septem diebus. Videtur autem addita fuisse haec clausula, ne fremerent Iudaei ob poenae atrocitatem: quod Deus leve delictum morte plecteret. Hac igitur ratione demonstrat Moses quanto reatu se obstringant qui immundi perrumpunt ad sanctuarium, quia Dei sanctitatem, quantum in se est, non sine intolerabili contumelia polluunt. Atque hinc videtur sumpta fuisse prophetae obiurgatio, ubi Iudaeis exprobrat, eos nihil aliud quam foedare cultum Dei suis sacrificiis [1]). Proponit enim hanc quaestionem sacerdotibus: Si tulerit homo carnem sanctam in ora vestis suae, et tetigerit

1) *Editiones ad hunc locum laudant Mal. 2, ubi nihil tale legitur. Alludit autor ad Hagg. 2, 10 sq.*

panem, vel pulmentum, vel oleum, vel vinum, vel aliud quidpiam, an sanctificabitur? Postquam hoc negarunt, rursus interrogat: Si tetigerit pollutus in anima aliquid ex his omnibus, annon contaminabitur? Respondent: Contaminabitur. Unde infert propheta: Sic populus iste, et sic gens ista ante faciem meam, dicit Iehova, et sic omne opus manuum eorum et quaecunque obtulerint mihi, polluta erunt. Idem locus germanum huius caeremoniae usum demonstrat, vitiosos et perversos cultores probro magis quam honore Deum afficere, dum sacrum eius nomen suis inquinamentis permiscent.

EX DEUT. XXIII [1]).

9 [2]). *Quum egressus fueris in exercitu contra hostes tuos, cave ab omni re mala.* 10. *Si fuerit in te quispiam non mundus casu nocturno, egredietur extra castra, nec ingredietur in medium castrorum.* 11. *Quum autem aspexerit vesperum, lavabit se aqua et quum occubuerit sol, ingredietur castra.* 12. *Locus etiam erit tibi extra castra, egredierisque illuc foras* 13. *Paxillus item erit tibi inter vasa tua, et quando desidebis extra, fodies ipso, et conversus operies excrementa tua.* 14. *Iehova enim Deus ambulat per medium castrorum tuorum, ut eripiat te, et tradat inimicos tuos coram te. Sit igitur in castris tuis sanctitas, ne videat in te turpitudinem aliquam, et avertatur abs te.*

9. *Quum egressus fueris in exercitu.* Quod de servanda domi et in otio puritate docuit, nunc extendit etiam ad castra bellica: ut in medio strepitu armorum puros se ab omni macula conservent. Scimus, ut plurimum leges in bellis cessare, dum omnia impetu magis quam ratione aguntur, et scimus multa solere militibus permitti, quae in pace nullo modo toleranda essent. Huic malo Deus mederi voluit, idem puritatis studium Israelitis in bello commendans quod in pace. Est enim haec lex specialis, quae in militia dissolutos et effraenes esse vetat: sicuti ante in genere omnem immunditiem damnavit. Ac si diceret nullo praetextu fore excusabiles si intermittant colendae puritatis exercitia. Neque enim in exercitu et castris cautos esse iubet, ac si domi impune delinquerent, sed admonet, Deum minime veniam daturum, quamvis necessitatem belli praetexant: multo magis exaggeratur crimen, si in otio et composita mente se coinquinent. Unde colligimus, frustra captari inanes praetextus, dum ulla in parte violantur Dei mandata: quia quantumvis difficile sit officium praestare, Deus tamen ius suum nunquam resignat. Porro si delicta bellum non excusat, quod videtur leges solvere, multo gravior (ut dictum est) censebitur eorum culpa qui in tranquillo vitae statu licentiose ad peccandum feruntur.

10. *Si fuerit in te quispiam.* Deus pollutionum species enumerat, ex quibus cognoscant Israelitae quid sibi velit cavere a re mala. Primo eos qui per insomnium profuderint semen immundos esse pronunciat, et eiicit e castris, donec vespere se abluerint. Deinde vetat alvi excrementis castra inficere: neque id solum, sed etiam quum egressi fuerint e castris, iubet sub terram sua excrementa defodere, ne qua foeditas appareat. Probabile autem est, per synecdochen designari quidquid immundos et pollutos reddebat homines. Sed Moses, militariter loquendo, satis habuit breviter docere, quamvis ad bellum gerendum intenti forent, curandam simul esse munditiem. Per accidens noctis omnium consensu intelligitur seminis profusio. Unde colligitur quantopere hominem foedet impudicitia, quum ex turpibus somniis labes contrahatur. Quod ad secundam partem spectat, quidam acuti et dicaces videri appetunt in exagitando Mose, quod inter sanctitatis praecepta hoc posuerit, Ne quis ventrem in castris exoneret. Scilicet, inquiunt, stercoris egestio Dei nares olfactu laedere potuit. Sed facile coarguitur futilis eorum petulantia, quod Deus talibus rudimentis veterem populum in officio continuerit, ne libertas etiam in rebus minimis audaciam pareret. Si permissum fuisset sordibus passim castra inquinare, mox obduruisset populus ad quamlibet spurcitiem. Iniecto itaque fraeno retenti fuerunt, ut magis sollicite animos ad spiritualem integritatem adiicerent. Falluntur etiam qui putant sanae valetudinis haberi rationem, ne morbos gigneret foetor ac corporibus esset noxius. Clare enim exprimit Moses se non tantum respicere quid salubre sit, vel etiam quid honestum coram hominum oculis: sed potius assuefacere populum, ut a sordibus abhorreat, seque sincerum et impollutum conservet. Subiicit enim, Deum praesidere castris, ut eos a vi et impetu hostium protegat: timendum vero esse, si castra contaminent, ne offensus sordibus et maculis eos deserat. Summa est, quum opus habeant Dei auxilio, ubi cum hostibus bellandum est, studium sanctitatis non debere in ipsa militia omitti vel negligi.

1) Autre dependence de se tenir nettement en cachant ses povretez (*sic*).
2) Hebr. 10—15.

EX DEUT. XXII [1]).

9. *Non seres vineam tuam diversis speciebus seminum, ne forte polluatur fructus seminis quod sevisti, et fructus vineae.* 10. *Non arabis cum bove et asino pariter.* 11. *Non indues te diversa specie, lana et lino pariter.*

EX LEVIT. XIX.

19. *Statuta mea observabitis. Animal tuum non facies coire cum altero semine. Agrum tuum non seres diverso semine, et vestis contexta ex lana et lino non ascendet super te.*

EX EODEM CAPITE.

23. *Quum ingressi fueritis terram, et plantaveritis omnis generis arborem fructiferam, tunc praeputiatum ducetis praeputium eius, fructum eius: tribus annis erit vobis incircumcisa: non comedetis eius fructus.* 24. *Quarto autem anno erit omnis fructus eius sanctitas laudum Iehovae.* 25. *Anno vero quinto comedetis fructum eius, ut multiplicet vobis fructum suum. Ego Iehova Deus vester.*

EX EODEM CAPITE.

27. *Non attondebitis comam capitis vestri in circuitu, nec radetis extrema barbae.* 28. *Incisionem pro mortuo non facietis in carne vestra, neque sculpturam notae facietis in vobis. Ego Iehova.*

EX DEUT. XIV.

1. *Filii estis Iehovae Dei vestri. Non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo.* 2. *Quoniam populus sanctus es Iehovae Deo tuo, qui te elegit ut sis ei in populum peculiarem e cunctis gentibus quae sunt in superficie terrae.*

Deut. 22, 9. *Non seres vineam.* Haec quatuor praecepta quae omnes adventitias corruptelas damnant, primi appendices esse non dubito, et ratio in Deuteronomio addita eo nos dirigit, ubi Deus pollui seminis proventum ac vineae pronunciat, si varia sit mixtura. Unde apparet non aliud exigi nisi ut munditiem colant. Verbum quidem קדש quod usurpat Moses, est sanctificare, sed per antiphrasin pro contaminare accipitur. Eodem pertinet quod sequitur, ne arent cum bove et asino. Quae varietas non alia de causa improbata fuit, nisi quod inquinamenti aliquid contrahunt homines simulatque a simplicitate degenerant. Si quis tamen aliter sentiat, non contendam vehementius. Posset quidem obiici, quod Deus admitti vetat promiscue animalia, ut inter se misceantur quae sunt diversi generis, ad castitatem spectare, quod autem agrum vetat conseri diversis seminibus, et texturam fieri ex diversis materiis, hoc modo fraudibus occurri. Verum simplicius est populum retineri in puritate, ne assuescat corruptis moribus, et ne hinc inde accersat ritus alienos, vel mixturas appetat prava curiositate, quae tandem perveniant ad cultum Dei. Nam si inter se coeant diversa animalia, vitiatur naturae integritas, et inde nascitur adulterina soboles, quae a Dei institutione degenerat: si vero plures seminum species simul essent commixtae, vel ex lino et lana contexta fuisset vestis, nihil erat a captione et dolo periculi in re conspicua. Ergo probabile est, propositum fuisse Deo quem dixi finem, ut nativam simplicitatem tota vita colendo, puros se et integros ab omni externo vitio servarent. Hac ratione fermento scriptura comparat alienas doctrinas, quae minuendo vel addendo vitiant sincerum Dei verbum (Mat. 16, 11). Atque haec non parum utilis fuit exercitatio: dum in rebus minimis et prope nihili fraenum illis iniiciebatur, ne vel tantillum a puritate deflecterent. Exigua res erat filum magis subtile subtexere crassiori: et forte haec industria ad communem usum profuisset: in quibusdam etiam agris uberior seges provenit, si semen ex puro tritico et siligine sit compositum. Placuit etiam admissura equi et asinae: quia inde muli procreantur. Noluit tamen Deus veteri populo id permittere, ne paulatim ad maiorem licentiam delapsi gentium moribus et institutis tandem se addicerent. Ideo praefatur his verbis: Statuta mea custodite: ex quibus colligimus, circumdatos fuisse populo cancellos, vel praefixas metas, ne se profanaret externis vitiis, et gentes a quibus separatus fuerat, imitaretur. Quare haec summa est, ut in Dei statutis maneant.

Levit. 19, 23. *Quum ingressi fueritis.* Quin arborum sicuti hominum circumcisio ad primum praeceptum pertineat, mihi ambiguum esse non videtur: non solum ut symbolum adoptionis suae conspicerent Iudaei in ipsis arboribus, sed ut discerent non licere, nisi solis Dei filiis, earum fructu vesci: deinde, quidquid terra gignit, prima sua origine quodammodo esse profanum, donec purge-

1) Autre dependence de fuir toutes corruptions meslinges et desguisemens.

tur. Nam certe hac caeremonia ostensum fuit quod docet Paulus (1 Timot. 4, 5), sanctificari omnia precibus et verbo: non quod per se quidquam sit impurum: sed quia ex corruptione hominis contagionem terra contraxit: merito quoad nos innoxiae etiam fruges censentur habere immunditiem praeputii. In summa voluit Deus maceriam interiicere, qua populum suum a gentibus separaret, ac simul commonefacere, eorum quae terra producit legitimum usum nonnisi singulari privilegio a filiis Adae percipi. Sed aptissima fuit praeputii ante condictum circumcisionis annum similitudo, ut agnoscerent, eodem iure quo consecrati erant in Dei peculium, puros sibi arborum esse fructus. Porro ne gravis sit trium annorum sterilitas, compensationem promittit ex futura Dei benedictione, quia ubi ab immundo fructu abstinuerint, largior proventus in posterum sperandus fuit.

26. *Non attondebitis comam.* Liquido apparet, non aliud fuisse Dei consilium quam ut interposito obstaculo populum suum a profanis gentibus dirimeret. Nihil enim magis proclive quam ut alii ad aliorum consuetudinem se forment. Ita fit ut inter se ultro citroque communicent sua vitia. Quare in primis cavendum fuit ne populus Israel susciperet exteros ritus, et hac facilitate a genuino Dei cultu deficeret: unde etiam obtinuit vulgaris usus, ut commune acciperet pro immundo. Severe ergo prohibet Deus ne declinando ad gentium mores, discrimen a se positum confundant. Notas in facie incidere, comam tondere ad certos gradus vel circulos, et in luctu carnem suam lacerare, vel stigmatibus foedare, non dubium quin gentibus usitatum fuerit superstitionis causa. Notum est ut sacrifici Cybeles cultris ac novaculis carnem suam lancinarent, ac vulneribus se totos foedarent, ostentandi zeli causa. Id aliis etiam commune fuit: sicuti pomparum obiectu mundus facile capitur. Quanquam autem erat id per se medium, Deus tamen populo suo noluit liberum esse, ut tanquam pueri ex parvis rudimentis discerent, se non aliter Deo fore gratos nisi exteris et praeputiatis essent prorsus dissimiles, ac longissime abessent ab eorum exemplis: praesertim vero ritus omnes fugerent quibus testata fiebat religio. Experientia enim docet quantopere verum Dei cultum obscuret quidquid est ascititium, et quam facile obrepant pravae superstitiones, ubi Dei verbo assuuntur hominum commenta. Posset quidem pars ista, Super mortuo non incides etc. exponi tanquam immodici luctus correctio: quia scimus quam intemperanter ferantur homines adversus Deum ubi dolori suo habenas laxant: verum quia finis gentium erat, iusta solvere mortuis, et ferales exsequias quodam piaculi genere celebrare, probabile est ac melius convenit, toto contextu damnari praeposteros gestus, qui pietatis erant testimonia inter gentes, in populo autem Dei fuissent inquinamenta. Idem ex loco Deuteronomii, qui proxime sequitur, clarius patet: ubi coniunctim incisuram et calvitium super mortuo damnat Moses, quasi rem unam, et legem confirmat generali ratione: quod se debeant ab omni inquinamento subducere, tanquam filii Dei: quando electi sunt in populum peculiarem. Ac si diceret, irritam fieri Dei gratiam, si nihil ab alienis gentibus differant. Quod electos esse dicit ex cunctis gentibus, non parum illustrat gratuitam Dei misericordiam, qua eos dignatus est solos posthabitis gentibus, ad spem aeternae salutis vocans. Neque enim vel nobilitas in illis reperta est, vel numero excellebant, vel quavis alia praestantia, cur ipsos toti mundo praeferret. Caeterum hoc consilio singulare Dei beneficium commendat Moses quo magis exhorreant impuram commixtionem, qua se gentibus aequando a tanto honore excidebant.

EX LEVIT. XX [1]).

25. *Vos quoque discrimen facite inter animal mundum et immundum, et inter avem immundam et mundam, et ne abominabiles reddatis animas vestras in animalibus et volatilibus, atque in omni quod reptat in terra: quaę separavi vobis ad immunditiam.* 26. *Eritis autem sancti mihi: quia sanctus sum ego Iehova, et separavi vos a populis, ut essetis mei.*

LEVIT. XI.

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen et Aharon, dicendo ad eos:* 2. *Loquimini ad filios Israel, dicendo: Haec sunt animalia quae comedetis ex omnibus animalibus quae sunt super terram:* 3. *Omne dividens ungulam et findens fissuram ungularum, et ruminans inter animalia, illud comedetis.* 4. *Verumtamen hoc non comedetis ex his quae ruminant, et ex his quae dividunt ungulam, camelum, quia ruminat, et ungulam ipse non dividit: immundus erit vobis.* 5. *Et cuni-*

1) Autre dependence touchant les bestes pures ou impures. — *Operae pretium fortasse facturi sumus adscriptis animalium h. l. occurrentium nominibus de quibus vel inter doctos non omnino constat. Lev.* v. 11. cuniculus, le connil. *v.* 13: gryphus, l'orfray; haliaeetus, le faucon; *v.* 14. (Deut. 13): ixus, le tercelet; vultur, le milan; milvus, le milan. *v.* 16: noctua, la hullotte; larus, le cocu. *v.* 17: nycticorax (Deut. herodius), la chouette; mergulus, le plongeon; ibis, le hibou. *v.* 18. porphyrius, le cormorant. *v.* 19. charadrius, le heron. *v.* 22. attacus, ophiomacus, bruchus; *hic nomina hebraica servantur. In reliquis nihil notatu dignum.*

culum: quia ruminat, et ungulam non dividit, immundus erit vobis. 6. *Et leporem: quia ruminat, et ungulam non dividit, immundus erit vobis.* 7. *Suem quoque: quia dividit ungulam, et findit fissuram ungulae, ipse vero non ruminat, immundus erit vobis.* 8. *De carne eorum non comedetis, neque cadaver eorum tangetis: immunda erunt vobis.* 9. *Hoc autem comedetis ex omnibus quae sunt in aquis: omnia quibus sunt pinnae et squamae in aquis maris, et in fluminibus, illa comedetis.* 10. *Omnia vero quibus non sunt pinnae et squamae in mari, et in fluminibus, tam de omni reptili aquatili, quam de omni anima vivente quae est in aquis: abominatio erunt vobis.* 11. *Abominatio, inquam, erunt vobis: de carne eorum non comedetis, et cadaver eorum abominabimini.* 12. *Quidquid non habet pinnas et squamas in aquis, abominatio erit vobis.* 13. *Haec autem abominabimini ex volatilibus, (non comedentur: quia abominatio sunt): aquilam, et gryphum, et haliaeetum.* 14. *Et vulturem, et milvum secundum speciem suam.* 15. *Et omnem corvum secundum speciem suam.* 16. *Et filiam struthionis, et noctuam, et larum: et accipitrem secundum speciem suam.* 17. *Et nycticoracem, et mergulum, et ibin.* 18. *Et porphyrionem, et pelicanum, et cygnum.* 19. *Et ciconiam, charadrium secundum speciem suam, et upupam, et vespertilionem.* 20. *Omne reptile alatum ambulans super quatuor pedes, abominatio erit vobis.* 21. *Verumtamen hoc comedetis ex omni reptili alato quod gradietur super quatuor pedes, cui sunt crura super pedes suos, quibus saliant super terram.* 22. *Haec ex illis comedetis, locustam iuxta speciem suam, et attacum iuxta speciem suam, et ophiomachum secundum speciem suam, et bruchum secundum speciem suam.* 23. *Omne autem reliquum reptile alatum cui sunt quatuor pedes, abominatio erit vobis.* 24. *Et his polluetis vos: quicunque tetigerit cadaver eorum, immundus erit usque ad vesperam.* 25. *Et quicunque portaverit cadavera eorum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperam.* 26. *Omne animal quod dividit ungulam, et fissuram non findit, et non ruminat, immunda erunt vobis: quicunque tetigerit ea, immundus erit.* 27. *Et quidquid graditur super volas suas inter omnes feras quae gradiuntur super quatuor pedes, immunda erunt vobis: quicunque tetigerit cadavera eorum, immundus erit usque ad vesperam.* 28. *Et qui portaverit cadavera eorum, lavabit vestimenta, immundusque erit usque ad vesperam: immunda erunt vobis.* 29. *Et haec vobis immunda erunt inter reptilia quae reptant super terram, mustella, et mus, et rubeta secundum speciem suam.* 30. *Et mygale, et chamaeleon, et stellio, et lacerta et talpa* 31. *Ista immunda sunt vobis inter omnia reptilia: quicunque tetigerit illa postquam mortua fuerint, immundus erit usque ad vesperam.* 32. *Et omne super quod ceciderit aliquid ex eis postquam mortua fuerint, immundum erit, tam vas ligneum quam vestis, aut pellis, aut saccus: omne vas in quo fieri solet opus, in aquam mittetur, et immundum erit usque ad vesperam, et mundabitur.* 33. *Omne praeterea vas testaceum intra quod ceciderit aliquid ex eis, quidquid erit in illo immundum erit, et ipsum confringetis.* 34. *Omnis cibus qui comeditur, super quem venerit aqua, immundus erit, et omnis potus quo potatur in omni vase impuro, immundus erit.* 35. *Et omne super quod ceciderit quidquam de cadavere eorum, immundum erit: clibanus et chytropodes diruentur, immunda sunt, et immunda erunt vobis.* 36. *Verumtamen fons et cisterna congregationis aquarum erit munda: at quod tetigerit cadaver eorum, immundum erit.* 37. *Praeterea si ceciderit quidquam de cadavere eorum super aliquod semen satum, quod seminabitur, mundum erit.* 38. *At quum fusa fuerit aqua super semen, et ceciderit quidquam de cadavere eorum super illud, immundum erit vobis.* 39. *Quum autem mortuum fuerit aliquod animal quod sit vobis in cibum, qui tetigerit cadaver eius, immundus erit usque ad vesperam.* 40. *Et qui comederit de cadavere eius, lavabit vestimenta sua, immundusque erit usque ad vesperam: is quoque qui extulerit cadaver, lavabit vestimenta sua, atque immundus erit usque ad vesperam.* 41. *Et omne reptile reptans super terram, abominatio est, non comedetur.* 42. *Quidquid item graditur super pectus, et quidquid incedit super quatuor aut plures pedes inter omnia reptilia quae reptant super terram, non comedetis: quia abominatio sunt.* 43. *Ne impuras reddatis animas vestras in omni reptili quod reptat, nec polluatis vos in eis, neque coinquinetis vos per ea.* 44. *Quia ego Iehova Deus vester: sanctificate ergo vos, et estote sancti, quia sanctus sum: et ne polluatis animas vestras per aliqua reptilia quae reptant super terram.* 45. *Ego enim sum Iehova, qui eduxi vos e terra Aegypti, ut essem vobis in Deum, et essetis sancti, quia sanctus sum.* 46. *Haec est lex animalium terrestrium, et volatilium, atque omnium animalium viventium quae reptant, et omnium animantium reptantium super terram,* 47. *Ad distinguendum inter immundum et mundum, et inter bestias quae comedi possunt, et bestias quae comedi non possunt.*

EX DEUT. XIV.

3. *Non comedes ullam abominationem.* 4. *Haec sunt animalia quae comedetis: bovem, agnum ovium, et hoedum caprarum.* 5. *Cervum, et capream, et bubalum, et hircum sylvestrem, et damam, et bovem sylvestrem, et capram rupicolam.* 6. *Omne animal findens ungulam, et findens fiffuram duarum ungularum, ruminans inter animalia, illud comedetis.* 7. *Verumtamen hoc non comedetis ex ruminantibus et ex findenti-*

bus ungulam divisam, camelum, et leporem, et cuniculum: quia ruminant, et ungulam non dividunt, immunda sunt vobis. 8. *Et porcum, quia findit ungulam, et non ruminat, immundus est vobis: de carne eorum non comedetis, et cadavera eorum non contingetis.* 9. *Hoc comedetis ex omnibus quae sunt in aqua, quidquid habet pinnulam et squamam, comedetis.* 10. *Quidquid vero non habet pinnulam et squamam, non comedetis: immundum est vobis.* 11. *Omnem avem mundam comedetis.* 12. *Hae autem sunt ex quibus non comedetis: aquila, et gryphus, et haliaeetus.* 13: *Et ixus, et vultur, et milvus secundum speciem suam.* 14. *Et omnis corvus secundum speciem suam:* 15. *Et filia struthionis, et noctua, et larus, et accipiter secundum speciem suam,* 16. *Et herodius, et ibis, et cygnus,* 17. *Et pelicanus, et prophyrio, et mergulus,* 18. *Et ciconia, et charadrius secundum speciem suam: et upupa et vespertilio.* 19. *Et omne reptile alatum immundum est vobis, non comedetur.* 20. *Omnem avem mundam comedetis.*

Levit. 20, 25. *Vos quoque discrimen.* Sententiam hanc pendere a fine superioris versus mihi dubium non est. Etsi enim hac ratione ab incestis eos deterret, quorum mentionem fecerat, simul tamen ad praesentem doctrinam spectat, ut sit quasi praefationis loco. Denique res duas connectit, quia breviter illic Deus consilium suum demonstrat, non modo quoad illicitos et foedos concubitus, sed etiam cur populum suum vetuerit animalibus immundis vesci. Ideo dicit: Ego itaque sum Deus vester qui vos separavi a populis. Unde sequitur, non alia ratione prohibitos fuisse ab illorum animalium esu, nisi ut inde magis discerent sedulo cavere, ac se procul subducere ab omnibus gentium inquinamentis. Munditiem ante commendaverat multis symbolis: nunc vero eam ad animalia usque extendit. Atque haec ratio diligenter notanda est, discrimen inter cibos illis proponi, ut puritati studeant. Frigidum enim esset quidquid hic dicitur, nisi sciremus in eum finem positum fuisse interdictum ne se promiscue gentibus miscerent. Ideo repetitur secundo, separatos fuisse ut essent Dei haereditas. Unde infertur, sanctitatem esse ipsis colendam, ut se ad Dei sui exemplum forment. Nunc ambiguum esse non potest quin ciborum delectus qui praecipitur, appendix sit primi praecepti, quo regula traditur Dei rite pureque colendi: atque ita religio asseritur ab omnibus superstitionum mixturis.

Levit. 11, 2. *Haec sunt animalia quae comedetis.* Sciverunt ante Mosen natum sancti patres quaenam essent animalia immunda: cuius rei luculentum specimen edidit Noë, quum ex Dei mandato septena paria mundorum animalium in arcam induxit, et inde sumpsit quae Deo offerret in sacrificium gratiarum actionis. Certe exsequi non poterat Dei imperium nisi vel arcano instinctu fuisset edoctus, vel traditio haec a patribus manasset: sed nihil absurdi est si Deus traditum per manus delectum confirmare volens, discretionis notas apposuerit, quo sanctior esset observatio, ac ne qua transgressio per inscitiam obreperet. Nam et sabbathum Deus sibi a mundi creatione dicavit, et observari voluit a populo ante legis promulgationem: postea tamen peculiaris eius diei sanctitas distinctius expressa fuit. Porro animalia munda hic ab immundis distinguuntur tam nominibus quam signis. Propria nomina quae recensentur, parum nobis hodie conducunt: quia multae quae in oriente visuntur species, alibi sunt incognitae. Et Iudaeis qui in remotis locis nati erant et vixerant, hallucinari facile fuit: deinde quo audaciores sunt ad fingendum, eo minus illis fidendum est. In multis fateor, nulla est ambiguitas: praesertim in cicuribus, vel quae passim reperiuntur, vel in scriptura certas habent descriptiones. Ergo ex his signis quae hic ponuntur petenda firma cognitio: munda scilicet esse animalia quibus fissurae sunt in ungulis, et quae ruminant: quibus autem ex duobus alterum deest, immunda esse: pisces tam marinos quam fluviatiles, quibus sunt pinnae et squamae, esse mundos. Avium tale discrimen non notatur, sed tantum nominantur immundae quibus vesci religio erat. Tandem reptilium fit mentio. De singulis, si quid erit observatu dignum, postea erit agendi locus. Nunc in genere tenendum est quod prius attigi: quum gentes cibis quibuslibet vescerentur, vetitas fuisse Iudaeis multas carnium species, ut in ipso victu discerent munditiem colere: quo spectabat separatio a communi more. Unde factum fuit ut verbum חלל tam pro commune facere quam pro contaminare acciperent: et חול pollutum significat, quia sancto vel segregato opponitur. Verum quidem est gentes naturae instinctu ut plurimum abhorruisse a quorundam animalium esu quae hic prohibentur. Voluit tamen Deus cancellos circumdare populo suo, qui eum a vicinis separarent. Porro qui existimant rationem habitam esse sanae valetudinis, ac si Deus officio medici functus esset, profana speculatione pervertunt totam vim et utilitatem huius legis. Fateor quidem, quos Deus permittit cibos, salubres esse, et ad victum maxime accommodatos: verum tam ex praefatione, qua Deus admonuit populo quem elegerat colendam esse sanctitatem, quam ex legis abrogatione satis liquet, delectum hunc partem fuisse paedagogiae, sub qua Deus veterem populum continuit. Nemo vos iudicet in cibo et potu, inquit Paulus (Col. 2, 16): quia umbra fuit rerum futurarum, corpus autem est in Christo. Quibus verbis significat, quod spirituale erat, fuisse adumbratum externo ritu in ciborum abstinentia. Eodem quoque sensu alibi dicit, scire se ac persuasum esse in Christo Iesu nihil esse

immundum, quia scilicet morte sua Christus a servili subiectione suos exemit (Rom. 14, 14). Unde sequitur, inter caeremonias, quae exercitia erant cultus Dei, numerandam esse ciborum prohibitionem. Hic tamen nascitur quaestio, quomodo conveniat, iam ab aetate Noë quaedam immunda fuisse animalia, et tamen esum quorumlibet sine exceptione permissum. Quod putant quidam, discrimen a Deo tunc positum paulatim obsolevisse, recipere non possum: quia Deus solum sanguinem excipiens, destinat in alimentum posteris Noë quidquid movetur super terram. Itaque immunditiem, cuius tunc cognitio inspirata fuit patrum cordibus, ad sacrificia restringo: nec dubito quin Abrahae et patriarchis liberum fuerit suilla carne perinde ac bubula vesci. Postea quum ad cohibendam populi lasciviam iugum legis imposuit Deus, aliquid etiam rescidit ex generali permissione, non quod eum suae liberalitatis poenituerit, sed quia utile erat rudes fere et indomitos hoc modo cogere ad obsequium. Quum vero ante legem eadem fuerit sanctorum conditio quae nostra, tenendum est quod prius dixi, dictante naturae sensu sponte refugisse quosdam cibos: sicuti hodie nemo lupos aut leones venabitur ad carnes eorum edendas: ex serpentibus et aliis venenosis animalibus nemo cibum appetet. Sed alia fuit legalis mandati ratio, ne promiscua licentia cum gentibus communicarent, quia sacrum erant Dei peculium.

3. *Omne dividens ungulam.* Sicuti vereor ne allegoriis, quibus se multi oblectarunt, insistere parum firmum sit: ita non insector, neque etiam repudio quod traditum fuit a veteribus: per scissuram ungulae notari prudentiam in diiudicandis scripturae mysteriis, per ruminationem vero coelestis doctrinae seriam meditationem. Quanquam argutia illa mihi non placet, dum addunt eos recte discernere qui norunt e litera elicere mysticos sensus: quia inde factum est ut quidvis sibi comminisci permiserint. Quod ergo simplicius est amplector, non esse fissuram in omnibus qui tantum sapiunt ex carnis sensu: quia solus spiritualis diiudicat omnia, ut inquit Paulus (1. Cor. 2, 15). Accedat ruminatio oportet ad spiritualem cibum probe coquendum et digerendum. Multi enim scripturam deglutiunt absque profectu: quia neque sincero affectu in ea proficere cupiunt, neque quaerunt, tanquam alimento, animas suas reficere: sed inanibus scientiae delitiis contenti, vitae formandae studium pro nihilo ducunt. Ergo sub priore membro damnatur brutus stupor, sub altero autem curiosorum hominum ambitio et levitas. Immunda quidem animalia Deus Petro in visione proposuit (Act. 10, 12) tanquam gentium imagines et figuras, ideoque probabili analogia, quod de animalibus dicitur transferre ad homines licet. Verum cur in ungue bisulco et rumine notas apposuerit Deus, mihi nihilo magis liquet, quam cur vetuerit carnem suillam comedere: nisi forte quia unguis continuus signum est feritatis: quae autem non ruminant, sordes et excrementa ut plurimum sorbent. Scimus hac de causa certatum fuisse magna contentione statim post evangelii promulgationem, quod ex Iudaeis quidam nimium legi addicti, nec tenentes ciborum delectum fuisse inter reliquas caeremonias, volebant eadem necessitate, quae imposita fuerat veteri populo, obstringi novam ecclesiam. Tandem apostolorum decreto libertas gentibus permissa fuit vescendi cibis quibuslibet, excepto tantum sanguine et suffocato, idque ad tempus, vitandae offensionis causa: quia vix aliter placati fuissent Iudaei. Nunc postquam abrogatum fuit quod Deus ipse praeceperat de carnium delectu, diabolicae audaciae fuit humanis legibus conscientias obligare, ne libertate a Christo parta fruerentur. Superest una quaestio, quomodo Deus immundum pronunciet quod creavit: quia si reiicitur animal propter immunditiem, pars ignominiae in ipsum autorem redundat. Videtur etiam haec reiectio pugnare cum prima Dei sententia, dum considerando cuncta quae fecerat agnovit valde bona. Solutio est, nullum unquam animal per se fuisse immundum, sed hoc ad usum referri. Sicuti in arbore scientiae boni et mali naturaliter nihil vitii aut noxae fuit, ut sua labe hominem inficeret, qui tamen mortem inde contraxit prohibitionis respectu. Quare etiam hoc loco non damnat Deus opus suum in animalibus, sed quoad esum vult censeri impura, ut abominetur populus quod sibi vetitum est. Denique sola est transgressio quae inquinat: quia animalia nunquam mutarunt naturam: sed in Dei arbitrio fuit, quod licitum vel illicitum esse vellet, statuere. Ita solvitur altera obiectio. Pronunciat Christus (Matt. 15, 11), quod ingreditur in os hominis non inquinare hominem. Si quis inde colligat, perperam damnari innoxia animalia, respondendum est, per se non censeri immunda, sed in alium finem. Valuit enim semper doctrina illa, regnum Dei situm non esse in cibo et potu (Rom. 14, 17): sed quum Israelitis interdiceret Deus esum huius vel illius cibi, hac caeremonia fuerunt admoniti quam abominabilis esset interior cordis pollutio. Ac talibus elementis paulatim formati adductique fuerunt ad spiritualem doctrinam: ut scirent non aliud hominem polluere, quam quod egreditur ex ore eius. Nunc diversa est fidelium conditio, quibus parta est libertas, ex quo Christus abrogata lege chirographum in decretis positum cruci affixit (Col. 2, 14).

4. *Verumtamen hoc non comedetis.* Clarius exprimit quod ante indicaverat: nempe animal, quamvis ruminet, non protinus esse mundum, nisi findat ungulam: atque ex opposito, non sufficere scissam ungulam nisi coniuncta sit ruminatio. Quibus verbis

docuit Moses, dimidiam munditiem vel mutilam non debere Deo obtrudi. Si cui placeat, rumen symbolum esse internae puritatis, fissuram vero ungulae externae, probabilis forte erit sententia. Quoniam mihi in mentem venit haec distinctio, quamvis acutis speculationibus non delecter, in medium proferre volui, sic tamen ut libera sit electio. Interea certo tenendum est quod nuper dixi, Deum exigere solidam munditiem, nec inquinatam ulla mixtura. Fuit autem prohibitio Iudaeis maxime molesta in suilla carne, quia ad victum apprime commoda est, non modo quia suave condimentum est aliis cibis, sed quia inde minore sumptu aluntur operarii. Ideo in hac parte maxime observata fuit Iudaici populi religio. Nam quum Antiochi satellites populum ad crassam legis abnegationem cogere vellent, tantum urgebant esum carnis porcinae. Atque hinc celebre Augusti dicterium: Mallem porcus esse Herodis quam filius: quod a suibus abstinens, filiorum esset carnifex. Porro ut maiore cura hoc interdictum servarent Iudaei, tactus etiam ipse vetitus illis fuit: ut non modo carnem porcinam gustare nefas esset, sed etiam manibus tractare, ex quo occisum erat animal. Eadem non fuit ratio carnis bubulae, aut vervecinae: quia cibos manibus tractare necesse est.

9. *Hoc autem comedetis ex omnibus quae sunt in aquis.* Hic etiam plausibili ratione quidam in pietate minus exercitati contendunt Deum hic agere partes medici, et discernere cibos salubres a noxiis. Etsi autem satis a medicis ipsis refellitur eorum opinio, ut tamen illis concedam quod postulant, male ratiocinantur. Aliud enim Deo propositum fuit quam populi valetudini consulere: sed quia negotium erat cum rudi populo, notas vulgares delegit, quibus admoniti gradatim altius conscenderent. Infinitum esset persequi quas Isychius allegorias excogitat: et libenter nugas illas sepelio, nisi quia plerique sic ad curiositatem propensi sunt, ut vix placitura sit illis sobrietas, donec vanitas allegoriarum convicta fuerit. De squamis et scillis nihil dicam. Primo intuitu si quibusdam arrideat quod dicit nomina piscium taceri, quoniam ecclesia nomen in terris non quaerit, eam vero designari per pisces: videant quomodo conveniat, ecclesiam non esse nisi in aquis: deinde aves quae coelo propiores sunt, excludi ab hoc honore: tertio, munda animalia reiici, ac si ad ecclesiam non pertineant: postremo censeri inter electos, quorum nomen in coelis scriptum est, eos qui sua contagione inquinant ecclesiam. Nam certe ex piscibus multi sunt immundi. Qui tam perspicuis rationibus non acquiescent, eos patiar in suo labyrintho errare. Haec simplicitas modestis ac docilibus sufficiet, pisces ideo non numerari quia maior pars vulgo ignota erat Iudaeis: quorum terra quum praeter Iordanem nullos fere haberet fluvios, multos pisces fluviatiles non gignebat: marini autem non advehebantur nisi in oram finitimam.

13. *Haec autem abominabimini ex volatilibus.* Quae avium et reptilium species vetantur, eas fere communis sensus naturaliter repudiat. Et certe magna ex parte indulgenter egit Deus cum populo suo, ne oneribus nimium molestis eum gravaret. Quia tamen hominum ingluvies monstris interdum oblectatur, voluit Deus etiam in parvis rebus fraenum suis iniicere, ne se cum hominibus profanis ad intemperantiam proiicerent, quae deinde eos pollueret. Periculum enim erat ne foeda animalia vorando, obdurescerent ad alias quaslibet corruptelas. Additur alia lex, ut non solum abstineant ab esu, verum etiam si quod animal immundum fuerit occisum, ne se contaminent tactu cadaveris: imo si vasa fuissent contacta, ut fictilia quidem frangerent, alia autem abluerent. Videtur res fuisse minuta: si mus in vase aquario exstinctus foret, vas ipsum esse foedatum: videtur etiam immodicus fuisse rigor, quod iussi sunt Iudaei, si quod tale animal in labrum vinarium ceciderat, et illic fuerat mortuum, non modo effundere vinum, sed vas dissipare: si in furno esset suffocatum, vel in foco iacuisset, utrumque diruere: quasi ad res sensu carentes penetraret spiritualis contagio. Verum semper Dei consilium attendere convenit, ex quo discemus non adeo fuisse in rebus leviculis severum exactorem, ut suos affigeret earum rerum observationi: sed exercitia haec fuisse, quibus se assuefacerent ad puritatis studium, quod fere inter homines negligitur aut friget. Hodie quoque iubemur ore Pauli (1. Cor. 10, 31) quidquid agimus, sive edamus, sive bibamus, referre ad Dei gloriam: sed in hoc differimus a veteri populo, quod a puerilibus rudimentis liberi, tantum ad id quod spirituale est dirigimur, cibum et potum divinitus nobis suppeditari, ut vitae autorem pure colamus. Iudaeos autem, ut essent ad hunc finem attentiores, variis modis oportuit stimulari: dum illis Deus praecepit domos suas ab omni sorde puras servare, ac sedulos esse in aqua et vasis omnibus custodiendis: ut assidue illis ante oculos repraesentaret quam diligenter eos incumbere vellet in veram munditiem: sicuti sequitur in fine capitis.

43. *Ne impuras reddatis animas vestras.* Non proponit illis curam valetudinis, nec periculum a morbis denunciat, sed ne se coinquinent. Et subiicitur clarior explicatio. Quia ego Iehova Deus vester. Sanctificate ergo vos, quia sanctus sum. Porro ne putarent summam pietatis inclusam esse in externis caeremoniis, consideranda illis fuit Dei natura. Nam quum spiritus sit, nonnisi spiritualiter coli vult. Ita sanctitas in delectu ciborum mediate accipitur: quia non alio tendebat abstinentia, quam ut se Deo consecrarent. Proinde inexcusabilis fuit

superstitio quod substiterunt Iudaei in observatione frivola: ac si quis elementorum figuram discat, neque in usum accommodet, ut legat quod scriptum est. Ac ex eorum exemplo cognoscitur quam cupide arripiant homines quaecunque faciunt ad hypocrisin fovendam. Neque enim tantum ad terrestre suum ingenium traxerunt quae utilia erant adiumenta ad veram cordis integritatem sectandam: sed illis non contenti, coacervarunt sibi multos supervacuos ritus. Hinc aqua expiatoria vel lustralis semper in usu, quamvis nullius pollutionis sibi conscii essent: hinc anxius labor in lavandis calicibus et patinis: ut facile appareat, semper hominum vitio in abusum torqueri quod Deus optima causa instituit.

EX DEUT. XIV [1]).

21. *Non comedetis ullum cadaver: peregrino qui est intra portas tuas dabis illud, et comedet illud, aut vendes alienigenae: populus enim sanctus es Iehovae Deo tuo.*

EX EXODI XXII.

31 [2]). *Viri sancti eritis mihi: carnem in agro raptam non comedetis, cani proiicietis eam.*

EX LEVIT. XVII.

15. *Omnis anima quae comederit cadaver, aut raptum, tam de indigenis quam de peregrinis, lavabit vestimenta sua, ubi laverit se aqua: eritque immundus usque ad vesperam, deinde mundus erit.* 16. *Quod si non laverit vestes, et carnem non laverit, portabit iniquitatem suam.*

Deut. 14, 21. *Non comedetis.* Cadaverum et carnis a feris discerptae esus refertur inter pollutiones. Cadaver autem animalis intellige, quod vel fame vel morbo periit: quia ex specie mortis contraxit immunditiem quod per se alioqui purum erat. Finis praecepti colligitur ex ratione mox addita quia sint populus sanctus Dei, et ritu ablutionis, de quo tandem in Levitico praecipitur. Secundo loco idem mandatur de carne rapta quod ante de cadavere, quia lacerationis foeditas immundities censetur.

1) Autre dependence des choses impures par accident.
2) Hebr. 30.

Populi sanctitas iterum refertur quo diligentius ab inquinamentis caveat. Unde sequitur contaminatos fuisse qui carnem discerptam comederent. Itaque tertio loco rursus confirmat abstinuisse Iudaeos et prohibitos fuisse ab esu cadaveris vel carnis a bestia laceratae, ne se polluerent. Nec obstat quod cadaveris et sanguinis prohibitio simul illic coniungitur: quia scimus apud Mosen non semper servari seriem in praeceptis, sed promiscue misceri quae ad diversas classes pertinent. Ideo distinguenda censui quae diversos habebant fines. Certe dissimilitudo quae ex poena elicitur, palam apparet: Qui comederit sanguinem, excidetur e populo: qui comederit cadaver, lavabit se, et immundus erit usque ad vesperam. De carne rapta vel lacerata posset iterum moveri quaestio, sed ex contextu, meo iudicio, satis patet, carnem a bestiis laceratam censeri inter cibos immundos. Ratio enim legis exprimitur, quia electi in populum sanctum puros se et integros servare debeant: nec Deus cibum homini destinatum cani proiicere iuberet: nisi tabe infectum quae sanctos pollueret. Quod autem superiore loco iubet dare peregrino, aut vendere alienigenae ut comedant, probabile non videtur: quia id erat suggerere materiam peccandi: perinde ac si quis furioso gladium porrigat, aut merces illicitas in alios transferat. Sed huius nodi prompta est solutio: quia gentibus licuit vesci indifferenter quibuslibet cibis, quum nullum ipsis positum esset discrimen, sed potius quorundam ciborum prohibitio separationis esset nota inter ipsos et electum Dei populum. Difficilior emergit quaestio ex specie repugnantiae, quia in altero loco Moses tam peregrinos quam indigenas eadem lege obstringit, et utrosque immundos esse pronunciat si cadaver gustaverint. Verum memoria tenendum est, peregrinos vocari interdum a Mose, qui legem amplexi erant, ab exteris gentibus oriundi. Circumcisio igitur illos perinde addixit Deo, ac si originem duxissent ab Abraham. Alii autem erant peregrini, quos praeputium a filiis Abrahae separabat, tanquam profanos et exleges. Summa est, quicunque Dei nomen obtendunt, seque iactant esse ex eius populo, vocatos esse ad colendam sanctitatem, ut ab omni labe puros se conservent.

EX DEUT. XXI [1]).

10. *Quum egressus fueris ad bellum contra inimicos tuos, et dederit eos Iehova Deus tuus in manum tuam, et ex eis captivos abduxeris:* 11. *Videris autem in captivitate mulierem pulcram forma, et de-*

1) Autre dependence de se marier avec les incredules.

amaveris eam et acceperis tibi in uxorem, 12. *Introduces eam domum tuam: et radet caput suum ac praecidet ungues suos:* 13. *Deponetque vestimentum captivitatis suae a se, et manebit in domo tua, ac flebit patrem suum, et matrem suam mensem integrum: et postea ingredieris ad eam, erisque maritus eius, et erit tibi uxor.*

10. *Quum egressus fueris ad bellum.* Idem nunc de uxoribus praecipitur quod nuper de cibis. Quantum attinet ad Chananaeos, qui addicti et devoti erant exitio, vidimus Israelitas a mulierum coniugio prohibitos fuisse, ne affinitas esset peccandi illecebra: nunc vero longius progreditur Moses, ne Israelitae victoria potiti contra alias gentes, ex captivis mulieribus uxores ducant nisi solenni ritu expiatas. Haec ergo summa est, ne profanis coniugiis se Israelitae contaminent, sed hac etiam in parte puros se conservent et integros: quia separati sunt a reliquis populis, ut sint peculiaris Dei populus. Praestabat quidem in totum abstinere a talibus coniugiis: sed difficile fuit eorum libidinem sic fraenare, ne vel minimum a castitate deflecterent: deinde scimus quantum sibi licentiae in bello permittant victores, ut perfectae moderationi locus non detur. Ergo Deus indulgentiam sic temperat, ut Israelitae adoptionis, qua ipsos dignatus fuerat, memores, se non prostituant, sed in ipso libidinis fervore aliquod retineant pietatis studium. Porro hic non agitur de illicito raptu, sed tantum disserit Moses de mulieribus quae iure belli cesserant in praedam. Scimus autem victores illis impune fuisse abusos, quia illas habebant sub potestate et dominio. Sed quia multi blanditiis uxorum capiuntur, remedium adhibet Deus, ut connubium praecedat prioris vitae abnegatio: neque extraneam uxorem ducere liceat, nisi quae se a propria gente abdicaverit. Huc pertinet caeremonia, ut mulier caput radat, et praecidat ungues, vestimenta sua mutet, lugeat patrem suum et familiam toto mense, nempe ut superiori vitae renunciet, ac transeat in alium populum. Quidam ex Rabinis alio verba torquent, ac si deformitate vellet Deus animos virorum abstrahere ab amore: nam capitis rasura multum ex pulchritudine et venustate detrahit in feminis: et ungues facere (sic enim ad verbum legitur) pro nutrire accipiunt: productio autem unguium foeda est aspectu. Sed ex contextu refellitur eorum commentum, ubi iubentur se exuere vestibus captivitatis. Mihi vero dubium non est quin Deus monstruo luctu, raso capillo, et aliis signis, renovari ipsas velit, ut aliis moribus assuescant. Atque in eundem finem iubentur lugere parentes tanquam mortuos, ut populo suo valedicant. Quo videtur alludere propheta Psal. 45, quum dicit: Audi filia, et vide: inclina aurem tuam, obliviscere populum tuum et domum patris tui. Significat enim, non aliter purum et legitimum fore coniugium alienae mulieris cum Solomone quam si relictis superstitionibus, Deo se ad pietatis studium devoveat. Nec vero Deus abs re Israelitas sedulo cavere voluit ne uxores a verae religionis studio adhuc alienas acciperent: quia experientia plus satis docet quam exitialis sit laqueus. Etsi autem hodie hac observatione non tenemur, manet tamen firma ratio, ne se viri temere devinciant feminis impias superstitiones adhuc colentibus.

APPENDICES FORENSES [1]).
EX DEUT. XVIII.

19. *Erit autem ut si quis non audierit verba mea quae loquetur propheta in nomine meo, ego requiram ab eo.*

EX DEUT. XIII.

5 [2]). *Propheta autem falsus aut somniator interficietur: eo quod defectionem loquutus sit contra Iehovam Deum vestrum, qui eduxit te e terra Aegypti, et redemit te e domo servorum, ut te depelleret a via quam praecepit tibi Iehova Deus tuus, ut ambules in ea: et exterminabis malum e medio tui.*

Hactenus primi praecepti appendices recensui, quae ad veteres umbras et legalem cultum pertinent. Ipsum praeceptum semper vigebit ad finem usque mundi: nec solis Iudaeis, sed nobis communiter datum est. Caeremoniis autem usus est Deus olim, tanquam temporalibus adminiculis, quarum etsi usus cessavit, manet adhuc tamen utilitas, quia inde melius apparet quomodo rite colatur Deus: et ipsa vis pietatis illic relucet. Ergo in praecepto continetur tota substantia, in externis vero exercitiis est veluti forma, cui nonnisi veterem populum Deus addixit. Nunc sequuntur appendices politicae, ubi Deus poenam sumi iubet si violata fuerit religio. Neque enim leges politicae tantum feruntur de terrenis negotiis, ut inter se homines mutuam colant aequitatem, et quod rectum est sequantur atque observent: sed ut se in Dei veneratione exerceant: nam et inde orditur Plato dum legitimum reipublicae statum format, Deique timorem vocat legum omnium prooemium. Nec ullus unquam exstitit profa-

1) Dependences politiques ou iudiciales.
2) Hebr. 6.

nus scriptor, qui non confessus sit hanc praecipuam esse partem civitatis bene compositae, ut Deum revereantur omnes uno consensu et colant. In hoc quidem caeca fuit hominum prudentia, quod duxerunt, quaecunque placuisset religio, eam iure et poenis sanciendam esse, rectum tamen fuit illud principium, perverti totum iuris ordinem si negligitur pietatis cultus. Caeterum, ut Deus religionis curam et studium iudicibus commendat, et eius contemptum iubet publice vindicari: ita rursum communi vitio occurrit, ne temere zelo inconsiderato ad severitatem prosiliant. Quia enim stulte singuli populi, urbes et regna deos sibi comminiscuntur, legem suam proponit Deus, a cuius regula nefas sit deflectere. Prudenter a terrenis legislatoribus cautum est, ne quis separatim habeat Deos: sed totum illud est evanidum nisi praeluceat veri Dei cognitio. Merito itaque Deus populum suum revocat ad eam, quam ipse tradidit doctrinam, ut puniatur quisquis eam contumaciter spreverit. Iam, quia non sufficeret semel esse scripta lege edoctos de probo Dei cultu, nisi accederet quotidiana praedicatio, diserte instruit Deus prophetas suos autoritate: ac si quis eam violaverit, poenam denunciat. Prius dixerat se excitaturum prophetas, ne deterior esset electi populi conditio quam aliarum gentium. Quoniam ergo apud eos deposuit verae pietatis thesaurum, ut sint quasi eius custodes, nunc si quis parere eorum mandatis recuset, exitium minatur. Neque tamen de quibuslibet, qui sibi propheticum nomen arrogant, eum loqui patet ex particula: In nomine meo, quae tantundem valet, ac si diceret a se profectos: nec quidquam proferre nisi suo iussu. Neque enim, si falso multi obtendunt Dei nomen, protinus in eos competit tam honorificum elogium, nisi Deus ratum habeat: sed hoc fidis et probis doctoribus vere proprium est, ipsos loqui in Dei nomine. Sic dum Christus promittit, ubi duo vel tres convenerint in nomine suo, se in medio eorum fore, non dignatur tanto honore hypocritas, qui sacrilega audacia usurpant saepe eius nomen: sed de re ipsa loquitur: quod et iam plenius ex opposita lege apparet, quae deinde sequetur.

Deut. 13, 5. *Propheta autem ille.* Quia plausibili integumento decipiunt Satanae ministri, dum se pro Dei prophetis venditant: antehac admonuit Moses, non indifferenter audiendos esse quoslibet doctores, sed discernendos esse veros a falsis, ut adhibito iudicio fidem demum obtineant qui merentur. Iam et poenam adiungit, si quis sub titulo prophetae obrepserit, ut populum ad defectionem traheret. Neque enim ob particularem tantum errorem, aut levem, capitali poenae subiicit qui falsam doctrinam sparserint, sed qui apostasiae sunt autores atque ita pietatem radicitus convellunt. Observa iterum, huic severitati locum non esse, nisi postquam stabilita est certa religio: ideoque nominatim exprimitur crassa impietas, si populum abducere tentaverint a veri Dei cultu. Porro ut tollatur omnis excusatio, dicit Moses satis patefactum esse quisnam sit Deus, et quomodo sit colendus: idque tam mirabili redemptionis beneficio quam legis doctrina. Ergo ut ostendat Deus iuste tam gravem poenam sumi de apostatis, certitudinem religionis, quae vigere debebat apud Israelitas, in medium proponit: ac si diceret, nullam impio contemptui veniam dari posse, quum et deitatis suae gloriam satis approbaverit redemptionis miraculo, et voluntatem suam patefecerit in lege. Tenendum igitur est, non aliter poenae obnoxium esse impietatis crimen, quam si religio non tantum publico consensu et hominum suffragiis recepta fuerit, sed firmis quoque indubiisque testimoniis subnixa veritatem suam a dubitatione vendicet. Caeterum ut praepostera est eorum severitas qui superstitiones gladio tuentur: ita in politia bene constituta minime tolerandi sunt profani homines, a quibus religio convellitur. Hoc ferre nequeunt qui vellent impune sibi concedi turbandi licentiam: itaque sanguinarios appellant qui publica autoritate coërcendos esse docent impios errores, quibus labefactatur religio, atque adeo evertitur. Verum quid Deo palam obstrepentes proficient? Occidi iubet Deus pseudoprophetas, qui pietatis principia convellunt, et defectionis sunt magistri ac duces. Reclamat nescio quis nebulo, seque vitae et mortis autori opponit. Quaenam haec protervia: Quod Dei veritatem negant indigere tali subsidio, verissimum est: sed quid hoc furoris sibi vult, Deo legem imponere, ne magistratus obsequio hac in parte utatur. Quorsum porro attinet de necessitate litigare, quando ita Deo placet? Posset carere Deus gladii adminiculo ad religionem tuendam: non vult. Quid autem mirum si magistratus iubet Deus esse gloriae suae vindices, qui furta, scortationes, ebrietates, a poena eximi non vult, nec patitur? In minoribus delictis fas non erit iudici cessare: ubi violatur Dei cultus et tota pietas, dissimulando tantum crimen fovebitur? Adulteriis statuetur capitalis poena: impune cedet Dei contemptoribus, salutis doctrinam adulterando, miseras animas a fide abstrahere? Nunquam veneficiis dabitur venia, quibus solum corpus laeditur: et ludus erit animas aeterno exitio tradere? Denique magistratus, si laesa fuerit eius autoritas, eius contemptum graviter ulciscetur: profanationem sacri Dei nominis inultam sinet? Quid magis prodigiosum? Verum rationibus pugnare supervacuum est, ubi Deus semel pronunciavit quid sibi placeat: cuius inviolabili decreto stare necesse est. Quaeritur tamen an haec lex ad Christi regnum, quod spirituale est ac remotum a terrenis imperiis, pertineat. Et sunt quidam non

improbi alioqui homines, quibus videtur absimilis nostra conditio sub evangelio, quam fuerit veteris populi sub lege: non tantum quia regnum Christi non est ex hoc mundo, sed quia exordia regni sui Christus noluit gladio adiuvari. Atqui dum promovendo Christi regno consecrant suam operam terreni iudices, nego propterea eius naturam mutari. Quanquam autem adversante totius mundi potentia evangelium suum voluit Christus promulgari a suis discipulis, eosque sola voce armatos exposuit tanquam oves lupis: non posuit sibi aeternam legem, quin tandem reges ipsos in obsequium cogeret, ac mansuefaceret eorum violentiam, atque ex infestis persequutoribus efficeret ecclesiae suae patronos et custodes. Tyrannidem exercuerunt initio magistratus adversus ecclesiam, nempe quia nondum venerat tempus quo filium Dei oscularentur, et deposita violentia, ecclesiae quam oppugnaverant fierent nutritii, secundum vaticinium Isaiae 49, 6 [1]): quod certe ad Christi adventum refertur. Nec vero frustra Paulus, dum precari iubet pro regibus et aliis mundi iudicibus, causam addit, ut sub ipsis tranquillam vitam agamus cum omni pietate et honestate (1. Tim. 2, 2). Christus quidem, ut mitis est, ita discipulos suos (fateor) vult esse imitatores suae lenitatis: verum id non obstat quominus ecclesiae saluti et tranquillitati in pietatis defensione consulant pii magistratus: quia hanc partem negligere summa esset perfidia et crudelitas. Et certe nihil indignius, quam dum videmus miseras animas trahi in aeternum interitum ab impiis et sceleratis praefractisque impostoribus, impunitate concessa, illarum salutem pro nihilo ducere. Quod si hoc praetextu grassati sunt superstitiosi ad fundendum innoxium sanguinem: respondeo non debere ullo abusu vel corruptela hominum in nihilum redigi quod semel Deus mandavit. Nam sicut Christi martyres a maleficis in poenae similitudine sola causa satis superque discernit: ita non efficient papae carnifices iniusta saevitia, quin zelus piorum magistratuum in puniendis falsis et noxiis doctoribus Deo placeat. Idque Mosis verbis optime exprimitur, dum ex lege Dei ferendum esse iudicium admonet. Iam dixi rigorem hunc non debere ad particulares errores extendi, sed ubi impietas ad defectionem usque prorumpit. Porro ubi additur: Ut te depellat e via quam te docuit Deus, hinc colligimus, nullos ad poenam trahendos esse, nisi qui manifesto Dei verbo convicti fuerint, ne suo arbitrio iudicent homines. Unde etiam liquet, perperam zelum ardere in exserendo gladio, nisi praecesserit legitimum examen.

1) *Margo laudat Ies.* 49, 6. *Respexit potius Noster ad* 60, 16.

EX DEUT. XVII.

12. *Vir autem qui egerit in superbia ut non audiat sacerdotem qui stat ut illic ministret Iehovae Deo tuo, aut iudicem, morictur vir ille, et exterminabis malum ex Israele.* 13. *Atque omnes e populo audiant, ut timeant, neque in posterum superbiant.*

Similis poena in eos edicitur, qui contumaciter respuerint sacerdotum iudicium. Prius visum fuit, sacerdotio coniunctum fuisse munus propheticum: quando (teste Malachia 2, 4) foedus Dei fuit cum Levi, ut custodes scientiae essent eius posteri, et legis interpretes: saepe tamen inflicta fuit poena sacerdotum desidiae, quum alios populo suo doctores praefecit Deus. Quidquid sit, utrique pro ipso legatione functi sunt. Ergo sicuti nuper sancita fuit prophetarum autoritas, idem nunc ad sacerdotes ius transfertur: nec mirum, quia Deum eius ordinis autorem spernere, non leve crimen fuit. Tenendum tamen memoria quod alibi admonui, non armari tyrannica potestate sacerdotes, ut quidquid pro libidine sua decreverint, reiicere nefas sit. Neque enim vel se exauctoravit Deus, quum illos crearet, vel quibuslibet placitis sine discrimine obstrinxit conscientias, sed tantum iniicere fraenum voluit eorum proterviae, quibus nulla religio est vilipendere legitimum ecclesiae regimen. Nam sic habendum est: si promiscue liceat reiicere quidquid statuerint ecclesiae praefecti, foedam et horribilem fore dissipationem. Ac ridiculum esset ad gubernandum vocari quibus nulla suppeteret dignitas: ideoque reverentiam quae hic exigitur, legitimis omnibus imperiis deberi, ostendit ipse naturae sensus ac dictat. Autor sacerdotii erat Deus: idem iudices creabat. Quid magis absurdum quam impune contemni ac rideri qui Dei nomine et mandato praesidebant? Verum nunquam eousque extulit mortalem hominem ut se iure suo abdicaret: imo saepe necesse fuit, intrepide reiicere quod mandabant sacerdotes. Profanum altare ad exemplar Damasceni, quod Achaz miserat, erexit Urias sacerdos, et illic sacrificium obtulit (2. Reg. 16, 12): an necesse fuit Isaiae subscribere? Imo detestabilis fuit omnium adulatio, qui decreto scelesti ac perfidi sacerdotis assensi sunt. Quin etiam videmus prophetas ut plurimum adeo non fuisse suffragatos sacerdotibus, ut apertum cum illis bellum gesserint. Ac tota haec causa deciditur ex verbis Mosis: quando non absolute damnat quicunque non paruerint, sed addita speciali nota legem suam restringit: nempe si contemptus ex superbia vel arrogantia proveniat. Capitale ergo non aliter fuit sacerdoti vel iudici non parere, quam si quis per fastum contra ordinem a Deo positum insolesceret. Alioqui frustra exceptio haec fuisset interposita. Denique obedien-

dum olim fuit sacerdotibus, quatenus publicae tranquillitatis intererat, reverenter coli pastores divinitus ordinatos: sic tamen ut Deo ipsi, unico capiti et principi omnium pastorum, nihil decederet. Quam insulse vero hoc ad se trahant papistae, alibi visum fuit.

13. *Atque omnes e populo.* A fine demonstrat non esse parcendum superbis contemptoribus: quia ad commune exemplum poenae spectant: sicuti rursum impunitas est illecebra peccandi, et effraenis licentiae nutrix. Et certe dum terrorem incuti iubet toti populo, subindicat, nisi proterviae obviam eatur, et improbos atque audaces cohibeat disciplinae rigor, ianuam apertam illis esse ad pessundandam ecclesiam.

EX DEUT. XIII.

6 [1]). *Si incitaverit te frater tuus, filius matris tuae, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor complexus tui, aut amicus tuus qui sit sicut anima tua, clam dicendo: Eamus et colamus deos alienos quos non noveris neque tu, neque patres tui,* 7. *E diis populorum qui sunt in circuitu vestro, sive propinqui sint, sive remoti a te, ab extremo regionis usque ad extremum eius,* 8. *Non acquiesces ei, neque obedies ei, nec parcet ei oculus tuus, neque misereberis, neque occultabis eum.* 9. *Sed occidendo occides eum: manus tua erit in eum prima ad ipsum interficiendum, deinde manus universi populi.* 10. *Et lapidabis eum lapidibus, et morietur: quia quaesivit te abstrahere a Iehova Deo tuo, qui eduxit te e terra Aegypti, e domo servorum.* 11. *Ut totus Israel audiant et timeant, nec addant facere quidquam simile huic rei pravae in medio tui.*

6. *Si incitaverit te frater.* Poena quam iusserat falsis doctoribus infligi, nunc ad singulos e populo extenditur. Etsi enim levius est in homine privato crimen, alios in errorem secum trahere, quia et excusabilis est inscitia, et eum non gravat professio docendi: defectio tamen a pietate, undecunque proveniat, Deo est intolerabilis. Tantum haec duo capita, quae ante notavimus, tenenda sunt, non aliter locum esse huic iudicio, nisi ubi recte constituta est religio: deinde non esse quoslibet indifferenter ad mortem trahendos qui aliqua in parte erraverint, sed hanc severam animadversionem in solos apostatas statui qui pietatem radicitus convellunt, ut cultus Dei adulteretur, vel aboleatur pura doctrina. Neque sane iubet Deus linguae lubricitatem capitaliter puniri, si quid inconsiderate exciderit: sed sceleratum consilium religionis mutandae: quemadmodum verba clare sonant. Caeterum quam singularibus modis commendet nobis Deus fovendae et asserendae pietatis studium, attendere operae pretium est. Nam quia leges generales variis exceptionibus eludi solent, diserte exprimit, neque fratri, neque filio, neque uxori, neque intimo cuique amico parcendum esse. Oculus autem parcere dicitur, quia plurimum valet aspectus ipse ad affectus movendos in utramque partem. Ideo non abs re exigit Deus fortitudinem, quae nec lacrymis, nec blanditiis, nec spectaculi tristitia ad misericordiam flectatur. Emphaticae quoque sunt loquutiones: Frater tuus, qui ex eodem utero prodierit, uxor quae in sinu tuo vel complexu dormit, amicus quem non secus ac te ipsum diligis: ne quo humanitatis affectu languescat purus zelus, dum videtur sacrum eius nomen profanari. Pronunciat Christus, neminem esse dignum quem agnoscat pro discipulo, nisi qui patrem et matrem et filios neglexerit, ubi fuerit opus. Ita nunc Deus tenerrimos omnes affectus qui a natura sunt ingeniti, et in quibus optimi quique sibi interdum indulgent, si nos a vindicanda sua gloria impediant, pronunciat esse vitiosos. Uxorem et liberos amare tanquam propria viscera, pium et laude dignum est: fratrem et amicum simili amore prosequi, nulla ratio vetat: modo omnibus praeferatur Deus, cuius gloriam prodere in hominis favorem nimis praeposterum est. Nam uxorium amorem, et quidquid eiusdem coloris est, obtendere, quid aliud est quam opponere Deo eiusque praeceptis nostros affectus? Quare rigorem ad quem nos obdurat, velle inflectere non ferenda est mollities. Iam gravitas poenae duas habet iustissimas causas: quia et in vindicandis Dei contumeliis frigemus prope omnes, ubi maxime ardere oportebat: et quemadmodum periculosis morbis adhibentur acriora remedia, sic tam noxiae pesti et prorsus mortiferae aequum est non vulgariter occurri. Quo etiam spectat particula clam vel occulte. Quanquam enim videri posset inhumanum, prodere qui publice non deliquit: quia tamen sectarii lucem fugitantes, clandestinis artibus et fallaciis obrepunt, necesse est eos prohibere ne fraudulenter veneno suo inficiant singulas domos, ut semper accidit. Mature ergo prohiberi vult Deus insidiosos eorum conatus, ne longius serpat contagio.

7. *E diis populorum.* Summa huc tendit, acquiescendum esse in veritate cognita, ut clausae sint aures diversis omnibus figmentis. Vicinitas facere solet ut homines inter se communicando, alii aliorum moribus se conforment. Ita ultro citroque commeant vitia: atque ut ad malum fere sumus propensi, qui deteriores sunt, rectos pervertunt. Quum ergo ab omni parte circumdatus esset populus Israel idololatris, facile ad imitationem allici poterat,

1) Hebr. 7—12.

nisi obviam itum esset. Ponit autem circuitum, quia hinc sumi poterat persuadendi color, quod non tantum ab una gente differret Israelis religio, sed ab omnibus quae regioni quaquaversus oppositae erant. Nam in quascunque orbis plagas spectarent, obiiciebantur eorum oculis exempla quae ipsos attraherent in novam et extraneam religionis formam. Postea amplificat, addendo: Si etiam longinquae sint gentes illae: non enim cum solis vicinis erat dissidium Israelitis, sed quasi a toto humano genere segregati erant. Erat autem haec non levis tentatio, non reperire in toto mundo ullos socios, vel ullius gentis consensum. Adde quod interdum ipsa longinquitas venerationem ignotis conciliat. Siquidem hominum curiositas, volitando, sua levitate terras et maria transscendit, ut sub novitatis specie monstra pestifera sibi accersat. Interea Deus fidem in verbo suo fundatam in sublimi locat, ut omnium gentium mores, instituta, ritus, et consuetudines despiciat. Neque enim impietate vere profecit nisi cui foetet quidquid alienum est.

9. *Sed occidendo occides.* Non vult quemque privatim exsequi vindictam absque publico iudicio: sed respexit ad communem usum, quod noxios et damnatos testes primi lapidabant, ut alibi videbimus. Optima autem fuit ratio, ut eosdem Deus vellet esse poenae exsequutores qui crimen detulerant, quo magis cauti essent ac moderati in ferendis testimoniis. Ratio quae in fine additur: Quia captavit te abducere a Deo tuo qui te eduxit, crimen iterum exaggerat ab ingratitudine: quae eo detestabilior erat, quo magis inaestimabile erat redemptionis beneficium. A Deo cognito deficere per se grave erat scelus, sed gravius redemptorem suum vilipendere. Postremo adiungitur utilitas et fructus severitatis: quia dum exigitur de unius maleficio poena, aliis omnibus incutitur terror: et ita unius interitus, propter exemplum salubris est omnibus disciplina.

EX DEUTER. XIII.

12 [1]). *Si audieris de una urbium tuarum quas Iehova Deus tuus dat tibi ut habites ibi, aliquem dicentem:* 13. *Egressi sunt quidam homines filii impietatis e medio tui, qui impulerunt habitatores urbis suae dicendo: Eamus et colamus deos alienos quos non nostis,* 14. *Tunc inquires, et investigabis, ac interrogabis diligenter: et siquidem veritas sit et rumor verus, quod facta sit abominatio ista in medio tui,* 15. *Percutiendo percuties habitatores urbis illius acie gladii, perdendo eam, et quidquid in ea fuerit, et iumenta eius acie gladii.* 16. *Atque omnia spolia eius congregabis in medio plateae eius, et combures igni urbem ipsam et omnia spolia eius prorsus Iehovae Deo tuo, eritque tumulus perpetuus, non aedificabitur amplius.* 17. *Neque adhaerebit manui tuae quidquam de anathemate, ut avertatur Iehova ab ira furoris sui et det tibi misericordias, misereaturque tui, ac te multiplicet quemadmodum iuravit patribus tuis.*

1) Hebr. 13—18.

12. *Si audieris de una.* Si latius dominetur impietas ac defectio, pronunciat Moses potius delendas esse totas urbes cum suis incolis quam ut tantum crimen maneat impunitum. Unde melius colligimus quam impura sit eorum mollities qui poenas sumi vetant de violato Dei cultu. Si qua seditio orta fuerit in exercitu aliquo vel populo, et contagio ad totam multitudinem pervenerit, non ultra progredi solet aequi et moderati ducis severitas quam ut de praecipuis autoribus supplicium sumat: quum ergo sine exceptione omnes iubet Deus e medio tolli, hinc apparet quanta sit criminis atrocitas. Unde etiam monemur, frigere apud nos gloriae Dei studium, nisi pluris sit nobis vera religio quam salus unius urbis aut populi. Quod si turmatim ad mortem trahendi sunt simul tam multi, plus quam detestabilis est impudentia, et misericordia crudelis, ut uni homini parcatur, laesam Dei maiestatem pro nihilo ducere. Et sane quando neque in alium finem sumus creati, nec alia de causa vivimus nisi ut Deus glorificetur in nobis, totum mundum perire satius est quam homines terrae alimentis frui, ut eam sacrilegiis suis contaminent. Ac si zelo flagrassent qui initio professi sunt Christi nomen, non tot corruptelis obruta et fere exstincta esset vera pietas. Semper autem tenendum est quod ante dixi: hoc rigore non aliter utendum nisi dum pessundatur religio, non tantum publica autoritate et omnium suffragiis recepta, sed solide probata: ut certo constet nos esse Dei vindices contra impios.

13. *Egressi sunt filii Belial.* Ponit Moses, quod accidere ut plurimum solet. Non enim omnes simul uno momento ad impietatem prorumpunt, sed quosdam subornat Satan qui aliis incitandis sint flabella. Eorum instigatione turba ad imitationem trahitur. Tales vocat Moses filios Belial, qua voce quidam notari putant praefractos homines, et exponunt Absque iugo. Rectius tamen videntur sentire qui interpretantur homines nihili, in quibus nihil probum reperitur, vel laude dignum: et transferunt ad verbum, eos qui non ascendunt. Ubique accipitur haec dictio pro sceleratis, improbis et nequam. Ideo et Belial Paulus Christo opponens, designat Satanam impiorum omnium caput (2. Cor. 6, 15). Egressos dicit quod ausi fuerint prodire in medium, et suam impietatem palam efferre. Cae-

terum quamvis a paucis autoribus profecta sit mali origo, non vult tamen in ipsis solis poenam consistere: ac si ad vulgi excusationem valeret alienus impulsus. Iubet autem diligenter inquiri, duplici de causa: ne scilicet vel conniveant ac segnes sint ac dissoluti, vel nimis fervide prosiliant ad ferendum iudicium: quia scilicet ut nunquam aequitatem sequimur, nec decernimus quod rectum est in praecipiti ardore: ita negligere tantum crimen, turpis segnities est ac perfidiae affinis. Ita tam sedulitas quam moderatio commendatur, ut neque torpeant iudices, nec statuant quidpiam nisi re bene comperta.

15. *Percutiendo percuties.* Ne quem perturbet poenae acerbitas, primo notemus non fuisse dandam errori veniam, quia educati in legis doctrina non poterant nisi volentes decipi: ac si pietatis fastidio, diaboli imposturas appeterent. Hac ratione Deus apud Ieremiam (2, 10), quo gravius Iudaeis inconstantiam exprobret, eos ablegat ad insulas et gentes remotas: Ite, inquit, et inquirite an gens ulla mutaverit deos suos, qui tamen non sunt dii. Populus autem meus mutavit gloriam suam in eum qui prodesse nequit. Obstupescite coeli super hoc, etc. Merito enim prodigiosa censeri debuit levitas, quod sponte desererent fontem vitae, ac praepostero novitatis studio ad vanitatem raperentur. Si quispiam excipiat, parvulos saltem fuisse insontes: respondeo, quia Dei iudicio obnoxii sunt omnes a minimo usque ad maximum, frustra nos cum eo litigare, etiam si foetus ipsos adhuc inclusos in visceribus matrum perdat. Quum Sodoma et vicinae urbes absorptae sunt, non dubium est in tanta multitudine simul periisse multos parvulos et mulieres gravidas: quia hic sensus noster reclamat, coeleste tribunal reverenter potius suscipere convenit quam nostris legibus subiicere. Idem et in Babylonis excidio valere debet. Nam propheta exclamans beatos fore qui allident parvulos eius ad lapidem (Psal. 137, 9), commendat certe iustam Dei vindictam. Itaque hoc quoque loco, si nobis non videtur rationi consentaneum totam impiorum sobolem e mundo exterminari, sciamus Deum iure suo fraudari quamdiu proprio sensu metimur immensam illam altitudinem, quam angeli ipsi cum admiratione adorant. Quanquam tenendum est Deum nunquam fuisse passurum ullos infantes occidi, nisi quos iam reprobasset ac destinasset aeternae morti. Quod si Deo permittimus spe salutis privare quos visum est, cur reprehendetur temporalis poena, quae multo levior est? Quin potius ex severitate huius legis discamus quam detestabile sit crimen, falsos et adulterinos cultus erigere: quod non parvulos modo, qui nondum per aetatem conscii sunt, sed iumenta et pecudes, tecta quoque et parietes contaminat. Sequitur enim continuo post:

16. *Atque omnia spolia eius congregabis.* Iubentur supellectilem omnem, et quidquid in urbe repertum fuerit, comburere: et ratio additur, quia sit anathema. Si qua urbs vi capta fuisset, in praedam cessurum erat quidquid Deus hic vult incendio consumi: quia solo tactu Iudaei se polluerent. Fieri quidem potest ut Dei consilium fuerit lucri cupiditati occurrere: ne Iudaei cum zelo rapinas suas miscerent: sed praecipua fuit ratio quae exprimitur a Mose, ut populus magis assuefieret ad detestationem criminis quod videbat Deum tam atrociter ulcisci. חרם quod anathema Graeci verterunt, proprie occisionem vel abolitionem significat: sed חרם dicitur esse coram Deo quod vult in nihilum redigi, quia eius conspectum ferre nequit. Ideo hic dicitur, combures Iehovae Deo tuo. Nam quod alii reddunt Propter dominum, paulo remotius est. Summa huc tendit, si a Dei vindicta sibi metuant, eumque cupiant habere propitium, in exsecratione habeant domos et vasa eorum qui desciverint a lege. Porro misericordiae et miserendi vocibus innuit, si summo iure ageret Deus, scelus unius urbis sufficere ad perdendam totam regionem. Unde colligitur exigi speciem expiationis ad Deum placandum, ubi iubentur urbem funditus excidere, et in ignem coniicere omnes reliquias.

EX EXODI XXII.

18 [1]. *Maleficam non patieris vivere.*

EX LEVIT. XX.

6. *Anima quae respexerit ad Pythones et ariolos, ad fornicandum post eos, ponam faciem meam contra animam illam, et exterminabo e medio populi sui.*

EX EODEM CAPITE.

27. *Vir sive mulier in quibus fuerit Python, vel aruspicum spiritus, moriendo morietur: lapidando lapidabunt eos: sanguis eorum super eos.*

EX NUMER. XV.

30. *Anima quae fecerit in manu excelsa, tam civis quam peregrinus, ut Iehovam contumelia afficiat,*

1) Hebr. 17.

excidetur anima illa e medio populi sui. 31. *Quia sermonem Iehovae contempsit, et praeceptum eius irritum fecit: excidendo excidetur anima illa: iniquitas eius in ea.*

EX LEVIT. XX.

1. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Filiis Israel dices: Quicunque e filiis Israel, et e peregrinis qui peregrinantur in Israel, dederit e semine suo Moloch, moriendo morietur: populus terrae lapidibus lapidabit eum.* 3. *Ego etiam ponam faciem meam contra virum illum, et exterminabo eum e medio populi sui, eo quod dederit e semine suo Moloch, ut contaminaret sanctuarium meum, et profanaret nomen sanctitatis meae.* 4. *Quod si abscondendo absconderit populus terrae oculos suos a viro illo quando dabit ex semine suo Moloch, non interficiendo illum,* 5. *Tunc ponam ego faciem meam in virum illum, et in familiam eius, et succidam eum et omnes qui scortantur post ipsum, ut scortentur post Moloch, e medio populi sui.*

EX EXODI XII.

15. *Quicunque comederit fermentatum a die primo usque ad diem septimum, excidetur anima illa ex Israel.*

ITEM IN FINE.

19. *Quicunque comederit fermentatum, exterminabitur anima illa e coetu Israel: tam peregrinus quam indigena terrae.*

Exodi 22, 18. *Maleficam non.* His locis poena statuitur, si qua in parte violatus fuerit cultus Dei. Nuper vidimus quam severe Deus ultus fuerit defectionem a pietate: nunc autem species quasdam attingit, ubi non ex professo religio deseritur, sed invehitur aliquid corruptionis, quo inficitur ipsa puritas. Primus locus capitalem poenam decernit adversus maleficas: quo nomine intelligit Moses incantatrices, vel sagas, quae magicis artibus dant operam, tam ut fascinis laedant, quam ut revelationes a diabolo petant: qualis fuit illa quam consuluit Saul, licet aliter vocetur. Quoniam tales praestigiae scelestam Dei abnegationem secum trahunt, non mirum est si morte puniri Deus velit. Porro quum haec pestis nihilo magis in viro quam in muliere ferenda sit, probabili ratione existimant legem de mulieribus fuisse latam, quia sexus hic ad superstitionem propensior sit. Certe Deut. 18, idem praecipitur de viris: nisi quod illic non decernitur poena, sed tantum vetat Deus ne quis sit maleficus in populo, vel incantator. Iam vero certum est alias omnes species quae illic numerantur, nunc sub una comprehendi: ac si capitali supplicio subiiceret Deus tam augures, et magos, et pythonicos, et necromantiae vel magicis artibus deditos, quam incantatores. Idque melius liquet ex secundo et tertio loco: ubi Deus se fore adversarium denunciat omnibus qui se ad pythones et ariolos converterint, ut eos exterminet e populo suo, deinde lapidibus obrui iubet. Ergo, quia aequum non esset viros impune evadere, ubi mulierum infirmitati non parcitur, et in causis paribus dissimile ferri iudicium: eadem poena quae in sagas et incantatrices statuta fuit, nunc extenditur ad utrumque sexum et omnes magicas superstitiones. In verbis etiam: Respexerit ad scortandum, exprimitur iterum criminis atrocitas, ducta similitudine ab impudicis mulieribus, quae vago aspectu feruntur ad suam libidinem. Significat ergo Moses, simul ac coniicimus oculos huc vel illuc, nec eos tenemus defixos in uno Deo ut simus eo contenti, violari sacrum coniugium quo nos sibi devinxit.

Num. 15, 30. *Anima quae fecerit in manu.* Varie transfertur hic versus, quidam enim sic legunt: Anima quae aliquid fecerit manu superba, contumelia Deum affecit, ideoque exterminabitur: ita essent duae propositiones. Nos diversam sententiam sequuti sumus, uno contextu legentes: Anima quae manum superbam extulerit in contumeliam Dei, exterminabitur: ad verbum est: Anima quae fecerit in manu excelsa, ex indigena et ex peregrino, Iehovam ipse blasphemans, et evelletur anima illa e medio populi sui. Sed quia utraque versio probabilis est, nec quidquam mutat in summa rei, libere mihi permisi eligere quod sensum clarius explicabat. Porro: Facere in manu excelsa, nihil aliud est quam tentare vel aggredi per superbiam quod fas non est. Nam manus nostras convenit regi Dei verbo, et quasi fraenari, ne se attollant. Etsi autem pluribus modis lasciviunt in audacia hominum manus, specialis tamen hic sermo est de profanatione veri ac legitimi cultus Dei, ubi temere aliquid excogitatur ab eius puritate alienum. Neque enim vel furtis, vel caedibus, vel aliis sceleribus poena statuitur: sed perversis figmentis, quae ad pietatem vitiandam spectant. Postea additur ratio, quod vilipenderit sermonem Iehovae, et pro nihilo duxerit eius praeceptum. Neque enim leve delictum est, fines a Deo positos transgredi. Iam certum est fictitios omnes cultus prodere impium contemptum ac si homines ex professo Deum vili-

penderent, et aspernarentur eius mandata. Unde colligimus, nihil magis adversum esse integrae sinceraeque religioni quam temeritatem, ubi sequitur quisque quod placet. Clausula ubi dicitur: Iniquitas eius erit super eum, duobus modis potest exponi: vel ut confirmet Moses iustam esse hanc poenam, et merito infligi: vel, ut admoneat, antequam longius serpat impietas, mature esse occurrendum. Utrumque placet.

Levit. 20, 1. *Loquutus est Iehova.* Huius superstitionis prohibitio ante suo loco fuit exposita: nunc Deus poenam exigere iubet, si quis ea se inquinaverit. Et certe detestabile fuit sacrilegium, sobolem quae Deo genita erat, et quam adoptaverat in femore Abrahae, idolis mancipare: quia hoc modo non tantum spoliabant Deum iure suo, sed adoptionis gratiam, quantum in se erat, delebant. Quod ergo in genere pronunciavit, nunc ad speciem applicat, ut lapidentur qui semen suum obtulerint Moloch: alioqui enim cavillis effugere tentassent, sibi non esse in animo deficere ad alienos deos. Quemadmodum hodie in papatu friget ac vilipenditur quidquid profertur ex scriptura contra impios et vitiosos cultus: quia idololatrias suas fucando, secure in illis sibi indulgent. Postquam autem iudicibus mandavit Deus ut severe crimen hoc puniant, simul denunciat, si forte connivendo et parcendo foveant, se ipsum fore ultorem, ut longe durius persequatur qui elapsi fuerint e manibus hominum, neque id modo, sed etiam ut conscios omnes eadem damnatione implicet.

Exodi 12, 15. *Quicunque comederit.* Haec lex ad observationem paschatis specialiter refertur. Ante vetuit Deus usum fermenti: nunc vero poenam edicit, si quis neglecta prohibitione fermentum miscuerit cum paschate. Porro non absque ratione in hunc locum distulimus quod contexit Moses cum institutione paschatis. Id enim methodus a nobis proposita flagitat, ut leges politicae, quae poenarum denunciatione sanciunt Dei cultum, proprium ordinem obtineant. Porro ex poena apparet, quamvis res per se sit levis momenti abstinere a fermento (sicuti Paulus docet in corporalibus exercitiis exiguam esse utilitatem [1 Tim. 4, 8]), quatenus tamen in illa caeremonia continebatur populi redemptio, summum scelus fuisse non observare quidquid Deus praescripserat. Ritus enim legales a suo fine aestimari oportuit.

EX DEUTER. XVII.

14. *Quum ingressus fueris terram quam Iehova Deus tuus dat tibi, et possederis eam, et habitaveris in ea, ac dixeris: Constituam super me regem sicut omnes gentes quae sunt per circuitus meos,* 15. *Constituendo constitues super te regem quem elegerit Iehova Deus tuus: e medio fratrum tuorum constitues super te regem: non poteris constituere super te virum alienigenam, qui non sit frater tuus.* 16. *Verum non multiplicabit sibi equos, neque reducet populum in Aegyptum ad multiplicandos equos: quum Iehova dixerit vobis: Non adiicietis reverti per hanc viam amplius.* 17. *Neque multiplicabit sibi uxores, neque avertetur cor eius, neque plurimum argentum et aurum sibi cumulabit.* 18. *Verum quum sederit super solium regni sui, tunc describet sibi exemplar legis huius in volumine, a conspectu sacerdotum et Levitarum.* 19. *Eritque apud eum, et leget in eo cunctis diebus vitae suae: ut scilicet discat timere Iehovam Deum suum, et observare omnia verba legis huius, atque statuta haec, ut faciat ea.* 20. *Ne elevetur cor eius super fratres ipsius, neque declinet a praecepto ad dextram aut ad sinistram, ut proroget dies in regno suo: ipse et filii eius in medio Israelis.*

14. *Quum ingressus fueris.* Hoc lôco Deus commendat regnum sacerdotale cuius alibi fit mentio. Nam quia regii nominis splendor poterat eorum oculos perstringere, ut obliviscerentur Deum inter ipsos tenere summum imperii gradum, mature admonentur: minime aequum esse ut regno hominis mortalis minuatur Dei maiestas. In summa, Deo subiicitur regia potestas: et reges ipsi consecrantur in eius obsequium, ne populus unquam profanescat, qualiscunque contigerit mutatio. Etsi autem sub iudicibus religio saepe fuit pessundata: non tamen abs re lex peculiaris de regibus lata est: quia nihil magis proclive quam ut terrenae pompae homines a pietate abducant. Postquam tenemus Dei consilium, nunc singulas partes expendere convenit. Praeterit (sicut dixi) totum medium tempus usque ad initium regni: quia haec novitas plus periculi secum ferebat. Quantisper enim praefuerunt iudices: diversa species regiminis eos separabat a profanis gentibus. Omnes undique vicini regibus parebant: Deus iudices ex media plebe praeficiendo, semper eminebat. Ubi autem coeperunt sibi reges asciscere, sic permixti fuerunt gentibus ut facilis esset lapsus ad alias corruptelas. Ipsa enim similitudo propius eos coniunxit. Qua ratione diserte exprimitur: Dum constitues super te regem, instar omnium gentium quae sunt per circuitus tuos. Significat enim Deus exemplum gentium, perversam illis fore illecebram, ut regem appetant, atque ita communis sit in posterum conditio, quae coelesti decreto distincta fuerat. Denique iam oblique damnatur eorum contumacia: quum Deus fore praedicit ut excusso iugo lasciviant. Sicuti etiam contigit: quia repudiato Samuele, tumultuose regem flagitarunt. Qua in re alibi conqueritur Deus se fuisse

spretum. Nascitur tamen quaestio, quomodo haec duo conveniant, reges dominaturos libidine vel stulto desiderio populi, et tamen regnum ipsum esse praecipuum populi decus, singulare gratiae Dei pignus, adeoque salutis et plenae felicitatis. Celebre est vaticinium Iacob: Non exibit sceptrum e Iuda donec veniat Silo (Gen. 49, 10). Unde apparet, regem incomparabilis beneficii loco, filiis Abrahae fuisse promissum. Cur ergo Deus se non facit eius autorem? Respondeo, quamvis Dei consilium ab initio fuisset effigiem Christi in Davide proponere: quia tamen praepostera festinatio populi ordinem illum turbavit, principium regni adscribi eorum culpae, quos perversa aemulatio impulit ut vellent gentibus esse similes. Deinde videtur consulto Deus eorum pervicaciam notasse, ac si dixisset: Quamvis regem creando ad gentes propius accedas, cave tamen ne perversa cupiditas te prorsus a vera pietate abducat.

15. *Constituendo constitues super te regem.* Primum Deus sibi in creando rege summum ius vendicat, nec rem permittit populi suffragiis: ut ita castiget eorum audaciam qui praecipiti impetu regem postulassent: deinde sumi iubet ex ipso populo, et alienigenas excludit, quia si fuissent admissi, aperta erat defectioni ianua. Quisque enim deos patrios obtrudere conatus esset: ac potentia regali, vi et minis oppressa fuisset vera religio. En, cur Deus passus non fuerit aliunde peti regem quam ex ipso ecclesiae sinu: ut purum cultum, quem a pueritia imbiberat, foveret ac tueretur.

16. *Verum non multiplicabit sibi equos.* Hic certis finibus circumscribitur regis potestas: ne imperii gloria fretus se nimis extollat. Scimus enim quam inexplebiles sint regum cupiditates: quia sibi quidvis licere fingunt. Quantumvis ergo splendida sit regia dignitas, non vult Deus praetextum esse immensae potentiae, sed eam ad civilem modum restringit ac temperat: qua nota rursum discernit reges Israeliticos a profanis. רק adversativa est particula, quam alii vertunt tantummodo: eodem fere sensu: quia haec exceptio addita fuit ad cohibendos regum impetus. Prima prohibitio, ne equorum multitudinem colligat: sed quia bis repetitur, videndum est quo sensu. Multi sic vertunt: Non cumulabit sibi equos, nec reducet populum in Aegyptum ut cumulet equos. Quae loquutio dura est atque obscura. Porro quum particula למען significet propter, et ad verbum commode vertere liceat: Propter multiplicare equos, vel: Propter ad multiplicandum: non dubito quin Deus ab effectu condemnet immodicam equorum turmam: quia poterat regum animos titillare, ut audacter expeditionem susciperent contra Aegyptios. Hunc igitur genuinum esse sensum existimo, ne rex equos nimia copia sibi comparet, ac ne, ubi instructus fuerit multis equis, exercitum ducat in Aegyptum. Itaque inter alia mala quae oriri possent ex equorum multitudine, hoc commemorat Moses, quod regis animus inflabitur superbia, ut irrumpat cum equestri exercitu in Aegyptum. Iam quaeritur cur vetuerit Deus populum illa via redire. Quidam exponunt, equos fuisse emptos contra Dei mandatum, qui commercium tale vetuerat: quod non videtur consentaneum. Alii prohibitum fuisse populum existimant a transitu deserti, ne sua curiositate ingrati essent Deo: quod etiam longe petitum est. Mihi autem probabile videtur, ideo vetitum illis fuisse iter illud ut liberationis memores contenti essent suis finibus. Erepti e mille mortibus fuerant: si illuc sponte profecti essent ad hostem lacessendum, confidentia signum fuisset contemptae ac sepultae Dei gratiae. Ergo ut memoria redemptionis eorum animis maneret penitus infixa, voluit Deus suis miraculis hunc honorem tribui ut loca illa tanquam mortis abyssos fugerent. Nisi forte haec causa probetur, praecisam fuisse ansam impiis foederibus, quae videmus ideo fuisse audacter contracta, quod reges Israelitici gloriati sint se equorum copia abundare. Sed prior expositio melius quadrat. Caeterum ne ab optimis quidem regibus lex haec servata fuit. Unde apparet, vix posse ullis fraenis regum licentiam ac fastum comprimi.

17. *Neque multiplicabit sibi uxores.* Vulgo tunc obtinuerat polygamia, ut minimus quisque ex plebe coniugii fidem secure violaret. Quo arctiore vinculo reges constringi oportuit, ne suo exemplo incontinentiae habenas laxarent. Atque ita nullo negotio refellitur eorum inscitia qui colligunt privatis hominibus fuisse licitum quod specialiter regibus interdicitur, quum ideo ipsis lex castitatis fuerit indicta, quia sine hoc remedio nullus fuisset modus lasciviae. Adde quod populus ingenti sumptu gravatus fuisset: quia, ut fert mulierum ambitio, regaliter omnes tractari voluissent, et certassent etiam lautitiis: sicuti contigit. Quod hanc legem transgressus est David: aliqua ex parte fuit excusabilis propter repudium Michol: apparet tamen libidinem plus apud eum valuisse quam praescriptam a Deo continentiam. Quod sequitur, quidam ita contexunt ac si ratio esset proximae sententiae: hoc sensu, non esse ducendas a rege plures uxores, ne cor eius a recto deflectat: quod Solomoni contigit. Nam dum est nimium uxorius, illecebris mulierum deceptus, descivit ad idololatriam. Et certe vix fieri potest, dum plures uxores virum unum obsident, quin eius animum effeminent, et suffocent quidquid in ipso est virilis prudentiae. Ego tamen seorsum accipere malo, cavendum esse regibus ne sanam mentem in ipsis obtenebret dignitatis splendor. Nihil enim difficilius quam in magna potentia temperantiae manere addictum.

Non frustra ergo praecipit Deus ut constanter pergant in officio, nec excidant intelligentia. Vetat deinde ne sibi thesauros rex accumulet: quia id fieri non potest sine rapinis et violentis exactionibus: et simul opulentia illis inflat altos spiritus, ut audacius iniusta bella suscipiant: luxuriandi audaciam accendit: tandem eos rapit ad tyrannicos excessus. Primum ergo cavere voluit Deus ne reges ditescendi studio exhauriant sanguinem populi: et ne pecuniam male partam in supervacuos sumptus profundant, ac sint ex alieno prodigi: praeterea ne superbiant suis divitiis ad audendum plus quam liceat.

18. *Verum quum sederit super solium.* Non satis fuisset vitia corrigere nisi formati essent reges ad Dei timorem, et de suo officio probe edocti: nunc ergo additur ratio disciplinae, qua eos institui utile fuit ad pietatis et iustitiae studium, nempe ut legem a sacerdotibus et Levitis susciperent quae illis esset omnium actionum regula. Quia demonstrativum pronomen exprimitur, quidam existimant notari duntaxat volumen Deuteronomii: sed parum firma ratione. Ego itaque comprehendi non dubito totam doctrinae summam, quae tam hic quam in Exodo et Levitico traditur. Etsi autem omnibus promiscue communis esse debuit, quo tamen ad lectionem eius assiduam magis attenti essent reges, exemplar illis peculiariter dicatum describi voluit Deus a sacerdotibus et Levitis: ac solenni ritu in manus tradi, ut scirent ad regendum populum sibi maiore consilio et prudentia opus esse quam privatis hominibus. Ergo quum sacerdotes et Levitae librum offerrent, perinde fuit ac si Deus thesaurum hunc apud regem deponeret. Praecipit deinde ut se toto vitae cursu in legis doctrina exerceant: quia plerumque libris instructi sunt reges, pompae tantum et ostentationis causa: deinde ubi gustarunt quod docetur, statim oborto fastidio, legere desinunt. Tandem subiicitur quorsum pertineat lectio: primum in genere ut discant timere Deum et servare eius praecepta, deinde ne fastu inflati et superbia elati, fratres suos despiciant atque opprimant. Et consulto nomen fratrum ponitur, ne putent ideo ius fraternae coniunctionis esse abolitum, quia toti populo sint praefecti: quin potius omnes studeant fovere tanquam membra. Iterum postea repetitur, ne deflectant ad dextram vel sinistram: quia in magna licentia nunquam satis fraenari potest hominum cupiditas. Iam ne illis grave sit in ordinem cogi, admonet postremo Deus hanc moderationem illis fore utilem, quia diutius regnabunt: quum insolentia saepe regibus in exitium cedat: sicut Lacedaemonius ille respondit, quum aegre ferret uxor oppositos fuisse ei ephoros, se minorem quidem potentiam liberis relinquere, sed magis diuturnam. Caeterum hic promittitur longa successio ex Dei gratia, si ultro sibi temperent.

EX DEUT. XX.

Quum egressus fueris ad proelium contra hostes tuos, ac videris equitatum, currus, et populum maiorem te, non metues ab illis: quia Iehova Deus tuus tecum est, qui te eduxit e terra Aegypti. 2. *Et quum occurreritis ad proelium, accedet sacerdos ad populum,* 3. *Ac dicet illis: Audi Israel, vos occurritis hodie ad proeliandum cum hostibus vestris: ne mollescat cor vestrum neque timeatis, neque terreamini, neque paveatis a facie eorum:* 4. *Quoniam Iehova Deus vester incedit vobiscum ad proeliandum pro vobis contra hostes vestros, et ad servandum vos.*

1. *Quum egressus fueris ad proelium.* Haec quoque lex, quod ad politicum ordinem spectat, appendix est primi praecepti, ut bella gerant sub Dei auspiciis, eiusque auxilio confisi, ducem sequantur. Hoc enim pietatis testimonium reddere ipsos oportuit, ut Deum non minus in bello quam in pace respicerent, nec alibi locarent salutis suae fidem quam in nominis eius invocatione. Unde colligimus, in civili et terrena gubernatione minime praeteritum fuisse Dei cultum. Etsi enim ad eum scopum dirigitur, ut mutua servetur inter homines aequitas: primum tamen gradum semper tenere debet religio. Summa igitur est, in ipso quoque armorum strepitu non ita esse tumultuandum quin agnoscant se esse sub Dei custodia, eiusque virtuti innixi, salvos se fore confidant. Porro non animat eos ad bella temere movenda, sed pro confesso sumit, legitimam esse bellandi causam: quia hoc perperam esset abuti Dei nomine, prosperum ab ipso petere successum ubi quidquam praeter eius mandatum tentatur. Vetat autem timere, quamvis hostis sit superior equis, et multitudine, et toto bellico apparatu. Quibus verbis admonet, non ideo fore obnoxios quibuslibet iniuriis, quia equorum et curruum copia non erunt instructi. Vidimus enim nuper, ne regibus quidem fuisse permissum ut vires colligerent, quibus profanae gentes gloriabantur. Ergo ne debilitatis suae conscii trepident, pronunciat Deus satis in sua virtute fore praesidii. Atque hinc haud dubie sumptum est illud: Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri invocabimus (Psal. 20, 8). Qua ratione obiurgat Isaias (8, 6) populum, quod contemptis aquis Siloe, appetiverit magnos et rapidos fluvios: nempe (ut alibi exponit [Isa. 31, 1]) quia confisus fuerit in equitatu Aegypti. Notandum autem est ubi fundetur securitas: quia scilicet sperare debeat populus, eandem Dei po-

tentiam sibi in finem usque praesto fore, quam experti fuerant patres quum redempti fuerant ex Aegypto.

2. *Et quum occurreritis.* Partes exhortandi mandat Deus sacerdotibus ubi ad conflictum ventum fuerit. Ex verbis autem colligimus pendere hanc sententiam a primo praecepto, quia nihil aliud continent quam ut sacerdos animet Israelitas ad fiduciam, cuius materia proponitur Dei auxilium in servanda et assidue protegenda, quam semel redemit, ecclesia. Porro non uno tantum verbo eos a metu revocat: sed plura simul congerit: Ne mollescat cor vestrum, ne metuatis, ne expavescatis, ne formidetis. Quo monemur quam difficile sit vitiosum timorem corrigere, qui variis machinis animos nostros concutit ac perturbat, ne in Deo quiescant. Et certe singuli experimur, tam variis agitationibus nos vexari ut multiplici remedio opus sit ad stabiliendam fidem nostram. Notanda etiam est familiaris explicatio praesentiae Dei, quod simul incedet cum populo ad eum servandum: nempe si non sua culpa, sed iniusta hostium aggressione periclitetur.

EX NUMER. X.

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Fac tibi duas tubas argenteas: opere ductili facies illas: quae sint tibi ad convocationem coetus, et ad castra movenda.* 3. *Quum clangent illis, congregabuntur ad te omnes coetus ad ostium tabernaculi testimonii.* 4. *Si vero una clanxerint, congregabuntur ad te principes, capita millium Israelis.* 5. *Si vero clanxeritis cum iubilatione, proficiscentur castra eorum qui castrametantur ad Orientem.* 6. *Quum autem clanxeritis cum iubilatione secundo, tum proficiscentur castra eorum qui castrametantur ad Meridiem, cum iubilatione clangent in profectionibus suis.* 7. *Quando vero congregabitis coetum, clangetis, sed absque iubilatione.* 8. *Filii autem Aharon sacerdotes clangent tubis illis, eruntque vobis in statutum perpetuum per aetates vestras.* 9. *Et quando venietis ad proelium in terra vestra contra hostem vestrum qui vos affliget, cum iubilatione clangetis tubis illis: et recordatio vestri erit coram Iehova Deo vestro, ut servemini ab hostibus vestris.* 10. *Die quoque laetitiae vestrae, et in solennitatibus vestris, et in principiis mensium vestrorum clangetis tubis illis super holocausta, et super sacrificia prosperitatum vestrarum, ut sint vobis in recordationem coram Deo vestro: ego Iehova Deus vester.*

2. *Fac tibi duas tubas.* Merito ad primum praeceptum attexitur locus de tubis argenteis, quae collectionis signum dabant, ut populus semper ad Dei vocem et nutum intentus esset. Voluit enim Deus earum clangore moveri Israelitas, quocunque pergendum esset, ne quid aggredi auderent tam in bello quam in pace, nisi ductu suo, et quasi auspiciis. Triplex autem fuit earum usus, nempe populum vel duces accersere ad conventus publicos, armare contra hostes, tertio sacrificiis ac diebus festis praecinere. Videri quidem potuit illud absurdum vel minus decorum, sacerdotes creare tubicines, quia in hoc officio nullus erat splendor vel dignitas: sed voluit hoc modo tangere maiori reverentia populi animos: ut cunctis actionibus praeiret sacerdotum autoritas. Neque enim servile illis munus iniunctum fuit, ut alieno arbitrio tubas inflarent: sed potius eos praefecit rebus gerendis, ne plebs caeco impetu, vel festinatione, conventus suos tumultuarie ageret, quin potius illic gradum suum teneret modestia, gravitas, et moderatio. Scimus in negotiis terrenis saepe Deum non respici, sed neglecto eius verbo confidenter agitari consilia. Ergo per sacerdotes testatus est maledictos esse omnes conventus, nisi quibus praeesset. Habuerunt etiam profanae gentes suos ritus, ut auguria, precationes, aruspicinam, victimas: quia naturae sensus dictabat, nihil posse feliciter absque ope divina tentari: sed voluit Deus alio modo populum sibi obstrictum tenere, ut sacrarum tubarum sonitu quasi indictione coelesti vocatus, praesto adesset ad sanctas piasque consultationes. Eodem spectabat circumstantia loci. Perinde enim illis erat ostium tabernaculi ac si in Dei conspectum se sisterent. De particula מועד alibi dicetur. Quamvis condictum tempus, vel locum significet, ac coetum etiam vel concionem populi, libenter conventionem interpretor: quia Deus illic solenni more, quasi apud sacrum tribunal, populum contestatus est, vel ex condicto ad paciscendum processit. Noluit etiam praecipiti impetu, vel ulciscendi libidine bella suscipi, sed sacerdotes fecialium partibus defungi, ut primus ipse pugnandi autor esset. Festorum vero dierum praecones esse, et populum citare ad sanctuarium, sacerdotibus honorificum fuit. Nunc quia mentem legislatoris tenemus, pauca de verbis attingam. Diximus sacerdotes clangendo fuisse quasi Dei organa, vel interpretes, ut ab eius voce et mandato penderent Israelitae. Si tantum vocandi essent praefecti, vel chiliarchae, semel tantum clangebant: si convocatio erat totius populi, duplicabant sonitum. Similis in bello observata fuit diversitas, ut distinctum signum daretur cuius partis turmae progredi deberent. Quidam utuntur factitio nomine Taratantara, ubi vertimus cum iubilatione: probabile est, sonitum fuisse vehementiorem, longiusque protractum, sed intercisum. Notanda autem quae inseritur promissio, Israelitas fore in memoriam coram Deo, ut hostes eorum profliget: non quod salus vel liberatio populi affixa tubis fuerit, sed quia ad

conflictum non prodibant nisi freti Dei auxilio. Nam externo symbolo res ipsa coniungitur: nempe ut Deo militent, ducem ipsum sequantur, totumque robur suum in eius gratia statuant. Atque huic regulae fuisse addictos omnes sanctos, ex Psalmo (20, 8) patet: Hi in curribus, illi in equis, nos autem in nomine Dei nostri invocabimus. Item: Non servabitur rex in multitudine exercitus: neque liberabitur fortis multa virtute (Psal. 33, 16). Ecce, oculos Iehovae super timentes eum, et super eos qui exspectant clementiam eius.

10. *Die quoque laetitiae.* Id perinde fuit ac si Deus palam faceret, nullos se probare dies festos, nec sibi placere sacrificia nisi praeeunte suo mandato. Neque enim populo hunc vel illum diem eligere fas fuit, sed autoritas praescribendi fuit penes sacrorum ministros. Ac Deus quidem neomenias, sive novilunia, et reliquas solennitates instituerat: sed ne qua mutatio accideret (ut semper audaces sunt homines ad novandum) legitimam observationem tubarum sonitu voluit sanciri: ac si per os sacerdotum ediceret ipse sacros coetus. Sacrificia quae alii verterunt pacificorum, non absque causa interpretor prosperitatum. Id enim proprie significat שלמים. Sic autem vocarunt supplicationes et testimonia gratiarum actionis, quum erepti essent ex magno discrimine, vel insigni aliquo Dei beneficio affecti. Dicit autem Moses tubas Israelitis fore in memoriam coram Deo: quia ubi convenerint ad suum edictum eos respiciet paternoque suo favore dignabitur.

SECUNDUM PRAECEPTUM.

EX EXODI XX.

4. *Non facies tibi sculptile, neque ullam imaginem eorum quae sunt in coelo sursum, neque eorum quae in terra deorsum, neque eorum quae in aquis sunt subter terram.* 5. *Non adorabis ea, neque coles ea, ego enim Iehova Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum super filios, in tertiam et quartam generationem in his qui me oderunt:* 6. *Et faciens misericordiam in mille diligentibus me, et custodientibus praecepta mea.*

REPETITIO EX DEUT. V.

8. *Non facies tibi sculptile vel ullam imaginem eorum quae sunt in coelo sursum, nec eorum quae sunt in terra deorsum, nec eorum quae sunt in aquis sub terra.* 9. *Non adorabis ea, neque coles: ego enim Iehova Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum super filios, in tertiam et quartam generationem in his qui me oderunt.* 10. *Faciens autem misericordiam in millia diligentibus me, et custodientibus mea praecepta.*

Exod. 20, 4. *Non facies tibi sculptile.* Primo praecepto postquam docuerat quisnam esset verus Deus, eum unum coli iussit: nunc autem definit legitimum eius cultum. Quoniam autem haec duo sunt distincta, colligimus diversa esse praecepta, ubi de rebus diversis agitur. Ordine quidem illud praecedit, ut unico Deo contenti sint fideles: sed non sufficeret nos ad unum colendum institui, nisi etiam sciremus qualiter coli velit. Summa autem est, spiritualem esse Dei cultum, ut eius naturae respondeat. Etsi enim tantum de idolis verba facit Moses, dubium tamen non est quin per synecdochen (sicut in tota lege) omnes fictitios cultus damnet quos pro suo ingenio homines excogitant. Hinc enim carnales mixturae in vitiando Dei cultu, quod ipsum aestimant ex proprio sensu, atque ita quodammodo transformant. Ideo tenere operae pretium est qualis sit Deus, ne quid de ipso crassum vel terrenum imaginemur. Porro simpliciter verba sonant, perperam homines appetere Dei praesentiam in aliqua visibili effigie, quia repraesentari oculis non potest. Quod autem similitudinem ullam fieri vetat, vel eorum quae in coelis sunt, vel quae in terra, vel quae in aquis sub terra, sumptum est ex perverso usu qui passim invaluerat. Quia ut superstitio nunquam simplex est, sed in varias partes distrahitur, alii in forma homi-

nis, alii in forma piscium, alii in forma avium, alii in forma brutorum animalium putabant Deum repraesentari: praesertim historiae commemorant quam pudendis deliriis fascinata fuerit Aegyptus. Atque hinc etiam detegitur hominum vanitas, qui quocunque vertant oculos, errandi materiam undique captant. Et tamen ubique refulget Dei gloria, et quidquid sursum ac deorsum conspicitur ad verum Deum nos invitat. Quoniam ergo sic hallucinantur homines, ut ex rerum omnium intuitu sibi fabricent erroris materiam, nunc eos Moses supra totum mundi opificium et elementa attollit. Nam per ea quae in coelis sunt, non aves solum, sed solem quoque, et lunam, omnesque stellas designat: ut paulo post videbitur. Negat igitur in toto mundo reperiri posse veram imaginem Dei: ideoque foedari eius gloriam, et veritatem corrumpi mendacio, quoties sub visibili forma ob oculos statuitur. Iam tenendum est duas esse mandati partes: priore vetat erigi sculptile, aut ullam similitudinem: altera autem cultum quem sibi uni asserit Deus, transferri prohibet ad spectra illa, vel fallaces pompas. Ergo affingere Deo aliquam imaginem, per se impium est: quia hac corruptela adulteratur eius maiestas, et fingitur sibi dissimilis. Quod stulte quidam putarunt hic damnari sculpturas et picturas quaslibet, refutatione non indiget: quando nihil aliud Mosi fuit propositum quam eximere Dei gloriam ab omnibus figmentis quae ad eam corrumpendam tendunt. Et certe haec nimis indigna est deformitas, Deum similem facere ligno vel lapidi. Nam quod ita quidam resolvunt verba: Non facies tibi sculptile quod adores, ac si liceret Deum facere visibilem, modo ne colatur ipsa imago: eorum errorem, quae postea sequentur expositiones, facile refellent. Interea non infitior, coniunctim haec legenda esse, sicuti colendi superstitio vix unquam a priore vitio separatur: quia simul ac quispiam sibi permisit imaginem Deo attribuere, statim ad falsum cultum delabitur. Et certe quisquis reverenter et sobrie de ipso Deo sentit et cogitat, ab hac absurditate remotus est: nec unquam obrepit cupido, vel audacia transfigurandi Dei, nisi dum mentes occupat crassa et carnalis imaginatio. Hinc fit ut quicunque deos ex corruptibili materia sibi fingunt, superstitiose adorent manuum suarum artificium. Facile igitur patiar duo haec, quae inseparabilia sunt, simul coniungi, modo teneamus Deo contumeliam inferri, non solum ubi transfertur eius cultus ad idola, sed ubi externa aliqua similitudine eum exprimere tentamus.

Deut. 5, 9. *Non adorabis ea, neque.* Hanc secundam partem inani cavillo frustra eludere conantur idololatrae: quemadmodum in papatu nugatoria illa distinctio iactatur, λατρείαν duntaxat, non δουλείαν prohiberi. Nam primo generaliter Moses comprehendit omnes reverentiae formas et ritus: deinde verbum עבד quod continuo post subiicit, servire proprie significat. Unde colligitur, pueriliter velle eos elabi, dum picturis et statuis nonnisi servitutis honorem deferunt. Quanquam si detur illis quod postulant, ne sic quidem effugient: quia tantundem valet prohibitio ac si negaret Deus se velle coli in ligno et lapide, vel alia quavis figura. Neque enim unquam eo amentiae abrepti fuerunt increduli ut statuas vel picturas simpliciter adorarent. Idem praetextus obtendebatur qui hodie per ora papistarum volitat, non imaginem ipsam proprie, sed quod in ea repraesentatur, coli. Ubique tamen illis exprobrat spiritus quod deos ligneos et lapideos adorent: quia carnalem illum cultum repudiat Deus quem offerunt increduli coram ligno et lapide. Si quis eos interroget quem colere habeant in animo, protinus respondebunt, Deo se praestare quem picturis et statuis honorem deferunt. Sed evanescit frivola illa excusatio: quia idolum erigere coram quo se prosternant, id vero est abnegare verum Deum. Ideoque nihil mirum si pronunciet, lignum et lapidem adorari, dum spectra a se conficta adorant increduli in ligno et lapide. Et iam diximus, ritus omnes qui a spirituali Dei cultu discrepant, hic prohiberi: quod ad discutiendas tales nebulas satis superque valet.

Ego enim Iehova Deus tuus. Partim minando terret, partim blande promittit, ut eos contineat in officio. Ac primis quidem verbis coarguit eorum ingratitudinem, si ad idololatriam se prostituant, quando electi fuerant in peculiarem et sanctum populum. Postea terrorem incutit, poenam denunciando: tandem spe remunerationis eos allicit: si obedienter maneant in puro Dei cultu. Nec tantum erga singulos severum aut beneficum se fore affirmat: sed utrumque ad posteros extendit, quamvis non aequali modo, ut postea videbimus. Destinavi quidem alium locum promissionibus et minis, quibus sancitur totius legis autoritas: sed quia hoc membrum annexum est speciali praecepto, non potuit commode avelli. Nomen אל quidam appellative vertunt, fortis, sed quoniam a fortitudine sic vocatur Deus, hunc sensum, quia melius quadrabat, sequi malui. Quanquam non abs re diversis nominibus Mosen fuisse usum arbitror: ubi enim priore loco posuit nomen אלהים, paulo post altero elogio Deum insigniens, potentiam eius commendat ut timeatur. Qua ratione simul aemulatorem nominat, vel (ut quidam non inepte vertunt) zelotypum. Nam obtrectatoris nomen Deo tribuere (quod ausus est nescio quis), non insipidum modo, sed prodigiosum est. Atqui ζηλοτυπίαν hac voce interpretatur Cicero: Nempe vitium pravae aemulationis notans, ubi alter alterius praestantiae invidet. Hic vero nobis sub mariti persona proponitur

Deus, qui rivalem non patitur, vel (si latius extendere placeat) iuris sui dicitur assertor: ut eius aemulatio nihil aliud sit quam retinere quod suum est, atque ita omnes honoris aemulos excludere. Caeterum quia nuper facta fuit sacri foederis mentio quod cum Iudaeis pepigerat, videtur alludere Moses ad spiritualis coniugii violationem. Etsi autem a comminatione incipit, misericordiam tamen rigori suo longe praeferens, suaviter ad obsequium eos potius allicit quam metu cogat. Se enim misericordem fore testatur usque in mille aetates: poenam vero non denunciat nisi usque ad tertios et quartos, (sic enim ad verbum legitur), hoc est, ad nepotes et pronepotes. Quo itaque suos cultores melius animet Deus ad pietatis studium, non ipsis modo, sed eorum posteris in mille usque aetates propitium se fore denunciat. Hoc vero inaestimabilis est humanitatis, atque etiam indulgentiae, quod servis suis, quibus nihil debet, eousque se obstringere non gravatur, ut in eorum gratiam eorum semen in populo suo agnoscat. Nam ex remuneratione perperam meritum colligi hinc apparet, quod non fidelem aut iustum se fore dicit erga legis suae observatores, sed clementem. Prodeat igitur vel perfectissimus in medium, nihil expetere melius poterit quam Deum habere pro gratuita liberalitate propitium, חסד enim tantundem valet ac mansuetudo aut beneficentia. Ubi autem Deo tribuitur, ut plurimum significat misericordiam, vel paternum favorem, et quae inde manant beneficia. Sicuti dum hic promittit se misericordiam facturum, tantundem valet loquutio ac beneficum fore vel clementer acturum. Unde sequitur, remunerationis praecipuum esse caput gratuitam eius beneficentiam qua suos liberaliter dignatur. Iam quum dicitur: Erga eos qui diligunt ipsum, exprimitur fons et origo verae iustitiae, quia exterior legis observatio nullius esset momenti nisi inde manaret. Et dilectio laudatur potius quam metus, quia nonnisi voluntario obsequio Deus oblectatur: coactum vero et servile repudiat, sicut iterum alibi videbimus. Verum quia hypocritae quoque iactant se Deum amare, linguae autem professioni vita non respondet, utrumque distincte coniungitur, quod veri Dei cultores eum diligant, observentque eius mandata, hoc est, effectu probent suam pietatem. Hic tamen nascitur difficilis quaestio: quia aetatum omnium exempla demonstrant magnam partem ex sanctorum progenie fuisse reiectam ac damnatam, et longe graviora in eos quam exteros maledictionis et vindictae suae documenta edidit Deus. Sed notandum est non promitti his verbis sigillatim gratiam omnibus sanctorum posteris, ut quicunque genus et originem ab ipsis trahunt, Deum habeant sibi obstrictum. Multi fuerunt degeneres Abrahae filii, quibus nihil profuit vocari sobolem sancti patriarchae. Nec sane ad singulos restringitur promissio, quia multi qui secundum carnem sunt filii, non censentur in semine, sed Deus libera electione quos vult adoptat: sic tamen moderatur sua iudicia, ut resideat in sobole piorum paternus eius favor. Adde quod in temporalibus beneficiis viget promissae hic gratiae effectus. Itaque quamvis severe ultus fuerit Deus scelera adversus filios Abrahae, et eos tandem, ubi apparuit desperata ipsorum impietas, abdicaverit: non tamen destitit esse beneficus in mille aetates. Adde etiam quod externis gratiae suae testimoniis, licet reprobis cedant in exitium, Deus tamen implet ac praestat quod hic pollicitus est. Ita misericors fuit erga genus Abrahae, quamdiu legem, prophetas, templum, et alia pietatis exercitia relinquere dignatus est. Iam rursum expendere convenit quam procul absint etiam sanctissimi quique ab integra observatione legis, et perfecto amore Dei: ideoque nihil mirum si defectum huius gratiae multis in partibus sentiant, et exiguo tantum gustu potiantur. Quidquid sit, semper exsuperat Dei bonitas, ut eius gratia, si non pleno fulgore, claris tamen scintillis usque in mille generationes reluceat. Quod ad membrum oppositum spectat, quando Deus modum vindictae suae imponit in tertia vel quarta generatione, videmus ut humanis invitationibus ad officium adducere malit homines, quam minaciter terrendo extorquere plus quam velint: quo scilicet longius misericordiam suam quam iudicii rigorem extendit. Observandum etiam est quod transgressores legis inimici Dei vocantur et osores. Horribilis certe est impietas, et prodigio similis, Deum odio habere: ac vix quisquam reperietur adeo sceleratus qui Deo se palam tanquam hostem opponat. Verum non sine causa tam duriter pronunciat Deus de ipsorum impietate. Nam quum a iustitia sua separari nequeat, contemptus legis odium illud coarguit: quia fieri non potest quin spoliare imperio suo Deum cupiat, qui legislatorem et iudicem esse non patitur. Visitare iniquitates, tantundem valet, atque inquirere, vel ad cognitionem vocare, ut poena pro ratione delicti sumatur. Quamdiu enim hominibus parcendo iudicium suum suspendit Deus, videtur connivere, vel non attendere. Ergo ubi sepultum crimen putabunt homines, eius se memorem fore denunciat. Quaeritur tamen qui conveniat Deo poenas a filiis et nepotibus exigere ob patrum delicta: nihil enim minus consentaneum quam innoxios et sceleratos eadem poena involvi. Et clara est prophetae sententia: Filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filii, sed anima quae peccaverit, ipsa morietur (Ezech. 18, 19). Difficultas quae ex prophetae verbis oritur, facile solvi potest: quia impiam populi expostulationem hic refellit Deus, filios qui extra culpam erant, iniuste et crudeliter ad poenam trahi. Volitabat passim

illud proverbium, patres comedisse uvam acerbam, dentes autem filiorum obstupescere: respondet Deus, neminem eorum quibus infensus et severus erat, immunem esse a crimine: ideoque falsam esse querimoniam, quum singuli propriae impietatis mercedem reciperent. Et hoc verissimum est, nunquam Dei severitatem grassari usque ad insontes: et quamvis obstrepat mundus eius iudiciis, semper tamen fore victorem quoties hunc vel illum damnaverit. Nec vero ubi testatur Deus se reiicere patrum iniquitatem in sinum filiorum, intelligit se vindictam sumpturum de miseris qui nihil tale meriti sint: sed sibi esse in manu patrum scelera persequi in filiis et nepotibus, ut tamen hi quoque iuste puniantur: quia patrum suorum erunt imitatores. Si quis excipiat, hoc nihil esse aliud quam cuique rependi secundum opera sua, tenendum est, quoties Deus impiorum filios excaecat, coniicit in sensum reprobum, et percutit spiritu vertiginis aut stuporis, ut se proiiciant in foedas cupiditates, et praecipitent in ultimum interitum, hoc modo visitari patrum iniquitatem in filiis. Ubi autem accedunt aliae poenae, tenentur omnes convicti, ut frustra Deo obmurmurent. Tunc quoque nihilominus pergit Deus in exsequenda quam hic denunciat vindicta: quia dum opus unum dirigere vult in varios fines, miris et absconditis rationibus utitur. Quum iussit populos Chanaan interfici, certum est dignos fuisse tali supplicio qui tunc vivebant: quia tamen praedicat Deus, nondum completas esse iniquitates illorum, inde colligimus, quam per annos quadringentos poenam distulerat, tunc sumpsisse. Qua ratione Iudaeos sui temporis affirmat Christus reos fore sanguinis qui effusus erat ab Abel usque ad Zachariam filium Barachiae (Mat. 23, 35). Quod si iudicio nostro non arridet, Deum cuique rependere prout meritus est, simul tamen reposcere a filiis patrum scelera: meminerimus eius iudicia profundam esse abyssum. Ideoque si quid nobis in eius operibus incomprehensibile est, sobrie et reverenter suspiciendum esse. Sed quia alibi recurret haec doctrina, breviter hoc loco perstringere visum est. Restat una quaestio, quomodo conveniat illud Pauli, quintum praeceptum esse primum cum promissione (Ephes. 6, 2), et huic secundo promissionem esse annexam. Cuius solutio plana est: quia si probe expendas, promissio quam nunc explicuimus non est peculiariter annexa uni praecepto, sed toti priori legis tabulae communis est: atque ita patet ad totum Dei cultum. Ubi autem dicitur: Honora patrem et matrem ut dies tuos proroges, proprie et singulariter sancitur eius mandati observatio.

EXPOSITIO SECUNDI PRAECEPTI.

EX EXODI XXXIV.

17. *Deos conflatiles non facies tibi.*

EX LEVIT. XIX.

4. *Ne vertatis vos ad idola, neque deos conflatiles faciatis vobis: ego Iehova Deus vester.*

EX LEVIT. XXVI.

1. *Non facietis vobis idolum, et sculptile: statuam non erigetis vobis, nec lapidem politum ponetis in terra vestra, ut vos incurvetis coram eo: quia ego Iehova Deus vester.*

EX EXODI XX.

22. *Et ait Iehova ad Mosen: Sic dices filiis Israel: Vos vidistis quod e coelis loquutus sum vobiscum.* 23. *Non facietis mecum deos argenteos, neque deos aureos facietis vobis.*

Ex. 34, 17. *Deos conflatiles.* Deos vocando sculptilia, statuas, et imagines, finem et summam secundi praecepti demonstrat; nempe ignominia affici Deum, ubi corporea effigie induitur. Porro ex communi loquendi usu, et prava gentium opinione, ad idola transfertur Dei nomen: non quod deitatem putarint increduli in materia corruptibili inclusam esse, sed quia sibi propiorem esse imaginabantur, si ante oculos exstaret terrestre aliquod praesentiae eius symbolum. Hoc sensu deos vocarunt imagines deorum: quia non putabant se conscendere ad deitatis altitudinem nisi occurrerent terrena haec media. Porro non dubium est quin per synecdochen quasvis effigies designet, quum vetat conflare deos fusiles: quia nihilo magis abominatur Deus metallum quam lignum vel lapidem, aut aliam quamvis materiam ex qua solent idola fabricari: sed quia pretio et artificio magis accenditur insanus superstitionis ardor, conflatiles deos specialiter damnavit Moses. Cuius rei dubitationem tollit quartus locus ubi vetantur Israelitae facere deos argenteos vel aureos: nempe quia in pretiosissimis quibusque rebus plus licentiae sibi indulgent idololatrae, quorum omnes sensus ad se rapit externus splendor. Eodem spectat tertius locus, ubi non tantum sculptilis fit mentio,

sed adiungitur nomen statuae et lapidis figurati. Etsi enim voces istas quidam de pavimento exponunt, non tamen dubito monumenta omnia comprehendi, in quibus stulti homines Deum se quodammodo visibilem habere putant, adeoque omnes sculpturas et picturas quibus corrumpitur spiritualis Dei cultus. Consilium enim Mosis est fraenum iniicere hominum temeritati, ne Dei gloriam transforment suis figmentis: quia mox opponitur alterum membrum: Ego Iehova Deus vester. Quo admonet Deus se iusto honore spoliari, quoties aliquid terrenum vel carnale de ipso comminiscuntur homines. Ac nomen quidem מצבה aliquando sumitur in bonam partem. Unde sequitur, non aliam statuam hic damnari, nisi quae ad Deum repraesentandum erigitur. Eadem lapidis politi ratio: nempe ubi consecratio interponitur, quae religione mentes alliget, ut Deum in lapide venerentur. Porro tam secundo quam tertio loco docet Moses homines, simulac crassum aliquid vel terrestre in deitate confingunt, a vero Deo prorsus discedere. Quod etiam exprimitur voce Elilim, quae in se complectitur tam deos conflatiles quam statuas, lapides, et sculptilia. Quidam compositam esse volunt a negativa particula Al et El, quod est Deus. Alii vero interpretantur res nihili: Graeci et Latini verterunt idola. Certe cum dedecoris et ignominiae nota sic vocantur falsae repraesentationes quae Deum transformant. Sed quia cavillis non desinunt superstitiosi fucare suos errores, Deus probroso illo nomine non contentus, alia etiam adiecit, in quibus speciosior erat excusatio: ut sciamus ab eo repudiari quaecunque nos a spirituali eius cultu abducunt, vel quidquam inducunt alienum ab eius natura. In quarto loco notanda est antithesis, quae mox fusius explicabitur, dum scilicet vetat Deus facere deos ex corruptibili materia, quoniam loquutus sit e coelo. Quibus verbis significat, perperam facere eos omnes, qui quum in coelos assurgere debeant, terrenis elementis tam mentes suas, quam ipsum affigunt.

EX DEUT. IV.

12. *Tunc loquutus est Iehova ad vos e medio ignis: vocem verborum audistis, at formam non vidistis praeter vocem.* 13. *Et exposuit vobis pactum suum quod praecepit vobis ut faceretis: nempe decem verba, quae scripsit super duas tabulas lapideas.* 14. *Mihi vero praecepit Iehova tempore illo ut docerem vos statuta et iudicia, quae faceretis in terra, ad quam transitis possidendam.* 15. *Itaque custodiatis vos valde super animabus vestris: (quoniam non vidistis ullam formam illo die, quo loquutus est Iehova vobiscum in Horeb e medio ignis):* 16. *Ne forte corrumpamini, et faciatis vobis sculptile, formam ullius simulacri, effigiem masculi aut feminae.* 17. *Effigiem cuiuscunque animalis quod est in terra: effigiem cuiuscunque volucris alatae quae volat per coelos:* 18. *Effigiem cuiuscunque repentis in terra: effigiem cuiuscunque piscis qui est in aquis sub terra.* 19. *Neve attollas oculos tuos in coelum: et quum videris solem, lunam, et stellas cum universo exercitu coelorum, impellaris ut adores atque colas ea, quae distribuit Iehova Deus tuus omnibus populis sub universo coelo.* Item, 23. *Custodite vos, ne forte obliviscamini foederis Iehovae Dei vestri, quod percussit vobiscum, et faciatis vobis sculptile, quamcunque similitudinem, sicut praecepit Iehova Deus tuus.* 24. *Nam Iehova Deus tuus, ignis consumens est, et Deus zelotes.*

EX EXODI XXXIV.

14. *Non incurvabis te Deo alieno. Nam Iehova zelotes nomen eius, Deus zelotes est.*

EX DEUT. XI.

16. *Cavete ergo vobis ne seducatur cor vestrum, et recedatis, colatisque deos alienos, et vos incurvetis coram eis.* 17. *Unde excandescat ira Iehovae in vos, et claudat coelos ne sit pluvia, ac ne det terra fructum suum: pereatisque celeriter e terra bona quam Iehova dat vobis.*

EX DEUT. VIII.

19. *Si obliviscendo oblitus fueris Iehovae Dei tui, et ambulaveris post deos alienos, et colueris eos, et te incurvaveris illis, testificor vobis hodie quod pereundo sitis perituri.* 20. *Sicut gentes quas Iehova disperdit a facie vestra, sic peribitis: eo quod non obediveritis voci Iehovae Dei vestri.*

Dt. 4, 12. *Tunc loquutus est Iehova.* Confirmatio est secundi praecepti, quod Deus voce, non effigie corporea se patefecit Israelitis. Unde sequitur, eos qui voce non contenti, visibilem eius formam appetunt, figmenta et spectra in eius locum substituere. Sed hic exoritur difficilis quaestio, quia aliter innotuit Deus patribus quam sola voce. Siquidem Abraham, Isaac et Iacob non auditu modo eum cognoverunt, sed etiam aspectu. Moses ipse eum in medio rubi ardentis conspexit: prophetis quoque

se manifestavit sub figuris visibilibus. Quia supervacuum esset plures locos congerere, sufficiat insignis Isaiae visio quae sexto capite refertur: et Ezechielis, quae legitur tam primo quam decimo capite. Nec vero sui oblitus erat Deus, dum servis suis ita se conspiciendum exhibuit. Quare non videtur valida aut firma esse haec ratio, nefas esse Deum repraesentari externa effigie, quia semel vox eius audita fuerit sine aspectu: quum ex opposito excipere promptum sit, saepius exhibitas fuisse formas visibiles, quibus testatus est suam praesentiam. Duplex solutio est: quod tametsi Deus formam aliquam induerit ad se patefaciendum, hoc debere censeri in singularibus exemplis, non autem habendum esse loco perpetuae regulae: deinde visiones patribus exhibitas, testimonia fuisse invisibilis eius gloriae, quae potius sursum attollerent mentes hominum quam implicitas tenerent terrenis elementis. Primum igitur in legis promulgatione praescripsit Deus quid sequi debeant fideles: quia videbat hoc optimum esse compendium ad retinendos populi animos in vera pietate, et optimum simul remedium adversus idololatriam. Nisi huic Dei consilio acquiescamus, non tantum prodemus rixandi libidinem, sed quasi tauri cornupetae, ipsi Deo insultabimus. Neque enim frustra principium hoc sumpsit Moses, quum Deus sibi ecclesiam collegit, quum tradidit certam et inviolabilem pie vivendi normam, non induisse aliquod corpus, sed vivam gloriae suae effigiem exhibuisse in ipsa doctrina. Unde colligere licet, eos omnes qui Deum quaerunt in figura visibili, non tantum deflectere, sed prorsus desciscere a vero pietatis studio. Si quis excipiat, Deum non esse sui dissimilem, et tamen (ut dictum est) formam aliquam visibilem non semel sumpsisse: simplex et facilis responsio est, quoties apparuit patribus sub forma visibili, dedisse temporale symbolum, quod tamen minime adversaretur huic praecepto. Vidit Isaias Deum exercituum in solio sedentem: atqui fortiter clamat (40, 25) ex ipsius Dei ore: Cui similem me fecistis? Nec opus est recitare quaecunque adversus idololatras pronunciat. Certe liberius quam omnes prophetae, in eorum stultitiam, imo amentiam, invehitur, qui sibi aliquam Dei imaginem fabricant: quia hoc modo veritatem convertant in mendacium: denique idem cum Mose principium sumit, fallaciis et praestigiis adulterari veram Dei naturam, si corruptibilis materia vocetur eius imago. Iam ipsa visio qualis fuit? Seraphim qui circumdabant solium Dei, facies suas alis obtegendo, satis superque docebant non posse eius conspectum ferri a mortalibus. Quod autem refert Ezechiel nullus pictor assequi posset: quia semper apparuit Deus suis insignibus, quae superarent hominum captum, distinctus ab omni creaturae forma. Firma igitur manet haec ratio, non quadrare Deo imaginem, quia noluit a populo suo aliter conspici quam in voce. Atqui tunc quoque ignis symbolum fuit praesentiae eius, sed quo testatum faceret incomprehensibilem esse suam gloriam, et ita homines arceret a fingendis idolis. Quid sit custodire se super anima alibi exposuimus. Quod vero tam sollicite hortatur ut sibi caveant, hinc colligitur quanta sit ad idololatriam humanae mentis propensio. Huc tendit contestatio quam ex 8. cap. Deuteronomii inserui. Neque enim tantum minatur Moses, sed pro solenni iudiciorum more et ritu, quasi interpositis testibus, denunciat perituros, ut hac vehementia plus timoris incutiat. Unde apparet insanam hanc libidinem non vulgari modo posse fraenari. Eodem fine corrumpi vel corrumpere se dicit qui similitudinem aliquam fabricant. Sicuti et Paulus tradit (Rom. 1, 25), hoc modo converti veritatem in mendacium. Ieremias autem et Abacuc falsitatis damnant simulacra (Iere. 10, 15, Habac. 2, 18). Non mirum igitur si hominum corruptio vocatur idolum, quod Dei cultum adulterat. Iustissima quoque est merces eorum qui sanam et integram Dei cognitionem vitiant, putredinem inde contrahere quae eorum animas consumat. Porro hinc refellitur stolida papistarum inscitia, qui prohibitionem hanc ad veterem populum restringunt, ut hodie liberum sit pingere vel sculpere. Quasi vero Iudaeos compellet Paulus, dum ex communi naturae principio ratiocinatur: Si sumus genus Dei, fas non esse Deum imaginari similem auro, vel argento, vel corruptibili materiae (Act. 17, 29). Nihil opus est singula persequi. Sed non minus aperte clamat hodie spiritus, cavendum esse ab idolis quam olim fieri vetuit (1. Ioh. 5, 21). Adde quod diabolicus fuit furor, abrogare unum ex decem praeceptis, quo impune ad foedam et detestabilem licentiam perrumperent. Obtendunt, Iudaeos cohibitos olim fuisse arctiore fraeno, quia nimium essent idololatriae dediti. Quasi vero non multo hac in parte sint crassiores. Atque ut hoc omittam, quis non videt superstitionis vitium, quod ingenitum est humanae menti, hoc remedio fuisse correctum? Ergo donec naturam exuerint homines, praeceptum hoc illis necessarium esse colligimus.

19. *Neve attollas.* Altius progreditur Moses, ne deitatem somnient Iudaei in sole, et luna et stellis: nec tantum ab errore eos revocat quo imbuti fuerunt multi, putantes totidem esse deos: sed alteri quoque superstitioni occurrit, ne astrorum fulgore rapiantur, ut imagines Dei esse putent. Atque huc pertinet verbum impellendi. Quia sicuti Deus in exercitu coelesti gloriam suam repraesentat, ita fallaci artificio Satan illo praetextu conturbat et attonitas reddit hominum mentes, ut in illis luminibus Deum adorent, atque ita impingant in limine. Ergo quo melius agnoscerent Israelitae quam praeposte-

rum sit Deum quaerere in rebus terrenis, vel elementis mundi, vel corruptibili materia, diserte expressit ne in coelestibus quidem creaturis esse subsistendum: quia Dei maiestas superior est sole, luna, et stellis omnibus. Porro absurditatem coarguit, si cultum Dei transferant ad stellas, quae ex Dei mandato ancillari nobis debent. Nam quod dicit Deum illas gentibus distribuisse, ad ordinem subiectionis refertur: ac si solem dixisset ministrum, lunam ancillam una cum omnibus stellis. Quanquam distribuendi verbo proprie commendatur admirabilis Dei providentia in multiplici positu et discursu, diversisque officiis. Neque enim sol eodem momento terras omnes illustrat, vel calefacit: deinde nunc a nobis declinat, nunc propius accedit: luna suos habet circuitus: stellae nunc oriuntur, nunc occidunt, prout coelum volvitur. Omitto tardiores progressus planetarum. Iam pro stellarum aspectu, regio una humidior est, altera siccior: alia plus caloris sentit, alia plus frigoris. Haec varietas apte vocatur a Mose partitio. Superstitionis vero crimen exaggerat, si Iudaei stellis se addicant: quae profanis quoque gentibus famulantur. Quid enim indignius quam filios Dei solis esse cultores qui servus est totius mundi? Unde iterum sequitur, quo plus est dignitatis ac praestantiae in ipsis creaturis, eo turpius ingratos Deo esse homines, si eius cultu, tanquam spoliis, ipsas exornent, quas eorum utilitati servire voluit. Indigna vero relatu est insulsitas, in qua sibi placent quidam Rabbini, Deum gentibus partitum astra, quoniam eorum influentiis sint obnoxiae, a quibus Iudaei singulari privilegio sint immunes. Quasi vero non fuerit ab initio similis conditio humani generis. Verum ratio quam attuli, clare ostendit eos a genuino Mosis sensu longissime discedere, adeoque pervertere eius consilium: nempe creaturas quae in usum nostrum destinatae sunt, minime pro Deo esse colendas.

23. *Custodite vos ne obliviscamini.* Quod priore loco in totum vetat fabricare idola, secundo autem tantum de cultu et adoratione loquitur, in sensu nulla est discrepantia, quia iam per se impius est error, Deo tribuere imaginem: et eum semper comitatur altera superstitio, ut in symbolo visibili praepostere colatur Deus. Probe autem hic confirmatur quod ante posui, contrarium esse Dei foederi quidquid sensus nostros in terra moratur ac retinet: ubi nos ad se invitans nihil nisi spirituale cogitare permittit, ideoque vocem suam opponit figmentis omnibus, quibus semper deceptae fuerunt profanae gentes: quia destituebantur luce doctrinae, quae ipsas dirigeret ad coelestem Dei ipsius altitudinem. Qui vero ex Dei lege edocti sunt non modo ipsum solum esse colendum, sed nulla visibili effigie posse repraesentari, nisi se contineant intra hos fines, merito censentur foedifragi: quia violant secundum illud caput, quo iubentur Deum spiritualiter colere: et proinde vetantur simulacra vel imagines sibi facere, quibus eius gloriam deforment atque inquinent. In fine versus, ubi quidam transferunt: Similitudinem quam prohibuit Deus vester, quia proprie legitur, Mandavit, vel praecepit, relativum אשר, sicuti pluribus locis, pro adverbio similitudinis capitur. Sensus quidem Mosis minime obscurus est, simpliciter parendum esse Dei verbo: nec esse disputandum liceat necne quod interdixit, nec aliam iuris rationem quaerendam esse quam ut sequamur quod praescripsit. Disputent nunc papistae ut libuerit, non esse tollendas imagines, quae utiliter populum erudiunt: haec autem nostra sit sapientia, quia Deus hac de re statuit quod volebat, acquiescere. Etsi autem quae additur comminatio poterat reponi inter sanctiones de quibus postea suo loco videbimus, quia tamen secundo praecepto annexa est, divellere nolui. In Deuteronomio additur confirmatio: quod Deus, si exteris gentibus non pepercit, multo minus populo suo ignoscet, quanto scilicet gravius est crimen, et foedior ingratitudo, Deum semel cognitum deserere, et abiicere legis doctrinam, quam errores a maioribus traditos sequi. Exposui iam ante quo sensu vocetur Deus zelotes. Caeterum penultimo loco Moses non satis habuit, simpliciter hoc epitheto Deum insignire: sed amplificandi causa addidit hoc esse eius nomen, ut sciremus non magis posse socium vel aemulum ferre sibi opponi quam abiicere suam deitatem, vel abnegare se ipsum. Quod autem eum igni nunc comparat ad terrorem augendum facit. Scimus quam audacter sibi indulgeat mundus in superstitionibus. Unde fit ut tanquam ludibundus Deum transformet, prout tulit libido. Ergo ut ad reverentiam flectat hominum animos, formidabilem Dei vindictam sub hac figura proponit: quod ipsos non secus atque ignis stipulam protinus consumet, si aliter quam fas est de ipso sentire ausi fuerint.

Dt. 11,16. *Cavete vobis.* Quod saepius idem inculcat, ut ad cavendum sint attenti, tacite coarguitur hominum ad superstitionem propensio. Quod etiam iterum exprimitur his verbis: Ne decipiatur cor vestrum: quia significat, nisi diligenter sibi caveant, nihil fore proclivius quam ut cadant in Satanae decipulas. Quo minus excusabilis est papistarum impudentia, qui securitate suas et aliorum mentes inebriant, ubi Deus ad sollicitudinem subinde hortatur. Sciamus ergo, quum nos undique obsideant multae imposturae et fraudes, pro ingenii nostri vanitate nos illis fore statim obnoxios, nisi sedulo nos custodiamus. Verbo recedendi significat quod ante dictum est, impie a vero Deo deficere quicunque ad vitiosos cultus declinant. Id minime putant increduli, quibus leve delictum est excedere in hac parte. Ac suis quidem commentis libenter oblinerent

Dei oculos: imo nihil est tam insipidum quod non velint ab ipso probari et ratum haberi. Quod si obiicitur, meliorem esse obedientiam victimis, clypeum opponunt bonae intentionis: ac si Deo liberum non esset repudiare quod ei stulte obtrudunt. Certe inconsiderato suo zelo pertinaciter indulgent, ut vix levem culpam in eo agnoscant. Atqui clamat ex opposito Deus, apostatas esse quicunque se non continent in simplicitate legis. Additur rursum comminatio, Deum fore violati sui cultus ultorem, terramque maledicturum, donec fame et inedia eos conficiat: denique pronunciat perituros ex ea terra quam Deus in hunc finem ipsis promiserat ut illic pure invocaretur.

EX DEUT. XVI.

22. *Non eriges tibi statuam: quod odio habet Iehova Deus tuus.*

EX EXODI XXIII.

24. *Non adorabis deos eorum, neque coles eos, neque facies secundum opera eorum.*

22. *Non eriges.* Hinc etiam clarius liquet quid sibi velit, et quorsum tendat secundum praeceptum. Alibi iubet Deus (ut visum est) statuas erigere in terrae finibus, ubi scribatur summa legis. Videtur in speciem pugnare haec prohibitio: et certe pugnaret nisi statuam accipias pro fallaci Dei effigie, dum homines ipsum sibi corporeum proponunt: ideoque additur, ipsum tales statuas abominari. Relativum tamen in neutro genere vertere placuit, quo plenior esset sententia: nempe Deo abominationem esse, erigere statuas: quia hoc modo detrahitur eius gloriae, dum in corpus transfiguratur, vel corporeum aliquid miscetur spirituali eius naturae.

24. *Non adorabis deos eorum.* Repetit Moses quod ante dictum est, cultum Dei separandum esse a cunctis gentium superstitionibus. Hoc enim vitium passim grassatum fuit, ut increduli detraherent potius ad se Deum in terram quam sursum ascenderent ad ipsum quaerendum. Et hoc sensu diximus idola vocari deos: quia fieri non potest quin corruptibili materiae Deum affigat quisquis eum repraesentare vult in ligno et lapide. Et experientia docet impios sic affixos esse suis idolis, ut tergiversando nihil proficiant, dum causantur hoc subsidium suae ruditati necessarium esse. Particula quae sequitur: Non facies secundum opera eorum, satis demonstrat, sub voce idololatriae notari vitiosos omnes cultus.

EX DEUT. XII.

4. *Non facietis sic Iehovae Deo vestro.* 5. *Sed locum quem elegerit Iehova Deus vester e cunctis tribubus vestris, ut ponat illic nomen suum ad habitandum, quaeretis, venietisque illuc.* 6. *Et afferetis illuc holocausta vestra, sacrificia vestra, decimas vestras, levationem manus vestrae, vota vestra, spontaneas oblationes vestras, primogenita armentorum vestrorum, et pecudum vestrarum.* 7. *Comedetisque ibi in conspectu Iehovae Dei vestri, et laetabimini in omni applicatione manus vestrae, vos et domus vestrae, quibus benedixerit Iehova Deus tuus.* 8. *Non facietis secundum omnia quae nos hodie hic facimus, unusquisque quod rectum est in oculis suis.* 9. *Quia non venistis adhuc ad requiem et haereditatem quam Iehova Deus tuus dat tibi.* 10. *Quum vero transieritis Iordanem, et habitabitis in terra quam Iehova Deus tuus dat tibi possidendam, et requiem dederit vobis ab omnibus inimicis vestris in circuitu, et habitabitis secure,* 11. *Tunc ad locum quem elegerit Iehova Deus vester, ut in eo habitare faciat nomen suum, adducetis omnia quae ego praecipio vobis, holocausta vestra, sacrificia vestra, decimas vestras, elevationem manus vestrae, et omnem delectum votorum vestrorum quae vovebitis.* 12. *Et laetabimini coram Iehova Deo vestro, vos et filii vestri, et filiae vestrae, servi vestri et ancillae vestrae: Levita quoque qui erit intra portas vestras: quia non habebit partem et haereditatem vobiscum.* 13. *Cave tibi ne forte offeras holocausta tua in quovis loco quem conspexeris:* 14. *Sed in loco quem elegerit Iehova in una tribuum tuarum, illic offeres holocausta tua, et illic facies quae ego praecipio tibi.* Item: 17. *Non poteris comedere in portis tuis decimam frumenti tui, vini tui, et olei tui, neque primogenita armentorum tuorum et pecudum tuarum, et omnia vota tua quae voveris, et spontanea tua, et elevationem manus tuae.* 18. *Sed coram Iehova Deo tuo comedes illa in loco quem elegerit Iehova Deus tuus, tu et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, et Levita qui erit intra portas tuas: laetaberisque coram Iehova Deo tuo in omni applicatione manuum tuarum.* Item: 26. *Sanctificata tua quae fuerint tibi et vota tua tolles, ut venias ad locum quem elegerit Iehova:* 27. *Et facies holocausta tua ex carne et sanguine super altare Iehovae Dei tui, sanguis autem sacrificiorum tuorum fundetur super altare Dei tui, carnes vero comedes.*

4. *Non facietis sic Iehovae.* Hic praecipuum discrimen statuitur, quoad externa pietatis exercitia, inter legitimum Dei cultum, et fictitios omnes ritus quos sibi excogitaverant gentes: nempe quod Deus nonnisi sanctuarium unum, et unum altare habere voluerit: quod symbolum esset dissidii inter ipsum et omnia idola: atque ita vera religio nihil haberet

superstitionibus affine. Huc spectat prohibitio, ne se Israelitae cum Deo gerant sicut gentes cum idolis, sed interposita sit maceria quae ipsos a toto orbe separet. Tota autem externa cultus Dei professio apte secundo praecepto annectitur: quia ex eo dependet, nec alio tendit quam ad eius observationem. Porro de tabernaculo, sacerdotio et sacrificiis verba facturus, altum et spatiosum mare ingredior: in quo multi interpretes, dum curiositati suae indulgent, per flexuosos errores vagati sunt. Eorum itaque exemplo admonitus vela contraham, et parce tantum libabo quae ad fidem aedificandam valent. Iam vero rogandi sunt lectores, non tantum ut mihi condonent quod ab argutis speculationibus abstineo, sed ut ipsi quoque intra fines simplicitatis libenter se contineant. Multis aures pruriunt: et pro ingenita vanitate, maximam hominum partem magis oblectant inanes allegoriae quam solida eruditio. Verum quibus in schola Dei proficere animus erit, discant perversum (quod eorum mentes titillat) desiderium plusquam expedit sciendi, fraenare. Nunc Mosis verba expendamus.

5. *Sed locum quem elegerit Deus.* Quaeritur cur in uno tantum altari voluerit Deus offerri sibi sacrificia. Praeter rationem quam nuper attuli, minime dubium est quin hoc modo fidelibus consuluerit, ut consensum in fidei unitate inter ipsos foveret. Locus ergo omnibus communis instar vexilli fuit ad colligendum populum, ne scinderetur religio, et ne qua diversitas obreperet. Porro Deus eligendi ius et arbitrium sibi vendicans, obedientiam commendat, ex qua etiam pendet cultus puritas. Verum rursus oritur alia quaestio: quia ante tempus Davidis nusquam habuit arca fixam sedem, sed quodammodo peregrinata est in variis hospitiis: si autem electus locus de monte Sion intelligitur, tempore igitur intermedio liberum fuit populo sacra peragere ubi placeret. Respondeo, non ante electum fuisse locum quam arca in Sion locata est. Tum enim demum impletum fuit quod in Psalmo dicitur: Laetatus sum cum dicentibus mihi, In domum Iehovae ibimus (Psal. 122, 1). Stabiles erunt pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem. Quibus verbis significat propheta nullam prius fuisse stationem, quia Deus nondum locum ubi esset colendus designaverat. Ideo diserte exprimitur: Ex cunctis tribubus tuis, vel: In una tribuum tuarum: ubi singulare privilegium notatur, quo tribus una, reliquis posthabitis, ornanda erat. Atque huc pertinet quod in alio Psalmo dicitur: Reprobavit tabernaculum Ioseph, tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit (Psal. 78, 67). Et exstruxit quasi excelsa sanctuarium eius, quasi terram quam fundavit in saeculum. Eodem sensu alibi gratulantur sibi fideles postquam apud Davidem arca fuit deposita: Ingrediemur in habitationes Dei: adorabimus ad scabellum pedum eius (Psal. 99, 5. et 132, 7). Vicissim etiam pronunciat spiritus: Quoniam elegit Iehova Sion, dilexit eam in sedem sibi. Haec requies mea in saeculum: hic habitabo, quia dilexi eam (Psal. 132, 13). Passim occurrunt similes sententiae, quae confirmant non ante habitasse arcam in vero domicilio quam dum reposita fuit in Sion. Et Deus (meo iudicio) ut spem populi suspensam teneret, promisit, quamvis ad tempus locum mutaret arca, se tamen destinasse perpetuam sedem in qua quiesceret. Caeterum inde non sequitur, ad illud usque tempus datam fuisse licentiam populo ubique sacrificandi. Ubicunque enim fuit sanctuarium, temporalis quoque fuit loci electio, donec ostensa esset legitima sedes. Itaque Deus per Ieremiam stultam fiduciam qua turgebant Iudaei castigans, dicit: Ite in Silo, et aspicite quale iudicium illic exercuerim (Ierem. 7, 12). Quibus verbis significat, Silo ad tempus excelluisse, et tandem honore suo fuisse privatum: quia indigne illic sacra polluta fuerant. Etsi ergo specialis est hic promissio de Sione, non dubium tamen quin Deus interea Israelitas ad sanctuarium suum alliget, ne sibi quisque exstruat proprium altare, vel urbes sibi alia atque alia templa aedificent. Iam notatu digna est loquutio: Ut ponat nomen suum ibi: item, Habitare faciat: quae crassis imaginationibus occurrit, ne populus Deum parietibus includat, ut solent homines immensam Dei essentiam circumscribere, vel detrahere e coelo, et subiicere terrenis elementis. Atqui nomen Dei habitare dicitur in loco, non sua natura, sed hominum respectu: dum pro ipsorum ruditate, visibile praesentiae suae symbolum statuit ante oculos. Hac ratione descendere saepe dicitur, non quod se moveat qui coelum et terram implet, sed quia familiaris eius cognitio ipsum hominibus propinquum reddit. Etsi autem patitur se in terra invocari, non vult tamen illic subsistere hominum mentes, sed potius per gradus sursum eas attollit. Itaque per Isaiam (66, 1) duriter eos obiurgat, quod in vitiis suis defixi putarent nihilominus, quia templum erat in conspectu, Deum sibi esse obstrictum: quum nostrum sit fide et serio animi affectu ad eum accedere, ubi manum suam ad nos extendit. Vocatur quidem saepe arca foederis, ipsius facies: sed ne homines crassum aut terrestre quidquam concipiant, simul vocatur sanctuarium scabellum pedum eius. Porro enumerat oblationum species, quarum postea videbitur clarior explicatio. Tantum breviter admoneo, holocausta comprehendi sub sacrificiis tanquam partem sub toto. Ubi vertimus levationem manus, hebraice legitur תרומה, cui saepe adiungitur aliud nomen תנופה. Etsi autem utrumque ab elevando dicitur, apparet tamen differre: et linguae periti sic distinguunt, תרומה attolli sursum, et deorsum sub-

mitti: תנופה autem simul versari in dextram et sinistram partem: quanquam alii putant circumagi ad quatuor mundi plagas. Inter vota et spontanea sacrificia distinctio est, quod tametsi votum ab initio sponte concipitur, potest tamen offerri quod non vovimus. De primogenitis iam ante dictum fuit.

7. *Comedetisque ibi.* Videmus, sanctuarium in quo se Deus manifestabat, vocari eius faciem. Etsi enim fidelibus praecipitur ut semper, quocunque in loco habitent, coram Deo ambulent: propius tamen et speciali quodammodo sistebant se in eius conspectum quum ad sanctuarium accederent. Atque hac loquendi forma pigritiam vel desidiam populi excitat Deus, ne molestum sit sacrificandi causa ad arcam foederis venire, quia laborem et sumptum itineris inaestimabile istud bonum compenset. Alibi autem docui, ubi coram Deo epulari dicuntur homines, hac nota discerni sacras epulas a quotidianis coenis, vel prandiis. Fuit enim haec sacrificii accessio, quod residuum erat ex victima comedere: et hoc modo fiebant convivae oblationis participes: quem morem imitatae sunt etiam profanae gentes, sed perperam. Rursus comiter eos invitat Deus, quum dicit: Laetabimini in omni applicatione manus vestrae. Pro quo alii reddunt: In omni re ad quam miseritis manum vestram. Ad verbum est: In emissione manus. In sensu nulla ambiguitas: quia opera significat quae motum et applicationem manuum requirunt. Paulo post ubi verti: Quibus benedixerit, inserunt praepositionem In, et subaudiunt Tibi. Verum optime convenit, Deum benedicere operibus, quanquam et de familiis potest intelligi [1]). Quod decimas comedi iubet in loco sacro, non extendo ad genus ipsum: quia minime consentaneum fuisset victum eorum qui per diversas urbes sparsi erant in alienum locum transferri, ut esurie perirent: sed interpretor de secundis decimis quas separabant Levitae ut essent sacra et peculiaris oblatio. Alibi enim videbimus quod residuum erat transiisse in naturam communis proventus: ac si Levitae ex suis possessionibus perceptum comederent.

8. *Non facietis secundum omnia.* Iam tunc quidem ritum sacrificandi a patribus traditum servabant: sed quia adhuc errabant in deserto, licuit passim altaria exstruere, donec eorum peregrinationi impositus esset finis. Et hoc etiam diserte explicat Moses, ratione addita, quod nondum ingressi sint in requiem quam Deus illis promiserat. Docet igitur, ubi contigerit tranquilla terrae possessio, non fore amplius excusationi locum, si ubicunque libitum fuerit sacrificent. Ergo ubi dicitur eos tunc fecisse ut quisque rectum putavit, non extenditur ad quaelibet figmenta quae sibi comminiscuntur homines in colendo Deo: sed tantum notatur liberior ratio et forma exercendae pietatis, antequam ostensus esset locus ubi figere pedem decebat.

10. *Quum vero transieritis Iordanem.* Confirmat hic versus quod ante dixi: Iudaeos obstringi ad certam regulam, simulac constiterint in terra promissa: et tamen locum in quo perpetua esset arcae statio, non protinus fore manifestum. Quod enim exprimitur in fine versus, Deum in circuitu pacem daturum ut secure habitent, re ipsa non fuit perfecte exhibitum ante tempus Davidis. Voluit tamen Deus, simulac terra fruerentur, undique etiam ex remotis finibus ipsos concurrere ad sanctuarium. Species quasdam oblationum de quibus nuper loquutus fuerat, omittit, et pro votis ponit electionem votorum, pro quo alii vertunt electissima vota, vel praecipua in votis, quod non repudio: quanquam simplicior est alter sensus, vota omnia comprehendi quae libero iudicio et delectu quisque susceperat. Paulo post mentem suam clarius exponit, dum prohibet ne suo arbitrio in locis quae arriserint offerant sacrificia. Nam locum aspicere, tantundem hic valet atque ferri oculorum sensu, ut pulchritudini et formae affigatur religio et sanctitas.

Deuteronom. 12, 26 *Sanctificata tua.* Locus hic clarius explicat quid sibi voluerint superiora praecepta: nempe ut locus unus sacer esset ad peragendos sacros ritus: ne si quisque offerret prout esset libitum, vitiaretur religio, et paulatim diversa altaria totidem gignerent deos. Iubet ergo victimas omnes sacrificari super unum altare, modo sanguis fundatur.

EX DEUT. XIV.

23. *Et comedes coram Iehova Deo tuo in loco quem elegerit ut habitare faciat nomen suum ibi, decimam frumenti tui, vini tui, et olei tui, et primogenita boum tuorum, et pecudum tuarum: ut discas timere Iehovam Deum tuum omnibus diebus.* 24. *Quod si longior fuerit via quam ut per eam ferre possis illas, quod distet a te locus ille quem elegerit Iehova Deus tuus ut ponat nomen suum ibi, quum benedixerit tibi Iehova Deus tuus:* 25. *Tunc dabis pro pecunia, et colligabis pecuniam in manu tua, et ibis ad locum quem elegerit Iehova Deus tuus:* 26. *Et dabis pecuniam pro omni eo quod desiderat anima tua, pro bobus, et pro ovibus, et pro vino, et pro sicera, et pro cunctis denique quae postulaverit a te anima tua: et comedes ibi coram Iehova Deo tuo, et laetaberis tu et domus tua.*

23. *Et comedes coram Iehova.* Iterum victimas afferri iubet ad locum sanctuarii: quanquam Ierosolymam designat per locum quem elegerit Deus, sicuti proximo in loco capitis 12. dictum fuit. Arca

1) *Princeps:* praepositionem in, ac si sermo esset de operibus. ego autem de familiis potius interpretor.

enim foederis iustam stationem non habuit usque ad tempus Davidis, sed quasi temporalibus hospitiis fuit excepta. Iubet ergo nunc Moses, ubi locum unum tanto honore dignatus fuerit Deus, et quasi perpetuam quietem elegerit ubi resideat nomen suum, illuc victimas afferri. Porro eum locum scimus fuisse Ierosolymam. Ad unum vero locum ideo restrictae fuerunt omnes oblationes, ne quidquam vitii ex varietate obreperet ad dissipandam fidei unitatem. Omnia enim extranea commenta (ut iam satis visum est) totidem sunt cultus Dei profanationes. Caeterum quum 12. capite Moses promiscue decimas coniunxerit primitiis, et idem statuerit de utrisque, nunc legem illam addita exceptione mitigat, nempe si longior fuerit via, ut permutatione facta, pecuniam solvere liceat loco frumenti. Non de solis quidem decimis loquitur, sed vota et dona voluntaria simul permiscet, imo proprie ipsa respicit. Quia tamen de hoc proximo genere nulla est quaestio, tantum expendamus an consentaneum fuerit decimas uno in loco solvi. Levitis in alimentum datae fuerant, quos satis notum est fuisse per totam terram dispersos. Ergo aut habitatio illis Ierosolymae danda fuit, aut victu non fuerunt privandi, ubicunque agerent. Absurdum ergo videtur praeceptum, ut decimas omnes totius regionis Ierosolymam conveherent: quia id nihil aliud erat quam miseros Levitas inedia conficere. Haec absurditas interpretes compulit ad fabricandam dubiam coniecturam: nempe populum decimas sponte reposuisse, quas Ierosolymam perferret diebus festis. Sed probabile non est tam grave onus fuisse impositum, ut duntaxat quod residuum erat ex quinta parte domi servarent. Atqui propius ad verisimilitudinem accederet, ex vicinis agris, prout ferebat commoditas, Ierosolymam fuisse delatas: quae autem in locis remotioribus collectae fuerant, repositas illic fuisse: Ierosolymae autem censas, ut supputatione facta pro numero familiarum, aequa distributio inter Levitas fieret. Certe minime convenit, singulos agricolas Ierosolymam portasse quod Levitae inde acceptum ad familias suas alendas referre cogerentur. Quorsum enim illa circumvectatio magni sumptus et molestiae? Adde quod frustra mandatum esset Levitis, et quidem gravi comminatione addita, ut sacerdotibus bona fide solverent, si apud sacerdotes ipsos fuissent primo loco depositae, qui facile occurrere poterant omnibus dolis, totam frumenti copiam habentes sub manu. Dubium igitur mihi non est quin Levitae in suis quique regionibus decimas collegerint: altera autem decimatio cuius mox mentio fiet, ad sanctuarium delata fuerit, tanquam oblatio sacra, et cultus Dei professio. Nuper enim visum fuit, post detractam illam partem, novem alias quae residuae manebant, Levitis fuisse reputatas, ac si in eorum agris natae essent. Iam quia querimoniis obnoxia res erat, unum in locum primitias et alteras decimas coacervari, eas ut compescat Deus, admonet toti populo utile esse, ut victus omnibus suppetat qui venient ad celebrandos festos dies. Huc enim pertinent verba, Comedes coram Deo tuo: quasi dictum esset, locum illum Deo fore sacrum ad quem e tota terra conveniant Dei cultores. Interea tamen puram cultus sui observationem commendat: ne locorum diversitas huc illuc populum abstrahat ad fictitias superstitiones.

24. *Quod si longior fuerit via.* Ne hanc restrictionem de decimis intelligam, impedit quod alibi statuitur, ut si quis eas vellet pecunia redimere, quintam partem adderet: quod nunc omittitur: deinde explicatio quae paulo post additur, ut pecuniam loco oblationum secum ferant, ex qua emant boves et oves, vinum et siceram, prout libuerit. Summa est, si nimis grave fuerit ex suis aedibus procul adducere victimas et alia dona, ut Ierosolymae emere liceat quidquid offerre visum fuerit: modo ne alibi quidquam offerant.

EX EXODI XX.

24. *Altare terreum facies mihi, et sacrificabis super illud holocausta tua, et sacrificia prosperitatum tuarum, pecudes tuas, et armenta tua: in omni loco in quo memoriam posuero nominis mei, veniam ad te, et benedicam tibi.* 25. *Quod si altare ex lapidibus feceris mihi, non aedificabis eos excisos, si gladium tuum elevaveris super illos, pollues.*

EX DEUT. XXVII.

5. *Aedificabis in monte Ebal altare ex lapidibus Iehovae Deo tuo: non levabis super eos ferrum.* 6. *E lapidibus integris aedificabis altare Iehovae Dei tui: et offeres super illud holocausta Iehovae Deo tuo:* 7. *Et offeres sacrificia prosperitatum, comedesque illic, ac laetaberis coram Iehova Deo tuo.*

5. *Altare terreum facies.* Differt hoc praeceptum ab altero quod nunc exposui: quia etsi ad loci delectum pertinet, omissa tamen loci mentione, tantum attingit materiam et formam altaris. Iubet, igitur Deus altare sibi exstrui vel ex terra, vel ex congerie lapidum qui nullo artificio politi fuerint. Hoc autem de altaribus interpretor, quae vel in deserto, vel in aliis locis exstruenda erant, donec patefacta esset perpetui loci electio. Ea sibi ex terra voluit Deus exstrui, ut sponte conciderent, nec post discessum populi maneret aliquod vestigium. Quod si adhiberentur lapides, vetuit aptari

ad diuturnam structuram, sed rudes et impolitos in cumulum coniici, ne species alliceret posteros ad superstitionem. Ac miror interpretes hic se torquere in fingendis allegoriis: quum Dei consilium non aliud fuerit quam offendicula tollere quibus averti possent Israelitae a sanctuario. Scimus enim ut vetustas, et patrum exemplum trahere soleant vulgi animos. Si qua stetisset altaris effigies, statim iniecta fuisset religio, nusquam alibi melius nec sanctius Deum posse coli quam in loco iam olim a patribus dicato. Ita suborti essent degeneres cultus, et contempta sanctuarii dignitas. Quare huic malo occurritur quum altaria exstrui vetat quae diu supersint: sed tantum ad usum praesentem aptari permittit, vel ex terra, vel ex informi cumulo lapidum. Quantum ad sacrificia prosperitatum spectat, alibi causam reddidi cur ita verterim hebraicam vocem שלמים quae prosperos omnes et laetos successus significat. Nam quod alii transferunt Pacifica, minime convenit. Quod in secunda parte versus additur: In locum ubi posuero memoriam nominis mei, veniam ad te, inscite detortum fuit ab interpretibus: atque ita praebuit occasionem errandi. Legerunt enim uno contextu: ac si Deus in monte quoque Sion eiusmodi altare fieri vetaret. Atqui potius occurrit dubitationi quae alioqui titillasset populi animos. Annon propitius erit nobis Deus ubi exaudivit patres nostros? Contra, inquam, obiicitur promissio, eos probe et rite esse litaturos, modo praecepto Dei obtemperent, nec alium locum appetant quam ab ipso electum. Hac ratione illis dicitur, ubicunque Deo placuerit offerri sacrificia, illuc ad vos descendet, ut sit vobis propitius.

Ex Deut. 27, 5. *Aedificabis in monte Ebal.* In primo terrae ingressu iubet sibi Deus offerri sacrificium gratiarum actionis: quod praestitit Iosue, quemadmodum refertur capite octavo: Tunc aedificavit Iosue altare Deo Israel in monte Ebal, sicut praeceperat Moses servus Iehovae filiis Israel, altare ex lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigerat. Primum ergo hic exigitur testimonium gratitudinis: ut filii Israel, simul ac pedem coeperint in terra Chanaan figere, celebrent Dei laudes: deinde vetat omne artificium, quia si durasset altare, occasio fuisset superstitionis, et singulare exemplum pluris fuisset quam lex Dei perpetua. Hinc tanta iracundia exarserunt novem tribus et dimidia contra duas Ruben et Gad, et dimidiam tribum Manasse, propter altare ad ripam Iordanis constructum: ut statuerint fratres suos prorsus delere, donec se purgarunt, quod tantum in monumentum fraternae coniunctionis illud erexerant, non autem ad sacrificia. Fuerunt certe illi boni legis interpretes, qui inexpiabile crimen duxerunt, altare posteris relinqui, quod populum abstraheret ab unico sanctuario, atque ita divelleret fidei consensum.

EX EXODI XXV.

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Alloquere filios Israel ut tollant mihi levationem: ab omni viro cuius cor voluntarie dederit illam, sumetis levationem meam.* 3. *Ista autem est oblatio quam capietis ab eis, aurum et argentum, et aes,* 4. *Et hyacinthum, et purpuram, et vermiculum cocci, et byssum, et pilos caprarum.* 5. *Et pelles arietum rubricatas, et pelles taxorum, et ligna sittim.* 6. *Oleum pro luminari, aromata pro oleo unctionis et pro thymiamate aromatum:* 7. *Lapides onychinos, et lapides plenitudinum pro ephod et pro pectorali.* 8. *Et facient mihi sanctuarium, ut habitem in medio eorum.* 9. *Omnino ut ego ostendam tibi similitudinem habitaculi, et similitudinem omnium vasorum eius, sic facietis.* 10. *Facient etiam arcam e lignis sittim: duorum cubitorum et semis erit longitudo eius, cubitus vero et semis latitudo eius, cubiti item et semis altitudo eius.* 11. *Operiesque eam auro puro, intrinsecus et extrinsecus, operies, inquam, eam, faciesque super eam coronam auream in circuitu.* 12. *Fundes quoque ei quatuor annulos aureos, quos pones ad quatuor angulos eius: duos videlicet annulos in latere eius uno, et duos annulos in latere eius altero.* 13. *Facies praeterea vectes ex lignis sittim, quos cooperies auro.* 14. *Inducesque vectes in annulos qui erunt in lateribus illius arcae, ut illis deferatur arca.* 15. *In annulis illius arcae erunt vectes, non removebuntur ab ea.* 16. *Ponesque in arca testimonium quod dabo tibi.* 17. *Facies et operculum ex auro mundo: duorum cubitorum et dimidii erit longitudo eius, cubiti vero et dimidii latitudo eius.* 18. *Facies etiam duos Cherubim aureos: ductiles facies eos in duabus extremitatibus propitiatorii.* 19. *Facies autem Cherub unum in extremo hinc, et Cherub alterum in extremo inde: ex propitiatorio facietis Cherubim, duabus extremitatibus eius.* 20. *Expandentque Cherubim duas alas superne tegentes alis suis propitiatorium, et se mutuo aspicient: ad propitiatorium erunt facies Cherubim.* 21. *Pones autem propitiatorium super arcam superne, et in arca pones testimonium quod dabo tibi.* 22. *Conveniamque tecum illuc, et loquar tecum e propitiatorio inter duos Cherubim quod erit super arcam testimonii, quaecunque praecipiam tibi ad filios Israel.*

EX EXODI XXXV.

4. *Dixitque Moses ad universam synagogam filiorum Israel, his verbis: Hoc est verbum quod praecepit Iehova, dicendo:* 5. *Accipite a vobis oblationem Iehovae: omnis spontaneus corde suo afferet eam oblationem Iehovae, aurum, argentum, et aes:* 6. *Et hya-*

cinthum, et purpuram, et vermiculum cocci, et byssum, et caprarum pilos: 7. *Et pelles arietum rubricatas, et pelles taxorum, et ligna sittim.* 8 *Et oleum pro luminari, et aromata pro oleo unctionis, et ad suffimentum aromaticum.* 9. *Et lapides onychinos, et lapides pro ephod et pro pectorali.* 10. *Et omnes sapientes corde in vobis venient, et facient quaecunque praecepit Iehova:* 11. *Tabernaculum, tentorium eius, et operimentum eius, et circulos eius, et tabulas eius, vectes eius, columnas eius et bases eius:* 12. *Arcam et vectes eius, propitiatorium, et velum tentorii.* 13. *Mensam, et vectes ipsius, et omnia vasa eius, et panem facierum:* 14. *Et candelabrum luminaris et vasa eius, et lucernas eius, et oleum luminaris:* 15. *Et altare suffimenti et vectes eius, et oleum unctionis, et suffimentum aromaticum, et aulaeum ostii pro ostio tabernaculi:* 16. *Altare holocausti, et cribrum eius aeneum, et vectes eius, et omnia vasa eius, et concham, et basin eius:* 17. *Cortinas ipsius atrii, columnas eius, et bases eius, et aulaeum portae atrii:* 18. *Paxillos tabernaculi, et paxillos atrii, et funiculos eorum:* 19. *Vestes ministerii ad ministrandum in sanctuario, et vestes sanctas Aharonis sacerdotis, et vestes filiorum eius ad fungendum sacerdotio.*

Exodi 25, 2. *Alloquere filios Israel ut tollant.* Si quis rixator de tempore, cuius historiam huc inserere visum est, quaestionem moveat, etsi pertinacius non contendam, non probabilis modo, sed firma sententiae meae ratio mihi constat. Certo enim ex 33 capite Exodi colligere mihi videor, antequam priores tabulas afferret Moses e monte, tabernaculum iam fuisse exstructum. Illic enim in signum divortii, ut cognosceret populus se a Deo repudiatum esse, dicitur Moses tulisse tabernaculum, et sibi privatim tetendisse extra castra: non in suum peculiarem usum, quia diserte exprimitur, cum non illic habitasse, sed egressum fuisse e castris quoties volebat Deum consulere: Iosue vero fuisse custodem vel aedituum. Id vero factum esse non ambigitur, antequam secundo ascensu novas tabulas a Deo afferret. Liquet ergo tunc iam erectum fuisse tabernaculum. Si quis obiiciat, non erectum fuisse nisi principio anni secundi, facilis est solutio, tunc de integro in statione legitima fuisse repositum, ut undique circumdatum a filiis Israel, omnes haberet custodes, secundum duodecim tribus ordine suo digestas: deinde tunc demum locatas fuisse tabulas in arca foederis, in quibus se Deus repraesentabat, ut sine illis vacuum quodammodo esset tabernaculum: postremo de solenni dedicatione illic agi, cuius nondum advenerat maturum tempus, donec ad testandam Dei praesentiam, foedus in arca reconditum esset pignoris loco. Quo melius tollatur omnis ambiguitas, breviter supputanda est temporis ratio. Tertio mense a suo exitu appulit populus ad montem Sinai. Quoto die lex fuit data, nusquam dicitur, nisi quod probabili ratione coniicere licet, circiter finem illius mensis latam fuisse. Ita numerandi erunt octo menses usque ad diem quo dedicatum fuit tabernaculum, et tabulae in arca foederis depositae; sicuti nominatim refert Moses ultimo capite Exodi. Libro autem quarto narrat, secundo mense illius anni populum castra movisse ex illo loco, et migrasse ad sepulcra concupiscentiae. Iam quum inter dedicationem tabernaculi, et profectionem unus tantum mensis intercesserit, fateri necesse est duos in montem ascensus temporis ordine praecedere. Nunc quaeritur, principione quarti mensis vocatus fuerit ad sumendas priores tabulas. Si hoc recipitur, vix ante finem octavi mensis potuit de sanctuarii aedificio praecipere. Nam inter duos ascensus absurdum fuisset tabulas dare paterni favoris, quum dissidii testis esset separatio tabernaculi. Sic igitur constituo, in longo et difficili opere consumptos fuisse totos quatuor menses. Ac certe mirum fuit tam exiguum tempus sufficere: nisi quod incredibilis strenuitas omnium opinionem vicit, quum certatim singuli indefesso labore ad opus accelerandum incumberent. Et probabile est, ex quo Deus foedus suum pepigerat, statim de tabernaculo, eiusque appendicibus praecepta dedisse: ne externa pietatis exercitia, quae vidimus fuisse admodum necessaria, populum deficerent. Opere autem completo iussus est postea rursus Moses accedere ad Deum, cum fratre Nadab, Abiu et septuaginta senioribus: et post oblata sacrificia, nube obiecta receptus est ad familiare colloquium Dei, ubi circiter sesquimensem transegit. Reversus, defectione populi cognita, post editam trium millium stragem, luctum populo indixit. Quam diuturnam traxerit moram nescitur: probabile tamen est saltem unum mensem effluxisse antequam revocaretur. Iam habemus supra novem menses: accedat sesquimensis quo retentus fuit in monte, non procul erimus a fine anni. Tunc vero se populo restituit Deus: atque ita mox sequuta est legitima tabernaculi dedicatio, quae facta est anno secundo, initio primi mensis. Celebrato paschate, signum profectionis tandem datum est, idque secundo mense. Respondeant nunc velim, si qui a me dissentiunt, qui conveniat detecta populi transgressione, Mosen demum coepisse ad structuram eos hortari, quum in toto eius sermone nulla idololatriae fiat mentio. Certe omnibus probe expensis, agnoscere promptum erit, integrum adhuc fuisse populum, ubi tam alacriter sua Deo consecrat. Sed illo quod citavi Mosis testimonio, tota quaestio satis expeditur, antequam Moses cum prioribus tabulis descenderet, fuisse tabernaculum: nisi forte excipiant, aliud fuisse et diversum ab eo quod postea ex Dei mandato compositum fuit. Hoc vero

nimis futile est cavillum: quia non fuit in arbitrio Mosis, terrestre domicilium fabricare Deo, et sacrum nomen imponere, quo ubique sanctuarium ornatur. Et diserte narrat gloriam Dei illic apparuisse: quo certius cognosceret populus sua immunditie se a Deo separatum: qua de re suo loco iterum. Deinde verbum לקח sonat Mosen tulisse tabernaculum e castris, quod alio transferret. Nunc si quis obiiciat, compositum fuisse tabernaculum ad exemplar quod Moses viderat in monte: in promptu est solutio, Mosen non tunc primum in monte fuisse edoctum de vero Dei cultu et coelestibus mysteriis, quum retentus fuit diebus quadraginta, sed iam ante legis promulgationem. Nec dubium est, quin eadem tunc ostensa fuerint quae ante didicerat, quo populus ad assiduam legis meditationem magis intentus esset. Nam ex spatio temporis agnoscere poterant, nihil fuisse praetermissum quod illis esset utile cognitu. Tametsi enim momento potuit Deus servum suum sic instituere ut nihil deesset, voluit tamen paulatim, et quasi per otium, sibi perfectum doctorem formare: idque populi infirmitati concessit. Sic enim legitur Exodi decimo nono, Ecce, venio ad te in densa nube, ut audiat me populus tecum loquentem, et credat tibi in perpetuum. Item vicesimo: Stetit populus eminus, Moses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus. Ex quo patet, nihil absurdum esse, si dicamus iam tunc vidisse exemplar tabernaculi, in quo volebat coli Deus. Sed ne quis me solis coniecturis niti obiiciat, Moses ipse clare demonstrat, antequam tabulas acciperet, Deum praecepisse de tabernaculi opificio. Bis enim capite vigesimo quinto legitur: In arca repones testimonium quod dabo tibi. Unde patet nondum datas fuisse tabulas, quum totum aedificium ex Dei mandato descripsit. Unde rursum colligimus, iam composito tabernaculo montem ascendisse, ut tabulas afferret quae in arca reponerentur. Antequam vero de structura tabernaculi disserere incipiat, tributum populo indicit: ut pro suis quisque facultatibus materiam conferat tam in ipsum tabernaculum, quam in omnia vasa. Levatio autem vel תרומה simpliciter hic pro oblatione capitur: neque, ut aliis locis, distinguitur ab altera specie sacrificii quae תנופה vocatur. Simpliciter autem iubentur Israelitae impendere singuli ex suis copiis et opibus, quantum ad cultum Dei sufficiat. Certum quidem est omnia nostra Dei esse, et pollui quaecunque nobis largitur, nisi quum in eius gloriam dicantur. Sed pro sua indulgentia liberum nobis omnium usum permittit: modo testemur manere sub eius arbitrio, ut parati simus erogare prout iusserit. Sic rite eleemosynas offerimus, tanquam boni odoris sacrificia: quamvis ad inopiam usque se non exhauriat qui dives est: sed pauperibus de suo succurrens, fruatur bonis quae possidet. In summa, quidquid offerimus Deo, simile est primitiis, quibus testamur omnia nostra eius gloriae sacrata esse. Iam quamvis ad tabernaculi sui aedificium et ornatum nullis populi suppetiis egeret, utpote qui ad omnes alendos quotidie man e coelo pluebat: voluit tamen singulos a minimo usque ad maximum, testandae pietatis causa, in commune afferre quidquid ad sacrum opificium necessarium erat. Quidquid autem tunc in sanctuarium visibile impendi voluit, hodie quoque exigit in spiritualis templi structuram. Solus proprie est qui ecclesiam suam aedificat: hominum tamen utitur opera, et secum plures vult esse architectos, ut ecclesiae aedificatio aliqua ex parte ex hominum labore surgat: sicuti laudem prosperi successus illis adscribit. Interea nihil offerimus quod non ipse largitus sit: quemadmodum Israelitae nihil dederunt nisi quod ex mera eius beneficentia provenerat. Ideo singulis ad certam mensuram distribuit spiritus sui dona (1. Cor. 12, 7): ut quo quisque plus vel minus accepit, ad ecclesiam aedificandam impendat. Hic autem optimus alacritatis stimulus nobis esse debet, quod nemo tam egenus est, vel tenuis, cuius non grata sit et suavis oblatio quantumvis exigua, et in hominum oculis nullius fere pretii. Porro notandum est, tributum non exigi pro imperio: sed denunciari ut liberaliter singuli conferant quod visum fuerit. Nam ab initio verum fuit illud Pauli, Deum hilarem datorem diligere (1. Cor. 9, 7). Et tota scriptura docet nonnisi voluntaria obsequia placere Deo. Quisquis ergo ad aedificandum Dei templum probus cupit esse adiutor, nihil afferat servile vel extortum. Quanquam enim verbum ידבנו varie redditur ab interpretibus: summa tamen huc redit, munus cuiusque ex propensa animi alacritate Deo fore gratum. Vetus interpres habet, Qui offert ultroneus, paraphrastice magis quam ad verbum. Alii inter se dissentiunt: relativum quidam intelligunt de oblatione, ac transferunt, Cuius cor voluntarie dederit illam: alii, Qui cor suum liberale aut voluntarium exhibuerit. Secunda expositio recta est.

3. *Ista autem est oblatio.* Hic melius confirmatur quod iam dixi, divitum copia non obrui quod ex sua tenuitate pauperes offerunt: quando et pilos caprarum censere dignatur Deus inter sacras oblationes, non minus quam aurum, purpuram, et lapides pretiosos. Deinde varia et multiplici contributione ostendere quasi in speculo voluit, ad spiritualis templi aedificium donorum varietate opus esse: quemadmodum disserit Paulus 12. ad Romanos: et 1. ad Corinth. 12. Splendidior quidem divitum fuit largitio: verum sicuti gravati non sunt aurum suum et argentum, hyacinthum, purpuram, et lapides pretiosos coniungere aeri, ferro, aliisque vulgaribus materiis: ita hodie qui excellentioribus do-

nis ecclesiae aedificationem adiuvant, sine contemptu et fastidio in societatem admittant pauperculos fratres, quibus datum non est ipsos aequare.

8. *Et facient mihi sanctuarium.* Priore loco Deus proposita inaestimabili mercede, populum ad largiendum animat. Etsi enim liberalitas tanquam praestantissima virtus ab omnibus laudatur: nemo tamen libenter e suo detrahit quod aliis eroget: quia putant omnes tantundem sibi perire, nisi compensatio appareat. Ergo ut sumptum hilariter faciant, se habitaturum inter ipsos promittit: quo nihil est optabilius. Porro cavendum est ne quid imaginemur a Dei natura alienum. Neque enim qui supra coelos sedet, et cuius pedum scabellum est terra, tabernaculo includi potuit: sed quia rudis populi infirmitati indulgens, praesentiam gratiae suae et auxilii testari volebat visibili symbolo, vocatur sanctuarium terrestre eius domicilium inter homines: quia illic non frustra invocabatur. Ac memoria tenendum quod nuper vidimus, non immensam Dei essentiam, sed nomen vel memoriam nominis illic habitasse. Hic verborum finis est, non debere Israelitas ad exstruendum tabernaculum pigros vel lentos esse: quia hoc modo inaestimabile bonum sibi comparent. Sequitur alterum membrum, ut artifices exemplar Mosi ostensum sequantur, ne quid scilicet comminisci audeant: quia profanatio fuisset, quidquam humanum cum Dei mandatis miscere: qua de re mox fusius tractandum erit, ubi in genere de figuris loquar. Nunc describitur arcae et operculi eius forma. Nam tabernaculi et partium eius compositio quam nunc tantum attingit Moses, paulo post fusius repetetur ex 32 capite. Etsi autem tabernaculum vocatum fuit domus Dei, magis tamen expressa gloriae eius imago fuit in arca foederis: quia illic lex erat reposita, qua Deus se populo devinxerat. Materia fuit lignum sittim laminis aureis obtectum, vel inductum. De specie arboris ne Hebraei quidem inter se consentiunt. Quanquam fuisse exquisitam et rari pretii, coniicere licet: voluit tamen Deus aurum in tota superficie, atque etiam vectibus fulgere, quo pluris fieret legis dignitas. Hic tamen moveri potest quaestio quae secum plures alias trahit, quid ad Dei cultum sumptuosus tam arcae quam tabernaculi et vasorum omnium splendor contulerit. Certum enim est, Deum nunquam voluisse coli nisi pro sua natura. Unde sequitur, verum eius cultum semper fuisse spiritualem, ideoque minime situm in externis pompis. Iam tot caeremoniarum copia et apparatus adeo nihil ad pietatem profuit, ut vel superstitionis fuerit occasio, vel stultae perversaeque confidentiae. Deinde tot ac tam varii ritus non alio videntur spectasse quam ad curiositatem fovendam. Operae pretium ergo erit de his rebus aliquid breviter praefari. Falluntur autem (meo iudicio) qui putant magnificis spectaculis retentos fuisse populi oculos, ne religio apud ipsos vilesceret omni ornatu vacua, quum apud gentes ad miraculum usque splenderet falsorum deorum cultus: atque ita prava aemulatio pungeret eorum animos, si decus tabernaculi non aequaret saltem aliorum pompas, ac si Deus quem colebant idolis esset inferior. Simili quoque ratione fingunt oneratos multis observationibus: ne si parce illos et leviter Deus exercuisset, hinc inde, pro ingenita curiositate, accerserent profanas nugas. Dicunt quidem aliquid, sed non totum. Fateor enim hoc veteri populo fuisse datum, ut quum tabernaculum conspiceret tot ornamentis illustre, maiore reverentia tangeretur. Fateor etiam in multis caeremoniis divinitus mandatis fuisse occupatos, ne alienas appeterent: verum si haec tantum proposita fuisset ratio, totus legalis cultus tantum inanibus et histrionicis pompis ad ostentationem valuisset. Atqui absurdissimum est, Deum ita cum populo suo lusisse. Et videmus quam honorifice David et prophetae loquantur de illis exercitiis. Nefas igitur est, sentire ritus legales fuisse quasi ludicra ad gentium imitationem composita. Ergo ut illis salvus maneat suus honor et dignitas, tenendum est principium quod nuper attigimus, omnia fuisse ad spirituale exemplar directa, quod in monte ostensum fuerat Mosi (Exod. 25, 40). Idque prudenter observarunt tam Stephanus (Act. 7, 44) quam apostolus in Epistola ad Hebraeos (8, 5), quum vellent refellere crassa populi deliria, qui defixus manebat in externis caeremoniis, ac si illuc inclusa esset pietas. Optimi ergo sunt interpretes Stephanus et apostolus, nullius momenti esse tabernaculum, altare, mensam, arcam foederis, nisi quatenus referuntur ad coeleste exemplar, cuius umbrae sunt ac imagines. Itaque tota earum utilitas, atque etiam legitimus usus a veritate pendet. Bovem enim mactari per se nihil prodest, imo res est frivola: ergo sacrificia omnia, nisi quatenus figurae sunt, pro nihilo ducenda essent. Unde colligimus maximum discrimen inter caeremonias legis et profanos gentium ritus. Differunt enim inter se, non modo quatenus illarum Deus autor est, hos autem stulte excogitavit hominum temeritas: sed quia religio apud gentes simpliciter in nudis et vacuis pompis locata fuit. Deus autem rudimentis, quae populo suo mandavit, altius quasi per gradus evexit pias animas. Ita probe litare sibi visae sunt gentes quum victimas offerrent. Apud Iudaeos placuerunt Deo sacrificia, quod exercitia essent poenitentiae et fidei. Ita lex Iudaeos ad spiritualem solum Dei cultum instituit, sed caeremoniis vestitum, ut ferebat temporis ratio. Antequam enim patefieret veritas, pueritia ecclesiae terrenis elementis regenda fuit. Ac proinde quamvis inter Iudaeos et gentes quoad externam colendi Dei for-

mam, magna sit affinitas ac similitudo, finis tamen longe diversus. Porro ubi quaerendum sit veterum umbrarum corpus vel substantia, ac figurarum veritas, non ex apostolis modo sed et ex prophetis discere licet, qui passim ad regnum Messiae fideles revocant. Luculentior tamen explicatio ex evangelio petenda, ubi Christus sol iustitiae affulgens, in se uno complementum exstare demonstrat. Etsi autem suo adventu caeremonias illas umbratiles quoad usum aboleverit, simul tamen asseruit illis iustam reverentiam: quando non alio iure merentur haberi in pretio nisi quia in Christo reperitur earum effectus. Nam si ab ipso separentur, lusorias esse patet: eo quod nihil ad Deum placandum, vel animalium sanguis, vel adipis suavitas, vel aromaticus suffitus, vel lucernae, vel similia. Illud quidem tenendum, Iudaeos non inutiliter sacris legalibus operam dedisse, quibus annexae erant promissiones. Itaque quoties occurrunt hae sententiae: Expiabitur iniquitas: Apparebitis coram facie mea: Exaudiam vos e sanctuario, monemur vetustas omnes figuras certa fuisse gratiae Dei et salutis aeternae testimonia: ideoque Christum illis fuisse repraesentatum: quia omnes Dei promissiones in ipso sunt Etiam et Amen (2. Cor. 1, 20). Minime tamen inde sequitur, subesse in singulis partibus mysteria: sicuti multi perperam arguti, nullum quantumvis minutum apicem praetereunt sine allegorica expositione: ut hoc loco arcae dimensiones speculandi materiam illis praebent. Atqui sanis et sobriis sufficiet, Deum legem suam voluisse in vase praeclaro reponi, ut agnosceretur eius maiestas. Arcam vero ipsam vectibus deferri praecepit, ne eam manibus attingerent Levitae, quo sanctior esset eius excellentia.

16. *Ponesque in arca testimonium.* Elogium testimonii quod saepe legi tribuitur, significat plus aliquid in lege comprehendi quam sancte iusteque vivendi regulam: nempe pactum quo Deus populum sibi, et vicissim populo se obstrinxit: ideo postea loco testimonii ponuntur tabulae foederis. Itaque עדת hoc loco et similibus tantundem valet atque contractus, qui vulgo conventio dicitur. Hoc sensu non modo praecepta, sed quaecunque in salutem populi tradidit Deus per manum Mosis, propheta Psal. 119, testimonia nominat: Psalmo autem decimo nono expositive legi subiicitur testimonium, lex Iehovae immaculata, testimonium fidele. Sicut Iesaiae 8. capite, ubi dicitur: Ad legem magis et testimonium: non res diversae notantur, sed commendatur legis utilitas, quia contineat quidquid Deus voluit testatum esse populo suo.

17. *Facies et operculum.* Prima radix verbi כפר unde hoc nomen dictum est, pro bituminare capitur: sed in coniugatione Hiphil significat nunc expiare, nunc purgare, nunc in gratiam recipere, unde כפר est expiatio, ut alibi vidimus, כפרת autem proprie tegmen est, vel operculum. Quanquam non dubito quin ad metaphoricum sensum in hoc nomine alludat Moses: quia lex operimento indiget, quod transgressiones nostras tegat. Et probabile est quum Paulus (Rom. 3, 25), vocat Christum ἱλαστήριον, et Ioannes (1. Ioh. 2, 2) ἱλασμόν, ambos respicere ad hanc figuram, quod legis operimento placatus fuerit Deus erga fideles, ut eorum vota et preces exaudiendo, propitium se ostenderet. Quamdiu enim lex prodit in medium ut ante oculos Dei versetur, irae et maledictioni nos subiicit: ideoque reatus abolitionem intercedere necesse est, ut Deus nos conveniat. Nec vero abs re David, postquam celebravit legis iustitiam, exclamat: Delicta quis intelligit (Psal. 19, 13)? Unde colligimus, legem sine propitiatione non reddere Deum propinquum, apud quem nos accusat. Et certe dum omnia expendo, frigidum esse mihi videtur: Mosen simpliciter de operimento loqui: quum velit ad ipsum verti facies Cherubim, et promittat Deus se inde responsa daturum. Quibus elogiis extollitur supra arcam.

18. *Facies duos Cherubim.* De voce Cherub dixi in Genesin et alibi, diversas quidem esse sententias: propius tamen ad verum (meo iudicio) accedere qui כ non faciunt servilem literam, sed radicalem, et generaliter pro figura qualibet accipiunt. Nam qui כ volunt esse notam similitudinis, vertunt quasi puerum, quod per se coactum est: deinde refellitur Ezechielis verbis (Ezech. 1, 10 et 10, 1), qui formas vituli, leonis, et aquilae, non minus vocat Cherubim quam hominis formam. Mihi sufficit imagines fuisse alatas, quae angelos repraesentabant. Itaque Moses quum de angelis loquitur qui appositi fuerunt custodes, ad hominem ab accessu paradisi arcendum, eos vocat Cherubim: non tam illius temporis respectu, quam ut populum in legis doctrina contineat. In angelis vero Deus, per quos imperium suum exercet, et qui ministri sunt beneficiorum eius, symbolum praesentiae suae statuit. Nam quoties per angelos se patefecit Deus fidelibus, quodammodo manus ad eos extendit. Hac ratione David et alii prophetae, quo se ad precandi fiduciam animent, saepius dicunt Deum habitare inter Cherubim (Psal. 80, 2 et 99, 1. Isa. 37, 16): ac si dicerent, apud Iudaeos familiariter versari, quoniam eius virtus in angelis se exserat. Quod extentis alis tegebant operculum arcae, non interpretor factum esse occultandi causa, sed ut promptitudinem obsequii notarent. Extensio enim alarum tantundem valet ac si accincti fuissent ad exsequendum quidquid Deus mandasset. Ideo versus propitiatorium dirigere facies suas dicuntur, quod intenti sint ad nutum Dei. Porro quia in Christo habitat plenitudo divinitatis, merito pronunciat suo in terras

descensu coelos esse apertos: ut angeli ascendant ac descendant. Mutuus vero intuitus consensum designat, quo angeli ad capessenda Dei iussa inter se coniuncti sunt. Plausibilis quidem argutia est, duos Cherubim esse vetus et novum testamentum, quae se ultro citroque respiciunt, et propitiatorium circumdant, quia scopus eorum Christus est: sed reclamantibus tot scripturae locis, evanescit.

5. *Accipite oblationem.* Locum ex capite 35 inserui, ubi eadem secundo exigit Moses quae ante praeceperat: materias vero plures recenset, et prolixius de partibus tabernaculi disserit. Superiore loco verbum posuit ubi nunc nomen usurpat: Liberalis corde suo, aut voluntarius. In sensu tamen nulla est ambiguitas, quia utroque loco requirit Deus alacre studium, ut non large modo, sed libenter quoque conferant. Diverso postea loquendi genere utetur, officio functos esse quos erexit, vel excitavit cor suum, ut a pigris et lentis eos discernat.

10. *Omnes sapientes corde.* Sic vocat artifices qui ingenii solertia praestabant. Itaque postquam singulos ex domestica copia erogare iussit materiam, alios ut industriam suam conferant formandae et aptandae materiae, hortatur. Partes deinde tabernaculi, quarum longior explicatio cap. 26, videbitur, breviter commemorat. Est igitur quaedam epitome eorum omnium de quibus ante fusius disseruit: quoniam ad ea praestanda de quibus liquido edocti fuerant, novis stimulis opus fuit. Scimus enim doctrinam sine exhortationibus ut plurimum frigere. Mirum quidem videri posset, unde populo misere expilato, diuque ad serviles operas coacto, tantae opes: nisi quod ex abundantia quae describitur colligi potest, praeda divinitus illis oblata in discessu fuisse incredibili modo locupletatos. Opulentissimum erat regnum Aegypti: et gens illa (ut scitur) delitiis et luxuriae apprime dedita semper fuit. Quod ergo sua rapacitate per multos annos cumulaverant, arcano Dei instinctu e manibus effluxit, quum repente facti fuerunt prodigi. Sicuti Aegyptios excaecaverat Deus, ut sua omnia profunderent, sic suorum mentes et animos direxit, ut tanti beneficii memores libenter ad suum mandatum impenderent quod ex mera eius gratia provenerat.

EX EXODI CAPITE XXV.

23. *Faciès quoque mensam ex lignis sittim: duorum cubitorum erit longitudo eius, et cubiti latitudo eius, cubiti vero et dimidii altitudo eius.* 24. *Et teges eam auro puro, faciesque ei coronam auream in circuitu.* 25. *Facies quoque ei clausuram latam quatuor digitos in circuitu: faciesque coronam auream clausurae illi in circuitu.* 26. *Facies insuper ei quatuor annulos aureos, quos pones in quatuor angulis qui sunt in quatuor pedibus eius.* 27. *E regione illius clausurae erunt annuli per quos traiicientur vectes ad portandum mensam:* 28. *Faciesque vectes illos e lignis sittim: et operies eos auro, et feretur illis mensa.* 29. *Facies etiam scutellas eius, et cochlearia eius, et opercula eius, et crateres eius quibus libabitur: ex auro mundo facies ea.* 30. *Et pones super mensam illam panem facierum coram me iugiter.*

23. *Facies quoque mensam.* Merito laudatur veteris cuiusdam episcopi sententia, qui quum vasa sacra tempore famis ad levandam pauperum inopiam venderet, ita se ecclesiae excusavit, Deus noster, quia non comedit nec bibit, patinis et calicibus non indiget. Atqui minime consentanea esse videtur huic Dei praecepto, ubi panes vult sibi offerri. Respondeo, si praetextu illo sub lege sacram mensam spoliasset suis ornamentis, intempestive fuisse dicturum, quod sub evangelio pie et scite dixit: quia Christi adventu cessarunt legales umbrae. Tunc vero inter aureas patinas reponi voluit panes sibi oblatos, simulque adiungi thuribula et cochlearia, non quod cibo vel potu haberet opus, sed ut populum suum mensae societate dignatus, temperantiae legem praescriberet. Quum enim vescerentur eodem tritico ex quo fiebant sacri panes, eo symbolo admoniti fuerunt, perinde sumendum esse cibum et potum ac si coram Deo sederent, essentque eius convivae. Denique edocti fuerunt, alimenta quibus sustinetur hominum vita, quodammodo sacra esse Deo: ut ita puro et sobrio victu contenti essent, nec profanarent quae ad Dei cultum dicata erant. Quamvis ergo rudis et crassa videri possit haec oblatio, finem tamen rectum habuit, ut Deum agnoscerent fideles mensarum suarum esse praesidem, quia totius populi nomine, panes in templo prostabant sub Dei conspectu. Similis primitiarum fuit ratio, in quibus consecrabatur totius anni proventus: ut inter epulas quoque colerent Dei memoriam, qui eos pascebat ut pater filios. Panes facierum vocantur a Mose, quia semper apparebant coram Deo, quo etiam sensu dixerunt Graeci panes προθέσεως quia praesto semper erant. Non enim fas erat priores auferre, donec substituerentur alii in locum. Pluribus nunc supersedeo, quia paulo post quae nunc omitto tractanda erunt.

EX EODEM CAPITE.

31. *Facies item candelabrum ex auro puro: ductile fiet candelabrum illud: hastile eius, et calamus*

eius: scyphi eius, sphaerulae eius, et flores eius ex ipso erunt. 32. *Et sex calami egredientur e lateribus eius: tres calami candelabri ex latere eius uno, et tres calami candelabri ex latere eius altero.* 33. *Tres calices in speciem nucis amygdalinae deformati erunt in calamo uno, sphaerula et flos, et tres calices in speciem nucis amygdalinae deformati in calamo altero, sphaerula et flos: sic de sex calamis egredientibus e candelabro.* 34. *Et in candelabro erunt quatuor calices in speciem nucis amygdalinae deformati, sphaerulae eius, et flores eius.* 35. *Eritque sphaerula sub duobus calamis ex ipso, sphaerula item sub duobus calamis ex ipso, et sphaerula sub duobus calamis ex ipso: sic sex calamis egredientibus e candelabro.* 36. *Sphaerulae eorum et calami eorum ex ipso erunt: totum ipsum ductile unum, ex auro puro.* 37. *Facies quoque lucernas eius septem, quas collocabis in sublimi, ut luceant ad latus faciei eius.* 38. *Et forcipes ipsius, et receptacula eius ex auro puro.* 39. *Talento auri puri facies illud, et omnia vasa ista.* 40. *Vide autem ut facias iuxta similitudinem suam, quae tibi ostensa est in monte.*

31. *Facies item candelabrum.* Septem lucernas die noctuque accensas voluit Deus fulgere in tabernaculo. Primum ut sciret populus se divinitus regi ad Deum rite colendum, et lucem quae omnes errorum tenebras discuteret, oculis suis esse propositam: deinde ne obtenebraret ipsum Dei cultum crassis suis figmentis, sed intentus ad legis doctrinam, pura et lucida mente, in omnibus caeremoniis Deum quaereret. Notemus ergo inter regulam verae pietatis et gentium superstitiones, discrimen esse positum: quia gentes stultis et caecis devotionibus (ut loquuntur) abreptae fuerunt per flexuosas ambages, ut nihil apud eas rectum fuerit. Nisi enim nobis praeluceat coelestis doctrina, nihil praeter meram vanitatem pariet sensus noster. Sed Israelitis non satis fuit monstrari viam, nisi ad directionem aperti essent eorum oculi: quoniam in media quoque luce plerumque caecutiunt homines. Quod ipsis accidit, quando non tantum ad extraneos et adulterinos cultus prolapsi sunt, sed externam legis formam tenendo, fuerunt nihilominus degeneres, ac religio pravis superstitionibus vitiata apud eos fuit, quum pro carnis suae sensu pietatem locarent in caeremoniis. Id enim est Deum transfigurare, ubi non colitur spiritualiter pro sua natura. Hinc tanta hypocritis fuit securitas, ut superbe contemnerent omnes propheticas obiurgationes, imo aperte furerent, quoties repudiabantur inanes eorum pompae. Ergo candelabrum septem lucernis illustre populum admonuit, ut in Deo colendo, ad lucem coelestis doctrinae attente respiceret. Caeterum in huius figurae intelligentia non parvo nobis adminiculo erit visio Zachariae (4, 2), in qua symboli eius veritas ostenditur. Promittit illic Deus solam spiritus sui virtutem satis superque valituram servandae ecclesiae, quamvis omnibus auxiliis destituta sit. Cuius rei ut fidem faciat, eandem quae hic describitur effigiem candelabri, additis quibusdam circumstantiis, delineat: quo admonet non fuisse vanam ostentationem in lucernis splendentibus (sicuti in theatris luduntur fabulae): sed in candelabro fuisse repraesentatum quod sensuri essent fideles re ipsa sibi praestari. Verum ut clarior sit comparatio, pauca de praesenti loco dicenda sunt. Materia candelabri est aurum purum, quo rei signatae excellentia notatur. Sed ubi de forma aliquid dictum fuerit, clarior erit vaticinii applicatio. Quaedam simpliciter ad ornamentum composita fuerunt, ut cresceret dignitas ex ipso aspectu, sicuti flores, et globuli, aut sphaerulae: alia ad usum, ut calices, vel receptacula, ne sacrum oleum in terram decideret. Lucernae in verticibus positae sunt, ut scirent Israelitae, homines in terra circumdari tenebris, nisi Deus sursum ecclesiam suam illuminaret, idque diu et noctu. Sicuti Isaias de regno Christi disserens, in quo demum exhibita fuit huius rei veritas, dicit: Ecce, tenebrae operient terram, et caligo populos, super te autem orietur Dominus, et gloria eius in te conspicua erit. Item: Non lucebit tibi amplius sol interdiu, neque luna per noctem, sed erit tibi Iehova in lucem sempiternam (Isa. 60, 2. 20). Porro sicuti Deus vocatur pater luminum, ita illuminandi gratia penes spiritum residet. Quoniam autem donorum varietas a spiritu distribuitur, septem fuerunt lucernae, quae externo aspectu repraesentarent quod docet Paulus (1. Cor. 12, 8): Unicuique dari manifestationem spiritus in aedificationem: aliis per spiritum dari sermonem sapientiae, aliis sermonem scientiae secundum eundem spiritum, aliis fidem in eodem spiritu, aliis gratiam sanitatum, aliis operationem virtutum, aliis prophetiam, aliis discretionem spirituum, aliis genera linguarum, aliis interpretationem. Haec autem omnia operari unum et eundem spiritum, qui dividit singulis prout vult. Quanquam in numero septenario quidam frustra mysterium fabricarunt. Unde vulgare commentum in papatu de septiformi spiritus gratia, quod tam ex loco Pauli nuper citato quam ex undecimo capite Isaiae refellitur, ubi plures numerantur species donorum. Potius in septem lucernis notari arbitror perfectionem, ex communi et recepto usu: ac si testatus esset Deus, nihil ad solidam illuminationem fidelibus defore, qui eam ex unico fonte petent. Deinde spiritum esse sacrorum omnium praesidem, ubi ecclesiae per dona sua affulget. Iam propheta (Zach. 4, 2) docere volens completum iri in restitutione ecclesiae, quod sub visibili figura ostensum fuerat, septem infusoria lucernis adiungit, et duas oleas, ex quibus assidue

distillet oleum: ne metuendum sit a penuria, vel defectu. Quo significat, multiplicem bonorum copiam Deo suppetere, ut ecclesiam locupletet: atque ita ad ecclesiae conservationem sufficere virtutem quae e coelo defluit. Quemadmodum illic in contextu subiicitur: Non in exercitu, neque in fortitudine: sed in spiritu meo, dicit Iehova. Etsi enim hominum ministerio, et terrenis mediis pro arbitrio suo utitur Deus ad tuendam et fovendam ecclesiam: vult tamen omnium laudem sibi adscribi, ut aequum est: deinde vult fideles suo praesidio contentos, non tamen debilitari animis, quamvis nullam in mundo fiduciae causam reperiant.

40. *Vide autem ut facias.* Rursus inculcat quod vidimus, ut omnia exacte formari curet Moses ad archetypum vel exemplar in monte visum. Certum autem est, non agi de spectro aliquo, sed externa sanctuarii ornamenta referri ad spiritualem suum finem: quemadmodum ex Stephani et apostoli interpretatione liquet. Quare nihil mirum, si propheta Deum palam facturum sub regno Christi dicat, et quidem certo experimento, non fuisse inane spectaculum, quod Deus veteri populo sub lege ediderat.

EX EXODI XXVII.

20. *Tu quoque praecipe filiis Israel ut accipiant tibi oleum olivae purum, contusum pro luminari ut ardere faciant lucernas semper.* 21. *In tabernaculo conventionis extra velum quod est super testimonium, disponet illas Aharon et filii eius a vespera usque mane coram Iehova: statutum perpetuum generationibus eorum a filiis Israel.*

EX LEVIT. XXIV.

1. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Praecipe filiis Israel ut afferant tibi oleum olivae purum, contusum pro luminari, ad accendendas lucernas semper.* 3. *Extra velum testimonii in tabernaculo conventionis disponet eas Aharon a vespera usque mane, coram Iehova semper: statutum perpetuum erit in generationibus vestris.* 4. *Super candelabrum mundum disponet lucernas coram Iehova semper.*

Exodi 27, 20. *Tu quoque praecipe filiis.* Hos duos locos aliunde huc transtuli, quoniam ad usum tabernaculi pertinent. Iubentur enim filii Israel tantum olei conferre quantum septem lucernis sufficiat. Porro quia coeleste lumen, et spiritus sancti gratia (ut vidimus) veritas fuerunt huius visibilis symboli, purum oleum requirit Deus, hoc est, non faeculentum, vel mixtum cum amurca, quia si quid fuisset vitii, tantundem ex mysterii dignitate fuisset detractum. Puritas igitur docuit nihil sordidum aut vulgare illic significari: ut ipsi quoque Israelitae puras mentes afferrent, et ad considerandum spiritualem lucem rite paratas et dispositas. Iterum repetit, opportune et suis horis suggerendum esse oleum, ut semper ardeant lucernae: ut discerent filii Israel, nihil magis alienum esse a cultu Dei, quam obscuritatem et tenebras, nec variandum esse intervallis, quin perpetuo tenore praefulgeat e coelo spiritus directio. Itaque secundo loco ter inculcat particulam Semper: ne qua in parte verum lumen suffocetur. Has partes iniungit Deus sacerdotibus: quia lucis ministros esse oportet dum legis sunt interpretes, quae a Davide (Psal. 119, 105) vocatur lucerna regendis pedibus, et lumen semitis monstrandis. Sed quid sibi vult oblatio populi, quum nihil materiae suppetat hominibus ad mentes suas spiritualiter illustrandas? Respondeo, in legalibus figuris non adeo scrupulose ad amussim exigendas esse singulas partes, ut nihil sit in signo externo cui non respondeat veritas, deinde quamvis nihil proprium et a se ipsis afferant homines, quo tamen se magis strenue exerceant ad studium colendi Dei, merito ab illis exigi ut se suaque dedicent in sacros usus. In fine ubi additur, Statutum perpetuum, intellige usque ad solidam earum rerum exhibitionem, quarum figura erat candelabrum cum suis lucernis. Qua de re in Genesin disserui. Statutum hoc dicitur a filiis Israel quia hanc observationem ab illis exigat Deus: nisi placeat cum Hieronymo vertere, Coram filiis Israel. Quod alii exponunt, apud filios Israel, vel a patribus ad filios, durius est et prorsus coactum.

EX NUMER. VIII.

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Loquere ad Aharon, et dicas illi: Quando accendes lucernam, contra faciem candelabri lucebunt septem lucernae.* 3. *Fecitque ita Aharon: contra faciem candelabri accendit lucernas eius, quemadmodum praeceperat Iehova ipsi Mosi.* 4. *Et hoc est opus candelabri, ductile aureum usque ad hastile suum, usque ad flores suos ductile erat, iuxta exemplar quod ostenderat Iehova ipsi Mosi, sic fecit candelabrum.*

2. *Quando accendes lucernam.* Hoc praeceptum inseritur non suo loco, ut pleraque. Declarat autem rursus Moses quis fuerit usus candelabri, et quomodo aptari debuerint lucernae, ut fulgor spargeretur per sanctuarium, et auri splendor ex opposito

micaret. Ideo enim voluit Deus lucernam accendi contra faciem, vel e regione candelabri, ut ipsa luminis fultura suum decus retineret. Porro, ut de re minime spernenda, exprimitur, Aharon paruisse Dei imperio, sicuti a Mose acceperat. Quo etiam pertinet quod proxime sequitur, compositum fuisse ad exemplar quod viderat Moses in monte. Illud autem fuit (ut ante exposui), Deum esse patrem luminum, qui spiritu suo ecclesiam illustrat, ne oberret in tenebris, atque ita quum occupat caligo totum mundum, fidelibus suis esse pro sole et luna in lucem perpetuam ut dicit Isaias (60, 19).

EX EXODI XXVI.

1. *Tabernaculum vero facies e decem cortinis e bysso retorta, et hyacintho et purpura, et vermiculo cocci: Cherubim opere phrygionico facies.* 2. *Longitudo cortinae unius erit octo et viginti cubitorum: et latitudo cortinae unius, quatuor cubitorum: mensura una erit omnibus cortinis.* 3. *Quinque cortinae erunt coniunctae altera cum altera, et quinque aliae cortinae coniunctae altera cum altera.* 4. *Facies quoque laqueolos hyacinthinos in ora cortinae unius in extremo in coniunctione: et sic facies in ora cortinae extrema in coniunctione secunda.* 5. *Quinquaginta laqueolos facies in cortina una, et quinquaginta laqueolos facies in extremo cortinae quae est in coniunctione secunda, oppositi erunt laqueoli alter alteri.* 6. *Facies item quinquaginta uncinos aureos, et ita coniunges cortinas alteram cum altera per uncinos: atque ita fiet tabernaculum unum.* 7. *Facies insuper cortinas e pilis caprarum in tentorium super tabernaculum: undecim cortinas facies eas.* 8. *Longitudo cortinae unius, triginta cubitorum: et latitudo cortinae unius, quatuor cubitorum: mensura una erit undecim cortinis:* 9. *Et coniunges quinque cortinas seorsum, et sex cortinas seorsum: et conduplicabis cortinam sextam e regione faciei tentorii.* 10. *Facies autem quinquaginta laqueolos in ora cortinae unius in extremo in coniunctione, et quinquaginta laqueolos in ora cortinae coniunctionis secundae.* 11. *Facies item uncinos aereos quinquaginta, quos induces in laqueolos, et coniunges tentorium et erit unum.* 12. *Superfluitas autem quae redundat in cortinis tentorii, nempe dimidium cortinae redundantis, superfluet a tergo tabernaculi.* 13. *Cubitusque hinc, et cubitus illinc, qui redundat in longitudine cortinarum tentorii, redundabit super latera tabernaculi hinc et inde, ut tegat illud.* 14. *Facies item operimentum tentorio e pellibus arietum rubefactis: operimentum item e pellibus taxorum superne.* 15. *Facies et tabulas tabernaculo e lignis sittim stantes.* 16. *Decem cubitorum longitudo tabulae: cubiti vero et dimidii latitudo tabulae unius.* 17. *Duo cardines erunt tabulae uni, instar graduum scalae dispositi, alter e regione alterius, sic facies omnibus tabulis tabernaculi.* 18. *Facies autem tabulas tabernaculo, viginti tabulas ad latus meridianum ad austrum.* 19. *Et quadraginta bases argenteas facies sub viginti tabulis, duas bases sub una tabula, pro duobus cardinibus eius: et duas bases sub tabula altera, pro duobus cardinibus eius.* 20. *In latere vero tabernaculi secundo ad plagam aquilonis, viginti tabulas.* 21. *Et quadraginta bases earum argenteas, duas bases sub una tabula, et duas bases sub tabula altera.* 22. *Porro in latere tabernaculi ad occidentem facies sex tabulas.* 23. *Et duas tabulas facies angulis tabernaculi in latere occidentali:* 24. *Quae erunt quasi gemellae inferne, et simul erunt quasi gemellae in fastigio eius in circulum unum: sic erit de duabus illis: in duobus angulis erunt.* 25. *Erunt igitur octo tabulae, et bases earum argenteae, sexdecim bases: duae bases erunt sub tabula una, et duae bases sub tabula altera.* 26 *Facies etiam vectes e lignis sittim, quinque tabulis pro latere tabernaculi uno.* 27. *Et quinque vectes tabulis pro latere tabernaculi altero: et quinque vectes tabulis pro latere tabernaculi, pro latere* inquam vergente *ad occidentem.* 28. *Vectis autem medius per medium tabularum transibit ab extremo ad extremum.* 29. *Tabulas vero teges auro, atque annulos earum facies ex auro, per quos traiicientur vectes, cooperiesque vectes ipsos auro.* 30. *Et ita eriges tabernaculum secundum dispositionem eius, quae tibi ostensa est in monte.* 31. *Facies et velum ex hyacintho, et purpura, et vermiculo cocci, et bysso retorta, opere phrygionico facies illud cum figuris Cherubim.* 32. *Et pones illud super quatuor columnas sittim obductas auro (uncini earum aurei) super quatuor bases argenteas.* 33. *Ponesque velum sub uncinis, et introduces illuc intra velum arcam testimonii, dividetque velum illud vobis inter sanctum et sanctum sanctorum.* 34. *Pones insuper propitiatorium super arcam testimonii in sancto sanctorum.* 35. *Pones quoque mensam illam extra velum, et candelabrum e regione mensae in latere tabernaculi ad meridiem, et mensam pones in latere aquilonis.* 36. *Et facies velum ad ostium tabernaculi ex hyacintho, et purpura, et vermiculo cocci, et bysso retorta opere acupictoris.* 37. *Velo autem facies quinque columnas ex sittim, quas teges auro, et uncini earum aurei, fundesque eis quinque bases aereas.*

1. *Tabernaculum vero facies.* In tota structura tabernaculi tenendum est quod ante vidimus, edoctos fuisse Israelitas sub externis figuris, quam pretiosa res esset cultus Dei: ideoque sedulo cavendum esse, ne ullis sordibus inquinaretur. Nam magnifica illa ornatus dignitas sordibus opposita fuit. Admoniti etiam fuerunt, si censeri vellent puri Dei cultores, cavendum esse ab omni immunditie; nam ecclesiae imago tabernaculum fuit. Ita per externa

ornamenta, spiritualium donorum excellentiam fuisse designatam certum est. Qua ratione Isaias (54, 11) de perfecta ecclesiae gloria disserens, qualis futura erat sub regno Christi, Fundabo, inquit, super carbunculum lapides tuos, fundabo te in sapphiris, ponam crystallum fenestras tuas, portas tuas igne rutilantes, et omnes terminos tuos lapides pretiosos. Quibus verbis haud dubie significat, ecclesiam illustrem fore coelesti decore: quoniam in ea fulgebunt omne genus virtutes. Summa tamen ornatus praestantia referri debuit ad doctrinam, quae nos ad imaginem Dei reformat. Itaque David, dum pulcritudinem domus Dei commendat, hunc honorem potissimum fidei et pietatis exercitiis tribuit, Unum petii a Domino, inquit (Ps. 27, 4), hoc idem requiram, ut maneam in domo Domini cunctis diebus vitae meae: quo videam pulcritudinem Iehovae: et lustrem templum eius. An ut oculos inanibus picturis, sumptuosa materia, et exquisito operum artificio pasceret? Certe de curioso aspectu non loquitur: sed ita alludit ad visibile opificium, ut spiritualibus fidei oculis consideret gloriam toto mundo excellentiorem, quae illic repraesentata fuit. Nec vero quidquam magnificum apparuit in tabernaculo, quod homines aspectu oblectaret, quin potius tota opulentia et venustas pilis caprarum et vili corio obtecta fuit: ut fideles in illa pulcritudine abscondita aliquid sensu carnis altius reputarent. Haec in genere libasse sufficiat. Nunc ad partes descendo, in quibus ne a me exspectent lectores argutias quae aures titillent: quia nihil melius est quam intra aedificationis metas se continere. Et puerile esset, minutias colligere, in quibus plerique philosophantur: quum Deo minime propositum fuerit, singulis uncinis et laqueolis includere mysteria. Atque ut nulla pars mystico sensu caruerit (quod tamen nemo sanus admittet) praestat inscitiam fateri quam frivolis divinationibus ludere. Cuius etiam sobrietatis idoneus nobis est magister autor epistolae ad Hebraeos: qui tametsi ex professo analogiam demonstrat inter umbras legales et veritatem in Christo patefactam, parce tamen quaedam duntaxat capita attingit: quem modum tenendo, a nimia disquisitione, et altis speculationibus nos retrahit. Primo loco ponuntur cortinae ex bysso retorta, hyacintho, purpura, et coccino: quae simul connexae circuitum faciebant quadraginta cubitorum. Decem enim erant numero, et cuiusque latitudo quatuor cubiti. Per opus artificis, consentiunt interpretes notari phrygionicam texturam: praecipue quum iubeat Deus Cherubim in illis fieri. Porro nomen Cherubim quidam generali nomine vertunt picturas, quod tametsi secundum grammaticam non male convenit, quia tamen ante vidimus, hac voce designatos fuisse angelos, verisimilius est ubique sparsas angelicas effigies: quia ubi ad vivum exprimitur Dei maiestas a Daniele, dicuntur myriades myriadum astare ad eius tribunal in toto circuitu. Ridiculi vero papistae, qui inde colligunt, vasta et deformia esse templa, nisi imaginibus ornentur. Nam ut conveniat similitudo: triplici tegumento suas imagines occultent necesse est, ne veniant sub populi conspectum. Tunc autem quomodo essent idiotarum libri, sicut volunt? Iam quum Seraphim, quorum meminit Isaias (6, 6), idem significent quod Cherubim: dicantur autem duabus alis facies suas tegere, et duabus pedes suos, velatas esse imagines oportet quae illis respondeant. Ad haec praeposterum est (ut dixi) rudimenta quae nonnisi veteri populo Deus tradidit, ad temporum plenitudinem trahere, postquam adolevit ecclesia, et pueritiam egressa est. Quam vero longe abfuerint Iudaei a colendis Cherubim, profani etiam poetae testimonium illis reddunt. De illis enim loquens Iuvenalis [1]), dixit:

Qui puras nubes et coeli numen adorant.

Atque hanc vocem homini impuro et obscoeno extorsit Deus, ut omnibus notum esset, legem Mosis suos discipulos sursum attollere. Ponitur deinde triplex tegumentum, interius ex pilis caprarum, alterum ex pellibus arietum rubricatis, summum vero ex taxorum pellibus: additur tabulatum, quod intus sua firmitate tabernaculum stabiliat, quia alioqui cortinae levi motu agitatae locum mutassent. Tabulae autem ex lignis sittim confectae erant, sed superficie aurea, sive tantum deauratae fuerint, sive laminis obductae: singulae duabus argenteis basibus suffultae erant, instar pedum: vectibus autem per aureos circulos transmissis, inter se compactae erant. Hoc spatio continebatur totum tabernaculum, quod deinde in sanctuarium prius et sanctum sanctorum distinguebatur. Accessit tertio loco atrium, in quo populum subsistere oportuit: quia fas non erat sanctuarium ingredi, quod solis sacerdotibus patebat, et quidem mundis. Itaque David (Psal. 84, 3 et 11), postquam exclamavit dilecta esse tabernacula Dei virtutum, subiicit continuo post: Concupiscit et deficit anima mea in atriis Iehovae. Item: Melior est dies una in atriis Iehovae. Item (Psal. 29, 2): Adorate in atrio sancto eius. Quanquam testimoniis, quae plura apud eum occurrunt, in re non dubia opus non est. Dispositio tabernaculi iterum versu tricesimo dicitur in monte ostensa, ne populus in visibili tabernaculo subsistat sed fidei intelligentia penetret in coelum, et sensus dirigat in exemplar spirituale, cuius umbras cernebat et imagines. Neque tamen hic curiosius philosophandum. Multorum auribus placebit allegoria, per duas bases intelligi vetus et novum testamentum, vel duas Christi

---

1) *Satyr.* XIV. 97. *In editionibus Iuvenalis verba paulo aliter sonant.*

naturas: quia duabus istis fulturis nituntur fideles. Atqui non minus probabiliter dicere licebit, duas bases singulis tabulis fuisse suppositas: vel quia pietas promissiones habet vitae praesentis et futurae, vel quia tentationibus, quae nos a dextris et sinistris impetunt, ab utroque latere resistendum est: vel quia fides claudicare non debet, nec deflectere ad dextram et sinistram: sic nullus erit ludendi modus. Tectum tabernaculi allegorice exponunt fuisse contextum ex pelle arietis: quia protegitur ecclesia Christi sanguine, qui est agnus immaculatus: sed quaero quid significent quae adduntur taxorum pelles, cur subiiciatur tectorium inferius ex pilis caprarum. Quare utilior est sobrietas.

31. *Facies et velum.* Uno velo obductum fuit adytum interius vel penetrale, altero sanctum ab atrio fuit divisum. Utroque admonitus fuit populus, quam reverenter suspicienda esset Dei maiestas, et quanta sacris adhibenda esset religio: ut nonnisi cum timore accederent ad Dei conspectum, neque audacter perrumperent in sacrorum mysteria. Praecipue tamen velo designata fuit legalium umbrarum obscuritas, ut scirent Israelitae nondum venisse plenae revelationis tempus, sed cultum Dei spiritualem velo adhuc esse implicitum: atque ita fidem suam extenderent ad Messiam sibi promissum, cuius adventu nuda veritas patefieret. Itaque quum Christus a morte resurrexit: velum templi a summo usque ad imum in duas partes scissum fuit (Mat. 27, 51), ac tunc caeremoniis legalibus impositus fuit finis, quia tunc se repraesentavit Deus in viva sua et expressa imagine, et perfecta omnium caeremoniarum veritas fuit exhibita. Nunc ergo in luce evangelii cernimus facie ad faciem quod tunc sub involucris procul ostensum fuit veteri populo. Etsi autem nunc velum non obtenditur (2. Cor. 3, 13), quominus palam et familiariter Christus nobis appareat, discamus tamen ex figura illa reconditum et incomprehensibile mysterium esse, quod Deus in carne manifestatus fuit (1. Tim. 3, 16). Corpus suum non abs re Christus ipse templo comparat (Ioh. 2, 19), quia in eo habitat plenitudo deitatis. Certo igitur scimus, patrem in filio, et filium in patre esse (Ioh. 17, 5). Verum si de modo quaeritur, ineffabilis est, nisi quod aeternus Dei filius qui ante mundi creationem eadem cum patre gloria pollebat, nunc idem est etiam homo, ut sit primogenitus inter multos fratres (Rom. 8, 29).

EX EXODI XXVII.

1. *Facies etiam altare e lignis sittim: quinque cubitorum erit longitudo: et quinque cubitorum latitudo: quadratum erit altare: et trium cubitorum altitudo eius.* 2. *Huic facies cornua in quatuor angulis eius: ex ipso erunt cornua eius, tegesque illud aere.* 3. *Facies deinde lebetes eius: ad repurgandum cinerem eius, et scopas*[1]) *eius, et crateras eius, et fuscinulas eius, et receptacula eius: omnia vasa eius facies ex aere.* 4. *Facies etiam illi craticulam opere craticulato aeream, et ad rete quatuor annulos, in quatuor extremitatibus eius.* 5. *Ponesque illud sub ambitu altaris inferne, et erit rete illud usque ad medium altaris.* 6. *Facies praeterea vectes altari, vectes e lignis sittim, et cooperies eos aere.* 7. *Et inserentur vectes eius in illos annulos: et erunt vectes in utroque latere altaris, dum portabitur illud.* 8. *Cavum tabulis facies illud: quemadmodum ostendi tibi in monte, sic facient.*

1. *Facies etiam altare.* Hic describitur altare holocaustorum, quod tamen sic vocatum fuit per synecdochen: quia non tantum integrae victimae illic exustae sunt, sed etiam partes duntaxat, sicut in Levitico videbimus. Porro sacrificiis ignitis nomen impositum fuit ab ascensu. Quo admoniti fuerunt Israelitae, purgatione opus esse ut ad Deum conscenderent: simul edocti fuerunt, quidquid in carne esset corruptionis non obstare quominus grata inde et boni odoris sacrificia Deo essent. A primo generis humani exordio ignita fuisse sacrificia liquet, dictante scilicet arcano spiritus Dei instinctu, quoniam lex nulla scripta erat. Nec dubium est quin hoc symbolo edocti fuerint, ut se rite offerant homines Deo, spiritu exurendam esse carnem: adeoque sub typo agnoverint, ut perfecta ad Deum placandum victima esset Christi caro, id ex coelesti virtute sumpturam: sicuti (teste apostolo [Heb. 9, 14]) per spiritum se obtulit. Sed huius rei alibi fiet amplior mentio. Porro sic compositum erat altare, ut super cratem intrinsecus locatam coniicerentur hostiae, quas superficies tegeret: cinis autem vase reciperetur, ne temere in terram caderet pedibus calcandus: ut in ipsis quoque sacrorum reliquiis commendaretur sanctitas. Ad quatuor cornua quae prominebant ex quatuor angulis, alligatas fuisse victimas, ex Psalmo (118, 22) patet: Ligate agnum funibus usque ad cornu altaris. Et hoc quoque in spiritualibus hostiis iustae oblationis principium, omnes carnis lascivias subiici, et quasi teneri captivas, ut Deo pareant. Quare et Christus, tametsi nihil in ipso erat nisi recte moderatum, ligatus tamen fuit, ut obedientiam suam probaret, sicuti dixerat: Non voluntas mea fiat, sed tua (Matth. 26, 39). Vectibus gestatum fuit altare, ne plura fierent. Alioqui enim periculum erat, ne ipsa difficultas tollendi cogeret relinquere quod iam factum esset, si longum iter susciperent: ita semen vel

1) *In margine:* Vel, forcipes.

etiam Mosis verba paulo post confirmant, ubi edicta mortis poena denunciat, ne quis ad privatas delitias tali suffimento utatur. Quod certe vetare absurdum fuisset, nisi apprime delectabilis fuisset odor. Adde quod non staret analogia inter signum et rem figuratam, nisi suaveolentia testis fuisset Deum precibus suorum maxime oblectari. Porro quo plus reverentiae haberet sacrum symbolum, mixturam illam in privatos usus transferre fas non fuit: quia ut rudi sunt et crasso ingenio homines, nihil illis proclivius est quam coelum terrae miscere. Ergo ut altius mentes erigerent, suffimentum ab usu communi remotum eligi oportuit, in quo specialis esset unique Deo dicata sanctitas.

EX EXODI XXX.

17. *Loquutus est etiam Iehova ad Mosen, dicendo:* 18. *Facies et concham aeneam, et basin eius aeneam ad lavandum, ponesque illam inter tabernaculum conventionis, et altare, et pones aquam in ea.* 19. *Lavabuntque ex ea Aharon et filii eius manus suas et pedes suos.* 20. *Quando ingredientur tabernaculum conventionis lavabunt se aqua, ut non moriantur: aut quum appropinquabunt ad altare, ut ministrent, ut incendant oblationem ignitam Iehovae.* 21. *Lavabunt inquam manus suas et pedes suos, ne moriantur: eritque illis statutum perpetuum, ei scilicet et semini eius per generationes suas.*

18. *Facies et concham.* Quanquam haec ablutio puritatis quam exegit Deus a suis sacerdotibus, fuit symbolum: quia tamen concha, vel labrum, unde aqua suppetebat, pars fuit aut vas unum sanctuarii, huc inserere visum est quod de ea praecipitur, non modo quoad fabricam, sed quoad usum, qui non poterat commode separari. Nam si nuda tantum labri aut vasis aquarii facta fuisset mentio, nullum inde fructum cepissent lectores. Verum ubi diserte iubet Deus, praesto esse aquam in receptaculo, qua manus et pedes abluant sacerdotes, hinc colligimus, quanta reverentia et sanctitate sacra sua coli Deus voluerit. Vulgare quidem etiam apud gentes proverbium fuit, impietatis reos esse qui sacra tractarent illotis manibus. Caeremonia quoque testati sunt, rite non litari nisi ab omni inquinamento et sorde purgati essent.

> Donec me flumine vivo
> Abluero,

inquit ille apud Virgilium [1]), et passim occurrunt tales sententiae. Interdum etiam visi sunt recte collimare ad ipsum scopum: sicuti dum poeta impios et sceleratos iubet a sacris facessere, ne ipsa contaminent: sed evanida fuit illa imaginatio, quia eos nulla resipiscendi cura tetigit ad Deum placandum. Atque adeo ubi sedulo ablutionibus operam dabant, quid sibi vellet illud, mentes errore obtenebratas latuit. Praecipue tamen admoniti fuerunt Israelitae, quam indigni essent qui Deo offerrent sacrificia, quum sacerdotes ad hoc munus delectos arceret sua impuritas, donec aqua mundati essent. Porro manuum et pedum lotio omnes corporis partes notabat sordibus esse infectas. Nam quia scriptura saepe manus sumit pro vitae actionibus, et totum vitae cursum viae aut itineri confert, optime convenit haec synecdoche, in manibus et pedibus mundari quaslibet sordes. Iam restat anagoge ad Christum, quae paulo post ex sacrificiis melius cognosci poterit.

1) *Aeneid.* II. 719.

EX EXODI XXVIII.

1. *Tu vero accerse ad te Aharonem fratrem tuum et filios eius cum eo, e medio filiorum Israel: ut sacerdotio fungatur mihi Aharon, Nadab, Abihu, Eleazar, et Ithamar filii Aharon.* 2. *Et facies vestes sacras Aharoni fratri tuo, in gloriam et decorem.* 3. *Tu itaque alloqueris omnes sapientes corde quos replevi spiritu sapientiae, ut faciant vestes Aharon ad sanctificandum eum, ut sacerdotio fungatur mihi.* 4. *Hae sunt omnes vestes quas facient, pectorale et ephod, et pallium et tunicam ocellatam, mitram et baltheum: facient inquam vestes has sacras Aharoni fratri tuo et filiis eius, ut sacerdotio fungantur mihi.* 5. *Qui accipient aurum et hyacinthum, et purpuram, et vermiculum cocci, et byssum.* 6. *Facient autem ephod ex auro, hyacintho, et purpura, vermiculo cocci, et bysso retorta, opere phrygionico.* 7. *Duae orae iunctae erunt in duabus extremitatibus eius, et ita coniungetur.* 8. *Cingulum autem ipsius ephod eius quod in eo erit, simile erit texturae ipsius, ex ipso erit, nempe ex auro, hyacintho, et purpura, et vermiculo cocci, et bysso retorta.* 9. *Accipies quoque duos lapides onychinos, et sculpes in eis nomina filiorum Israel.* 10. *Sex e nominibus eorum in lapide uno, et nomina sex reliqua in lapide altero, secundum generationes eorum.* 11. *Opere artificis lapidum et sculpturis annuli sculpes duos illos lapides nominibus filiorum Israel, circumdatos palis aureis facies eos.* 12. *Ponesque duos illos lapides in lateribus ephod, lapides memoriae pro filiis Israel: et feret Aharon nomina eorum coram Iehova in duobus humeris suis ad memoriam.* 13. *Facies itaque palas aureas:* 14. *Et duas catenas ex auro puro terminatas, facies opere plectili* [1]), *inseresque catenas plectiles palis illis.* 15. *Facies deinde pecto-*

1) *Princeps hic et infra ubique:* complicato.

rale iudicii, opere phrygionico: sicut opus ephod facies illud, ex auro, et hyacintho, et purpura, et vermiculo cocci, et bysso retorta. 16. *Quadratum erit et duplicatum: palmus erit longitudo eius: et palmus latitudo eius.* 17. *Et implebis in eo impletione lapidum quatuor ordines lapidum: ordo erit talis: sardius, topazius, et carbunculus, ordo primus.* 18. *Ordo vero secundus: smaragdus, sapphirus, et iaspis.* 19. *Ordo praeterea tertius: lyncurius, achates, et amethystus.* 20. *Postremo ordo quartus: chrysolithus, onychinus, et berillus: constricti auro erunt in plenitudinibus suis.* 21. *Porro lapides illi erunt iuxta nomina filiorum Israel, duodecim, secundum nomina ipsorum, sculpturis annuli singuli iuxta nomen suum, erunt duodecim tribubus.* 22. *Facies et in pectorali catenas termini opere plectili ex auro puro.* 23. *Facies etiam in pectorali duos annulos aureos, et illos duos annulos pones in duabus extremitatibus pectoralis.* 24. *Pones item duas catenas aureas in duobus annulis in extremitatibus pectoralis.* 25. *Et duas extremitates duarum catenarnm inseres duabus palis, et pones in lateribus ephod a fronte ipsius.* 26. *Facies et duos annulos aureos, quos pones in duabus extremitatibus ipsius pectoralis in ora eius, quae est in latere ipsius ephod intrinsecus.* 27. *Facies item duos alios annulos aureos, quos pones in duobus lateribus ipsius ephod inferne a fronte eius, e regione coniunctionis eius, supra baltheum ephod.* 28. *Ita iungent pectorale annulis suis ad annulos ipsius ephod filo hyacinthino, supra baltheum ipsius ephod, neque separetur pectorale ab ephod.* 29. *Itaque feret Aharon nomina filiorum Israel in pectorali iudicii supra cor suum, quando ingredietur in sanctuarium in memoriam coram Iehova iugiter.* 30. *Pones autem in pectorali iudicii Urim et Thummim, ut sint super cor Aharon quando ingredietur coram Iehova: gestabitque Aharon iudicium filiorum Israel super cor suum coram Iehova semper.* 31. *Facies et pallium ipsius ephod totum ex hyacintho.* 32. *Et erit foramen summae partis eius in medio eius: labrum erit foramini illius in circuitu opere textoris, sicut foramen loricae erit ei, ne rumpatur.* 33. *Facies et in fimbriis eius malogranata ex hyacintho, et purpura, et vermiculo cocci: in fimbriis, inquam, eius per circuitum, et tintinnabula aurea in medio per circuitum.* 34. *Tintinnabulum aureum unum et malogranatum, tintinnabulum aureum alterum et malogranatum in fimbriis pallii per circuitum.* 35. *Erit autem Aharon ad ministrandum, et audietur sonus eius quando ingredietur sanctuarium coram Iehova, et quando egredietur: et non morietur.* 36. *Facies insuper laminam ex auro puro, et sculpes in ea sculpturis annuli. Sanctitas ipsi Iehovae.* 37. *Quam pones in filo hyacinthino, eritque super cidarim, ex adverso faciei cidaris erit.* 38. *Et erit supra frontem Aharon, feretque Aharon iniquitatem sanctificationum quas sanctificabunt filii Israel in omnibus muneribus sanctificationum suarum: erit inquam supra frontem eius iugiter in beneplacitum eis coram Iehova.* 39. *Et facies opere ocellato tunicam byssinam, facies item cidarim byssinam, cingulum quoque facies opere phrygionico.* 40. *Filiis autem Aharon facies tunicas, facies quoque illis cingula et pileos ad gloriam et decorem.* 41. *Et vesties illis Aharon fratrem tuum, et filios eius cum illo, atque unges illos: implebisque manum eorum, et sanctificabis eos, ut sacerdotio fungantur mihi.* 42. *Fac eis et feminalia linea ad tegendam carnem turpitudinis: a lumbis usque ad femora erunt.* 43. *Eruntque super Aharon et super filios eius quando ingredientur tabernaculum conventionis, aut quum accedent ad altare ut ministrent in sanctuario: et non ferent iniquitatem, neque morientur. Statutum perpetuum illi et semini eius post eum.*

Nunc descendimus ad secundam partem cultus legalis, nempe ad sacerdotium. Tenendum enim memoria quod diximus, tria consideranda esse, tabernaculum, munus sacerdotale, et sacrificium. Et totus quidem splendor tabernaculi, de quo disseruimus, inanis fuisset pompa sine sacerdote, qui sic medius intercessit, ut Deum hominibus reconcilians, coelum quodammodo terrae coniungeret. Porro sacerdotes leviticos gestasse Christi personam minime dubium est: quia muneris sui respectu, angelis quoque ipsis fuerunt praestantiores: quod minime quadraret, nisi imago eius fuissent qui angelorum ipse est caput. Fuerunt quidem profanis gentibus sacrorum antistites, sed tantum fallaces larvae: quia nulla illic mediatoris fuit mentio: ut sciret populus non aliter rite litari Deo, nec aliter preces ab eo exaudiri nisi pacificator medius interveniret. Levitici autem sacerdotii longe alia ratio: quia edocti fuerunt Israelitae, indignos se esse omnes qui se coram Deo sisterent, atque ita intercessore opus esse qui Deum placaret. Iam quum generalis regula tradita esset, omnia exigi et referri debere ad exemplar quod Mosi ostensum fuerat in monte, altius attolli oportuit eorum mentes, quod etiam multis rationibus colligere facile erat. Videbat totum vulgus hominem sibi similem, qui in sanctuarium ingredi non posset propria innocentia fretus, et cuius dignitas erat in rebus adventitiis, nempe unctione et vestitu. Non igitur illic lucebat solida veritas, sed figura tantum quae ad veritatem dirigeret: de qua haud dubie admoniti fuerunt, ne in rebus terrenis subsisterent. Adiuncta fuit deinde interpretatio: quia (ut scite docet apostolus in epistola ad Hebraeos [7, 18]) non staret promissio de sacerdote tandem creando secundum ordinem Melchisedech, nisi ad Christum accommodetur. Nam certe confertur illic per antithesin leviticum sacerdotium cum altero diverso. Quum hoc aeternum vocatur, sequitur illud esse temporale: quum hoc iure-

iurando sancitur, constat alteri praecellere. Minime ergo dubium est quin David, ut erat fidus legis interpres, clarius demonstraverit quod illic obscure figuratum erat. Hactenus docere volui, creatum fuisse leviticum sacerdotem, qui umbra esset veri mediatoris. Nunc breviter operae pretium erit notas attingere, quibus distinguendus est unicus et perpetuus noster sacerdos filius Dei ab illis veteribus: nam fusior explicatio suis locis postea sequetur. Primum discrimen nunc ostendi, temporalem scilicet fuisse figuram: quia perpetuitas non nisi in veritate quaerenda est. Ex quo discimus, munus sacerdotale non fuisse a Mose institutum quod semper maneret, sed quod populum dirigeret ad spem meliorem. Quod autem de re ipsa dixi, ad personas etiam transferre convenit. Unus tantum sub lege fuit summus sacerdos, sed cui postea succederet unus ex suo genere: quia scilicet omnes erant mortales. Nemo igitur, praeter Christum, idoneus unquam fuit sacerdos: quia perpetuus esse nemo potuit. Unde emergit nobis secundum discrimen. Tertium vero in ipsa Christi divinitate, quae inde probatur, quod sacerdos secundum ordinem Melchisedech principium non habet. Neque enim reperietur origo Melchisedech: sed tantum semel ac repente producitur in medium, ac si delapsus esset e coelo. Quartum est in coniunctione regni et sacerdotii. Deus sub lege alios esse reges voluit, alios sacerdotes, nec fas erat munus alterum cum altero miscere. Atqui regis titulo ornatur qui futurus dicitur sacerdos instar Melchisedech. Quintum, quod sacerdos legalis nonnisi in visibili ac terrestri sanctuario coram Deo apparuit: Christus autem penetravit in coelos, ut patri nos offerret, non in externis lapidum symbolis, sed re ipsa: quia in ipso ut in capite nostro, ad Deum omnes colligimur. Sextum in perfecta Christi iustitia situm est. Nam legalis sacerdos, quum esset unus ex peccatoribus, necesse habebat pro se ipso deprecari. Christus autem ab omni culpa immunis gratiam nobis sua puritate conciliat. Septimum, quod ab externis figuris mutuatus est sacerdos quae in Christo vere et re ipsa sunt exhibita. Vestes sacrae (ut nuper diximus) aliquid plusquam humanum designarunt: unctio etiam, spiritus qui in Christo residet symbolum fuit: ideoque non externo et corruptibili oleo consecratus est, sed omnium donorum plenitudine. Ab uxoris contubernio abstinuit vetus sacerdos quum sanctuarium ingrediebatur. Uxorem, non nisi virginem ducere licuit: perfecta et spiritualis Christi mundities se ipsa contenta est. Postremum discrimen in ipsis sacrificiis de quibus in praesentia longius disserere supersedeo: quia proprium deinde locum habebunt. Hoc nunc tenendum est, Christum non pecudum sanguine, sed suo ipsius expiasse mundi peccata. Nunc ad verba Mosis.

1. *Tu vero accerse ad te Aharonem.* Hic sacerdotio conciliatur pretium et dignitas a Dei vocatione. Quod etiam probe expendit apostolus his verbis: Nemo sibi usurpat honorem, sed qui vocatus est, ut Aharon (Hebr. 5, 4). Apud gentes profanas suffragiis creati sunt sacerdotes, ut sola illic ambitio regnaret. Deus autem eos demum legitimos censeri voluit quos suo unius arbitrio elegisset. Ac certe non fuit penes totum humanum genus obtrudere aliquem Deo, qui se ad veniam et pacem impetrandam ingereret, imo ne Christus quidem ad Deum placandum idoneus fuisset, nisi munus subiisset patris decreto sibi impositum. Quo pertinet celebre illud iusiurandum, quo pater coelestis sacerdotem ipsum constituit. Ac tanto quidem foedius et magis detestabile fuit sacrilegium quod postea grassatum est in gente Iudaica, ut sacerdotium coemerent posteri Aharon. Et illa quae a Iosepho narratur tam indigna nundinatio, horrorem nobis incutere hodie debet, dum videmus sacrum illum honorem profanatum fuisse ab ea familia, quae ad obeundas Christi vices divinitus electa erat. Porro utcunque ius omne et fas everterint, stetit tamen inviolabile Dei consilium: ut scirent fideles sacerdotium a Dei autoritate pendere, sicuti a mera eius gratia manat reconciliatio. Nam ut hominibus sacerdotem creare liceat, necesse erit suis meritis Deum antevertere: a quo longissime absunt. In eligendis ecclesiae pastoribus alia est ratio: quia postquam ordinem ipsum Christus instituit, ab ecclesia iussit eligi qui doctrina et vitae integritate ad hoc munus gerendum idonei essent. Quanquam hoc modo non resignat ius suum et potestatem hominibus, quia non desinit etiam per ipsos vocare. Ergo ut Deus se doceat unicum esse sacerdotii autorem, praecipit Aharon et eius filios sibi separari ex aliorum numero. Interea Mosi partes istas mandat, quem tamen pari honore non dignatur. Consecrat Moses Aharon, quum tamen nunquam ipse oleo aut vestitu inauguratus fuerit ad Dei cultum. Unde perspicimus, sacramenta vim suam et effectum non a ministri virtute, sed a solo Dei mandato habere. Neque enim dedisset aliis Moses quod non habebat, nisi ita Deo placuisset.

2. *Et facies vestes sacras.* Ornatus exterior veri et spiritualis defectum notavit. Nam si omnibus perfectionis numeris absolutus fuisset sacerdos, supervacua erat umbratilis accessio. Caeterum ostendere voluit Deus hoc symbolo plusquam angelicum virtutum omnium splendorem, qui in Christo exhibendus erat. Propriis sordibus inquinatus erat Aharon, ideoque indignus qui se in Dei conspectum sisteret. Ergo ut iustus esset conciliator Dei et hominum, exutus communi habitu, tanquam novus homo prodibat. Sacer itaque vestitus primum ad vitia tegenda, deinde ad demonstrandum

incomparabilem virtutum ornatum spectabat. Atque hoc quidem posterius ad ecclesiae pastores aliquatenus transferri potest. Neque enim absurda erit analogia, si dicamus non alios esse tam praeclaro honore dignos, nisi in quibus resplendet virtus exquisita et minime vulgaris. Sed apprime tenendum est quod dixi, in hoc vestitu designatam fuisse summam Christi puritatem, et admirabilem gloriam: ac si Deus promitteret mediatorem longe augustiorem fore quam ferat humana conditio. Ideo fore pronunciat in gloriam et decorem. De artificum sapientia fusius dicendum erit quod nunc attingam, imbutos scilicet fuisse Dei spiritu omnes qui a mundo condito artes excogitarunt utiles humano generi: ut etiam profani scriptores coacti fuerint vocare deorum inventa. Sed quia in hoc opere divino rara et insolita solertia opus erat, singulare donum spiritus exprimitur.

4. *Hae sunt omnes vestes.* Hic rursus admonitos volo lectores, ut argutis speculationibus valere iussis, simplicitate contenti sint. Possem recitare multas plausibiles allegorias, quae forte plus apud multos haberent gratiae quam solida rerum cognitio. Si quis hoc lusus genere delectetur, tantum legat quod scripsit Hieronymus ad Fabiolam: ubi collegit quidquid fere assequi poterat ex aliorum omnium scriptis. Reperiet autem frigidas nugas, quarum insulsitatem non modo refellere, sed etiam referre piget. Sciunt qui versati sunt in meis scriptis: me non libenter insectari aliorum sententias, sed dum reputo quam periculosus sit aurium pruritus, quo multi laborant, cogor hoc antidotum opponere. Sex autem numerantur praecipuae ornatus partes. Quod Graeci λογεῖον verterunt, Latini pectorale, instar quadrati thoracis erat alligatum catenulis, ut cohaereret cum ephod: in eo inclusi erant duodecim lapides ad repraesentandas tribus Israel: erant quoque annexa Urim et Thummim. Porro qualis fuerit forma, certo definiri non potest ex verbis Mosis, et quoniam ipsi quoque Iudaei inter se dissentiunt, sufficiat nobis thoracis comparatio. Nomen vero a fortitudine aut thesauro deductum esse non displicet. Verum hoc summa attentione dignum est, sacerdotem filios Abrahae quasi in corde gestasse, non tantum ut eos produceret coram Deo: sed ut eorum esset memor, ac de salute ipsorum sollicitus. Quod autem symbola duodecim tribuum fuerunt totidem pretiosi lapides, minime data illis fuit superbiendi materia, ac si propria dignitate aut praestantia tanti aestimarentur: sed moniti fuerunt, totum pretium quo fideles apud Deum censentur, a sacerdotii sanctitate pendere. Itaque ex hac figura discamus, utcunque in nobis viles simus et abiecti, adeoque prorsus nihili quisquiliae: quatenus tamen nos in corpus suum inserere dignatus est Christus, in ipso esse lapides pretiosos. Atque huc videtur alludere Isaias in loco prius citato (54, 11), ubi de ecclesiae instauratione quae sub regno Christi futura erat, verba faciens: Ecce inquit, colloco super carbunculum lapides tuos, et fundabo te in sapphiris: et ponam crystallum fenestras tuas, et portas tuas lapides igne rutilantes, et omnes fines tuos lapides desiderabiles. Mox enim sequitur expositio, filios tuos omnes divinitus edoctos. Ergo quod in Christo implendum erat, externo signo figuratum fuit sub lege, nempe quamvis peregrinemur in mundo, fide tamen Christo esse coniunctos, ac si unum cum ipso essemus: ad hoc, perinde ipsum agere salutis nostrae curam, ac si nos in corde inclusos gereret, denique ubi nos in ipso respicit coelestis pater, pluris facere tota mundi opulentia et splendore. Quantum ad Urim et Thummim spectat, mihi probabile est, duas insignes fuisse notas in pectorali, quae nominibus istis convenirent. Nam quod divinant ex Iudaeis quidam, fuisse in subtegmine repositum ineffabile Dei nomen, stulta et noxia superstitione non caret. Ab aliis commentis, quae peraeque frivola sunt, supersedeo. Neque etiam scire laboro, qualis fuerit utriusque effigies: res ipsa mihi sufficit. Itaque per Urim, vel splendores, non dubito notatam fuisse doctrinae lucem, qua verus sacerdos fideles omnes irradiat: primo quia unica est lux mundi (Ioan. 8, 12; 9, 5), extra quam omnia tenebris plena sunt: et quia in ipso reconditi sunt omnes sapientiae et scientiae thesauri. Hinc merito gloriatus est Paulus (Col. 2, 3. 1. Cor. 2, 2), se nihil scire praeter Iesum Christum: quia eius sacerdotium satis superque nos illuminat. Sicut autem admonitus fuit populus oculos ad sacerdotis splendorem esse dirigendos, ita hodie diligenter tenendum est quod Christus ipse docet (Io. 8, 12): Qui sequitur me non ambulat in tenebris. Ex altera parte Thummim, quod perfectiones significat, symbolum fuit integrae solidaeque puritatis, quae nonnisi in Christo quaerenda est. Neque enim legitimus fuisset pontifex, nisi integer, purus ab omni macula, et cui ad plenam sanctitatem nihil deesset. Nec inepta est distinctio: Urim ad doctrinae lucem, Thummim vero ad vitam referri. Hoc quidem aliquatenus convenit ecclesiae pastoribus, quos decet tam sana doctrina quam vitae integritate fulgere. Sed consilium Dei fuit ostendere non alibi utrumque esse quaerendum quam in Christo, quia inde nobis et lumen, et puritas, quum nos utriusque dignatur facere participes pro mensura gratuitae donationis. Unde sequitur, qui vel minimam lucis scintillam extra Christum appetunt, vel guttam puritatis, demergere se in labyrinthum ubi in tenebris mortalibus vagentur, et pestiferos falsarum virtutum fumos sorbere in suum interitum. Quod autem scriptura aliquoties commemorat per Urim et Thummim petita fuisse ora-

cula, id veteris populi ruditati Deus concessit. Nondum apparuerat verus sacerdos, angelus magni consilii, cuius spiritu loquuti sunt omnes prophetae, fons denique omnium revelationum, et expressa imago patris. Ergo ut Dei apud homines internuncius esset umbratilis sacerdos, Christi insignibus vestiri oportuit. Ita iam tunc sub figura edocti fuerunt fideles, Christum esse viam qua ad patrem venitur, et eundem ex arcano patris sinu proferre quidquid est utile cognitu in salutem. Hinc refellitur Iudaicum illud figmentum, data fuisse responsa hoc modo: si de una tribu sciscitabantur, rutilasse lapidem qui eam repraesentabat: deinde prout negabat Deus, vel annuebat, mutatos fuisse lapidum colores. Nam ut demus Urim et Thummim fuisse ipsum ordinem lapidum, prorsus insipida est illa divinatio. Sed (ut dixi) in ipsa forma pectoralis testari voluit Deus sapientiae et integritatis summam contineri. Qua ratione pectorale vocatur iudicii, hoc est, exactissimae regulae, et in qua nihil desiderari potest. Nam saepe per nomen משפט scriptura significat quidquid bene et rite ordinatum est. Quod autem alii iudicium accipiunt pro disquisitione, quia sacerdos responsa non quaerebat nisi pectorali, nimis restrictum est, atque etiam refutatur ex quibusdam locis. Maneat igitur illud fixum, hoc epitheto commendari rectum et omni vitio purum ordinem. Porro quia pectorale erat quasi pars ephod, ideo sub hac voce interdum comprehenditur. Ubi etiam observare convenit, aliud fuisse ephod istud unicum summi sacerdotis ab aliis quorum alibi fit mentio. Omnes enim ex genere sacerdotali induebantur ephod in sacris peragendis (1. Sam. 14, 3 et 23, 6). Imo David quum saltaret coram arca, suo ephod indutus fuit: quem ritum hodie quoque Iudaei, celebres suos conventus agendo, retinent. Reliqua mox suis locis attexam.

9. *Accipies quoque duos lapides.* Quo certior esset coniunctio sacerdotis cum populo, non tantum in ipsius pectore locavit Deus duodecim tribuum monumenta, sed etiam nomina humeris imposuit. Hinc sublata fuit occasio invidiae, quum populus intelligeret, unum hominem non discerni ab aliis privati commodi gratia, sed in unius persona omnes esse regnum sacerdotale, quod in Christo vere demum fuisse impletum docet Petrus (1. Pet. 2, 5). Quemadmodum praedixerat Isaias (66, 20), fore Dei sacerdotes et Levitas qui adducti essent ex gentibus. Quo alludit Iohannes in Apocalypsi (Apoc. 1, 6), ubi dicit, non [1]) omnes in Christo esse sacerdotes. Tenenda autem ratio est, cur nos dicatur pontifex noster in humeris portare. Non enim modo reptamus in terra, sed demersi sumus in profundo mortis gurgite: quomodo igitur ascendere in coelum liceret, nisi nos secum eveheret filius Dei? Iam quum ad coelestem vitam nullus sit in nobis vigor: sed omnes animae et corporis partes prostratae iaceant, sola eius virtute sustineri necesse est. Hinc igitur nostri in coelum ascensus fiducia, quod nos Christus secum attollit, quemadmodum dicit Paulus (Ephes. 2, 6), in coelestibus nos considere in Christo. Iam quamlibet in nobis simus debiles, hinc tota nostra fortitudo, quod simus illius onus. Ergo in veteri illa figura adumbratum fuit quod docet Paulus (Ephes. 1, 23), ecclesiam esse corpus Christi et eius plenitudinem. Superest ut quisque nostrum propriae infirmitatis conscius in Christum recumbat: quia stulta arrogantia nos efferendo, non patimur ab ipso attolli, portari, et fulciri eius virtute. Sinamus ergo superbos, se in sublime tollendo, ruere praecipites, ut nos Christus in humeros suos suscipiat. Vocantur autem lapides memoriae, deinde ad memoriam filiis Israel: sicut postea idem de lapidibus duodecim repetitur, quod quidem exponunt aliqui, ut Deus sit memor filiorum Israel: alii, ut sacerdos ipse memor sit: alii, ut filii Israel sibi Deum propitiari recordentur, unius mediatoris gratia. Verum ego simpliciter interpretor: monumentum conventionis mutuae inter Deum et ipsos: ac si visibili signo ostenderet Deus, se eos complecti, et sanctuarium suum recipere, quoties illo modo oblati essent.

30. *Pones autem in pectorali.* Ex his verbis quidam colligunt Urim et Thummim fuisse diversa a toto artificio quod ante descriptum est. Alii, quoniam nulla deinde fiet mentio Urim et Thummim, ubi narrabit Moses opus fuisse completum, existimant fuisse duodecim lapides. Atqui nihil magis consentaneum (ut ante dixi) quam in ipso pectorali expressam fuisse effigiem lucis in doctrina, et in vita summae rectitudinis. Ideo Moses, postquam vocavit pectorale iudicii, nominat iudicium filiorum Israel. Qua voce intelligit certam et definitam rationem, vel absolutam omni ex parte regulam, ad quam filii se dirigere et formare deberent.

31. *Facies et pallium.* Pallium hoc superius erat oblonga tunica medium inter ipsam et ephod, a cuius extrema ora pendebant tintinnabula cum malogranatis, quae alternis vicibus commixta erant. Etsi autem in malogranatis, vel malis punicis, nullus erat odor, rem tamen ipsam figura oculis subiiciebat: ac si in veste illa requireret Deus suavem fragrantiam cum sonitu. Et certe nos, qui vitiorum sordibus foetemus, non aliter suavis odor sumus Deo quam Christi veste obtecti. Sed tintinnabula resonare voluit Deus: quia non aliter Christi vestis gratiam nobis conciliat quam per vocem evangelii, quae capitis odorem in membra omnia diffundit. In hac allegoria nihil est nimis argutum, vel pro-

1) *Sic editiones latinae. Gallus emendat:* nous.

cul quaesitum: quia similitudo odoris et tinnitus ad gratiae commendationem, et evangelii praedicationem sponte nos ducit. Malis igitur punicis, quae attexta erant vestis laciniae, testatus est Deus sibi bene olere et gratum esse quidquid in sacerdote erat, modo accederet sonitus: cuius necessitas exprimitur, quum Deus mortem sacerdoti denunciat, si absque sonitu sanctuarium ingressus fuerit. Et certe fuit illa communis invitatio, quae populi mentes, dum sacra peragebantur, attentas redderet. Quod autem poena quam Deus minatur, proprie in Christum non competit, nihil in eo est absurdi: quia severe sacerdotibus Levitis praecipere necesse fuit, ne omitterent externa illa pietatis exercitia, donec exhibita esset veritas. Hoc quidem non inscite ad ecclesiae ministros per anagogen deflectunt veteres: quia morte dignus sacerdos, inquit Gregorius, a quo vox praedicationis non auditur. Sicuti Isaias (56, 10) maledicit canes mutos. Sed illud apprime tenendum est, vestem Christi sonoram esse, quia sola fides quae ex auditu nascitur, nos eius iustitia induit.

36. *Facies insuper laminam.* Non temere haec inscriptio in fronte locatur, ut palam emineat. Non enim solum illic testatus est Deus sibi probari ac gratum esse legale sacerdotium, quod ipse verbo suo dedicaverat: sed etiam non aliunde petendam esse sanctitatem. Haec igitur duo notanda sunt, placere Deo sacerdotium cuius ipse est autor, ideoque sordere alia omnia, et reiectitia esse, quamlibet magnifice iactentur: deinde extra Christum nos pollutos esse, omnesque cultus vitiosos: et utcunque praeclarae appareant nostrae actiones, esse tamen impuras et corruptas. Ergo sic in fronte unici et perpetui sacerdotis defixi maneant omnes nostri sensus, ut sciamus ab ipso uno munditiem in totam ecclesiam manare. Huc pertinent eius verba: Propter eos sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sancti in veritate (Ioh. 17, 19). Idem in contextu Mosis exprimitur: Feret Aharon iniquitatem sanctificationum, etc. Locus certe insignis, quo docemur nihil a nobis proficisci quod Deo placeat, nisi interveniente mediatoris gratia. Nam hic non de manifestis et crassis peccatis agitur, quorum veniam certum est non posse nos nisi per Christum consequi: sed oblationum sanctarum iniquitas tollenda et purganda fuit per sacerdotem. Frigidum est illud commentum, si quid erroris admissum esset in caeremoniis, remissum fuisse sacerdotis precibus. Longius enim respicere nos oportet: ideo oblationum iniquitatem deleri a sacerdote, quia nulla oblatio, quatenus est hominis, prorsus omni vitio caret. Dictu hoc asperum est, et fere *παράδοξον*, sanctitates ipsas esse immundas ut venia indigeant: sed tenendum est, nihil esse tam purum, quod non aliquid labis a nobis contrahat. Sicut aqua, quamvis ex limpido fonte nitida hauriatur, si tamen per terram lutosam transeat, inficitur, et aliquid turbidi inde trahit: sic nihil per se adeo sincerum quod non vitiet carnis nostrae contagio. Nihil Dei cultu praestantius: et tamen nihil offerre potuit populus, etiam a lege praescriptum, nisi intercedente venia, quam nonnisi per sacerdotem obtinuit. Nullum hodie Deo gratius sacrificium est, neque unquam fuit, nominis sui invocatione: sicut ipse pronunciat, Invoca me in die afflictionis, exaudiam te, et laudem reddes mihi (Psal. 50, 15). Atqui sacrificia laudis apostolus docet tunc demum placere Deo, ubi in Christo offeruntur. Discamus ergo nostra obsequia, ubi veniunt in conspectum Dei, iniquitate permixta esse, quae nos Dei iudicio obnoxios reddat, nisi ea Christus sanctificet. In summa docet hic locus, quidquid bonorum operum studemus offerre Deo, adeo nihil mereri mercedis, ut potius reatu nos obstringant, nisi sanctitas Christi, qua Deus placatur, veniam illis acquireret. Quod continuo post rursus asseritur, ubi dicit Moses, sacerdotis gratia tolli peccata in sacris oblationibus in beneplacitum: hoc est, ut statuant Israelitae Deum sibi placatum esse et propitium. De ipsa tiara, quam alii cidarim, alii galerum vocant, non habeo quod dicam: sicuti nec in baltheo vel cingulo subtilius philosophari libet.

40. *Filiis autem Aharon.* Separantur etiam filii Aharon non tantum a vulgo, sed etiam a Levitis. Residebat tamen in tota familia peculiaris dignitas, ex qua postea successor petendus erat. Et quia nemo unus ad omnia sufficere poterat, vices erant inter ipsos distributae. Hinc fit ut tunica, cingulo, et pileo ornentur ad gloriam et decorem. De unctione videbimus capite proximo. Impleri manus dicuntur, dum aptantur ad offerendum. Quamdiu enim profanae sunt etiam in maxima copia vacuae censentur: quia nullum Deo acceptum est munus nisi iure sacerdotii. Ergo plenitudo ex consecratione, qua fit ut oblationes rite factae ad Deum perveniant. Notandum vero quod pater Aharon eos non sanctificat, sed Moses: ut vis ipsa vel effectus sanctificandi maneat penes Deum, neque ad ministros transferatur. Voluit etiam forte Deus occurrere improborum calumniis: ne quispiam postea obiiceret, Aharon fraude et malis artibus honorem sibi uni collatum ad filios quoque extendisse, atque ita haereditarium fecisse praeter ius et fas. Ab hoc probro immunis fuit, quum aliunde ad eos pervenit dignitas sacerdotalis. Iam et hoc modo certius reiecta fuit Mosis posteritas ab ea spe quam concipere poterat ex patris memoria. Ergo Moses, filios Aharon initiando, suos in ordinem coegit: ne qua eos ambitio in posterum sollicitaret, vel ureret eos invidia, quum se aliis subiici viderent.

42. *Fac eis et feminalia.* Quia homines pro ingenita sibi levitate et petulantia, minimas quoque offensiones ad spernenda sacra arripiunt, atque ita facile vilescit religio: ad cavendum tale periculum, hic de re in speciem levi praecipit Deus, ut femoralibus partes pudendas tegant sacerdotes. Summa est, ut caste et verecunde se gerant, ne si quid in ipsis turpe vel minus decorum appareat, maiestas sacrorum minuatur. Ideo quidam exponunt particulam: Ut ministrent in sanctitate, ac si dictum esset, ut puri sint ab omni macula, nec Dei cultum profanent. Ego tamen קודש pro sanctuario accipi arbitror, idque magis est genuinum. Additur autem comminatio, non impune laturos si hanc observationem neglexerint: quia scelus in se suscipient. Nec mirum: quando omnis incuria et securitas in sacris peragendis ad contemptum Dei et impietatem accedit. Caeterum quod mox sequitur de iure vel statuto perpetuo, non bene quidam (mèo iudicio) ad praeceptum de femoralibus restringunt: quum aliis quoque sacerdotii partibus respondeat. Generaliter ergo pronunciat Deus, legem se ferre non exigui temporis, sed quae semper in electo populo vigere debeat. Unde colligimus vocem עולם quoties de umbris legalibus agitur, finem accipere in Christi adventu. Et certe haec vera est caeremoniarum perpetuitas, ut in Christo, qui earum solida est veritas et substantia, consistant. Quia enim in Christo demum exhibitum est quod tunc sub umbris delineatum fuit, eo stabiles sunt figurae illae, quod post rerum manifestationem usus earum desiit. Idque iam olim a Davide praedictum fuisse vidimus, ubi levitico sacerdotio aliud secundum ordinem Melchisedech subrogat (Psal. 110, 4). Honore aucem translato (ut scite docet Apostolus [Heb. 7, 12]) ius quoque et statuta omnia transferri necesse est. Cessant ergo hodie veteres ritus: quia spirituali Christi sacerdotio non conveniunt. In quo se prodit duplex sacrilegium papatus, quando ausi sunt homines mortales Christi sacerdotio, tanquam caduco, aliud tertium substituere: et Iudaeos perperam imitando, caeremonias coacervarunt, quae directe pugnant cum natura sacerdotii Christi. Excipiunt quidem, manere integrum Christi sacerdotium, quamvis innumeros habeant sacrificos: sed ita tergiversando, frustra elabi tentant. Nam si in sacerdotio legali quidquam mutare vel novare nefas fuit, quanto minus licuit Christi sacerdotium adventitiis figmentis corrumpere, cuius tamen integritas inviolabili Dei iureiurando sancita est? Filium alloquitur pater: Tu es sacerdos in aeternum: quid nugari iuvat, dum innumera turba creatur, Christo nihil decedere? Quomodo haec inter se consentiunt, unctum fuisse ut per spiritum se offerret, offerri tamen ab aliis? unica oblatione fuisse defunctum ad plenam iustitiam, et quotidie offerri? Iam si nullus hodie legitimus est sacerdos nisi qui in se habet quod veteribus figuris ostensum fuit, sacrificos proferant angelica puritate ornatos, et quasi segregatos ex hominum numero: alioqui repudiare liberum erit quicunque vel minimo vitio inquinati erunt. Hinc etiam ortum est secundum sacrilegium: quod scilicet evangelii claritatem novo Iudaismo obruere ausi sunt. Deerant illis omnia ad suum sacerdotium probandum. Ergo optimum compendium fuit immensa caeremoniarum congerie suam vanitatem involvere: ac si nebulis lucem obscurarent. Quo magis cavendum est ne fideles a puro Christi instituto degenerent, si eum cupiunt habere unicum et aeternum mediatorem.

EX EXODI XXIX.

1. *Hoc quoque facies eis ad sanctificandum eos, ut sacerdotio fungantur mihi. Tolle iuvencum unum filium bovis, et arietes duos immaculatos.* 2. *Panes praeterea infermentatos, et placentas infermentatas mixtas oleo, et lagana infermentata uncta oleo: ex simila triticea facies ea.* 3. *Ponesque ea in canistrum unum, et offeres ea in canistro, una cum iuvenco, et duobus arietibus.* 4. *Tum Aharonem et filios eius accedere facies ad ostium tabernaculi conventionis, et lavabis eos aqua.* 5. *Et accipies vestes, induesque Aharon tunicam, et pallium ephod, et ephod pectorale, cingesque eum baltheo ephod.* 6. *Pones praeterea cidarim super caput eius: coronam autem sanctitatis pones super cidarim.* 7. *Postremo accipies oleum unctionis, et fundes super caput eius, et unges eum.* 8. *Post haec filios eius accedere facies, et indues eos tunicas.* 9. *Cingesque illos baltheo, Aharon et filios eius, et aptabis eis pileos, et erit eis sacerdotium in statutum perpetuum, implebisque manum Aharon, et manum filiorum eius.* 10. *Et offeres invencum coram tabernaculo conventionis, imponentque Aharon et filii eius manus suas super caput iuvenci.* 11. *Tunc mactabis invencum coram Iehova ad ostium tabernaculi conventionis.* 12. *Accipiesque e sanguine iuvenci, et pones super cornua altaris digito tuo: reliquum autem sanguinem fundes ad fundamentum altaris.* 13. *Tollesque omnem adipem operientem intestina, et reticulum quod est super iecur, et duos renes, et adipem qui est super illos, et incendes ea super altare.* 14. *At carnem iuvenci, et pellem eius, fimumque eius combures igni extra castra: sacrificium pro peccato est.* 15. *Arietem quoque alterum accipies, et imponent Aharon et filii eius manus suas super caput arietis.* 16. *Tunc mactabis arietem, accipiesque sanguinem eius, et asperges super altare per circuitum.* 17. *Arietem autem concides in frusta sua, et lavabis intestina eius, cruraque eius, et pones super frusta eius, et*

super caput eius. 18. *Incendes praeterea totum arietem super altare: nam holocaustum est Iohovae in odorem quietis: oblatio ignita Iehovae est.* 19. *Accipies insuper arietem secundum, imponentque Aharon et filii eius manus suas super caput arietis.* 20. *Tunc mactabis arietem, accipiesque de sanguine eius, et pones super tenerum auris Aharon, et super tenerum auris filiorum eius dextrae, et super pollicem manus eorum dextrae, et super pollicem pedis eorum dextri, aspergesque sanguinem super altare per circuitum.* 21. *Tollesque de sanguine qui erit super altare, et de oleo unctionis: atque asperges super Aharon, et super vestes eius, et super filios eius, et super vestes filiorum eius cum eo.* 22. *Deinde tolles de ariete adipem, et caudam, et adipem operientem intestina, et reticulum iecoris, duosque renes, atque adipem qui est super eos, et armum dextrum: quia aries consecrationum est.* 23. *Et tortam panis unam, et placentam panis ex oleo unam, et laganum unum e canistro infermentatorum qui est coram Iehova.* 24. *Ponesque omnia illa in manibus Aharon, et in manibus filiorum eius, exaltabisque illa exaltationem coram Iehova.* 25. *Accipies autem illa e manu eorum, et incendes super altare, ultra holocaustum in odorem quietis coram Iehova: oblatio ignita est Iehovae.* 26. *Accipies item pectus arietis consecrationum quod est ipsi Aharon, et exaltabis coram Iehova, eritque tibi in partem.* 27. *Sanctificabis itaque pectus exaltationis, et armum elevationis quod exaltatum est, et qui elevatus est de ariete consecrationum ipsius Aharon et filiorum eius.* 28. *Et erit ipsi Aharon et filiis eius in statutum perpetuum a filiis Israel: quia exaltatio est: et exaltatio erit a filiis Israel de sacrificiis prosperitatum suarum, exaltatio inquam eorum erit Iehovae.* 29. *Porro vestes sanctae quae sunt ipsius Aharon, erunt filiis eius post eum ad ungendum eos cum eis, et ad consecrandum cum eis manum eorum.* 30. *Septem diebus induet eas sacerdos qui fuerit loco ipsius de filiis eius, qui ingredietur tabernaculum conventionis ad ministrandum in sanctuario.* 31. *Arietem autem consecrationum tolles, et coques carnem eius in loco sanctitatis.* 32. *Comedetque Aharon et filii eius carnem arietis, et panem qui est in canistro, ad ostium tabernaculi conventionis.* 33. *Comedent inquam illa quibus expiatus fuit ad consecrandum manum eorum, ad sanctificandum eos: et alienigena non comedet, quia sanctificatio sunt.* 34. *Quod si superfuerit de carne consecrationum, et de pane, usque mane, combures quod superest igni: non comedetur, quia sanctitas est.* 35. *Facies igitur ipsi Aharon et filiis eius sic, iuxta omnia quae praecepi tibi: septem diebus consecrabis manum eorum.*

1. *Hoc quoque facies eis.* Quia haec, ut leguntur nono capite Levitici, in historia consecrationis tabernaculi iterum repetam et fusius explicabo: nunc breviter attingere satis fuerit summam duntaxat. Neque enim meum est ex altis [1]) speculationibus mysteria fabricare, quae lectores oblectent magis quam solide erudiant. Primo, quia impurum est ac multis sordibus infectum humanum genus, ut omnes ad unum prohibeat sua immundities ab accessu Dei: antequam sacerdotes consecret Moses, aquae aspersione ipsos lavat, ne amplius censeantur ex communi ordine. Unde colligimus, in Christo solo veram reperiri quae sub lege umbratilis fuit puritas et innocentia. Talem vero, inquit apostolus (Heb. 7, 26), decebat esse pontificem, qui integer et nulla macula inquinatus, pro peccatoribus se coram Deo sisteret. Postquam abluti fuerint, iubet ipsos Deus indui sacerdotali ornatu, secundum cuiusque ordinem: ut summus sacerdos gestet ephod cum Urim et Thummim, et cidarim cum lamina aurea, ubi resplendeat sanctitas Iehovae: tertio addit unctionem. Haec praeparatio fuit ad ipsos initiandos antequam munus sacrificandi obirent. Notandum vero est, quod ad primum sacrificium, partes quae deinde ad Aharon translatae sunt, Mosi iniungi, ac si esset unicus sacerdos. Et certe adhuc penes ipsum manebat temporalis dignitas, quam fratri resignavit. Quae de victimae partitione inserit Moses, commodius alibi exponam, ubi de oblationibus agetur, quod diximus esse tertium membrum in cultu legali.

16. *Tunc mactabis arietem.* Antehac iussus est Moses sumere partes hostiae ex manibus Aharon, ut Deum illis propitiaret, quod deinde fungi posset ipse et posteri eodem officio: nunc peculiaris caeremonia describitur, ut auriculam eius dextram, pollicem manus dextrae et pedis, sanguine arietis illinat, tam ipsi quam eius filiis: deinde ut sanguine qui super altare erat repositus, eos et vestes ipsorum aspergat. Porro hic primo notandum est, ut sibi coram Deo favorem ad intercedendum conciliet sacerdos, tingi sanguine oportere. Ita Christi sacerdotium sanguine dicatum fuit, ut ad nos Deo reconciliandos efficax esset. Nunc quaeritur cur tantum dextra auricula et pollices dextri sanguine tincti fuerint, ac si dimidia tantum ex parte sacri Deo et dicati essent sacerdotes. Respondeo, sub una parte alteram comprehendi: quoniam eadem est utriusque auris, manuum, et pedum ratio, et sic coniuncta sunt officia, ut quod de aure una dicitur ad alteram pertineat. Rursus quaeritur, cur uncta potius fuerit auris, pes, et manus quam pectus et lingua. Mihi vero dubium non est quin per aurem designata fuerit obedientia, per manus et pedes cunctae actiones et totus vitae cursus. Nihil fere magis tritum in scriptura quam istae metonymiae, dum puritas manuum pro tota vitae integritate su-

1) *Editt.* aliis.

mitur, et via aut cursus aut ambulatio, pro directione aut vivendi instituto. Optime igitur convenit, hominis vitam sanguine consecrari. Sed quia recte agendi principium est obedientia, quae sacrificiis omnibus praefertur, ab auricula iussus est Moses incipere. Et scimus odorem bonae fragrantiae in sacrificio Christi fuisse obedientiam (Phil. 4, 18). Qua ratione David in spiritu prophetico ipsum loquentem inducit (Psal. 40, 7): Aurem perforasti mihi. Si quis excipiat non minus in lingua esse momenti, quia sacerdos est angelus Dei exercituum: respondeo hic non attingi docendi munus, sed tantum intercedendi. Quare in tribus illis partibus complexus est Moses quidquid ad expiationem spectabat. Caeterum meminerimus quae de Christi consecratione dicuntur non subsistere in eius persona: sed referri ad totius ecclesiae utilitatem. Neque enim sua causa unctus est, neque opus habuit mutuari gratiam a sanguine: sed membra sua respexit, et totum se addixit eorum saluti, sicut ipse testatur: Propter eos sanctifico me ipsum (Ioan. 17, 19).

28. *Et erit ipsi Aharon.* Ne vilesceret sacrarum oblationum dignitas, quae sanctitas Iehovae dicuntur, ab earum esu prohibiti sunt extranei. Nam si quibuslibet eas tangere, illisque vesci permissum foret, nullum inter eas et vulgares cibos fuisset discrimen. Ex portione sacerdotum quaedam fuerunt totis familiis communia, sed excepta fuerunt sancta, ut sub una specie omnium reverentia commendaretur. Eodem spectat circumstantia loci: quia intra domesticos parietes comedere non licuit quod sanctum erat, ut differret a communi et ordinario victu. Eadem causa comburi oportuit si quid manebat residuum, ne si carnes fierent rancidae aut mucidus panis, foetor et deformitas aliquid ex sacrorum dignitate minuerent. Rudimentis enim puerilibus opus habuit infirmitas veteris populi, sed quae altius erigerent piorum animos. In eum finem omnia tendebant, ne qua obreperet corruptela quae Dei cultum inficeret, vel redderet contemptibilem.

EX LEVIT. VI.

19 [1]). *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 20. *Ista sit oblatio Aharon et filiorum eius, quam offerent Iehovae die qua ungetur quisque. Decima epha similae: minha iugiter: dimidium eius mane, et dimidium vesperi.* 21. *In craticula oleo fiet, frictam afferes eam, coctiones minhae frustorum offeres in odorem quietis Iehovae.* 22. *Et sacerdos unctus in locum eius e filiis eius faciet eam: statutum perpetuum Iehovae, tota cremabitur.*

19. *Et loquutus est.* Satis notum est sacrificiis fuisse adiunctam oblationem quam vocant minha, sed seorsum quoque fuisse in usu alibi videbimus. Licuit absque victima vel puram farinam offerre, vel liba, et placentas oleo conditas. Ergo praeter sacrificium consecrationis, de quo disseruit Moses, haec secunda oblatio a sacerdote exigitur, ut placentam frixam in sartagine, et in frusta concisam, pro sua inauguratione offerat. Haec autem videtur fuisse ratio, ut legitimus deinde esset totius populi minister, et aliorum nomine rite offerret, ex quo defunctus fuerat pro se ipso. Caeterum discrimen statuitur inter munus sacerdotis et populi, ut totum adoleatur, cuius rei causam, quia alibi explicabitur, uno verbo perstringere nunc satis fuerit. Noluit scilicet Deus sacerdotes vana ostentatione se iactare: quod proclive erat, si in ipsorum usum reversa fuisset oblatio, sicuti minha popularis penes ipsos manebat.

EX NUMER. VIII.

5. *Loquutusque est praeterea Iehova ipsi Mosi, dicendo:* 6. *Cape Levitas e medio filiorum Israel, et purifices illos.* 7. *Sic autem facies illis ut purifices illos: sparge super eos aquam purificationis, et transire faciant novaculam super totam carnem suam, laventque vestimenta sua, et purificentur.* 8. *Postea capient iuvencum filium bovis, et minham eius similam conspersam oleo: et iuvencum alterum filium bovis capies in sacrificium pro peccato.* 9. *Tunc offeres Levitas coram tabernaculo conventionis: et congregabis omnem coetum filiorum Israel.* 10. *Offeres inquam Levitas coram Iehova, et coniungent filii Israel manus suas super Levitas.* 11. *Offeretque Aharon Levitas in oblationem coram Iehova a filiis Israel, et ministrabunt in ministerio Iehovae.* 12. *Levitae autem coniungent manus suas super caput iuvencorum: postea facies unum pro peccato, et alterum in holocaustum Iehovae ad expiandum Levitas.* 13. *Statuesque Levitas coram Aharon et coram filiis eius, et offeres illos oblationem Iehovae.* 14. *Ac segregabis Levitas e medio filiorum Israel: erunt mei Levitae.* 15. *Postea autem venient Levitae ad ministrandum in tabernaculo conventionis, et expiabis illos, offeresque eos oblationem.* 16. *Quia dati, dati inquam sunt mihi e medio filiorum Israel pro aperiente omnem vulvam, pro primogenito filiorum Israel accepi eos mihi.* 17. *Meus est enim omnis primogenitus in filiis Israel tam hominum quam iumentorum: a die quo percussi omne primogenitum in terra Aegypti, sanctificavi illa mihi.* 18. *Cepi autem Levitas pro omni primogenito in filiis Israel.* 19. *Et dedi Levitas dono datos Aharoni et filiis eius e medio filiorum Israel, ut fungantur officio*

1) Hebr. 12—15.

filiorum Israel in tabernaculo conventionis, et expient filios Israel: neque sit in filiis Israel plaga, quum ipsi appropinquaverint sanctuario.

EX EODEM CAPITE.

23. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen, dicendo:* 24. *Hoc quoque est quod ad Levitas pertinet, a vicesimo quinto anno et supra ingredientur militare militiam in cultu tabernaculi conventionis.* 25. *A quinquagesimo autem anno revertetur a militia cultus, nec ministrabit ultra:* 26. *Sed ministrabit cum fratribus suis in tabernaculo conventionis, ut munere suo illi fungantur et ministerium non administrabit: sic facies de Levitis in custodiis eorum.*

5. *Loquutus est praeterea.* Quanquam Levitis sanctuarium ingredi non licebat, sed tantum ministri erant sacerdotum, et fere ad serviles operas addicti: quia tamen sanctuarium cum sacris vasis gestabant, parabant victimas, tollebant cineres, et alia purgamenta ex altari, eos quoque solenni ritu sibi consecrari Deus voluit. Nam sicut totus Israel respectu gentium peculiaris erat populus Dei, sic domus Levi ex ipso populo in peculium electa fuit, quemadmodum hic dicitur. Verum ne sibi plus arrogarent quam fas esset, eorum insolentiae occurrit Deus primo quum distulit eorum consecrationem in aliud tempus deinde quum voluit non a Mose, sed ab Aharon initiari, tertio quum diversam caeremoniam instituit. Nam si eodem tempore fuissent initiati, hoc praetextu forte cum ipsis de aequalitate certassent. Ergo sacerdotibus a vulgo iam exemptis, ut eorum munus venerari discant, manent ipsi adhuc privati. Deinde quia si communiter fuissent oblati a Mose, periculum erat ne contra alios omnes superbius se efferrent: eorum consecrationi praeficitur Aharon, quo se illius autoritati modeste subiiciant. Iam quia tantum aqua et sacrificio lustrati fuerunt, nulla autem adhibita fuit unctio, discrimen in ritu externo eos admonuit, non eundem esse vel parem honoris gradum.

6. *Cape Levitas e medio.* Capere e medio filiorum Israel tantundem valet atque eximere e numero, ne veniant in communem censum, ac reputentur una tribus. Haec igitur separatio (ut clarius paulo post exprimet), Levitas Deo addixit in cultum sanctuarii. Quod autem hoc praetextu immunitatem sibi vendicat clerus papalis, ut legibus solutus pro libidine vivat, non putidum modo, sed impii ludibrii plenum est cavillum. Nam quum in Christo finem acceperit vetus sacerdotium, successio quam obtendunt, Christum suo iure spoliat, ac si non exhibita in eo fuisset plena veritas. Caeterum quando a solo papae primatu dependent omnia eorum privilegia, si rata censeri volunt, probent ante omnia oportet, papam Dei iussu toti ecclesiae caput esse impositum, adeoque Christi esse successorem. Quod ad Aharon spectat, quia minister fuit cooptationis, hoc modo praefectus fuit, ut Levitas suo arbitrio regeret. Interea sic ministerium iniungitur homini, ut gratuitum Dei beneplacitum non obscuret.

7. *Sic autem facies illis.* Primum iubetur Aharon super eos spargere aquam purificationis, quae eos mundet a sordibus: neque id modo, sed iubentur lavare vestes suas, ut diligenter sibi caveant circumcirca ab omni labe, unde ad ipsos perveniat contagio. Tertio iubentur novacula radere cutem suam, ut carne sua exuti incipiant novi esse homines. Additur postea sacrificium, idque duplex, ad eos expiandos. Qua ratione etiam manuum impositio illis mandatur. His peractis Aharon pro iure et honore sacerdotii iubetur illos offerre, non secus ac sacrum panem vel suffitum. Finis autem fuit ut agnoscerent se non amplius esse sui iuris, sed Deo addici, ut ad cultum sanctuarii operam suam impenderent. Quod autem simul aliqui e populo iubentur manus imponere, hoc fit in testimonium alienationis: ac si omnes tribus hac caeremonia testatum facerent, suo consensu Levitas transire in peculium Dei, ut essent quasi pars vel accessio sanctuarii. Solebant enim privati homines (ut postea videbimus) suis victimis manus imponere: sed non eadem ratione qua sacerdotes.

16. *Quia dati, dati.* Ne querantur aliae tribus, corpus populi imminui, pronunciat Deus emancipatos esse a genere Abrahae, quoniam ipsos acquisierit, quum percussit omnia primogenita Aegypti. Certum est enim tam primogenitos populi quam foetus animalium primogenitos mirabiliter ereptos fuisse a communi clade. Ergo sicuti eos singulari privilegio Deus liberavit, ita sibi devinxit, redemptionis beneficio. Sed videtur cessare ratio, quum Deus pretium redemptionis exigendo, primogenitos dimisit liberos, ut alibi dictum fuit. Alioqui bis idem posceret, quod iniqua lege fieret. Verum solutio in promptu est: quum in primo censu numerati fuerunt primogeniti duodecim tribuum, plures Levitis fuisse repertos. Tunc facta fuit permutatio: ut omnes primogeniti duodecim tribuum ad viginti et duo millia immunes essent a tributo, eorum autem loco Deus Levitas sibi ministros sumeret. Tantum redempti fuerunt ducenti et septuaginta tres, quia hic numerus superabat. Sic factum est, ut Deus aequali iure contentus populum iniusto onere non gravaret. Verum haec compensatio, quae semel ad unum diem facta est, non obstitit quominus deberent Israelitae Deo suos primogenitos, qui tunc nondum nati erant. Quia igitur quoad posteros manebat obligatio, lata lex est, ut primogenitos suos redimerent. Si quis

obiiciat, rectum non fuisse ut quicunque ex Levitis primogeniti essent manerent Deo sacri: respondeo nihil hac in parte fuisse fraudis. Nam ex quacunque tribu essent primogeniti, iam Deo mancipati erant cum tota sua sobole. Non fuit igitur facta deterior populi conditio in permutatione capitum, ideoque optima aequitate in posterum statuit Deus pretium quo suos primogenitos redimerent Israelitae. Quod autem datos sibi pronunciat, perinde est ac si eos sibi ex compacto assereret. Hoc sensu dicit: A die quo percussit primogenita Aegypti, se acquisiisse primogenita Israelis. Deinde addit, se tunc Levitas sumpsisse: nempe ut in praeteritum tempus duntaxat transigeret cum populo.

19. *Et dedi Levitas.* Declarat qua conditione ipsos esse suos velit: nempe ut regantur ab Aharon, eiusque praeceptis obediant. Neque enim donatio intelligenda est, qua ius suum quispiam alteri resignat et cedit: sed quum eos addicat Deus ministerio sanctuarii, vult illos habere ducem et magistrum. In fine versus hoc fieri in bonum et utilitatem totius populi docet Moses. Unde sequitur non esse invidiae locum, nisi forte aegre ferat populus, saluti suae divinitus prospectum esse. Ac duplex ostenditur utilitas, prior, quod futuri sint intercessores, vel expiationum ministri (uterque enim sensus bene convenit) secunda, quod dum ipsi erunt sanctuarii custodes, impedient ne filii Israel temerario accessu cladem sibi accersant.

24. *Hoc est quod ad Levitas.* Hic aetas praefigitur qua incipiant Levitae et desinant munus suum exsequi. Iubet autem Deus ipsos auspicari ab anno vicesimo quinto, vacationem concedit anno quinquagesimo: optima utrumque ratione. Si enim adolescentuli fuissent admissi, poterat eorum protervia sacrorum venerationi multum detrahere: non modo quia intemperanter plerumque lasciviunt quibus nondum virilis est maturitas: sed quia vel neglectu, vel levitate, vel incogitantia, vel imperitia et errore, perperam multa turbassent in cultu Dei. Sicuti autem minime idonei fuerunt ad munus exercendum, donec prudentiam et gravitatem collegissent, ita ne senio fatiscerent, tempestive illis missionem dari aequum fuit. Erat enim (ut ante diximus) laboriosa provincia, et quae robur corporis posceret. Si vero placet anagoge ad pastorale munus, in genere tenendum erit, non esse quoslibet eligendos, sed qui iam moderationis suae fidem fecerint, nec urgendos esse ultra modum qui alacriter se impendunt, nec plus exigendum quam ferat eorum facultas. Stulte enim annos quidam numerarunt, ac si ante vicesimum quartum annum nefas esset pastorem eligere, qui tamen alioqui necessariis dotibus polleret.

EX NUMER. III.

5. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen, dicendo:* 6. *Appropinquare fac tribum Levi, et siste eam coram Aharone sacerdote, ut ministret ei.* 7. *Et custodiant custodiam eius, et custodiam universi coetus coram tabernaculo conventionis, ut exsequantur cultum tabernaculi.* 8. *Custodiant quoque omnia utensilia tabernaculi conventionis, custodiamque filiorum Israel, ut exsequantur cultum tabernaculi.* 9. *Da inquam Levitas ipsi Aharon, et filiis eius: dati, dati namque sunt illi ex filiis Israel.* 10. *Aharon autem et filios eius praeficies, custodientque sacerdotium suum: externus enim qui accesserit morietur.*

5. *Loquutus est.* Continet hic locus duo capita, nempe ut separentur Levitae in ministerium sanctuarii et altaris: deinde ut praecipuis sacerdotibus ex familia Aharon pareant, nec quidquam agant nisi ex eorum autoritate et mandato. Iam vero dictum fuit, et iterum postea videbimus, in genere tribum leviticam divinitus electam fuisse ad sacra peragenda: ut sciret populus neminem tam honorifico munere dignum esse: sed id pendere a gratuita vocatione Dei, cuius est omnia creare ex nihilo. Hoc modo non tantum repressa fuit eorum temeritas qui honorem stulte appeterent: sed tota ecclesia edocta fuit, ad Deum rite colendum opus esse alieno subsidio. Nisi enim medii intercederent Levitae, alios e populo lex a Dei accessu arcebat, ac si totum humanum genus pollutionis damnaret. Verum quo certius dirigerentur ad unum mediatorem, summum sacerdotium in sublimi locatum fuit, et tandem unus qui supra omnes emineret: hac ratione Levitas posteris Aharon subesse voluit Deus. Ordini quidem simul consuluit: quia turba nisi a capitibus regatur, semper turbulenta erit. Minime tamen dubium est quin summa Christi potestas in persona Aharon repraesentata fuerit: unde refellitur papistarum inscientia, qui exemplum hoc ad statum christianae ecclesiae transferunt, vel potius torquent, ut presbyteros subiiciant episcopis: atque inde conflent primatum sedis romanae. Atqui si huius figurae quaeritur veritas, potius ratiocinari conveniet, quicunque creantur hodie ministri et pastores ecclesiae, Christo tradi quasi sub manum: ne quid sibi imperii usurpent, sed modeste se gerant, tanquam rationem reddituri coram ipso, qui princeps est pastorum (1. Pet. 5, 4). Unde colligimus, papatum nonnisi in scelesto sacrilegio fundatum esse: quia eripitur Christo quod suum est, si alius quispiam fingitur successor Aharon. Interea non repudianda est politica distinctio, quam sensus ipse naturae dictat ad confusionem tollendam: sed quae in eum finem spectabit, sic erit temperata, ut neque Christi gloriam obscuret, neque ambitioni

vel tyrannidi serviat, nec impediat quominus mutuam inter se, pari iure et libertate, fraternitatem colant omnes ministri. Hinc etiam sumpta fuit illa sententia apostoli (Heb. 5, 4), nemini fas esse honorem sibi sumere, sed legitimos esse ecclesiae ministros qui vocati sunt.

EX EXODI XXX.

22. *Loquutus est etiam Iehova ad Mosen, dicendo:* 23. *Tu sume tibi aromata optima: myrrhae fluidae ad quingentos siclos, cinnamomi aromatici dimidium ipsius, ducentos et quinquaginta: et calami aromatici ducentos et quinquaginta:* 24. *Casiae vero quingentos siclos, pondere sanctuarii: et olei olivae hin:* 25. *Et facies ex eo oleum unctionis sanctitatis, unguentum unguenti, opus unguentarii: oleum unctionis sanctitatis erit.* 26. *Unges eo tabernaculum conventionis, et arcam testimonii.* 27. *Et mensam omniaque vasa ipsius, et candelabrum omniaque vasa ipsius, et altare suffimenti:* 28. *Altare quoque holocausti et omnia vasa ipsius, et concham et basin eius.* 29. *Ita sanctificabis ea, erunt sanctitas sanctitatum: quidquid tetigerit ea, sanctificabitur.* 30. *Aharon praeterea et filios eius unges, et sanctificabis eos, ut sacerdotio fungantur mihi.* 31. *Ad filios autem Israel loqueris, dicendo: Oleum unctionis sanctitatis erit hoc mihi per generationes vestras.* 32. *Super carnem hominis non unget: neque compositioni eius facietis similes: sanctum est, sanctum erit vobis.* 33. *Quisquis confecerit unguentum simile, et qui posuerit ex eo super extraneum, succidetur e populis suis.*

23. *Tu sume tibi aromata.* Quanquam oleum de quo agitur, non solis sacerdotibus ungendis, sed tabernaculo, arcae foederis, altaribus, et vasis omnibus dicatum fuit, non tamen occurrit ad tractandam sacram unctionem commodior locus quam si eam sacerdotio annecterem, ex quo dependet. Primo describitur eius confectio, sumptu et odore exquisita: ut ab ipsa excellentia et pretio discant Israelitae aliquid non vulgare repraesentari. Vidimus enim iam saepius obiectum fuisse rudi populo splendorem in sacris symbolis, qui externos sensus afficeret, ut paulatim et quasi per gradus ad rerum spiritualium notitiam attollerentur. Nunc cur tam sacerdos quam vasa omnia et aliae tabernaculi partes opus habuerint unctione, videndum est. Extra controversiam statuo oleum hoc pretiosis odoribus mixtum, figuram fuisse spiritus sancti. Nam passim occurrit ungendi metaphora, ubi vim, effectus, et dona spiritus commendant prophetae. Nec dubium est quin Deus reges ungendo, spiritu prudentiae, fortitudinis, clementiae, et aequitatis se illos donare testatus sit. Hinc facile colligitur, imbutum fuisse tabernaculum oleo, ut discerent Israelitae nihil prodesse omnia pietatis exercitia absque arcana operatione spiritus. Imo aliquid maius ostensum fuit, virtutem et gratiam spiritus vigere et regnare in ipsa umbrarum veritate, et quaecunque inde proveniunt bona eiusdem spiritus dono applicari in usum fidelium. In altari quaerenda fuit reconciliatio, ut Deus propitius esset. Atqui (teste apostolo Heb. 9, 14) sacrificium mortis Christi non aliter efficax fuit ad placandum Deum, nisi quia per spiritum passus est. Iam quomodo ad nos fructus pervenit, nisi quia sanguine qui semel fusus est, idem spiritus animas nostras irrigat? sicuti docet Petrus (1. Petr. 1, 2). Iam quis preces nostras consecrat nisi spiritus a quo dictantur gemitus inenarrabiles, et per quem clamamus Abba pater (Rom. 8, 15)? Imo unde fides quae nos in communicationem bonorum Christi admittit, nisi ab eodem spiritu? Sed unctio praecipue in sacerdote consideranda fuit, qui sanctificatus est Dei spiritu ad munus obeundum. Itaque sicut Isaias (61, 1) in eius persona spiritu prophetico se unctum fuisse docet, et David idem affirmat de spiritu regali: ita Daniel optimus nobis interpres est ac testis quomodo tandem exhibita fuerit sacerdotalis unctio (Dan. 9, 24). Nam quum tempus, quo per mortem Christi obsignabitur prophetia, praefixum esse dicit ad ungendum sanctum sanctorum, clare admonet spirituale exemplar esse in Christo, quod visibili sanctuario respondeat: ut re ipsa sentiant fideles, non inanes fuisse umbras illas. Nunc tenemus cur unctus fuerit Aharon, quia spiritu sancto consecratus est Christus, ut mediator esset Dei et hominum: cur eodem oleo tinctum fuerit tabernaculum cum suis vasis, quia non aliter participes sumus sanctitatis Christi quam spiritus dono et operatione. Iterum masculinum genus quidam ponunt, ubi de vasis dicitur: Quidquid tetigerit ea, sanctificabitur: ac si dictum esset, non ab aliis tractari fas esse quam a sacerdotibus. Sed mihi videtur potius alia causa notari, quia oblationes sua sanctitate imbuat.

25. *Oleum unctionis.* Quanquam genitivus ponitur loco epitheti, ac si dixisset Moses oleum sanctum: ab effectu tamen sic vocatur, quia sine ipso nihil purum censeatur. Et certe ideo nos et nostra omnia sanctificat spiritus Dei, quia extra ipsum profani sumus, et nostra omnia corrupta. Caeremoniae usum commendat per cunctas aetates veteris populi. Quibus verbis subest tacita antithesis novae ecclesiae, quae post exhibitam rerum substantiam umbris non indiget. Merito enim unigenitus Dei filius Christi nomen obtinet, quando suo adventu figuras illas abolevit. Et Simeon quum ulnis suis eum amplexus vocaret Christum Domini (Luc. 2. 28),

externum legalis olei usum cessasse docuit. Quo magis insipida fuit superstitio papatus, dum sacrificos, altaria, et reliquas nugas ungendo, Iudaeos imitati sunt: ac si Christum vellent iterum suis unguentis sepelire. Ergo commentum illud tanquam sacrilegum detestemur, quod metas a Deo praescriptas evertit. Porro ut mysterium hoc iusta veneratione observent, vetat fieri simile unguentum. Scimus inter delitias lauti convivii tunc fuisse unguenta. Si hoc genus usurpent, profanatio censetur. Et notanda ratio est: Ut sanctum illis sit quod sanctum est, hoc est, ut reverenter colant quod peculiariter dicatum est eorum saluti. Nam etsi sacra divinitus instituta semper retinent suam naturam, nec vitiis nostris vel inquinari vel exinaniri possunt: nos tamen sordibus nostris, impuro abusu vel neglectu, ea quantum in nobis est polluimus.

EX LEVIT. VIII.

1. *Loquutusque est deinde Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Tolle Aharon, et filios eius cum illo, et vestes, et oleum unctionis, et iuvencum sacrificii pro peccato: et duos arietes, et canistrum azymorum.* 3. *Atque omnem coetum congrega ad ostium tabernaculi conventionis.*

2. *Tolle Aharon.* Modum ungendi et vestiendi sacerdotes clarius exprimit a loci et testium circumstantia. Iubet enim ecclesiam edicto vocari ad sanctuarium: deinde coram illa produci Aharon et eius filios, ut Deo autore inaugurentur ad suum munus, et totus simul populus agnoscat divinitus creatos esse et ordinatos. Quae uno contextu ad Mosen legitur mandati exsequutio, haud dubie ad aliud tempus pertinet, nempe quo peracta est solennis tabernaculi dedicatio. Ergo quod hic alieno loco narratur, illuc reiicere visum est, ut perpetua fluat historiae series: quod ad facilitatem non parum iuvabit.

EX LEVIT. XXI.

1. *Et dixit Iehova ad Mosen: Alloquere sacerdotes filios Aharon, et dicito eis: Super anima non contaminabit se quisquam vestrum in populis suis:* 2. *Sed super propinquo suo, propinquo sibi, nempe super matre sua, et super patre suo, et super filio suo, et super filia sua, et super fratre suo,* 3. *Et super sorore sua virgine propinqua sibi, quae non fuerit viro: super ea contaminabit se.* 4. *Non contaminabit se in principe in populis suis, ut polluat sese.* 5. *Non decalvabunt calvitium in capite suo, et extremitatem barbae suae non radent, et in carne sua non incident ullam incisuram.* 6. *Sancti erunt Deo suo, neque polluent nomen Dei sui: quia oblationes ignitas Iehovae, et panem Dei tui offerunt, proinde erunt sancti.*

EX EODEM CAPITE.

10. *Sacerdos autem praecipuus inter fratres suos super cuius caput fusum fuerit oleum unctionis, et consecraverit manum suam ut induat vestes, caput suum non discooperiet, et vestes suas non scindet.* 11. *Et ad omnes animas mortui non ingredietur, ne super patre quidem suo, aut matre sua, contaminabit se.* 12. *Et de sanctuario non egredietur, neque polluet sanctuarium Dei sui: quia corona olei unctionis Dei sui est super eum. Ego Iehova.*

1. *Alloquere sacerdotes.* Haec omnia quae sequuntur, tendunt in eum finem, ut sacerdotes a populo differant insignibus notis, quasi ab hominum vulgo segregati. Nam eos qui Christi personam gestabant decuit singularis puritas. Ac de parvis quidem rebus et levis momenti videtur Deus hic praecepta dare: verum alibi diximus, ritus legales quasi gradus fuisse, quibus Israelitae conscenderent ad studium verae sanctimoniae. Valuit quidem semper illud Pauli (1. Tim. 4, 8) corporis exercitationes non multum prodesse: sed veterum umbrarum sub lege utilitas a suo fine aestimari debuit. Quamvis ergo rerum, de quibus nunc agitur, observatio per se non magnopere Deo placuerit, quia tamen altius tendebat, eam parvi ducere nefas fuit. Etsi autem admoniti fuerunt sacerdotes, peculiari studio colendam sibi esse sanctitatem, ut ferebat officii religio: praecipuum tamen Dei consilium fuit, imaginem proponere perfectae sanctitatis, quae in Christo demum conspecta fuit. Prima lex prohibitionem continet luctus funebris: simpliciter et absque exceptione quoad summum sacerdotem, quoad filios Aharon restrictione addita. Etsi autem alibi generaliter prohibet Deus ne populus in luctu vesano imitetur gentium morem: hic tamen maius quidpiam a sacerdotibus exigit, ut etiam a communi et aliis permisso luctu abstineant. Haec quidem prohibitio postea iterum ex re praesenti manavit, ut videbimus. Nam quum Nadab et Abihu qui suffitum fecerant igne alieno, consumpti essent igne coelesti, lugeri ipsos passus est Deus a toto populo, exceptis sacerdotibus. Sed hac occasione perpetua lex de integro tunc sancita fuit, ne sacerdotes mortuos lugendo se polluerent: nisi quod illic in domestico etiam funere luctus interdicitur, ut iudicio

Dei quamlibet tristi subscribant. Nam hoc modo impediebantur a suo munere: quia non licuisset sanctuarium ingredi. Itaque mortem illis minitatur Deus, nisi etiam in domestico funere dolorem suum temperent. Est autem haec rara virtus (ut alibi dictum est), nostros affectus sic fraenare, ubi fratribus et amicis orbamur, ne doloris acerbitas patientiam et tranquillum animi statum nobis excutiat. Itaque hoc modo probata fuit eximia in sacerdotibus pietas. Adde quod abstinentia a luctu spem ostendit beatae resurrectionis. Ergo in funeribus sacerdotes a luctu fuerunt immunes: ut solatium tristitiae ab illis peteret reliquus populus. Hoc in Christo vere et solide completum fuit, qui etsi non moerorem tantum, sed extremum quoque mortis horrorem pertulit, exemptus tamen fuit ab omni labe, et de morte ipsa magnifice triumphavit: ut sola crucis eius memoria, luctu absterso, nos exhilaret. Iam quum dicitur: Non polluent nomen Dei sui: et de summo sacerdote: Non egredietur a sanctuario: confirmat haec ratio quod nuper dixi, vetitum illis fuisse luctum, quia eos a functione arcebat. Squalor enim ipse quodammodo foedasset Dei sanctuarium, ubi nihil deforme conspici debuit. Et contaminati non poterant supplices intercedere pro populo. Puros ergo, et ab omni macula integros manere iubet Deus, ne cogantur munus suum deserere, et sanctuarium relinquere, cuius erant custodes. Porro huius figurae complementum esse in Christo, ex ratione mox addita colligimus: Quia oleum sanctitatis sit super caput summi sacerdotis. Quo significat Deus, minime rectum esse, ut gloria ipsius et decor ullo vitio profanetur. Quod ad verba spectat: primo maior libertas conceditur reliquis posteris Aharon quam summo sacerdoti: sed tantum ut patrem, matrem, liberos, et fratres germanos lugeant, ac sorores adhuc innuptas. Iam ne ambitio eos longius trahat, diserte vetantur etiam in morte principis luctum suscipere. Nec dubium est quin vitiosi fuerint luctus, quos Deus secundum indulgentiam permisit. Sed habita fuit infirmitatis ratio, ne immodicus rigor eos ad violentam intemperiem abriperet. Sic ergo illis Deus pepercit, ut tamen a vulgo discerneret. Contaminare se (ut alibi vidimus) tantundem valet ac luctum suscipere super mortuo, celebrare exsequias, et funus prosequi: quia in morte hominis se profert Dei maledictio, ut cadaver eos contagione inficiat, a quibus attingitur: deinde quia fieri non potest, quin ubi accersitur moeror et acuitur, ipsa affectatio ad impatientiam erumpat. Quod vetat calvitium facere, ne id quidem reliquis e populo licuit, sed de sacerdotibus expresse Deus mandat, quo sub arctiore ipsos fraeno contineat. De sacerdote maximo videtur praeter exceptiones aliquid maius statui, ne caput discooperiat, et vestes scindat: quod tamen filiis Aharon alibi iniungitur. Sed hic damnatur in summo sacerdote quod tolerabile esset in aliis. Et certe consentaneum fuit, ut peculiare specimen ederet moderationis et gravitatis. Et ideo revocatur in memoriam ipsa officii dignitas, qua supra alios excellit, ut tanto magis se obstrictum agnoscat. Haec quidem summa est, quia sacerdotium Dei sanctitas est, miscendum non esse cum ullis inquinamentis.

EX DEUT. XXXI.

9. *Scripsitque Moses legem istam, et dedit eam sacerdotibus filiis Levi portantibus arcam foederis Iehovae et cunctis senioribus Israel.*

9. *Scripsitque Moses.* Legis volumen haud dubie Moses in custodiam deposuit apud Levitas, ut illis iniungeret docendi munus. Etsi enim simpliciter narratur mandatum fuisse, ut septimo quoque anno librum coram populo recitarent: colligere tamen promptum est, creatos fuisse eius doctrinae assiduos praecones. Absurdum enim fuisset legem totis septem annis sepultam iacere, nec verbum de eius doctrina fieri: frigida deinde fuisset auditio in tanta multitudine, memoria quoque facile evanuisset. Denique perquam exiguus fuisset caeremoniae fructus, si reliquis temporibus muti fuissent Levitae, et nihil in tota terra auditum fuisset de cultu Dei. Huc itaque spectavit solennis promulgatio, quae anno remissionis fiebat, ut populus quotidie colendi Dei regulam peteret a Levitis, qui electi fuerant quasi νομοφύλακες, ut in tempore proferrent quidquid erat utile cognitu. Itaque hic nobis repraesentatur veluti in speculo, quod dicit Paulus (1. Tim. 3, 15), ecclesiam Dei esse columnam et stabilimentum veritatis, quia scilicet doctrinae puritas, pastorum ministerio in mundo viget incolumis, atque propagatur: sicuti rursum mox intercideret religio, si viva doctrinae praedicatio cessaret. Ideo alibi iubet idem Paulus (2. Tim. 2, 2), sanam doctrinam, cuius fuerat minister, a Timotheo commendari fidis hominibus, qui sint idonei ad alios docendos. Primo igitur tenendum, volumen legis apud Levitas tanquam fidei commissum fuisse, ut quod rectum erat, ab illis populus disceret. Quod addit seniores, non supervacaneum est. Etsi enim illis mandata non fuit docendi provincia, Levitis tamen adiutores fuerunt additi, ut legis doctrinam assererent, nec paterentur ludibrio haberi. Scimus enim quanta sit plebis protervia ad repudiandos pios doctores, nisi eam compescant qui praesunt: et certe non implent suas partes, nisi in studio pietatis contineant homines

sibi subiectos, qui alioqui ad impietatem nimis essent proclives. Porro legem hoc loco vocat Moses, non decem verba designata in duabus tabulis, sed interpretationem quatuor libris comprehensam. Id autem factum est triginta novem annis postquam in monte Sinai loquutus fuerat Deus. Sequitur quod alibi exposui, ut in fine septennii lex recitetur. Verum quae ad huius loci intelligentiam faciunt, repetere non pigebit. Annus septimus electus est, quo licebat absque iactura rei domesticae, tam maribus quam feminis, confluere Ierosolymam, quia vacatio erat ab omni opere: non enim serebant, neque metebant, sed tota agrorum cultura cessabat. Nihil ergo negotii obstabat quominus diem illum festum celebrarent, in quo Deus ad vivum repraesentabat quam mirabiliter patres eorum servasset in deserto. Ne unquam efflueret tanti beneficii memoria, quotannis quidem ubicunque essent, lex iubebat ex suis domiciliis egredi, ut sub ramis arborum agerent per septem dies. Verum anno sabbathario quum omnibus domi esset otium, commodius erat undique Ierosolymam ascendere, ut in ipsa frequentia melius testatam facerent suam gratitudinem. Ideo additur: Quum venerit universus Israel. Ac notandum est, in illo coetu sanctius obstrictam fuisse fidem totius populi ad legem servandam, quia inter se ultro citroque testes erant alii contra alios, si desciscerent a foedere ita publice renovato. Hac ratione additur: Congregando viros et mulieres, et parvulos. Verum ne inane esset spectaculum, mandatur diserte legendum esse volumen in auribus eorum: qua loquutione exprimitur recitatio, ex qua auditores fructum percipiant. Alioqui fallax et ludicra fuisset ostentatio: sicuti in papatu dum pleno gutture scripturam lingua incognita reboant, nihil aliud quam profanant Dei nomen. Deus ergo in hunc finem resonare voluit legis suae doctrinam, ut sibi discipulos acquireret, non autem ut insipido clamore repleret aures sine profectu. Et certe quum sacrificos papales nonnihil puderet vulgus prorsus arcere ab auditione verbi Dei, excogitata fuit fatua ratio, ut apud surdos clamarent: quasi vero nugatoria hac pompa satisfiat Dei mandato, ubi iubet a minimo usque ad maximum omnes doceri: nam postea iterum exprimitur, ut audiant et discant. Unde statuimus perverti legitimum scripturae usum, ubi profertur obscurus sonitus quem nemo intelligat. Verum sicuti non alia Deo probatur scripturae lectio, nisi quae populum erudiat: ita fructus intelligentiae requiritur, ut Deum timere discant auditores. Porro dubium non est quin timor Dei fidem in se contineat, imo proprie ex ea nascitur. Sed hac voce significat Moses, ideo datam esse legem, ut ad pietatem, et verum Dei cultum formentur homines. Simul ex hoc quoque loco discendum est erraticos et adulterinos esse omnes cultus qui Deo absque scientia exhibentur. Sapientiae caput est Deum timere: atque in eo capite consentiunt omnes, sed deinde quisque ad sua figmenta delabitur, et vagas quas vocant devotiones. Atqui Deus ut fraenum iniiciat eiusmodi audaciae, pronunciat se non aliter rite coli quam ubi auditus fuerit. Peregrinos vero, ubi de sacrorum communicatione agitur, alibi admonui non vocari quoslibet advenas, sed qui ex profanis gentibus oriundi, Deo nomen dederant, et accepta circumcisione, asciti fuerant in ecclesiae corpus: alioqui fas non fuisset eos admittere in coetum fidelium: quod etiam confirmat adiectio, ubi dicuntur esse intra portas: quae tantundem valet ac si dixisset Moses, urbium incolas, et qui simul cum populo habitabant. Tandem sub filiorum nomine, de propagatione sanae doctrinae agitur, ut purus Dei cultus semper vigeat. Iubet ergo non una tantum aetate recitari legem, sed quoad durabit status populi. Et certe hanc curam suscipere decet omnes Dei cultores, ut ad posteros transmittant quod didicerunt. Sed notandum est, non promiscue commendari quamlibet doctrinam, quae a maioribus quasi per manus tradita fuerit: quin potius sibi uni vendicat Deus solidam autoritatem tam erga patres quam erga filios.

EX LEVIT. X.

8. *Loquutusque est etiam Iehova ad Aharon, dicendo:* 9. *Vinum et siceram non bibes tu et filii tui tecum, quando intrabitis in tabernaculum conventionis, ne moriamini: statutum perpetuum est in generationibus vestris.* 10. *Et ut discernatis inter sanctum et profanum, et inter immundum et mundum.* 11. *Et ut doceatis filios Israel omnia statuta quae loquutus est Iehova ad eos per manum Mosis.*

9. *Vinum et siceram.* Secunda mundities sacerdotum, ut abstineant a vino et sicera: qua voce dicit Hieronymus comprehendi quidquid inebriare potest: quod verum esse fateor: sed definitio certior est, notari omnes potiones a fructibus expressas, in quarum dulcedine eadem fere est illecebra quae in vino. Et hodie quoque orientales populi sibi tam ex dactylis palmarum quam ex aliis fructibus liquores conficiunt apprime suaves et delicatos. Eadem ergo hic sacerdotibus, dum vices suas peragerent, regula praescribitur quae Nazaraeis. Liberaliter optimis quibusque cibis vesci permissum utrisque fuit, aqua contentos esse iussit Deus, quia potus restrictior maxime ad frugalem vitam conducit. Pauci enim intemperantes sunt in cibo, qui non iidem vinum appetant, deinde cibi saturitas

ingluviem utcunque sedat: potandi nullus est modus ubi regnat vini cupiditas. Ergo vini abstinentia iniuncta fuit sacerdotibus, non modo ad ebrietatem cavendam, sed ad temperantiam victus, ne in sua copia luxuriarentur. Sed quia praecipua pars moderati victus est sobrietas, in ea potissimum continuit Deus suos sacerdotes: ne vigor mentis et iudicii rectitudo et integritas potu hebetaretur. Unde apparet quanta sit ad omnes corruptelas hominum propensio. Inter alimenta saluberrimum est vinum: atqui nimia eius ingurgitatione multi vires suas enervant, mentem suffocant, et fere obstupefaciunt omnes sensus ut iaceant ignavi. Alii etiam degenerant in foedam et belluinam socordiam, vel in furorem aguntur. Ita oblectatio quae ipsos ad gratias Deo agendas incitare debuerat, ob vitiosum excessum eripitur: non sine probro, quia Dei beneficiis moderate frui nesciunt. Confirmat postea Deus, se ideo vinum sacerdotibus interdicere, quum vicibus suis fungentur, ut discernant inter mundum et immundum, et sani sint ac sinceri legis interpretes. Hac quidem ratione tota vita decebat esse abstemios, quia magistri ad populum docendum semper fuerunt praefecti. Sed ne immodicus rigor taedium gigneret, ut minus essent ad alias officii partes voluntarii, satis habuit Deus illos temporali abstinentia monere, ut in reliquum tempus sobrietati studerent. Sic enim habendum est, nullos esse idoneos doctores qui crapulae dediti sunt, quae mentis sanitatem corrumpit, et obruit vigorem. Puerile quidem est illud cavillum Hieronymi: Pinguis venter non gignit sensum tenuem: quia multi reperiuntur succulenti homines vegeto et alacri ingenio, et macies saepe ex largiore potu contrahitur. Sed qui corpus saginant, nunquam animi agilitate pollebunt ad exsequendum docendi munus. Caeterum colligimus ex hoc loco quod dicit Malachias (2, 7), sacerdotes fuisse legis interpretes, et nuncios Dei exercituum, non autem mutas larvas. Tametsi enim scripta lex erat, voluit tamen Deus semper vivam vocem sonare in sua ecclesia, quemadmodum hodie scripturae coniuncta est praedicatio, quasi individuo nexu.

EX LEVIT. XXI.

7. *Mulierem meretricem aut profanam non accipient, neque mulierem repudiatam a viro suo accipient: quia sanctus est Deo suo.* 8. *Et sanctificabis eum, quia panem Dei tui offert, sanctus erit tibi, quia sanctus sum ego Iehova sanctificans vos.*

DE SUMMO SACERDOTE.
EX EODEM CAPITE.

13. *Ipse uxorem in virginitate sua accipiet.* 14. *Viduam et repudiatam, et profanam, et meretricem, illas non accipiet, sed virginem e populis suis accipiet uxorem.* 15. *Neque contaminabit semen suum in populis suis: quia ego Iehova sanctificans eum.*

EX EODEM CAPITE.

9. *Filia hominis sacerdotis si coeperit fornicari, patrem suum contaminat, igni comburetur.*

7. *Mulierem meretricem.* Tertia species puritatis est in ipso coniugio, ut casta sit sacerdotis domus, et immunis ab omni dedecore. Hodie quoque Deus per os Pauli iubet eligi pastores, qui bene praesint suis familiis, quibus pudicae sint uxores et modestae et liberi bene morati (1. Tim. 3, 2. Tit. 1, 6). Eadem valuit sub lege ratio: ne ob probra domestica viles et abiecti essent praefecti ecclesiae. Sed maxime respexit Deus ad Christi sacerdotium, ne expositum esset contemptui. Feminam a viro repudiatam ducere impune quidem licebat, sed coram Deo illicitum erat tale coniugium. Stupratam ducere privatos homines nulla ratio vetuit: sed quod vulgo permissum erat, in sacerdotibus damnavit Deus, ut eos eximeret ab omni infamiae nota. Et haec etiam causa exprimitur, ubi vult sanctos haberi sacerdotes, quia ipsos sibi delegerit. Nisi enim veneratus fuisset ipsos populus, contemptibilis tota religio fuisset. Ergo ut dignitas ipsis salva maneat, diligenter cavendum esse praecipit, ne se ad ignominiam prostituant. Porro quo melius commendet sacri officii reverentiam, admonet ad totius populi salutem spectare: Ego, inquit, sum Deus qui vos sanctifico. His autem verbis significat gratiam adoptionis, qua selecti erant in peculium, in sacerdotio fundatam esse.

13. *Ipse uxorem.* Plus a summo sacerdote exigitur, ne scilicet viduam ducat vel aliam quam ex tribu sua. Quanquam de posteriore membro posset moveri quaestio, an restringi debeat nomen plurale ad tribum unam, quum alibi de omnibus sumatur. Verum si propius expendimus: certum est populos tantundem valere ac populares. Hic vero nihil singulare a sacerdote exigetur, si tantum ex filiis Abrahae uxor sumenda sit. Fateor quidem sacerdotes primarii ordinis ex populo duxisse uxores sicuti Elizabeth ex tribu Iuda oriunda Zachariae nupsit. Sed quia hic ab aliis omnibus distinguitur summus sacerdos, nescio an conveniat legem de eo ferri,

vel privilegium, quod observet tota Aharon posteritas. Qua de re tamen non litigabo, si quis aliter sentiat. At certe quo magis in eo splendebat figura Christi, maior etiam et perfectior sanctitas conspici debebat. Huc autem spectabat adstrictio, ut uxor non alium virum experta, verecundiam loco illo et gradu sacri honoris dignam prae se ferret. Si quis obiiciat, absurdum, vel minus decorum fuisse vetuli sacerdotis coniugium cum puella, deinde multis incommodis subiectum: respondeo, leges speciales ita debere exponi, ne pugnent cum generalibus principiis. Si senex decrepitus iuvenculam appetat, turpis, et pudenda erit libido, deinde fraudabit quam ducet. Hinc tandem nascetur zelotypia, et misera anxietas, vel stultis ineptiis amorem uxoris fovendo, omnem gravitatis curam abiiciet. Hanc regulam, quae a natura et sensu dictatur, violari noluit Deus, quum sacerdoti non permisit nisi virginem ducere, sed habita aetatis ratione, pudorem et honestatem servari voluit in coniugio, ut si provectae aetatis esset sacerdos, virginem acciperet ab annis suis non nimium remotam: si autem caducus esset, ac iam propter senium minus idoneus coniugio, lex de virgine ducenda, exhortatio esset ad caelibatum potius quam ut se implicaret multis molestiis, et omnium ludibrio exponeret.

9. *Filia hominis sacerdotis.* Moderatio et castitas ad filiam quoque extenditur: ac per synecdochen sub una specie comprehenditur recta disciplina, ut ad virtutis studium et honestos pudicosque mores formati sint liberi. Edicitur autem gravis poena, si filia sacerdotis scortata fuerit, quia cum libidinis flagitio coniunctum erat sacrilegium. Porro non leve crimen est, sacrarium Dei violare. Iam si tale dedecus tolerasset sacerdos in filia, parum severus fuisset vindex eiusdem turpitudinis in extraneis, imo liber non fuisset ad punienda scelera, nisi a domo sua initium fecisset.

EX LEVIT. XXI.

16. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 17. *Loquere ad Aharon, dicendo: Vir e semine tuo per aetates suas, in quo fuerit macula, non accedet ut offerat panem Dei sui.* 18. *Quippe nullus vir in quo fuerit macula, accedet: vir caecus, vel claudus, aut diminutus, aut superfluus:* 19. *Aut vir in quo fuerit fractura pedis, vel fractura manus:* 20. *Aut gibbosus, aut lippus, aut qui habebit maculam in oculo suo, aut cui fuerit scabies vel impetigo, aut qui contritus fuerit testiculo.* 21. *Omnis vir in quo fuerit macula, e semine Aharon sacerdotis, non accedet ad offerendum oblationes ignitas Iehovae, in quo fuerit macula, non accedet ad offerendum panem Dei sui.* 22. *Panem quidem Dei sui e sanctitatibus sanctitatum et e sanctis comedet.* 23. *Atqui intra velum non ingredietur, et ad altare non accedet: quia macula est in eo, ne polluat sanctuaria mea: quoniam ego Iehova qui sanctifico vos.* 24. *Loquutus est itaque Moses ad Aharon et filios eius, et ad omnes filios Israel.*

17. *Loquere ad Aharon.* Hic arcentur ab altari sacerdotes in quibus vitium aliquod corporis fuerit notabile. Non inquiram subtilius de vitiis quae Moses commemorat, quoniam eadem hic regula traditur quae postea in sacrificiis, quae nulla offerre licuit nisi integra. Nam quidquid vitiosum erat vel mutilum, repudiavit Deus ut scirent Israelitae nullam expiandis peccatis victimam sufficere, nisi in qua exstaret summa perfectio: quae in sacerdote merito requiritur: qui mediator Dei et hominum esse non potuit, nisi ab omni labe exemptus. Porro tenenda est anagoge ab externis figuris ad spiritualem, quae in solo Christo fuit, perfectionem. Defectum nullum ferre potuit Deus in sacerdotibus. Sequitur ergo, exspectandum fuisse angelicae puritatis hominem, qui Deum mundo reconciliaret. Ita corporis vitia quae hic numerantur, ad animum transferre convenit. Oblatio panis per synecdochen reliquas complectitur, et totum legalem cultum, quo vicibus solebant defungi sacerdotes. Idque paulo post confirmant Mosis verba, ubi praeter panem omnes ignitas oblationes commemorat. Alibi vidimus prohiberi a sanctuarii accessu vulgares quoque homines, qui confractis essent testiculis, ne in atrium quidem pedem inferrent: sed specialis in sacerdotibus ratio fuit, ne sanctuarium suis vitiis inquinarent. Hinc apparet quam necessaria sit nobis Christi intercessio: quia nisi sordes nostras ablueret perfecta eius mundities: nulla oblatio a nobis prodiret nisi immunda et foetida. Imo notatu dignum est, quolibet defectu aut vitio pollui Dei sanctuarium. Unde sequitur, quidquid a se ipsis obtrudunt homines Deo, profanationis damnari: tantum abest ut Dei ipsius favorem ullo merito sibi concilient.

22. *Panem quidem Dei sui.* Permittit quidem sacrificiis vesci, quia propter illos naturae defectus nulla immunditiess eos a sacris epulis arceat. Tantum vetantur apparere coram Dei conspectu quasi mediatores ad eum placandum. Atque hic se prodit legalis cultus infirmitas: quia nihil reperiri potuit inter homines quod veritatem penitus exprimeret. Quum ergo hominum vitia res coniunctas, honorem et onus, dividere cogeret, hinc admoniti fuerunt Israelitae, alium sacerdotem sibi promitti, cui ad omnes virtutum et perfectionis numeros nihil deesset. Tandem recitat Moses se Dei mandata pertulisse, non modo ad Aharon et eius filios, sed ad totum simul populum: ut minimus quisque e plebe censor esse posset, si quid sacerdotes delinquerent.

EX LEVIT. XXII.

1. *Loquutus est insuper Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Loquere ad Aharon, et filios eius, ut separent sese a sanctificationibus filiorum Israel et ne polluant nomen sanctitatis meae in his quae ipsi sanctificant mihi: ego Iehova.* 3. *Dic illis, in generationibus vestris omnis vir qui accesserit ex omni semine vestro ad sanctificationes quas sanctificaverint filii Israel Iehovae, et immunditia sua fuerit super ipsum, excidetur anima ipsius a facie mea: ego Iehova.* 4. *Quicunque e semine Aharon fuerit leprosus, vel seminifluus, de sanctificationibus non comedet donec mundet se: et qui tetigerit immundum super morticinio, aut vir ex quo egreditur effusio seminis,* 5. *Aut vir qui tetigerit quodcunque reptile per quod immundus erit, aut hominem propter quem immundus erit, secundum omnem immunditiem eius:* 6. *Anima inquam quae tetigerit illum, immunda erit usque ad vesperam: et non comedet de sanctificationibus nisi laverit carnem suam aqua.* 7. *Quum autem occubuerit sol, tum erit mundus, et postea comedet de sanctificationibus: quia cibus eius est.* 8. *Cadaver et raptum non comedet, ut polluat se in eo: ego Iehova.* 9. *Et custodiant custodiam meam, et ne portent peccatum propter illud, et moriantur propter illud, quum polluerint illam: ego Iehova sanctificans eos.* 10. *Omnis autem alienigena non comedet sanctificationem: inquilinus sacerdotis, et mercenarius non comedet sanctificationem.* 11. *Quod si sacerdos emerit hominem emptione argenti sui: ipse comedet ex ea, et vernaculus eius: illi comedent de cibo eius.* 12. *Filia autem sacerdotis quum fuerit viro alieno: ipsa de oblatione sanctificationum non comedet.* 13. *Filia vero sacerdotis quum fuerit vidua, aut repudiata, et semen non erit ei, et reversa fuerit ad domum patris sui, sicut in pueritia sua, de cibo patris comèdet: omnis autem alienigena non comedet ex eo.* 14. *Quod si aliquis comederit sanctificationem per imprudentiam, addet quintam partem eius, et dabit sacerdoti cum sanctificatione.* 15. *Et non contaminabunt sanctificationes filiorum Israel, quas obtulerint Iehovae.* 16. *Neque portare facient eos iniquitatem delicti, dum comederint sanctificationes eorum: ego enim Iehova sanctificans eos.*

1. *Loquutus est insuper.* Hic de accidentibus disserit Moses, ex quibus vitium contrahitur, quamvis natura purus sit homo et integer. Qui defectu aliquo naturae laborarent, eos a munere sacerdotali prohibuit Mōses, nunc si quod extrinsecum vitium sacerdotem polluerit, cessare ab officio iubet, donec fuerit purgatus. Iussit antehac quoslibet immundos separari a populo, ne contagio alios inficeret. Videtur ergo supervacuum sacerdotibus praecipere quod aliis omnibus iniunctum fuit. Verum quia solent homines in aliquo honoris gradu locati, gratia Dei abuti ad peccandi licentiam, ne dignitas sacerdotalis ad fovenda vel excusanda flagitia integumentum foret, legem expressam ferre necesse fuit, ne privilegium obtenderent sacerdotes, ut immundi sacrificia comederent, quae mundis tantum licebat offerre. Et quo magis detestabile sit sacrilegium, mortem denunciat, si quis suas pollutiones sacris Dei miscuerit. Nam poenae metu expergefieri oportuit, et quasi violenter cogi ad officium, quibus nulla alioqui religio fuisset, contemptibilem Dei cultum reddere. Iam ipsas pollutionum species commemorat, de quibus ante diximus. Unde apparet sacerdotes hac lege cogi in ordinem, ne se magis solutos existiment quam reliquum vulgus, atque ita secure sibi indulgeant. Quod postea clarius exprimitur, dum admonet Deus ut custodiant custodiam suam, hoc est ut diligenter observent quidquid mandavit: et quo maiori eos honore dignatus est, eo maiore studio se contineant in exercitiis pietatis. Nam docet, adeo nihil facere ius sacerdotii ad culpam levandam, ut arctiore vinculo ipsos ad servandam legem constringat.

10. *Omnis alienigena.* Hoc quoque addere necesse fuit, ne vilesceret sacrorum maiestas. Nam si promiscue omnibus concessum fuisset sacro pane vesci et aliis oblationibus, statim duxisset populus nihil differre a vulgari cibo. Quod nisi obviam itum fuisset sacerdotum avaritiae, grassata fuisset foeda nundinatio, quia propositae fuissent venales epulae, et domus sacerdotis quasi forum cupediarium fuisset. Quod enim alienigenas vetat cibis in sacrificium oblatis vesci, non tam eorum fit respectu quam sacerdotum: qui alioqui ex rebus oblatis uberem quaestum facturi erant, vel suis hospitibus gratificando pessumdare non dubitassent verum Dei cultum. Ideo prohibet lex ne vel inquilinus, vel mercenarius comedat: vernaculis tantum, et qui in familiam insiti fuerint, comedere permittit. Quin etiam filias sacerdotum, quae in aliam tribum abnupserint, alienas censet. Huc tendit summa, ut quaecunque dependent ex cultu Dei suam reverentiam obtineant: quod fieri non potest, nisi quod in templo oblatum est discernatur a communi cibo. Quatenus erant ex numero mortalium licuit illis se ipsos communi more alere. Necessaria tamen fuit distinctio, quae Christi sanctitatem redoleret. Haec fuit sacerdotalis mundities quoad cibos.

14. *Quod si aliquis comederit.* Posset hic moveri quaestio, cur Deus sacerdotibus satisfieri iubeat, si quis rem oblatam comederit. Poena enim potius digni erant quam mercede, qui passi fuissent res sacras promiscuo usu in contemptum trahi. Sed hic eorum mulctatur error, qui legitimam partem sacerdoti non servassent. Portio, ut videbimus, divinitus erat attributa, quam seorsum reponere de-

cebat antequam ex victima aliquid gustarent. Eos ergo qui per incogitantiam lapsi fuerint, iubet Deus ad expiandum delictum, sacerdoti tantundem restituere, et addere quintam partem. Idque in eum quem diximus finem: ne si res Deo oblatae ad communem usum expositae fuissent, profanesceret religio. Quod postea sequitur: Et non contaminabunt sanctificationes, de ipsis sacerdotibus interpretor. Cohaeret enim haec sententia cum superioribus, ubi sermo ad solos sacerdotes directus fuit. Quod melius confirmat proximus versus, ubi pronunciat totum populum reum fore sacerdotum culpa, si sacras oblationes polluerint. Sic enim verba accipio: Ne populo imponant iniquitatem, vel poenam delicti, si immundi res Deo oblatas attigerint. Nam sicuti medius est pacificator sacerdos, ut Deum hominibus reconciliet: ita eius impietas piaculum est commune, quod alios omnes reatu obstringit. Quod nonnulli vertunt, ne se onerent, latius est ac prorsus contortum. Tandem iterum pronunciat Deus, pro magnitudine honoris, quo ipsos dignatus fuerat, gravius fore crimen et minus excusabile, nisi suae vocationi respondeant.

EX EXODI XX.

26. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne detegatur turpitudo tua iuxta illud.*

26. *Non ascendes.* Quum verecundiam sacerdotibus praeceperit Deus tota vita, et in privatis actionibus, nihil mirum si in sacris peragendis praecipuam honesti et decori curam requirat. Prius quidem sacerdotes voluit subligaculis vel femoralibus indui dum ingrediebantur sanctuarium, ad velandas partes pudendas: hoc tamen castitatis symbolo nondum contentus, vetat per gradus ascendere ad altare: ne forte subligacula ipsa appareant: quia tali conspectu dignitas sacrorum et religio minueretur. Modis ergo omnibus adducere Israelitas voluit, ut in cultu pietatis integerrime et castissime se gererent.

EX NUMER. VI.

22. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 23. *Alloquere Aharon et filios eius, dicendo: Sic benedicetis filiis Israel, dicendo eis:* 24. *Benedicat tibi Iehova, et custodiat te:* 25. *Lucere faciat Iehova faciem suam super te, et misereatur tui:* 26. *Attollat Iehova faciem suam ad te, et constituat tibi pacem.* 27. *Et ponent nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.*

22. *Et loquutus est Iehova.* Hic pars officii sacerdotalis breviter exponitur, cuius passim in lege fit mentio. Dicit enim Deus se creasse sacerdotes, qui populo benedicant. Et huc videtur alludere David his verbis: Benedicimus vobis e domo Iehovae (Psal. 118, 26). Quae doctrina apprime utilis est: ut certo statuant fideles: Deum sibi esse propitium, dum testes ac praecones ordinat paterni sui erga eos favoris. Benedicendi verbum saepe capitur pro bene precari, quod officium piis omnibus commune est. Sed hic ritus (ut paulo post videbimus) efficax fuit testimonium gratiae Dei: ac si benedictionis mandatum ex eius ore perferrent sacerdotes. Hoc autem vere in Christo fuisse impletum ostendit Lucas (24, 50), quum narrat ipsum manus sustulisse pro solenni legis ritu, ut discipulis benediceret. Ergo his verbis data fuit sacerdotibus legatio Dei cum populo reconciliandi: idque in Christi persona, qui solus gratiae Dei et benedictionis idoneus est sponsor. Quatenus ergo tunc gerebant typum Christi, iussi sunt populo benedicere. Sed notatu dignum est quod iubentur clare proferre benedictionis formam, non autem obscuro susurro vota concipere. Unde colligimus praedicatam fuisse gratiam quam populus fide apprehenderet.

24. *Benedicat tibi.* Benedicere Dei actualis est liberalitas, quia ex eius favore, tanquam ex fonte unico, nobis fluit bonorum omnium copia. Additur secundo ut populum custodiat: qua particula significat unicum se ecclesiae defensorem, et qui eam praesidio suo tuetur. Sed quia praecipua gratiae Dei utilitas est in ipso sensu, sequitur ut illustret faciem suam. Nihil enim ad summam felicitatis optabilius quam serenum Dei vultum conspicere: sicuti in Psalmo (4, 7) dicitur: Multi dicunt: Quis ostendet nobis bonum? Leva super nos lumen vultus tui Domine. Sic igitur hanc particulam interpretor, ut sentiat ac gustet populus dulcedinem bonitatis Dei, quae ipsum exhilaret, non secus ac solis splendor, dum mundum irradiat sereno coelo. Sed continuo post ad primam causam revocatur populus, nempe gratuitam Dei misericordiam, quae sola eum nobis conciliat, qui alioqui merito nostro exosi sumus ac detestabiles. Quod postea sequitur: Attollat faciem suam ad te, ex communi scripturae more positum est: ut Deus populi sui recordetur. Non quod in eum cadat oblivio: sed quia putamus curam nostri abiecisse, nisi re ipsa probet se de salute nostra esse sollicitum. Tandem subiicitur, Ut stabiliat populo suo pacem: quod alii paulo apertius vertunt, Ponat te in pacem. Caeterum quum hoc nomen non modo quietem et tranquillum statum: sed omnes prosperos successus significet, libenter

hunc posteriorem sensum amplector: quamvis non displiceat etiam propria significatio.

27. *Et ponent nomen meum.* Recte quidem vertit Hieronymus: Invocabunt nomen: sed quia emphatica est hebraica loquutio, eam retinere malui. Nam Deus nomen suum apud sacerdotes deponit, ut in medium quotidie proferant tanquam benevolentiae, et quae inde oritur salutis, pignus. Nam promissio quae tandem subiicitur, confirmat non inanem vel irritam fuisse hanc caeremoniam, ubi se populo re ipsa benedicturum affirmat. Atque hinc colligimus, quidquid peragunt ecclesiae ministri ex Dei mandato, vero et solido effectu ipsum sancire: quia nihil per ministros pronunciat quod non praestet atque impleat spiritus sui virtute. Sed notandum est ita benedicendi munus ad sacerdotes transferre, ut ius illis suum non resignet: quia postquam ministerium illis mandavit, sibi uni ipsam rei exhibitionem vendicat.

EX NUMER. XXXV.

1. *Et loquutus est Iehova in campestribus Moab iuxta Iordanem Iericho, dicendo:* 2. *Praecipe filiis Israel ut dent Levitis de haereditate possessionis suae urbes ad habitandum, et suburbana urbium ipsarum, per circuitus earum dabitis ipsis Levitis.* 3. *Eruntque urbes illis ad habitandum: suburbana vero earum erunt animalibus eorum: et substantiae eorum, et omnibus bestiis eorum.* 4. *Et surburbana urbium earum quas dabitis Levitis, a pariete urbis, et forinsecus, mille cubitorum erunt per circuitum.* 5. *Praeterea metiemini extra urbem a plaga orientali duo millia cubitorum, et a plaga meridiana duo millia cubitorum, et a plaga occidentali duo millia cubitorum, et a plaga aquilonari duo millia cubitorum: et urbs ipsa erit in medio: ista mensura erit eis suburbanorum urbium.* 6. *De urbibus autem quas dabitis Levitis, erunt sex urbes refugii, quas dabitis ut fugiat illuc homicida: et praeter illas dabitis quadraginta duas urbes.* 7. *Omnes urbes quas dabitis Levitis, erunt quadraginta octo urbes, ipsas et suburbana earum dabitis:* 8. *Et urbes quas dabitis de possessione filiorum Israel, ab eo qui plures habuerit, plures accipietis: et ab eo qui pauciores, pauciores capietis: singuli pro quantitate possessionis suae quam possederint, dabunt ex urbibus suis Levitis.*

1. *Et loquutus est Iehova.* Quamvis nulla esset haereditas tribui Levi, locum tamen habitationis assignari oportuit. Fundus agrorum Levitis datus non est ubi sererent aut meterent: sed compensationis loco fuerunt decimae iusta portio victus, subductis etiam decimis quae solebant erogari in pauperes. Nunc autem illis quoad domicilium prospicitur: ubi diligenter observandum est, sic per totam terram distribui, ut sint quasi dispositi custodes ad conservandum Dei cultum, ne qua obrepat superstitio, vel populus in crassum Dei contemptum labatur. Scimus enim divinitus esse electos: non tantum ut caeremoniis darent operam, sed ut essent legis interpretes, ad fovendam in populo sinceram pietatem. Iam si omnes simul in una statione locati forent periculum erat, ne in tota terra statim legis doctrina in oblivionem veniret: atque ita reliquae tribus profanescerent. Quare hic enituit incomparabilis Dei bonitas, dum poena quasi in virtutis praemium, et ignominia in honorem conversa fuit. Haec enim dissipatio leviticae tribus praedicta fuerat a sancto patriarcha Iacob, ut posteri in ea terra dispersi essent, quam autor generis Levi detestabili caede, et scelerata perfidia polluerat. Eventu probavit Deus id oraculum a se profectum, non irritum excidisse. Interea quum merito in signum dedecoris huc et illuc relegandi essent Levitae, singulis terrae partibus fuerunt praefecti, ut alias tribus retinerent sub legis iugo. Iam admirabili Dei providentia potius locati sunt in propriis et certis sedibus, quam data libertas ut promiscue reliquo populo se miscerent. Urbes enim quas illis Deus attribuit, totidem fuerunt scholae, ubi se melius et liberius exercerent in lege discenda: seque formarent ad obeundum docendi munus. Nam si passim habitassent cum vulgo, proclive erat tum multa vitia contrahere, tum negligere studium legis. At quum in certas classes essent collecti, talis coniunctio eos admonuit a plebe esse disiunctos, ut se penitus Deo addicerent. Adde quod eorum urbes fuerunt quasi lucernae quae ad extremos usque angulos fulgerent. Erant ergo tanquam claustris muniti, ne tam facile ad eos penetrarent vulgares corruptelae. Ipsa quoque sodalitas stimulare eos debuit, ut alii alios mutuo ad continentiam, mores honestos, et pudicos, temperantiam aliasque virtutes Dei servis dignas hortarentur: quod si ad licentiam diffluerent, minus excusabiles fuissent. Ergo eorum urbes quasi speculae fuerunt, in quibus excubias agerent, ad impietatem e finibus sanctae terrae arcendam. Illinc diffusa fuit lux coelestis doctrinae, illinc sparsum vitae semen, illinc petenda fuerunt sanctae et omnis integritatis exempla.

4. *Et suburbana urbium earum.* Hic apparet varietas ex qua oritur quaestio. Primo enim definit Moses suburbia mille cubitis ab urbe, versus quemque terminum, postea videtur extendere ad duo millia. Quidam hunc nodum ita expediunt, loca urbi magis vicina, tuguriis et hortis fuisse destinata. Mille autem cubitis vacuum fuisse spatium armentis vel gregibus pascendis: quod videntur finxisse tantum ut subterfugio eluderent obiectionem repugnantiae. Ego vero potius existimo, postquam mille undique

cubitis eos circumscripsit Moses, nunc modum ostendere dimensionis, quo lites omnes dirimat, quae moveri poterant a finitimis. Certe quum idem bis repetat, posterior versus tantum prioris explicatio est. Absurdum itaque esset, postquam mille cubitos posuit, statim duplicare numerum. Optime vero conveniet, dimensionem hanc sumi per circuitum. Nam si ducas circulum, et a centro lineam trahas ad circumferentiam, totius circumferentiae ad lineam illam decupla erit portio vel circiter: nunc si compares quartam partem lineae circularis cum recta illa linea quae ad centrum tendit, sesquialtera parte erit maior. Quod si urbi relinquas mille cubitos, bis mille cubiti in quaternis partibus circumferentiae, respondebunt mille cubitis ab urbe ad singulos terminos versus. Deinde, pro aequitatis regula praescribitur, ut minor vel maior numerus urbium sumatur secundum amplitudinem ditionis cuiusque tribus. Nam sicuti in censu ac tributo spectatur cuiusque facultas, ita rectum fuit tribus singulas ex sua copia aequabili modo conferre. Quod ad urbes refugii, pluribus nunc exponere supersedeo qualis earum conditio fuerit, quia pertinet ea res ad sextum praeceptum: solum observemus, miseros exsules fidei Levitarum commissos esse, quo sanctior esset custodia. Deinde probabile fuit, qui sacrorum erant antistites, eos fore probos iudices ac sinceros: ut non ambitiose nec leviter quosvis admitterent, sed causa bene perspecta, tantum insontes tuerentur.

EX NUMER. XVIII.

1. *Et dixit Iehova ad Aharon: Tu et filii tui, et domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarii: tu quoque et filii tui tecum portabitis iniquitatem sacerdotii vestri.* 2. *Et etiam fratres tuos, tribum Levi, tribum patris tui, accedere fac ad te, et adhaereant tibi, ministrentque tibi: tu autem et filii tui tecum stabitis coram tabernaculo testimonii.* 3. *Et custodient custodiam tuam, et custodiam totius tabernaculi: verumtamen ad vasa sanctitatis, et ad altare non accedent, ne moriantur tam ipsi quam vos.* 4. *Et adhaerebunt tibi, et custodient custodiam tabernaculi conventionis ad omnem cultum tabernaculi: externus autem non accedet ad vos.* 5. *Custodietis igitur custodiam sanctuarii, ne sit posthac indignatio contra filios Israel.* 6. *Ego enim ecce, sumpsi fratres vestros Levitas e medio filiorum Israel vobis donum datos, Iehovae ut ministrent in cultu tabernaculi conventionis.* 7. *Tu autem et filii tui tecum custodietis sacerdotium vestrum in omni ratione altaris, et intra velum exsequemini ministerium: munus dedi sacerdotii vobis, itaque extraneus qui accedet morietur.*

EX EODEM CAPITE.

22. *Neque accedent posthac filii Israel ad tabernaculum conventionis, ut portent iniquitatem ad moriendum.* 23. *Sed ipsi Levitae facient opus tabernaculi conventionis, et ipsi portabunt iniquitatem suam statuto perpetuo per generationes vestras.*

1. *Et dixit Iehova ad Aharon, Tu et filii.* Hac obtestatione Deus sacerdotes stimulat, ut summa fide et studio in officium incumbant. Pronunciat enim, si quid secus admissum fuerit quam religio postulet, ipsos fore reos. Dicuntur enim iniquitatem sanctuarii portare qui culpam et poenam pollutionum omnium sustinent. Sanctuarium ab omni macula et vitio purum servari volebat Deus, sacerdotii quoque dignitas caste et pure retinenda erat. Onus ergo grave impositum fuit sacerdotibus, quum ea lege praefecti sunt sacrorum custodes, ut si quid perperam actum esset, poenae essent obnoxii, quia residebat in ipsis culpa: perinde ac si Deus vel solam negligentiam sacrilegii instar fore diceret. Ita minime invidiosus esse debuit honor cum tanta difficultate et periculo coniunctus. Caeterum hoc modo admonuit Deus, ritus legales non levis momenti esse, quum tam severus esset omnium profanationum ultor. Hinc enim colligi facile potuit, aliquid longe excellentius, et omnino coeleste in illis terrenis elementis quaerendum esse. Hoc etiam per anagogen tecte transfertur ad omnes pastores: quibus crimen merito imputatur, si vitiata fuerit religio, et cultus Dei sanctitas, si puritas doctrinae fuerit corrupta, si eversa populi salus: quorum omnium cura illis iniuncta est.

2. *Et etiam fratres tuos.* Hic suas Levitis partes attribuit, ut ministrent ipsi quoque, sed quasi sub manu sacerdotum: nempe ut eorum praeceptis regantur. Ita autoritas penes sacerdotes erat, Levitae autem illis operam suam praestabant. Hac ratione prohibentur ab accessu altaris, et sanctuarii maioris ingressu: denique inferior illis gradus assignatur, et medius inter sacerdotes et populum. Ex quo discebant omnes quam reverenter colenda esset Dei maiestas. Etsi enim totum populum adoptaverat Deus, adeo tamen fas non erat quibuslibet e vulgo ad altare penetrare, ut inde lex arceret Levitas, qui tamen peculiares erant Dei ministri. Porro in hac figura perspicimus quam necessarius sit nobis mediator, qui nobis gratiam apud Deum conciliet. Nam si sancto et electo Abrahae semini ad umbratile sacrarium accedere non licuit, quomodo nos, qui extranei eramus, hodie penetraremus in coelum, nisi accessus per Christum nobis patefieret? Caeterum quum vetat externos sacris se miscere, non alienigenas modo intelligit, sed omnes e populo, excepta tribu Levi. Hic enim distinctio ponitur

non inter ecclesiam et profanas gentes, sed inter ministros sanctuarii, et reliquum vulgus.

3. *Et custodient custodiam tuam.* Iterum hortatur sacerdotes, ut strenui sint ad munus exsequendum, addita poenae denunciatione nisi studium et diligentiam adhibuerint. Nec tantum ipsis nunc minatur, sed toti populo: quod tamen cum superiore sententia non pugnat, quia minime ipsos levabat communis omnium culpa. Imo si de plebe innoxia poenam Deus sumebat ob sanctuarium pollutum, quanto gravior poena manebat ipsos antistites, quorum culpa malum admissum fuerat, ut iure deberent censeri criminis autores? Interea discamus ex hoc loco quam sincere nos gerere oporteat in Dei cultu, cuius profanatio ei intolerabilis est. Porro quo alacrius et maiori sedulitate se in officio exerceant sacerdotes, non posse per ignaviam cessare ostendit absque turpi ingratitudine: quoniam in tota tribu Levi quodammodo regnent, saltem primatum teneant inter fratres suos. Tacita etiam negligentiae exprobratio subest, nisi probe defuncti fuerint, ubi commemorat Deus se liberaliter illos ornasse sacerdotio. Donum, inquit, posui munus vestrum, hoc est, gratuito in vos contuli quod alioqui nullo iure vestrum erat. Alii secus legunt, nempe: Ministrationem doni posui sacerdotium vestrum: sed quia eodem recidit sensus, nec quidquam ad rem interest, libera sit optio.

22. *Neque accedent posthac.* Rursus inculcat quod ante dixit, delectos fuisse Levitas ad sacra curanda: quoniam Deus promiscue quoslibet noluit admittere: sicuti ante legem latam alii ex populo sacrificia offerebant. Sed interea graviter denunciat, ut sint attenti ad obeundum munus: quia si quid deliquerint, lethale futurum sit crimen. Sic enim accipitur quod dicit: Portabunt iniquitatem suam ad moriendum: sicuti et proximo versu reos fore dicit omnium pollutionum, quia si per incogitantiam vitiatus fuerit Dei cultus, illis imputabitur crimen.

EX NUMER. IV.

4. *Istud erit opus filiorum Cehath in tabernaculo conventionis sancti sanctorum.* 5. *Veniet autem Aharon et filii eius quando transferenda erunt castra, et deponent velum tentorii, et operient illo arcam testimonii.* 6. *Ponentque super illam operimentum pellis taxeae, et expandent pannum totum hyacinthinum desuper, et imponent vectes eius.* 7. *Et super mensam panum facierum expandent pannum hyacinthinum, ponentque super eum scutellas, et cochlearia, et crateras, et opercula operimenti: et panis ille iugis super eam erit.* 8. *Et expandent super illa pannum vermiculi coccinei, operientque illa opertorio pellis taxeae, postea imponent vectes eius.* 9. *Tollent praeterea pannum hyacinthinum, et operient candelabrum luminaris, et lucernas eius, et forcipes eius, et receptacula eius, et omnia vasa olei eius quibus ministrabunt ei.* 10. *Ponentque illud cum omnibus vasis eius in opertorio pellis taxeae, et ponent super vectes eius.* 11. *Super altare autem aureum expandent pannum hyacinthinum, et operient illum operimento pellis taxeae, ponentque vectes eius.* 12. *Tollent quoque omnia vasa ministerii quibus ministrabunt in sanctuario, et ponent in panno hyacinthino, operientque illa operimento pellis taxeae, et ponent super vectes.* 13. *Auferent et cinerem ab altari, et expandent super illud pannum purpureum.* 14. *Ponentque super illud omnia vasa eius quibus ministrant, receptacula, fuscinulas et scopas, et crateras, cuncta vasa altaris: et expandent super illud operimentum pellis taxeae, et imponent vectes eius.* 15. *Quum autem finem fecerit Aharon et filii eius operiendi sanctuarium, et omnia vasa sanctuarii, quando transferenda erunt castra, tum postea venient filii Cehath ut portent: ne contingant sanctuarium et moriantur: ista sunt onera filiorum Cehath in tabernaculo conventionis.* 16. *Praefectura autem Eleazar filii Aharon sacerdotis est oleum luminaris, et suffimentum aromaticum, et minha iugis, oleumque unctionis, atque praefectura totius tabernaculi, et omnium quae sunt in eo, in sanctuario et vasis eius:* 17. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen et Aharon, dicendo:* 18. *Ne excidatis tribum familiarum Cehath e medio Levitarum.* 19. *Sed hoc facite illis, tum vivent et non morientur: quando accesserint ad sanctitatem sanctitatum, Aharon et filii eius venient, et constituent illos, quemque super opus suum, et super onus suum.* 20. *Ne ingrediantur ut videant quando operient sanctitatem, et moriantur.*

EX EODEM CAPITE.

24. *Istud erit opus familiarum Gersonitarum ad ministrandum, et ad portandum.* 25. *Portabunt cortinas tabernaculi, et tabernaculum conventionis, operimentum eius, et operimentum pellis taxeae, quod super illud est, et aulaeum ostii tabernaculi conventionis.* 26. *Cortinas item atrii, et aulaeum ostii portae atrii, quod est iuxta tabernaculum, et iuxta altare per circuitum, et funes eorum, et omnia vasa operis eorum, et quaecunque facta sunt pro illis: et ita ministrabunt.* 27. *Secundum sermonem Aharon et filiorum eius erit universum ministerium filiorum Gersonitarum, iuxta omnia onera eorum, et iuxta omnem cultum eorum: et deponetis apud eos in custodiam universa onera ipsorum.* 28. *Istud erit ministerium familiarum filiorum Gersonitarum in tabernaculo conventionis:*

et custodia eorum erit per manum Ithamar filii Aharon sacerdotis.

EX EODEM CAPITE.

31. *Haec autem erit custodia oneris filiorum Merari, pro ministerio eorum in tabernaculo conventionis, tabulae tabernaculi, et vectes eius, et columnae eius, et bases eius.* 32. *Columnae item atrii per circuitum, et bases earum, et clavi earum, et funes earum, cum omnibus instrumentis earum, et omne ministerium earum, et per nomina numerabis vasa custodiae oneris eorum.* 33. *Hoc erit ministerium familiarum filiorum Merari, iuxta omne ministerium eorum in tabernaculo conventionis per manum Ithamar filii Aharon sacerdotis.*

4. *Istud erit opus filiorum Cehath.* Distribuit munera inter Levitas, primum ne promiscua sedulitas confusionem pariat, deinde ne ambitio singulos exstimulet, unde certamina et contentiones emergant. Scimus quam praepostere satagant homines, nisi certa illis ratio praescribatur, ne vaga festinatione excurrant. Iam dum, quisque cupit alios antevertere, exoritur perversa aemulatio, quae post in rixas ebullit. Ergo nisi obviam itum fuisset, tumultuati fuissent subinde Levitae in suo officio, et inter ipsos esset certatum. Prodit itaque in medium Deus, qui sua autoritate singulos contineat intra iustos fines, et stultas cupiditates compescat. Quod autem filiis Cehath attribuitur magis honorifica functio quam reliquis, ex gratuito Dei favore manat: atque ita in ordinem coacta fuit omnis superbia, ne quis suam dexteritatem, vel industriam, vel alias dotes iactaret. Filiis ergo Cehath mandatur custodia sancti sanctorum: non ut attrectent aliquam eius partem, sed tantum ut vasa a sacerdotibus recondita per iter gestent. Iubet enim Deus venire filios Aharon qui colligant sanctuarium, et velum, altare, aliaque sacra vasa suis operimentis diligenter tegant, antequam manus admoveant filii Cehath: nempe ut maior esset sacrorum veneratio apud populum. Deinde quum viderent aliae tribus Levitas quoque submoveri a sanctuarii contactu, suae indignitatis admonitae, magis humiliarentur. Ad haec sublata fuit invidiae materia, quum audirent reliqui Levitae filiis Cehath periculosum iniungi munus. Minatur enim Deus interitum, si quid vetitum attingant: demum sacerdotes filios Aharon admonet ne sua incuria fratres perdant: quia si quid discoopertum relinquerent, futuri erant illis causa exitii.

24. *Istud erit opus familiarum Gersonitarum.* Viles in speciem ac molestae fuerunt operae, quas tam filiis Gerson quam filiis Merari iniungit. Cortinas enim et tabernaculum cum suis operimentis ferre, tabulas item, et vectes, et columnas, durus fuit labor, nec minus servilis. Verum hinc discimus nihil in Dei cultu esse fastidiendum, sed alacriter obeundas esse quaslibet partes, quia nobis abunde sufficere debet, ubi nos eligere Deus sanctuarii sui ministros dignatus est, ne vel taedium, vel superbia nos in officio impediat.

EX LEVIT. XVII.

1. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Loquere ad Aharon, et ad filios eius, et ad omnes filios Israel, et dic illis: Hoc est verbum quod praecepit Iehova, dicendo:* 3. *Quicunque de domo Israel mactaverit bovem, aut agnum, aut capram in castris, aut qui mactaverit extra castra,* 4. *Et ad ostium tabernaculi conventionis non adduxerit eum, ut offerat oblationem Iehovae coram tabernaculo Iehovae: sanguis imputabitur viro illi: ipse sanguinem fudit, excideturque vir ille e medio populi sui.* 5. *Ut afferant filii Israel sacrificia sua quae mactaturi sunt in superficie agri: ut afferant inquam illa Iehovae ad ostium tabernaculi conventionis ad sacerdotem, et sacrificent illi sacrificia prosperitatum Iehovae.* 6. *Spargetque sacerdos sanguinem ad altare Iehovae, ad ostium tabernaculi conventionis, et adolebit adipem in odorem quietis Iehovae.* 7. *Et non sacrificabunt ultra sacrificia sua daemonibus cum quibus fornicantur: statutum perpetuum erit hoc illis in generationibus eorum.* 8. *Dices praeterea illis: Quicunque e domo Israel, aut de peregrinis qui peregrinantur in medio vestri, obtulerit holocaustum, aut sacrificium:* 9. *Et ad ostium tabernaculi conventionis non adduxerit illud Iehovae: tunc excidetur vir ille e populis suis.*

1. *Loquutus est Iehova.* Hoc loco et similibus praeficit Deus sacerdotes offerendis victimis. Quanquam enim communia totius populi erant sacrificia, voluit tamen Deus per manum unius, et certo in loco sibi offerri. Primum ne si passim altaria exstruere permitteret, hac varietate corrumperetur purus et genuinus cultus: deinde ut populum dirigeret ad mediatorem: quia principium illud fidelibus semper tenendum fuit, nullas nisi eius gratia oblationes esse legitimas. Eadem doctrina saepius posthac occurret, ubi de sacrificiis agetur: sed quia nunc tractamus munus sacerdotale, semel hoc dictum oportuit, fas non fuisse privatis hominibus quidquam offerre Deo, nisi per manum sacerdotis, cui iniunctum erat munus. Quoniam autem hac in parte mire animos hominum titillat ambitio, severe minatur si quis id aggressus fuerit, se fore vindicem.

Cur sanctuarium unum elegerit Deus, alibi dictum fuit: nunc pronunciat, nisi illuc adductae fuerint victimae, profanationem illam fore instar caedis, ac si homo esset occisus. Iubet ergo sisti omnes victimas coram altari, etiamsi procul absint qui eas vovent. Nam superficies agri locorum distantiam significat, ne quis excuset molestum sibi esse iter. Sacrificia prosperitatum diserte exprimit: quia illa erat species qua suam pietatem privati homines solebant testari. Sic ergo gratum sibi fore cultum pronunciat Deus, si interveniat sacerdos qui sacra pro iure iniuncti sibi muneris peragat. Tandem lex in omnes aetates sancitur, ne qua tentetur eius abrogatio. Inseritur tamen ratio, quae alibi clarius fuit exposita, locum unum ad quem conveniant praefigi: deinde sacerdotem praefici qui ritus in lege traditos observet, ut Deum unum pure colant, neque adventitiis superstitionibus polluant aut adulterent eius sacra. Diximus enim sanctuario alligatum fuisse populum veterem: ne pro hominum libidine flexibilis esset religio, et ne qua figmenta obreperent, a quibus facilis est ad idololatriam defectio. Mandatum ergo quod edidit, ut solus sacerdos bestias offerat, a summa utilitate commendat: quod scilicet hoc modo fraenum iniiciat populo, ne se prostituat daemonibus. Unde colligitur utilis doctrina, non aliter cohiberi posse homines ne ad idololatriam deflectant, quam si ex ore Dei petatur una et simplex pietatis regula.

8. *Dices praeterea illis.* Nunc extenditur lex ad peregrinos, non qui profani essent, sed qui ab aliis gentibus oriundi nomen purae religioni dederant. Nam si plus illis fuisset permissum quam genuinis Abrahae filiis, ex eorum more statim longius sparsa fuisset corruptela. Noluit igitur Deus sanctuarium suum ab exteris vitiari, ne eorum licentia ad totum populum serperet. Caeterum ex hoc secundo membro colligitur mactandi verbum quod alibi latius extenditur, ad sacrificia restringi: quandoquidem alibi vescendi libertas datur populo in omnibus urbibus et pagis, modo a sanguine abstineant. Tenendum igitur est non hic agi de promiscuo victu, sed tantum de victimis quarum oblatio separari non debuit a tabernaculo.

EX DEUT. XVII.

8. *Si quid latuerit te in iudicio inter sanguinem et sanguinem, inter causam et causam, et inter plagam et plagam, in rebus rixarum, intra portas tuas, tunc surges, et ascendes ad locum quem elegerit Iehova Deus tuus.* 9. *Et venies ad sacerdotes Levitas, et ad iudicem qui fuerit in diebus illis, et quaeres, et indicabunt tibi verbum iudicii.* 10. *Et facies iuxta verbum quod indicaverint tibi e loco illo quem elegerit Iehova, et observabis facere secundum omnia quae docuerint te.* 11. *Secundum legem quam docuerint te, et secundum iudicium quod dixerint tibi, facies: non declinabis a verbo quod indicaverint tibi, ad dextram, aut ad sinistram.*

8. *Si quid latuerit.* Hic sub una specie praecipuum sacerdotum munus describitur: nempe, ut in rebus ambiguis et obscuris respondeant ex lege Dei quid rectum sit. Etsi enim videtur Deus tantum politicas controversias attingere, non dubium tamen est quin per synecdochen eos constituat doctrinae legalis interpretes. Verum quo sanctior per omnia esset eorum autoritas, iubet populum in rebus quoque magis odiosis eorum iudicio acquiescere. Nam si eorum responso standum est ubi de vita hominis agitur, vel quaelibet lites sunt dirimendae, in Dei cultu et spirituali doctrina multo magis tollitur omnis exceptio. Quanquam enim non solos sacerdotes iudiciis hic praefici fateor, sed collegas illis adiungi ex reliquo populo: maxime tamen extollitur sacerdotii dignitas. Quod nonnulli per nomen iudicis summum pontificem intelligunt, facile refellitur, quia distincte enumerat Moses sacerdotes, Levitas, et iudicem. Probabile tamen est enallagen esse numeri in nomine iudicis: quia plures fuisse creatos apparet ex sacra historia: ubi narratur Iosaphat de Levitis et sacerdotibus, et principibus familiarum Israel legisse qui Ierosolymae praeessent iudiciis (2 Par. 19, 10). Noluit certe pius rex vel minimum deflectere a legis norma: et studium eius laudatur spiritus sancti elogio. Sic autem distributa fuit ratio, quemadmodum illic paulo post subiicitur, ut summus sacerdos primatum teneret in rebus divinis, praefectus autem regius civiles causas et negotia terrena curaret. Quo iterum confirmatur quod nuper attigi, sacerdotibus scilicet iniungi docendi munus, ut de quaestionibus dubiis responsa darent. Suffragantur et verba Iosaphat, ubi dicit: Omnem causam quae venerit ad vos inter sanguinem et sanguinem, inter legem et praeceptum, statuta et iudicia, admonebitis fratres vestros, ut non delinquant contra Iehovam. Certe sicut rerum capitalium cognitio proprie ad iudices aliarum tribuum spectabat, sic discretio in praeceptis et statutis, et totius legis interpretatio peculiaris fuit sacerdotibus. Nec dubium est quin ex hoc loco sumptum sit illud Malachiae (2, 7), Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requires ex ore eius: quia nuncius Dei exercituum est. Nunc, ut summam teneamus, sedem summi iudicii Deus locat, ubi erit sanctuarium. Etsi autem primo versu videtur promiscue tam sacerdotes quam iudices praeficere tantum definiendis terrenis litibus, quarto tamen postea versu satis demonstrat, sacerdotibus se alias partes man-

dare: nempe ut in sana et pura doctrina contineant populum, exponant quid rectum sit, denique sint ecclesiae doctores. Porro quod populus amplecti debuit quidquid pronunciaverant, ut nefas esset ad dextram vel ad sinistram declinare, non fuit hoc modo concessa illis tyrannica potestas: ut si pro libidine lucem vertissent in tenebras, pro oraculo habendum fuerit quod perverse definiverant. Eorum interpretatio absque provocatione rata esse debuit: sed vicissim illis praescripta fuit regula, ut tanquam ex ore Dei loquerentur. Ponitur quidem nomen תורה, quod tametsi doctrinam sonat, haud dubie tamen eam doctrinam significat quae in lege comprehensa est, imo tantundem valet ac nomen legis. Et huius rei fidelis est interpres Iosaphat, qui partes enumerat quibus passim scriptura docet legem Mosis contineri. Et quanquam פי metaphorice sumptum tantundem Hebraeis valet ac sermo, emphatice tamen hic exprimit genuinum responsum quod sumptum fuerit ex pura legis doctrina. Facere ergo iubentur filii Israel quod docuerint sacerdotes: sed quomodo? nempe secundum responsum ex lege sumptum. Nec vero dubium est quin Deus quos tanta dignitate pollere voluit, simul instruxerit spiritu intelligentiae et rectitudinis, ne quam perversam sententiam proferrent. Quod etiam continet promissio, Respondebunt tibi verbum iudicii: quia absurdum fuisset populum frustra et in suam perniciem Deo obedire. Nunc quia unicus nobis sacerdos praefectus est, ac idem magister, Christus, vae nobis nisi simpliciter nos subiicimus eius verbo, et ad obsequium, qua decet modestia et docilitate, sumus parati.

EX NUMER. V.

9. *Omnis oblatio sanctificationum in filiis Israel quam offerent sacerdoti erit ipsius.* 10. *Quod quisque sanctificaverit sacerdotis erit, et tradetur in manum eius.*

9. *Omnis oblatio.* Hactenus locos ubi de sacerdotum officio disserit Moses, collegi, et breviter exposui: nunc tractare incipiam de ipsorum iure, hoc est, quo ipsos honore dignatus fuerit Deus, ut eos haberet promptos et expeditos ad obsequium. Hic autem breviter perstringit Moses quae aliis locis copiosius explicat, ut mox videbimus: nempe sanctas omnes oblationes sacerdotibus addicit, quarum species postea recensebit. Porro huius legis tres fuerunt praecipuae rationes: ne quod Deo iam erat dicatum, promiscuo usu vilesceret. Nam, ut sacrificiis constaret sua dignitas, cibum sacrum a profano discernere oportuit. Deinde hoc modo cohibita fuit nimia in pompis ambitio. Nam si post caesas victimas tota caro ad dominos rediisset, vanis hominibus crevisset se ostentandi cupiditas. Certatim ad plausum captandum venissent divites: laute epulati, venale exposuissent quod erat residuum. Ita vano cultus Dei praetextu ad captandum favorem abusi essent. Tertia ratio fuit quae attingitur a Paulo (1. Cor. 9, 13), quia ministros altaris aequum fuit ex altari vivere. Etsi enim Dei servos mercede trahi turpe est, noluit tamen Deus sacerdotes, quum liberaliter operam suam in cultu sanctuarii impenderent, esurie premi, ne minueretur eorum alacritas. Nam si probe munus suum exsequi volebant, totos attendere necesse fuit ad res divinas, et curam rei domesticae abiicere. Si quis obiiciat haec fuisse avaritiae fomenta, et uberem opimumque quaestum sacerdotibus fuisse propositum, in promptu est solutio: quidquid illis cessit in partem, quum ad victum restringeretur, iustum modum non excessisse. Nihil enim vendere licuit, ac ne alienis quidem largiri, ut partim alibi visum fuit, partim mox repetet. Quare satis superque refellitur putida eorum improbitas qui Mosen suggillant, ac si populi spoliis sacerdotes ditasset. Nam si quibus voluit consulere, filii certe fuerunt omnibus praeferendi, quorum tamen nulla hic habetur ratio. Imo quidquid concedit sacerdotibus, filiis suis et eorum posteris aufert: ac si data opera commodis, alioqui non illicitis, eos privaret. Denique sola dignitas sacrorum spectata fuit, non autem lucrum sacerdotibus quaesitum.

EX NUMER. XVIII.

8. *Loquutus est Iehova ad Aharon, Ecce, ego dedi tibi custodiam oblationum mearum, omnes sanctificationes filiorum Israel dedi tibi propter unctionem, et filiis tuis in statutum perpetuum.* 9. *Hoc erit tuum ex sanctitate sanctitatum, residua ab igne: omnis oblatio eorum, sive minha eorum sit, sive oblatio pro peccato eorum, sive oblatio pro delicto eorum quam reddent mihi, sanctitas sanctitatum tibi erit et filiis tuis.* 10. *In sanctitate sanctitatum comedes eam, omnis masculus comedet eam: sanctitas erit tibi.* 11. *Hoc etiam tuum erit, levationem muneris eorum, omnes oblationes filiorum Israel tibi dedi et filiis tuis et filiabus tuis tecum in statutum perpetuum: omnis mundus in domo tua comedet eam.* 12. *Omnem pinguedinem olei, et omnem pinguedinem vini et frumenti, primitias eorum quas dabunt Iehovae, tibi dedi.* 13. *Primitiae omnium quae in terra eorum, quas afferent Iehovae, tuae erunt: omnis mundus in domo tua comedat eas.* 14. *Omne anathema in Israel tuum erit.* 15. *Quidquid aperit vulvam in omni carne quod offerent Iehovae,*

tam de hominibus quam de animalibus, tuum erit: sed redimendum dabis primogenitum hominis, primogenitum quoque animalis immundi redimendum dabis. 16. *Redemptiones autem eius a filio mensis redimendas dabis secundum aestimationem tuam, pecunia quinque siclorum, secundum siclum sanctuarii, qui viginti obolorum est.* 17. *Verumtamen primogenitum bovis, et primogenitum ovis, aut primogenitum caprae non dabis redimendum: sunt enim sanctificata: sanguinem eorum sparges ad altare, et adipem eorum adolebis: oblatio ignita in odorem quietis Iehovae.* 18. *Et caro eorum tua erit, ut pectus elevationis, et armus dexter, tua erit.* 19. *Omnes oblationes sanctificationum quas obtulerint filii Israel Iehovae, dedi tibi, et filiis tuis et filiabus tuis tecum in statutum perpetuum: pactum salis perpetuum est coram Iehova tibi et semini tuo tecum.*

EX LEVIT. VI.

16 [1]). *Quod superfuerit ex minha, comedent Aharon et filii eius: azymum comedetur in loco sancto, in atrio tabernaculi conventionis comedent illud.* 17. *Non coquetur fermentatum: portionem eorum dedi illud ex oblationibus meis ignitis: sanctitas sanctitatum est, sicut oblatio pro peccato, et sicut oblatio pro delicto.* 18. *Omnis masculus in filiis Aharon comedet illud, statutum perpetuum est aetatibus vestris de oblationibus ignitis Iehovae: qui tetigerit eas sanctificabitur.*

EX EODEM CAPITE.

26 [2]). *Sacerdos oblationem pro peccato comedet, in loco sancto comedetur, in atrio tabernaculi conventionis.* 27. *Qui tetigerit carnem eius sanctificabitur, et si defluxerit de sanguine eius super vestem, illud super quod defluxerit lavabis in loco sancto.* 28. *Et vas testaceum in quo coquetur, confringetur: quod si in vase aeneo cocta fuerit, defricabitur et lavabitur aqua.* 29. *Omnis masculus in sacerdotibus comedet illam: sanctitas sanctitatum est.*

Numeror. 18, 8. *Loquutus est Iehova ad Aharon.* Nunc fusius narrare pergit quod nuper attigerat de iure sacerdotum, quoad sacras oblationes. Tenenda est autem illa quam dixi comparatio inter sacerdotes praecipui ordinis et Levitas: quia dum singulari honore domus Aharon ornatur, reliquae familiae tribus Levi coguntur in ordinem. Ergo solis sacerdotibus attribuit Deus omnes oblationes, in quibus maior erat consecratio, quae dicitur sanctitas sanctitatum. Exceptio postea videbitur, nempe honoris causa depositum fuisse apud sacerdotes, unde partem erogarent Levitis, qui officium in cultu sanctuarii praestabant. Id honoris dicit se unctioni dare, ne hac occasione superbiant sacerdotes, vel se efferant. Gratuita enim Dei liberalitas, modestiae et humilitatis magistra nobis esse debet. Quo etiam argumento Paulus omnem perversam gloriationem corrigit ac domat: Quid gloriaris quasi non acceperis (1. Cor. 4, 7)? Porro non alio iure unctionem adepti erant filii Aharon, nisi quia Deo placuerat ipsos eligere. Id quidem indicat etiam donatio, sed hic expressius gratiam suam Deus commendat: quia alio consilio mentionem donationis fecit, nempe ne quis litem vel controversiam sacerdotibus moveret.

9. *Hoc erit tuum.* Species quasdam oblationum commemorat, quas cedere volebat in partem sacerdotum: nempe quod residuum manebat ex ignitis sacrificiis, deinde minha, tertio quod consecrabatur in victimis pro peccato et delicto. Quanquam particula quae sequitur: Quod reddet mihi, videtur restrictionis vice addita esse, ut tantum ea sacrificia designet quibus se a furto purgabant, quorum alibi fiet mentio. Nisi forte ita legere placeat: Ut sacrificiis pro peccato et delicto addatur hoc tertium, quo aliena restituebant, ne furti tenerentur. Postea adiungit dona voluntaria, quae vovebant filii Israel, et primitias tam olei quam vini et frumenti. Haec autem distinctio posita fuit, quo certius occurreret Deus aemulationi et invidiae: nam si qua fuisset ambiguitas, statim exortae essent multae lites, atque ita concidisset sacrorum religio. Simul tamen praecipit Deus sacerdotibus, ut ignitis sacrificiis vescantur soli masculi, nec alibi quam in sanctuario. Periculum enim erat (ut ante diximus) ne vilesceret earum oblationum dignitas si in privatam domum translatae essent et cibis communibus permixtae: deinde noluit Deus indulgere sacerdotum lautitiis, sed ipso sanctuarii conspectu eos induxit ad frugalem et sobrium esum. Erat enim haec quasi disciplina militaris ad colendam abstinentiam, ab uxore et familia discedere ut cibum caperent. Quidquid autem pro voto oblatum erat, et primitiis frugum, comedi permittit etiam a mulieribus, et intra privatos parietes: modo ne quispiam immundus attingat quod semel fuerit sacrum.

15. *Quidquid aperit vulvam.* Idem nunc de primogenitis statuitur, ut ea scilicet sibi habeant sacerdotes: quanquam simul inseritur distinctio: ut foetus primogeniti hominum redimantur. Quod attinet ad immunda animalia, liberum erat dominis ea redimere vel occidere. Verum quia ea res nunc ex professo non tractatur, breviter tantum pronun-

1) Hebr. 9—11.
2) Hebr. 19—22.

ciat Deus se addicere sacerdotibus quidquid utilitatis ex primogenitis obveniet. Quod iubet redimi primogenitos secundum aestimationem sacerdotum, non intelligit quam sacerdotes ipsi praescriberent, ac si penes eos esset autoritas: sed eorum aestimatio intelligitur, cui adstricti erant ex Dei mandato, sicut alibi visum fuit: idque elicere promptum est ex contextu, quia mox adiungitur pretium, quod Deus ipse imposuerat. De primogenitis mundorum animalium lex diversa fertur: nempe, ut mactentur ad altare, et adeps exuratur, caro autem sit sacerdotum, sicuti pectus et armus dexter in sacrificiis ignitis. Porro ne quis ex Levitis, aut ex vulgo (ut homines rerum novarum cupidi sunt) decretum hoc violare tentet, omnis in posterum controversia tollitur, ubi pronunciat Deus, quod dedit sacerdotibus se nolle unquam illis eripi. Primo utitur nomine edicti vel decreti, quod alii statutum vertunt: deinde adiungit pacti nomen quo sanctior sit observatio et contentionibus ac iurgiis minus obnoxia: quoniam nihil minus decebat quam sacerdotes de iure suo et privilegiis litigare. Se ergo violatum iri Deus significat, si quis molestiam exhibeat sacerdotibus. Metaphorice vero per nomen salis designatur perpetuitas: ubi tamen videtur alludere Deus ad sacrificia quae fas non erat offerre, nisi sale condita: ut scirent Israelitae, per res terrenas et corruptibiles, maius aliquid designari. Scimus enim carnes salitas non tam facile putrescere. Denique hac metaphora notatur inviolabilis firmitas.

16. *Quod superfuerit.* Repetit quod paulo ante vidimus, reliquias oblationum, quibus maior inest sanctitas, sacerdotum esse: sed ea lege, ut non alibi comedantur quam in sanctuario. De minha etiam speciale datur praeceptum, ne inde fiat panis fermentatus: nam hoc modo farina quae iam dicata erat Deo, transisset in vulgarem cibum, quod sine profanatione fieri non poterat. Quod ergo Deus sacerdotes quasi in convictum admittit, hoc privilegio non parum ornatur muneris dignitas: sic tamen, ne ex eorum licentia minuatur reverentia cultus Dei. Postea in genere confirmat Moses ius illud, quod ante illis attribuit, ut quod residuum erit ex ignitis sacrificiis sumant, modo a solis masculis, et in loco sacro comedatur: ut ipsa Dei praesentia non modo luxuriem et incontinentiam fraenet, sed ad sobrietatem eos formet Dei servis dignam: denique assuefaciat ad summam puritatem, dum reputant se ab aliis omnibus segregatos. In fine versus 18 alii vertunt in neutro genere: Quod tetigerit eas sanctificabitur: sed hoc loco videtur mihi praecipere Moses, ne alii quam sacerdotes minha attingant. Alibi de altari et vasis dictum fuit, unctionis suae virtute sanctificare quidquid illic reponitur. Verum nunc videmus arceri vulgus hominum a contactu sanctorum, ut sua his maneat religio. Scimus autem filios Aharon unctos fuisse in eum finem ut solis ipsis attingere liceret quidquid Deo consecratum erat. Ideo verbum futuri temporis vice imperativi sumitur, sic etiam paulo post ubi de victimis agitur: Qui tetigerit carnem eius sanctus sit, quia ius peculiare sacerdotibus statuit Moses, ut soli tractent sacrificia. Nec obstat quod continuo post additur: Si defluxerit sanguis in vestem, etc. Neque enim significat vestes aut alia quaelibet vasa consecrari solo tactu: sed argumentum est a minori ad maius, si vestem sanguine aspersam, vel ollas ubi cocta fuerit caro, extra tabernaculum efferre fas non est, nisi vestis abluta fuerit, ollae vero vel fractae, vel abstersae, multo magis cavendum est ne quis ex vulgo se ingerat. Quomodo enim sanctitati mortalis homo admovere audebit manus, quae ne in veste quidem sacerdotis sine piaculo haerere potest? Summa est, ne misceatur rebus profanis tanta sanctitas.

EX NUMER. V.

8. *Si non fuerit viro redhibitor cui restituat delictum, delictum restituetur Iehovae, sacerdotis erit, praeter arietem expiationum quo expiabit eum.*

8. *Si non fuerit viro.* Locus hic quem ex quinto capite inserui, pendet quidem ex alio contextu: sed quia proprie de iure sacerdotum agit, huc transferri necesse fuit: praesertim quum speciem illam sacrificii exprimat quam nuper attigit Moses, nempe ubi expiabant furti crimen. Nolebat quidem Deus aliorum damno sacerdotes ditari, neque fures liberabat si quod aliis abstulerant offerrent sacerdotibus. Verum si nemo erat cui possent restituere, volebat tamen domos ipsas omni noxa esse vacuas: et merito, quia improbissimus quisque bona hominis mortui, si orbus esset, rapere non dubitasset. Primo itaque iussit legitimis dominis restitui quod suum erat: deinde illis mortuis substituit in eorum vicem propinquos, qui vocantur גואלים ob ius redemptionis, quod Deus cognatis permisit in lege, ut alibi videbimus: et quia eius viduam qui nullum semen reliquerat, qui proximo gradu consanguineus erat iubebatur ducere. Rarissimum ergo fuit, ut qui alium fraudaverat, apud sacerdotem damnum pensaret: quia ut plurimum reperiebatur quispiam mortui successor.

EX LEVIT. VII.

6. *Omnis masculus in sacerdotibus comedet eam, in loco sancto comedetur, sanctificatio sanctificationum*

est. 7. *Sicut hostia pro peccato, sic hostia pro delicto, lex eadem illis: sacerdotis erit qui expiabit eum.* 8. *At sacerdos offerens hostiam holocausti alicuius, pellis holocausti quod obtulerit, sacerdotis ipsius erit.* 9. *Omnis praeterea minha quae coquetur in clibano, et omne praeparatum in sartagine et in craticula, erit sacerdotis offerentis illud.* 10. *Omnis item minha mista oleo et arida, omnibus filiis Aharon erit: erit unicuique sicut fratri suo.*

EX EODEM CAPITE.

14. *Panis sacerdotis spargentis sanguinem prosperitatum erit.*

EX EODEM CAPITE.

31. *Et erit pectusculum illud Aharoni et filiis eius.* 32. *Armum autem dextrum dabitis ad elevationem sacerdoti de sacrificiis prosperitatum vestrarum.* 33. *Qui offeret sanguinem prosperitatum, et adipem e filiis Aharonis, ipsius erit armus dexter in portionem.* 34. *Quia pectusculum agitationis, et armum elevationis tuli a filiis Israel de sacrificiis prosperitatum suarum, et dedi illa Aharoni sacerdoti, et filiis eius in statutum perpetuum a filiis Israel.* 35. *Haec est unctio Aharon, et unctio filiorum eius ex oblationibus ignitis Iehovae, a die qua accedere fecit eos ut sacerdotio fungerentur Iehovae:* 36. *Quas praecepit Iehova ut darent eis a die qua unxit eos a filiis Israel statuto perpetuo in generationibus suis.*

His locis partim confirmat Moses quod ante vidimus de iure sacerdotum, partim exceptionem addit quam nondum attigerat. In genere ergo sacerdotibus vendicat quidquid ex sanctioribus hostiis erat residuum. Atque haec praerogativa eos discernit ab aliis Levitis: unde colligimus quam purus fuerit ab omni ambitione Moses, dum ex mandato Dei filios suos spoliat, non tantum dignitate qua ornantur nepotes, sed etiam utilitatis proventu. Sacris oblationibus, inquit, non alii fruantur quam filii Aharon, quia divinitus unci sunt, ut accedant ad altare. Verum quia inter ipsos quoque aemulatio poterat oriri, legem specialem addit, ut certas oblationum species solus sacerdos percipiat qui eas obtulerit. Etsi autem liberaliter suo munere ipsos defungi oportuit, non autem lucro allici: quo tamen singuli alacrius partes suas obirent, mercedem labori et diligentiae statuit. Hac ratione praecipit ut reliquiae minha in sacrificiis prosperitatum, item armus dexter victimae, et caro residua ex hostiis pro delicto, cedant in praemium sacerdoti, qui munus expiandi et spargendi sanguinis obierit. Dubium quidem non est, multos quaestu fuisse allectos, qui alioqui officium neglexissent: verum id paternae indulgentiae fuit, eorum infirmitati concedere ut merces esset diligentiae stimulus. Interea noluit Deus servili modo conducere eorum operas, ut animo essent mercenarii: quin potius per prophetam (Mal. 1, 10) suum exprobrans nullos esse qui ignem gratis in altari accendant, amplificat eorum ingratitudinem, quod non modo gratuitam operam non impendant, sed accepta mercede ipsum fraudent, cui se addixerant ministros.

EX NUMER. XVIII.

20. *Dixit autem Iehova ad Aharon: De terra eorum haereditatem non habebis, nec portio erit tibi in medio eorum: ego portio tua, et haereditas tua in medio filiorum Israel.* 21. *Filiis autem Levi ecce dedi omnes decimas in Israele in haereditatem pro ministerio eorum quia ipsi exsequuntur ministerium tabernaculi conventionis.*

EX EODEM CAPITE.

23. *Et in medio filiorum Israel non possidebunt haereditatem.* 24. *Decimas enim filiorum Israel quas offerent Iehovae in elevationem, dedi Levitis in haereditatem: idcirco dixi de illis: In medio filiorum Israel non possidebunt haereditatem.*

EX LEVIT. XXVII.

30. *Omnes autem decimae terrae, sive de semine terrae, sive de fructu arborum, Iehovae sunt, sanctitas Iehovae.* 31. *Si vero redimendo redemerit vir aliquid de decimis suis, quintam eius partem addet ultra eam.* 32. *Et omnis decima boum et ovium, omnium nempe quae transeunt sub virga, decima inquam pars erit sanctitas Iehovae.* 33. *Non disquiret utrum bonum an malum, neque permutabit illud: quod si commutando commutaverit ipsum, erit tam hoc quam illud quod commutatum est, erit inquam sanctificatio, non redimetur.*

EX DEUT. XIV.

22. *Decimando decimabis omnem proventum seminis tui, quod egressum fuerit ex agro annuatim.*

EX EODEM CAPITE.

27. *Levitam autem qui intra portas tuas habitaverit non derelinques: quia non est ei pars et haereditas tecum.* 28. *Tertio autem anno proferes omnes decimas proventus tui anno ipso, et repones intra portas tuas.* 29. *Venietque Levita (quia non est ei portio et haereditas tecum), et peregrinus, et pupillus, atque vidua, qui sunt intra portas: et comedent, et saturabuntur, ut benedicat tibi Iehova Deus tuus in omni opere manus tuae, quod feceris.*

EX DEUT. XII.

19. *Cave autem tibi ne derelinquas Levitam omnibus diebus tuis super terram tuam.*

EX DEUT. XXVI.

12. *Postquam compleveris decimare omnes decimas fructuum tuorum anno tertio, anno decimae, et dederis Levitae, peregrino, pupillo, et viduae, et comederint intra portas tuas, et saturati fuerint.* 13. *Tunc dices coram Iehova Deo tuo: Subduxi sanctificatum e domo, et etiam dedi illud Levitae, et peregrino, pupillo et viduae, secundum omne praeceptum tuum quod praecepisti mihi: non transgressus sum a praeceptis tuis, neque oblitus sum.* 14. *Non comedi in tristitia mea ex eo, neque subduxi ex eo in pollutione, neque dedi quidquam ex eo in funere: obedivi voci Iehovae Dei mei: feci secundum omnia quae praecepisti mihi.* 15. *Respice de habitaculo sanctitatis tuae, e coelo, et benedic populo tuo Israeli, et terrae quam dedisti nobis, quemadmodum iuravisti patribus nostris, terrae fluenti lacte et melle.*

Num. 18, 20. *Dixit autem Iehova ad Aharon.* Hic tantum in genere de solvendis decimis agitur, quae Levitis omnibus erant communes. Paulo post videbimus Levitas inde sacerdotibus alteras decimas ex Dei mandato dedisse, addetur et tertia species earum decimarum quae nonnisi tertio quoque anno offerebantur. Quod ad praesentem locum spectat, exigit Deus a populo decimas ad alendum tribum Levi. Certum quidem est, morem olim receptum fuisse sanctis patribus ante legem, ut Deo voverent vel offerrent decimas: sicuti patet ex Abrahae et Iacob exemplo (Gen. 14, 20 et 28, 22). Quinetiam apostolus sacerdotium Melchisedech legali praestantius fuisse colligit, quia dum ei decimas obtulit Abraham decimaverit ipsum Levi (Hebr. 7, 11). Verum huius decimationis, de qua praecepit Deus per Mosen, diversa fuit ac specialis ratio, eaque duplex. Primo quum semini Abrahae promissa fuisset terra, legitimi erant successores ex duodecima parte Levitae. Atqui illis praeteritis, posteritas Ioseph in duas tribus divisa fuit. Nisi ergo aliunde ipsis prospectum esset, iniqua erat distributio. Deinde quum operam impenderent sanctuario, aliqua mercede dignus fuit eorum labor: nec rationi consentaneum fuit, quando sacris peragendis, et docendo populo addicti erant, victu fraudari. Duae itaque ponuntur rationes cur decimas a reliquo populo ipsos accipere Deus velit: quoniam nulla illis pars erat in Israele, et quia ministerio tabernaculi vacabant. Porro Deus decimas sibi tanquam rex suo iure vendicans, eas resignat Levitis, et eos quasi vicarios substituit. Quo pertinent haec verba: Haereditas tua est Deus ipse. Quisnam earum fuerit usus, postea videbitur suo loco. Nunc tenere sufficiat hoc modo pensatum fuisse quod illis abstulerat Deus, duodecimam partem transferendo ad filios Ioseph, et quoniam a cura rei domesticae abstrahebantur, ut totius populi nomine ad sacra liberiores et magis intenti forent, proventum quo alerentur, illis fuisse datum. Quare insipido commento decimas sibi arrogant papales sacrifici, quasi sacerdotali iure debitas. Alioqui enim probent necesse est, quos appellant laicos sibi colonos esse, ac si ex parte duodecima fundorum omnium essent domini. Deinde sacrilegium esset decimas facere suas, alios agros possidere, ex quibus proventum colligant. Nec eos iuvat illud apostoli (Hebr. 7, 12), quod non minus improbe quam inscite obtendunt, translato sacerdotio ius simul esse translatum. Contendit illic apostolus, nunc in solum Christum competere quidquid lex contulerat sacerdotibus Levitis: quorum dignitas et munus in ipso finem accepit. Nebulones isti honorem Christo proprium, perinde atque eo spoliato, ad se rapiunt. Si rite officio fungerentur, atque omissis terrenis negotiis, totos se dicarent ad studium docendi populi, et alias bonorum et fidelium pastorum partes exsequendas, haud dubie alendi essent ex publico: sicuti Paulus recte colligit (1. Cor. 9, 14), hodie non minus deberi victum evangelii ministris, quam olim sacerdotibus qui ad altare ministrabant. Sed perperam hoc praetextu manus iniiciunt decimis, ac si earum essent domini. Maiori deinde impudentia latifundia et alios proventus accumulant. Probabile est, quum initio Imperatores romani Christo nomen

dederunt, sive recto iudicio adducti, sive illecti superstitione fuerint, vel pia sollicitudine tacti, ne ecclesia ministris destitueretur, erogasse decimas ad clerum alendum. Nam libera adhuc civitate, a populis tributariis eas exigere solebat populus. Hoc quoque regibus fuit usitatum. Siculi enim antequam illic dominarentur Romani, decimas solvebant. Adde quod si carior erat in urbe annona, alteras decimas imperabat senatus provinciis. Imo vetustissimum fuisse morem ut reges decimarent, colligitur ex 1 lib. Samuelis (8, 15): quare nihil mirum si exemplum illud imitati sunt Romani. Unde colligere licet, quum vellent Imperatores pastoribus alimenta conferre ex publico, decimas potius elegisse quam alios reditus, ut Deum imitarentur. Et sane adhuc eius rei manent quaedam vestigia. Neque enim ubique sacerdotum sunt decimae. Et satis notum est, bonam partem vorari a monachis et abbatibus, qui tamen olim non censebantur inter clericos. Omitto quod agri quidam immunes sunt a decimis. Sed eas a laicis occupari quomodo passus fuisset papa, si iure divino (ut insulse garriunt) sacra fuisset cleri haereditas? Caeterum quia inter publica vectigalia et tributa numerandae sunt decimae, eas solvere ne recusent privati homines, nisi politicum ordinem et regnorum statum labefactare velint: pii autem principes curam suscipiant abusus corrigendi, ne reditus publicos ecclesiae dicatos ingurgitent ignavi ventres.

20. *Ego portio tua.* Quid sibi velit haec particula, nuper docui: nempe quia ab haereditate communi exclusi erant Levitae, Deum hanc iacturam pensare de suo, ac si ex eius manu acciperent: quasi diceret, sibi satis largam copiam suppetere, qua ipsos muneretur. Interea iubentur uno ipso esse contenti. Nec dubium est quin ad hunc locum alludat David, ubi exclamat, Deus portio mea et haereditas mea: sors mihi praeclare cecidit (Psal. 16, 5). Significat enim non modo Deum sibi pluris esse quam omnes terrenas opes, sed prae ipso sordere quidquid alii praeclarum et maxime optabile ducebant. Nunc quando in Christo facti sumus omnes sacerdotes, haec nobis imposita est conditio, ne aliam sortem appetamus. Non quod simpliciter renunciandum sit terrenis omnibus bonis, sed quia in solidum felicitas nostra sic in Deo locanda est, ut ipso contenti patienter feramus rerum omnium inopiam: qui vero aliquid possident, non minus soluti sint ac expediti, ac si nihil possideant.

Levitic. 27, 30. *Omnes autem decimae.* His verbis ostendit Deus, se decimas Levitis assignando, proprio iure cedere, quia sint quasi regale vectigal, atque ita querimonias omnes compescit: quia alioqui obstrepere poterant aliae tribus, ultra modum se gravari. Sacerdotes igitur coactores praeficit, qui ipsius nomine colligant: quod negari non potest sine impia et sacrilega fraudatione. Quod vero ubi pecunia redimuntur decimae, quintam partem aestimationi vult superaddi, non eo tendit ut Levitae ex alieno damno lucrum faciant: sed quia astute aliquam utilitatem captabant agrorum domini, frumentum in pecuniam mutando: fraudibus occurritur, ne quid ex captiosa permutatione Levitis decedat. Eadem ratione animalia iubet, qualiacunque erunt, decimari, nec pecunia redimi patitur, quoniam si libera fuisset electio, nullum unquam animal pingue aut vegetum venisset ad Levitas. Ergo hac lege remedium avaritiae et sordibus fuit adhibitum. Neque id abs re: quia si verum est proverbium: Ex malis moribus nasci bonas leges: summa severitate contineri in officio necesse fuit adeo tenacem et malignum populum. Ac quantumvis sedulo cautum esset Levitis, vix tamen fuit ullum tempus quo non esurierint, ac interdum famelici oberrarint. Imo quum ab exsilio babylonico reversi essent, non fecit tanti beneficii memoria quin furto subtraherent partem decimarum: sicuti conqueritur Deus apud Malachiam (3, 8). Unde apparet, non frustra tam imperiose ad eas solvendas fuisse coactos.

Deuter. 14, 22. *Decimando decimabis.* Generaliter repetit legem ante positam, ubi Deo vendicat omnium frugum decimas. Quibus autem solvendae sint, non statim exprimit: sed quaedam interserit de aliis oblationibus, quae alibi exposui. Verum aliquanto post versu 27 Levitas commendans, eas ad verum suum usum accommodat. Significat autem crudeles fore, si eas Levitis furentur: malignos vero et iniustos si aegre illis decimas solvant, quae ipsorum sunt iure haereditario: quando tribus illa fundos nullos possidet.

28. *Tertio autem anno.* Falluntur, meo iudicio, qui aliam decimarum speciem notari putant. Potius enim correctio est, vel interpretatio legis, ne soli sacerdotes ac Levitae decimas omnes absumerent, sed pars cederet ad levandos pauperes, et peregrinos, et viduas. Quo res melius pateat, primo notandum est, non tertium quemque annum hic praescribi, sed numerari a sabbatho. Alibi enim videbimus septimo quoque anno terram quievisse, ut neque sererent, neque meterent. Ergo post duas messes peractas, decimae anni tertii non Levitarum propriae, sed simul communes erant pauperibus, pupillis, et viduis et peregrinis. Id ex supputatione annorum colligere promptum est. Alioqui enim tertius annus saepe incidisset in sabbatharium, quo cessabat omnis agrorum cultura. Porro summa aequitate id temperatum fuit, ut sacerdotes et Levitae iam duobus annis ditati, admitterent in partem egenos fratres et peregrinos. Ita ex nimia eorum abundantia aliquid minuebatur, ne se in luxuriam

proiicerent: atque ita fiebat ut non plus duodecima parte in singulos annos ipsis integrum maneret. Denique in septem annis peculiaris fuit unius ratio, ut non soli Levitae privatim sibi decimas perciperent, sed communicarent cum pupillis, viduis, peregrinis et aliis pauperibus. Comedant, inquit, et saturentur, quibus alioqui ferenda esset esuries, ut benedicat tibi Deus: qua promissione ipsos ad liberalitatem invitat.

Deut, 26, 12. *Postquam compleveris.* Hoc loco vehementius ipsos ad decimas libenter et prolixe offerendas exstimulat, quum illis Deum quasi ante oculos statuit, ac si in eius manum eas solverent. Solennis enim contestatio indicitur, qua se apud Deum reatu obstringant, nisi fideliter praestiterint impositum sibi vectigal: quod si probe officio fuerint perfuncti, pacem et gratiam exorent. Nihil enim magis expergefacere potest homines quam ubi Deus in rem praesentem arbiter vocatur. Haec ratio est cur profiteri ipsos iubeat in Dei conspectu, se in decimis solvendis obedientes fuisse eius mandato. Separare vel efferre ex domo, tantundem valet ac nullius doli sibi esse conscios, quin Deo quod suum erat reddiderint: atque ita puros esse a sacrilegio, quia nihil sanctum traxerint in usus privatos. Quod sequitur: Non praeterivi mandata tua, neque oblitus sum: nonnisi ad rem de qua nunc agitur, referri debet. Nimis enim stultae fuisset temeritatis et arrogantiae, iactare legem omni ex parte et omnibus numeris servatam a se fuisse et impletam. Quanquam haec loquendi forma studium potius quam perfectionem significat: ac si dicerent, sibi in animo fuisse propositum parere Dei praeceptis. Tenendum tamen est quod dixi, proprie id spectare ad ritus legales. Eodem sensu paulo post dicitur: Feci secundum omnia quae mihi praecepit Deus: quia si de perfectione gloriati essent, nihil iam opus erat sacrificiis, aut aliis purgationibus. Sed (quemadmodum iam dixi) tantum vocantur ad examen, ut sincero corde Deum testem suae pietatis faciant.

14. *Non comedi in tristitia.* De sanctis oblationibus verba fieri certum est. Nunc quaeritur quid sit comedere in tristitia. Communi fere consensu recepta est haec expositio: quum rerum inopia ad furandum et fraudandum sollicitet, populum tamen asserere, in rebus quoque angustis et egestate se abstinuisse a rebus sacris, quod libenter recipio. Quanquam nomen tristitiae pro anxietate animi male sibi conscii accipi possit, hoc sensu: sciens et volens nihil comedi quod Deo sacrum esset, ut me ureret malae conscientiae cauterium: sicuti suum quemque scelus torquet et moerore afficit. In secundo membro variant interpretes. Quidam verbum בער exponunt perdere: quasi dictum esset: Per immunditiam nihil perire passos: alii autem transferunt: Nihil extuli in re profana. Ego vero nomen טמא adverbialiter positum esse existimo pro impure, ut testetur populus se non fuisse pollutum vel contaminatum, quidquam subtrahendo. Itaque (meo iudicio) non male vertunt quidam: Per immunditiam. Neque enim vertere in alios usus poterant decimas, quin ex impio abusu contraherent pollutionem. In tertio membro maior est ambiguitas. Ad verbum est: Non dedi inde mortuo. In versione sequutus sum eos qui pro funere et exsequiis accipiunt. Quidam tamen metaphorice nomen mortui positum esse volunt pro re immunda, alii magis coacte pro impensis quae ad tolerandam hominis vitam nihil faciunt. Quorsum tamen id dicatur, nondum liquet, nihil in funere consumptum esse. Immundum quidem erat quidquid attigerat cadaver: ideo quidam exponunt non pollutas fuisse victimas in funere curando. Quod si placet, per synecdochen funus ponitur pro qualibet re immunda. Ego tamen potius arbitror sub una specie comprehendi res omnes quae speciem pietatis prae se ferunt. Mortuos sepelire laudabile officium erat, ac pietatis exercitium, ita honestus color plus licentiae dare poterat. Hoc igitur verbo testari Deus voluit Israelitas, nihil se excusationis obtendere, si quidquam ex sacris averterint.

15. *Respice de habitaculo.* Dum hac conditione preces et vota concipere iubentur, ut Deus terrae benedicat, si nullo sacrilegio se inquinaverint, simul ex opposito monentur, nullam alioqui Dei benedictionem sperandam esse. Loquutio interim notanda est: Benedic terrae quam dedisti lacte et melle fluentem. Hinc enim colligitur, terram non tam natura uberem fuisse, quam quod arcana sua beneficentia quotidie eam Deus irrigabat, ut foecunda esset.

EX NUMER. XVIII.

25. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 26. *Praeterea ad Levitas loqueris: et dices eis: Quum acceperitis a filiis Israel decimas quas vobis ab illis dedi in haereditatem vestram, tunc offeretis ex illis oblationem Iehovae, decimas ex decimis.* 27. *Et reputabitur vobis oblatio vestra ut frumentum ex area, et ut plenitudo e torculari.* 28. *Sic offeretis vos quoque oblationem Iehovae ex omnibus decimis vestris quas acceperitis a filiis Israel, et dabitis ex illis oblationem Iehovae Aharon sacerdoti.* 29. *Ex omnibus oblationibus vestris offeretis omnem oblationem Iehovae, ex omni pinguedine eius, sanctificationem ipsius ex eo.* 30. *Ac dices illis: Quum attuleritis pinguedinem eius ex eo, reputabitur Levitis ut fructus areae, et ut fructus torcularis.* 31. *Comedetis autem illud in*

omni loco vos et domus vestra: quia merces est vobis pro ministerio vestro in tabernaculo conventionis. 32. *Et non portabitis super eo peccatum, quum vos obtuleritis pinguedinem eius ex eo: et sanctificationes filiorum Israel non polluetis, ne moriamini.*

15. *Loquutus est Iehova ad Aharon.* Altera species decimarum, hoc est centesima pars totius proventus, quam sacerdotibus pendebant Levitae. Tertiam faciunt alii: sed rationem attuli cur mihi non probetur eorum opinio. Et certe verisimile non est uno anno exactas fuisse ac solutas duplices decimas. Ergo nobis sufficiat partitio bimembris: Largior autem portio sacerdotibus data fuit, non modo honoris causa, sed quia maior religio et integritas in dispensatione ab illis speranda erat: deinde ut multis extraordinariis oneribus satisfacerent. Iam ne restricti nimium vel sordidi essent Levitae, pronunciat Deus non minus impium esse furtum si mala fide agant cum sacerdotibus, quam si populus ex iusta eorum portione aliquid subriperet. Huc enim spectant verba, perinde fore decimas ex decimis quas pendere iubentur, ac si ex area et torculari solverent: ac si dictum esset, nihilo magis esse immunes a secundis decimis quam populum a primis. Longius deinde hoc extenditur, ut ex singulis oblationibus partem offerant. Tertio sincera praecipitur liberalitas: ne quod exile erit, vel macilentum, vel ullo modo deterius, reponant in partem sacerdotum, sed selectissima potius quaeque offerant. Id enim intelligitur per vocem חלב quam alii adipem vertunt. Nomen pinguedinis visum est melius quadrare, in quo tamen est metaphora.

31. *Comedetis autem illud.* Quia inter sacras oblationes reputabantur decimae, moveri poterat quaestio, an illis vesci alibi liceret quam in sanctuario. Itaque pronunciat Deus, ubi separaverint Levitae δευτεροδεκάτας, transire residuum in naturam et ordinem communium ciborum: quia tunc quolibet in loco panem ex frumento decumano comedent, tanquam ex agrorum suorum proventu. Videtur quidem minime apta esse quae subiicitur ratio, quod merces sit pro labore quem impendunt in cultu tabernaculi. Inde enim colligendum magis esset, victum hunc peculiariter destinatum esse ministris, quamdiu munere suo fungentur, et excubias agent in tabernaculo, vel mactabunt victimas ad altare. Verum quia Dei mandato sparsi erant per totam terram, nec propter loci distantiam desinebant tabernaculi esse ministri, merito illis permittitur, ubicunque sint, victu divinitus ordinato vesci. Si particulam כי adversative accipere libeat, sensus erit expeditior. Proximo versu confirmat eandem sententiam, nullius scilicet culpae fore reos, ubi sacerdotibus probe satisfecerint. Severe tamen simul monentur ne qua fraude se obstringant: quia sacrilegii loco fore denunciat Deus si quid furaciter averterint, et capitalem poenam minatur. Nam polluere sanctificationes populi, tantundem valet atque profanare quod totius populi nomine consecratum erat.

EX DEUT. XVIII.

1. *Non erit sacerdotibus Levitis et toti tribui Levi portio et haereditas cum reliquo Israele, oblationes ignitas Iehovae, et haereditatem eius comedent.* 2. *Et haereditas non erit illi in medio fratrum suorum, Iehova est haereditas eius, quemadmodum dixit illi.* 3. *Istud autem erit ius sacerdotum a populo, quoad sacrificantes sacrificium, sive bovem, sive agnum, dabunt sacerdoti armum, et maxillas, et ventriculum.* 4. *Primitias frumenti tui, vini tui, et olei tui, et primitias velleris ovium tuarum dabis illi.* 5. *Ipsum enim elegit Iehova Deus tuus e cunctis tribubus tuis, ut stet ad ministrandum nomini Iehovae, ipse et filii eius omnibus diebus.* 6. *Quum autem venerit Levita ex aliqua portarum tuarum, ex omni Israele, ubi ipse peregrinabitur, et venerit toto desiderio animae suae ad locum quem elegerit Iehova:* 7. *Ministrabit nomini Iehovae Dei sui, sicut omnes fratres eius Levitae qui stant illic coram Iehova.* 8. *Partem similem parti aliorum comedent, praeter venditiones eius ad patres.*

1. *Non erit sacerdotibus.* Tria sunt praecipua huius loci capita. Primo enim ostendit Deus, non esse cur graventur Israelitae decimas solvere Levitis, primitias et alias oblationes remittere sacerdotibus, quoniam haec tribus haereditate privata fuerit. Secundo iurgia omnia antevertit, compescit illicitum quaestum, et turpibus rapinis obviat, Levitis et sacerdotibus iustam partem attribuens. Tertio definit quomodo inter se partiri debeant oblationes, et quid ex victimis sumpturi sint sacerdotes. Quod ad primum membrum spectat, quoniam Deus erat quasi fundus haereditatis ipsorum, ius quod in eos transtulerat, merito sibi vendicarunt. Si odiosum sit populo proventum suum decimari, Deus quasi medius intercedit, sibique iure regio deberi pronuncians, villicos et coactores illis exigendis praeficit Levitas. Non est igitur cur litem quispiam moveat, nisi velit ex professo Deum spoliare. Saepius autem occurrit haec sententia: quoniam magnopere intererat populum persuasum esse, Deum in tabulas suas accepta referre quae Levitis assignaverat: non modo ne quid Levitis subriperetur, sed ut libenter Dei ministris legitimum vectigal quisque penderet: deinde ne quis maligne obstreperet, quod in alimentum sacerdotum cedebant primitiae, et aliqua ex sacrificiis portio. Altera etiam exprimitur

ratio, cur invidia carere debeat honor Levitis concessus, quoniam ipsos Deus constituerat ministros cultus sui. Dignus autem est operarius mercede sua.

3. *Istud autem erit ius.* Non modo in gratiam sacerdotum enumerat Deus quae vult ab ipsis percipi, ut sine murmure et querimonia quod suum est recipiant: sed populo etiam consulit ne turpi quaestu auferant sacerdotes plus quam fas sit: quod sacra historia recitat a filiis Heli factum esse (1. Sam. 2, 22). Nam eousque licentiae proruperant, ut praedonum instar, violenter raperent quidquid tulerat libido. Ergo ne prosiliant ad turpem quaestum, certos fines in quibus se contineant, illis Deus praescribit, quos si transgressi essent, cuivis e plebe promptum erat eorum avaritiam coarguere.

6. *Quum autem venerit Levita.* Hoc tertium membrum clarius explicat quod obscurius alibi traditur: quidquid enim Deus sacerdotibus dabat, visus fuit praecise Levitis auferre. Nunc autem distinctius statuit sacerdotes primo loco, ut Levitas pro laboris sui ratione in partem oblationum admittant. Haec porro summa legis est, ut Levitae qui domi suae manebunt, decimis contenti, nihil ex aliis oblationibus attingant: undecunque autem venient ad sanctuarium, censeantur inter ministros, ordinemque suum teneant. Hac autem lege cautum fuit, ne quos excluderet intermissio a functione, nec deterior esset hospitum conditio quam eorum qui Ierosolymae erant. Neque enim si habitabant in aliis urbibus, in totum cessabant a suo ministerio, quoniam aliae erant eorum partes, quam se in mactandis victimis exercere. Qui tamen sanctuario prorsus operam suam dicabant, eos duplici honore muneratus est Deus: quia minime aequum fuisset victu eos fraudari qui domesticis curis et negotiis valere iussis, toti occupabantur in sacrorum cura. Quam vero partitio haec non fuerit supervacua, ex Iosephi narratione maxime cognoscitur, dum scribit pontifices vi et armis decimas rapuisse, et contra Levitas in eripiendo victu hostiliter fuisse grassatos.

EX LEVIT. XXIV.

5. *Accipies similam, et coques ex ea duodecim placentas: duarum decimarum sit unaquaeque placenta.* 6. *Et pones eas in duobus ordinibus: seni ordines super mensam mundam coram Iehova.* 7. *Pones quoque super ordinem utrumque thus purum, eritque pani in memoriale et incensum Iehovae.* 8. *Per singula sabbatha ordinabit illos coram Iehova semper, a filiis Israel foedere sempiterno.* 9. *Et erit Aharonis et filiorum eius, qui comedent eum in loco sancto: quia sanctitas sanctitatum est ei ex oblationibus ignitis Iehovae statuto perpetuo.*

Nunc ventum est ad tertiam partem externi cultus, quae finem afferet expositioni secundi praecepti. Tractandum igitur est de sacris oblationibus, inter quas primum locum dare placuit panibus, qui propriam habebant mensam e regione candelabri ad latus aquilonare, sicuti in structura tabernaculi visum est. Etsi autem alibi recurret eorum mentio, sicuti tamen seorsum oblati sunt, et locati ante arcam foederis, quasi in Dei conspectu, separandi non fuerunt a sacrificiis. Iam exposui hoc fuisse non vulgaris gratiae Dei symbolum, quum familiariter ad ipsos descenderet, ac si esset eorum conviva. Vocati autem sunt panes facierum, eo quod sisterentur ante Dei oculos: atque in eo rarum favorem ostendit, quasi ad mutuum convictum accedens. Nec dubium est quin duodecim numero confici iusserit respectu duodecim tribuum, ac si oblatum a singulis cibum in mensam suam admitteret. Duae decimae quintam partem mensurae epha conficiunt. Ac certum quidem est modum hunc fuisse divinitus praescriptum, ne diversitas in ritu tam serio paulatim multas corruptelas gigneret. In nomine decimarum videtur alludere ad vectigal quod imposuerat populo, quo panum sanctitas magis commendaretur. Cur autem duas potius quam unam postulaverit, me latet, nec utile censeo curiosius inquirere. Quod dicitur fore pani in memoriale, ad thus refero, quasi dictum esset: Panem thuris suffitu conditum memoriam filiorum Israel renovaturum esse, ut suaviter coram Deo oleant. Vertunt alii pro memoriali, monumentum: sed eodem sensu. Etsi autem quidam panem ipsum memoriale vocari docent, melius tamen thuri aptatur: quia mox additur, simul incensum fore ignitum sacrificium, quia scilicet in eo panis adolebatur.

EX EXODI XXIX.

38. *Hoc est quod facies super altare, agnos anniculos iugiter in singulos dies.* 39. *Agnum unum facies mane, et agnum unum inter duas vesperas.* 40. *Et decimam partem similae mistae oleo contuso, quartam partem hin et libamen, quartam partem hin vini in agnum unum.* 41. *Agnum alterum facies inter duas vesperas sicut minha matutino, et sicut libamini eius facies ei in odorem quietis, oblationem ignitam Iehovae.* 42. *Holocaustum iuge in generationes vestras, ad ostium tabernaculi conventionis coram Iehova, quo conveniam vobiscum ut tecum loquar.* 43. *Et conveniam illic cum filiis Israel, et locus sanctificabitur in gloria mea.* 44. *Sanctificabo taber-*

naculum conventionis et altare, Aharonem quoque et filios eius, et sacrificia, ut sacerdotio fungantur mihi. 45. *Habitaboque in medio filiorum Israel, et ero ipsis in Deum:* 46. *Et scient quod sum Iehova Deus eorum, qui eduxi eos e terra Aegypti: ut habitarem in medio eorum. Ego Iehova Deus eorum.*

Mos sacrificandi semper in usu fuit apud omnes gentes, cuius originem a sanctis patribus manasse non est dubium: sed ex quo totus orbis ad superstitiones defluxerat, primum ritus ipsi fuerunt degeneres, dum sibi quisque novum aliquid excogitat, et quod simile restabat, praepostera fuit aemulatio: quia rectum finem et usum non tenebant. Nescivit tota gentilitas cur Deum sanguine placari opus esset. Ergo temere victimarum sanguinem fudit, quia neque reputavit se Dei iudicio obnoxiam esse, ut suppliciter veniam deprecaretur: ac multo minus animos adiecit ad expiationem amplexandam, quae non tantum arcano Dei consilio praedestinata fuerat, sed hominibus quoque promissa. Unde colligimus, reprobatos fuisse omnes gentium cultus, quoniam in Dei verbo fundati non erant. Tantum hoc fixum maneat, ipso more sacrificandi, quamvis adulterino, convictas fuisse propriae indignitatis, ut agnoscere deberent, humano generi non aliter propitium esse Deum quam reconciliatione interposita. Stulta igitur Pythagorae philosophia, quae victimis Dei nomen contaminari tradidit: sic enim loquentem inducit poeta dum εἰς τὴν σαρκοφαγίαν invehitur.

> Nec satis est quod tale nefas committitur: ipsos
> Inscripsere deos sceleri, numenque supernum
> Caede laboriferi credunt gaudere iuvenci.
> Victima labe carens, et praestantissima forma,
> (Nam placuisse nocet) vittis praesignis et auro
> Sistitur ante aras, auditque ignara precantem.
> Imponique suae videt inter cornua fronti
> Quas coluit fruges: percussaque sanguine cultros
> Inficit in liquida praevisos forsitan unda[1]).

Displicuit innoxium animal hominis culpa mactari: sed debuit expendere quod non sentire turpis socordiae fuit, nimis impudenter audaces esse ac temerarios homines, si in Dei conspectum prodeant, veniam ab eo impetraturi, qui omnibus iure est infensus. Nihil ergo absurdum si peccatoribus iudicium mortis, cui obnoxii sunt, subiiciatur ante oculos, quo in se ipsos descendentes, peccatum in quo sibi blandiebantur, serio abominari incipiant. Verum hinc praecipua errandi causa Pythagorae, quod nescivit Deum sine expiatione non placari. Nos vero quoniam ea res humanae mentis captum transscendit, discamus, scriptura duce ac magistra, quicunque unquam Deum vere quaesierunt, litationem in sanguine attulisse: ita ante legem latam semper victimis sancita fuit religio. Nec dubium est quin arcano spiritus instinctu sancti patres directi fuerint ad mediatorem, cuius morte tandem placandus erat Deus. Et certe, oblato Christo, quaecunque fiunt mactationes nihil differunt a profana carnificina. Verum postea in lege addita fuit plenior explicatio. Et quoniam multiplices formae sacrificandi a gentibus fuerant coarcervatae, nullam omnino partem omisit Deus, in qua se utiliter exercerent fideles: sive testanda pietas, sive agendae gratiae, sive adiuvandum precandi studium, sive quaerendae purgationes, sive expianda peccata. Bimembris tamen partitio integra est ac dilucida: ubi dicimus alia esse expiatoria, alia vero esse testimonia gratitudinis. Ita autem sub priore membro complector ritus consecrationum, quibus initiari Deus sacerdotes voluit: quia purgatio primas illic partes tenebat. Iam quia absque Christi intercessione nullis precibus Deum esse exorabilem certum est, iuge sacrificium mane et vesperi institutum fuit ad consecrandas ecclesiae preces. Imo quum tantum celebrarent Dei beneficia, fusus fuit sanguis, ut cognoscerent ne suam quidem gratitudinem Deo placere, nisi intercedente mediatoris sacrificio: denique nihil purum ab hominibus proficisci, nisi sanguine purgatum.

38. *Hoc est quod facies.* Inter sacrificia primum locum dare placuit quotidiano quod iuge appellant. Mane enim et vesperi duos agnos singulis diebus offerri sibi voluit Deus, ut se assidue exerceret populus in memoria futurae reconciliationis. Etsi autem sub lege saepius victimae iterabantur, quia ad expianda peccata efficax non erat earum oblatio: notandum tamen est, sicuti annis singulis ingrediebatur semel sacerdos adytum cum sanguine: ita utile fuisse, quotidie bis alterum genus victimae proponi ante populi oculos, ut reputaret sibi opus esse identidem reconciliari Deo. Duobus ergo agnis in singulos dies litatum fuit, ut Israelitae sui reatus et damnationis admoniti, a principio usque ad finem diei, ad Dei misericordiam confugere discerent. Delectus autem fuit agnus ad hoc sacrificium, qui purus esset ac integer: nam in aetate notata fuit perfectio vel integritas. Addita fuit oblatio placentae oleo conditae, et libamen vini. Dubium porro non est quin his symbolis edocti fuerint veteres, nihil insipidum offerre Deo fas esse. Deus quidem saporis dulcedine oblectatus non fuit, neque etiam sacerdotes voluit assuescere lautitiis, ut sub religionis colore liguritores essent: vini etiam odor per se gratus esse Deo non potuit: verum huc tendebant conditurae, ne populus subsisteret in nudis et inanibus figuris, sed agnosceret aliquid melius et praestantius subesse. Gustus ergo ille vini et olei,

1) *Versio gallica hos versus omittit. Sunt vero Ovidii in Metam.* XV. 127 *ss.*

nihil aliud fuit quam spiritualis veritas: ut populus ipse vicissim fidem et poenitentiam afferret ad sacrificia. Et certe exterior caeremonia sine re fuisset mera fatuitas. Hunc ritum ex parte imitatae sunt etiam profanae gentes: unde illud Horatii [1]),

Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso.

quibus verbis significat placentas idolis fuisse passim oblatas. Verum caeca fuit illa aemulatio, quod altius non attenderent, sed quod putarent deos suos humano more appetere suaves et delicatos cibos. Atqui longe aliud consilium Dei fuit, ut nuper attigi. Externo enim sapore expergisci voluit populum suum, ut serio poenitentiae sensu tactus, et pura fide, scelerum expiationem quaereret: non in illis agnis quos cernebat mactari, sed in victima sibi promissa. Vocarunt iuge sacrificium, quia praecepit Deus offerri iugiter per continuas aetates: verum ex Daniele liquet fuisse temporale, quia cessavit Christi adventu: sic enim illic angelus loquitur (Dan. 9, 27). Roborabit Christus foedus cum multis hebdomade una et dimidia, et cessare faciet iuge sacrificium et minha. Certum est de hac specie verba fieri. Unde certo colligimus hac caeremonia directas fuisse populi mentes ad Christum. Quod si ille fuit usus apud veteres et finis, hodie haec ad nos redit utilitas, ut sciamus in Christo fuisse completum quidquid tunc sub figura ostensum fuit. Promittit Deus sacrificium hoc sibi fore in odorem quietis. Dubitandum igitur non est quin in solidum placatus sit sacrificio unigeniti filii sui, ac peccata nobis remiserit. Porro quanquam semel oblatus fuit Christus, ut nos unica expiatione in perpetuum Deo consecraret: ex quotidiana tamen immolatione quae sub lege fuit, discimus mortis eius beneficio nobis semper paratam esse veniam: quemadmodum dicit Paulus, Deum se assidue reconciliare ecclesiae, dum Christi sacrificium in evangelio proponit [2]). De voce minha sic habendum est, quamvis deducta sit a נחה quod est offerre, proprie tamen accipi pro hac oblatione quae velut appendix erat quotidiani sacrificii. Sunt etiam qui ad vespertinam duntaxat restringunt: sed ubi victimis non coniungitur, extenditur etiam generaliter ad alias species.

42. *Ad ostium tabernaculi conventionis.* Docet hic locus, quo sensu nomen מועד sumatur quoties agitur de tabernaculo. Vertunt quidam testimonium, alii ecclesiam, alii conventum, alii vero constitutum. Atqui in hoc contextu etymologia satis exprimitur: quia mox causam appellationis reddendo, verbum יעד usurpat Moses, ex quo deductum est illud nomen. Quid ergo tabernaculum conventionis? respondet Deus ipse, locum esse quem sumpsit et condixit populo suo, ut illic ultro citroque pasciscantur. Volunt quidem originem esse עדה, quod est quasi solenni ritu contestari: sed quia non patitur grammatica, sumam quod certum est. Verbum quidem יעד ea constructione quae hic ponitur, tantundem valet ac contrahere vel pacisci cum altero, vel certe ad negotia ultro citroque tractanda convenire. Ideo mihi nullum nomen aptius quadrare visum est, quam conventionis: quod gravissimi fuit ponderis ad fideles in modesta sacerdotii reverentia continendos, quum Deus quasi ad familiare colloquium eos invitaret. Idem repetit proximo versu in tertia persona, ut quicunque censeri volent inter Israelitas non alio deflectant aut vagentur. Lex enim praescribitur cunctis filiis Israel, ut illic Deum quaerant. Subiicitur alia confirmatio, quod locum illum sacrum esse oporteat, quia Deus ibi suam gloriam magnifice patefaciet. Denique ex toto contextu Dei consilium fuisse apparet, populum tenere sibi adstrictum sacerdotii levitici vinculo: sed notandum Deum unum esse qui et locum et oblationes et ipsos homines sanctificat. Quare frivola est eorum omnium iactantia, qui sibi plus arrogant quam Deus contulerit. Si papae creditur, in eo est sanctitas sanctitatum: quia tamen Deum non profert autorem, sed praeconiis temere confictis se venditat, stolidam eius impudentiam tuto ridere licet. Ex hoc autem loco et similibus sumptum est quod docemur, Christum non humanitus debere aestimari: sed censeri coelesti et divina sua virtute. Hinc etiam refellitur quod sacrifici papales se Christum offerre iactant: semper enim quaerendum est quo autore: quandoquidem sibi uni hoc ius Deus vendicat, ut sanctificet qui legitimo sacerdotio funguntur.

46. *Et scient quod ego sum Iehova.* His verbis significat Deus se non semel duntaxat fuisse populi redemptorem, sed ea lege ut eorum saluti praesideat, ac re ipsa demonstret se inter ipsos residere. Caeterum praesentiae symbolum, et quasi pignus statuit sanctuarium: unde volebat regulam pietatis proferre, et a cultoribus suis peti.

EX NUMER. XXVIII.

1. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Praecipe filiis Israel, et dic eis: Oblationem meam, panem meum in oblationibus meis ignitis in odorem quietis meae custodietis, ut offeratis mihi tempore suo.* 3. *Dices praeterea illis: Haec est oblatio ignita quam offeretis Iehovae, agnos anniculos immaculatos duos quotidie holocaustum iuge.* 4. *Agnum unum facies mane, et agnum alterum inter duas vesperas.* 5. *Et*

1) *Epist. l.* I. *Ep.* 10, 10.
2) 2 *Cor.* 5, 18 *sq.*; *non vero* 7, 2 *ut habent editiones.*

offeres decimam partem epha similae et in minham permistae oleo contuso, cum quarta parte hin. 6. *Istud est holocaustum iuge quod factum est in monte Sinai, in odorem quietis, oblationem ignitam Iehovae.* 7. *Porro libamen eius quartam partem hin per singulos agnos in sanctuario liba libamen sechar Iehovae.* 8. *Agnum autem alterum facies inter duas vesperas, secundum oblationem matutinam, et secundum libamen eius facies oblationem ignitam, in odorem quietis Iehovae.* 9. *Die vero sabbathi facies duos agnos anniculos immaculatos, et duas decimas ephi similae in minham permistae oleo, et libamen eius.* 10. *Istud est holocaustum sabbathi, in sabbatho suo ultra holocaustum iuge in libamen eius.* 11. *Similiter in capitibus mensium vestrorum offeretis holocaustum Iehovae: iuvencos filios bovis duos, et arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem.* 12. *Et tres decimas ephi similae in minham permixtae oleo in iuvencos singulos, et duas decimas ephi similae in minham permixtae oleo in singulos arietes.* 13. *Et singulas decimas, oblationem similae in minha permixtae oleo, in singulos agnos, holocaustum odoris quietis, oblatio ignita Iehovae.* 14. *Haec autem libamina eorum e vino: dimidium hin etiam in singulos iuvencos, et tertia pars hin in arietem, et quarta pars hin in singulos agnos. Hoc est holocaustum singulorum mensium per singulos menses anni.* 15. *Et hircus caprarum unus in sacrificium pro peccato fiet Iehovae, praeter holocaustum iuge, et libamen eius.*

1. *Et loquutus est Iehova.* Moses iterum verba facturus de continuo sacrificio, praefatur in genere, ut diligenter sequatur populus in oblationibus suis quidquid Deus praecepit: nam verbo custodiendi, non sedulitas modo, sed obedientia notatur. Porro quo attentius ab omni vitio sibi caveant, panem suum vocat Deus, qui vel quotidie reponi solebat in mensa, vel adiungi victimis ignitis, ac si eo vesceretur more hominum. Est quidem aspera loquutio: sed pro veteris populi ruditate, necesse fuit tam crasse loqui, ut ab una parte discerent ritum illum perinde Deo acceptum esse, ut homines oblectat cibus: deinde ut purius et castius offerre studerent sua sacrificia.

3. *Dices praeterea illis.* Repetit quod vidimus in Exodo, ut quotidie agnos duos immolent, alterum mane, alterum vesperi, sed pluribus verbis accessiones exprimit similae et vini: deinde hoc genus sacrificii ab antiquitate commendat, quia in monte Sinai offerri Deo coeperit, et fuerit in odorem quietis. Libamen vini, cuius fit mentio, etiam apud profanas gentes in usu fuit: sed quia mandato et promissione Dei carebat, non potuit non esse insipidum. Et probabile est (ut alibi vidimus) ritus multos gentium a sanctis patribus esse profectos, sed falsa et inani imitatione: nam quum rationem non tenerent, quidquid agebant non aliud fuit quam lusoria pompa. Diximus autem ita admonitos fuisse homines, ut in quotidiano victu Deum semper haberent prae oculis: atque ita modis omnibus assuefierent ad colendam sanctitatem.

9. *Die vero Sabbathi.* Nunc exprimitur quod superiore loco omissum fuerat, sabbatho duplicari iuge sacrificium, et loco agni unius duos offerri. Aequum enim fuit, quum peculiariter Deo septimus dies esset dicatus, insigni aliqua discretionis nota praeferri aliis diebus. Maiores etiam victimas offerri iubet in capitibus mensium, vel noviluniis, nempe duos iuvencos, et arietem unum, et hircum pro peccato. Scimus enim primum cuiusque mensis diem Deo fuisse sacrum, ut saepius populo renovaretur memoria eius colendi: et hircus additus fuit expiandis peccatis, ut in singulos menses se ad deprecandum coram Deo reos sisterent.

EX EODEM CAPITE.

16. *Mense autem primo decima quarta die mensis, Pesah est Iehovae.* 17. *Et in decimo quinto die mensis huius solennitas: septem diebus panis infermentatorum comedetur.* 18. *Die primo convocatio sancta erit: omne opus servile non facietis.* 19. *Offeretis autem oblationem ignitam, et holocaustum Iehovae iuvencos filios bovis duos, et arietem unum, et septem agnos anniculos: immaculati erunt vobis.* 20. *Et minha eorum erit simila permixta oleo, tres decimae in singulos iuvencos, et duas decimas in singulos arietes facietis.* 21. *Singulas decimas facies in agnos singulos in septem agnis.* 22. *Et hircum in sacrificium pro peccato unum, ad expiandum vos.* 23. *Praeter holocaustum matutinum, quod est holocaustum iuge, facietis ista.* 24. *Secundum haec facietis singulis diebus septem dierum, panem oblationis ignitae odoris quietis Iehovae: ultra holocaustum iuge fiet, et libamen eius.* 25. *Septimo autem die convocatio sancta erit vobis: omne opus servile non facietis.* 26. *Porro die primitiarum quando offeretis minham novam Iehovae in hebdomadibus vestris, convocatio sancta erit vobis: omne opus servile non facietis.* 27. *Et offeretis holocaustum in odorem quietis Iehovae: iuvencos filios bovis duos, arietem unum, et septem agnos anniculos.* 28. *Et oblationem eorum similam permixtam oleo, tres decimas in singulos iuvencos, duas decimas per arietes singulos.* 29. *Singulas decimas per agnos singulos, septem agnis.* 30. *Hircum caprarum unum ad expiandum vos.* 31. *Praeter holocaustum iuge et minham eius facietis, immaculati erunt vobis, et libamina eorum.*

16. *Mense autem primo.* Pertinet quidem aliqua ex parte haec doctrina ad diem festum Pesah:

sed quia ex professo de sacrificiis agitur, nec mentio fit reliquae observationis, nisi hac occasione, contexenda fuit cum iugi sacrificio, tanquam eius accessio vel pars. Obiter quidem attingit Moses quod ante vidimus, ut populus septem diebus abstineat a fermento, vescaturque panibus azymis. Sed mox descendit ad praecipuum caput, de quo nunc instituit tractare: ut populus in holocaustum immolet duos iuvencos, arietem unum, et septem agnos, una cum hirco in expiationem: atque ut hoc sacrificium iteret per totam hebdomadam. Quo itaque maior esset religio paschatis, iugi sacrificio coniunctum fuit hoc extraordinarium, partim ut magis incitarentur ad se Deo vovendos: partim ut agnoscerent quam familiariter amplexus esset ipsos in gratiam: dum ex ipsorum gregibus et armentis victimas sumebat, ex ipsorum etiam cellis et horreis postulabat sacrum epulum sibi parari: partim vero ut se reos mortis aeternae professi, ad veniam petendam confugerent, et simul intelligerent unicum esse reconciliationis modum, quum Deus sacrificio esset placatus.

26. *Porro die primitiarum.* Idem praecipit Moses de altero die festo: nempe quo suas primitias offerebant. Tunc quoque augendum esse docet iuge sacrificium duobus iuvencis, uno ariete, septem agnis, hirco in expiationem, cum minha et libamine, in eum quem paulo ante dixi finem. Hic ingeritur molestus scrupulus, quia Levitic. 23 iuvencus unus pro duobus ponitur, contra duo arietes pro uno. Quidam existimant libertatem sacerdotibus fuisse datam. Atqui dum reputo quam praecise de singulis mandaverit Deus, nescio an talis permutatio in eorum arbitrio relicta fuerit. Quod alii volunt Deum semel contentum fuisse uno iuvenco, quod non suppeteret in deserto magna copia, effugium videtur. Me quidem, quomodo nodum hunc expediam, non reperire fateor: nisi forte dicamus, quia satis exacte in aliis omnibus cautum erat ne quid temere agerent, una tantum hac in parte fuisse admonitos, Deum maiores vel minores victimas per se nihil morari. Nulla etiam religio dicere vetat, ut in rebus leviculis interdum contingit, scribarum incuria obrepsisse diversum numerum: idque forte magis ingenuum erit. Rectior quidem (meo iudicio) lectio est, ut offerant duos iuvencos et arietem unum. Quoniam vero alibi cur diem hunc instituerit Deus explicatur, breviter tantum commemorat, quum minha offerent ex novis frugibus.

NUMER. XXIX.

1. *Mense autem septimo, primo die eiusdem, convocatio sancta erit vobis: nullum opus servile facietis, dies clangoris erit vobis.* 2. *Et facietis holocaustum in odorem quietis Iehovae, iuvencum filium bovis unum, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos:* 3. *Et minham eorum ex simila permixta oleo, tres decimas per singulos iuvencos, duas decimas per singulos arietes:* 4. *Et decimam unam per singulos agnos, per septem agnos.* 5. *Et hircum caprarum unum in sacrificium pro peccato, ad expiandum vos.* 6. *Praeter holocaustum calendarum, et minham eius, et holocaustum iuge, minhamque eius, et libamina eorum, secundum ritus suos, in odorem quietis, oblatio ignita Iehovae.* 7. *Decimo autem die mensis septimi huius, convocatio sancta erit vobis, affligetisque animas vestras: nullum opus facietis.* 8. *Et offeretis holocaustum Iehovae in odorem quietis, iuvencum filium bovis unum, arietem unum, agnos anniculos septem: immaculati erunt vobis.* 9. *Et minham eorum ex simila conspersa oleo, tres decimas in singulos iuvencos, duas decimas in singulos arietes:* 10. *Singulas decimas per agnos singulos, per septem agnos.* 11. *Hircum caprarum unum in sacrificium pro peccato: praeter oblationem pro peccato expiationum: et holocaustum iuge, et minham eius, libaminaque eorum.* 12. *Porro decimaquinta die mensis septimi, convocatio sancta erit vobis: nullum opus servile facietis, et celebrabitis solennitatem Iehovae septem diebus.* 13. *Et holocaustum, et oblationem ignitam in odorem quietis Iehovae, iuvencos filios bovis tredecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim: immaculati erunt.* 14. *Minham quoque eorum ex simila conspersa oleo, tres decimas in iuvencos singulos tredecim iuvencis: duas decimas in arietes singulos duobus arietibus.* 15. *Et singulas decimas per agnos singulos, quatuordecim agnis.* 16. *Et hircum caprarum unum in sacrificium pro peccato: praeter holocaustum iuge, minham eius et libamen eius.* 17. *Die autem secundo iuvencos filios bovis duodecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos.* 18. *Et minham eorum, et libamina eorum in iuvencos, in arietes, in agnos secundum numerum eorum, iuxta morem.* 19. *Et hircum caprarum unum in sacrificium pro peccato: praeter holocaustum iuge, et minham eius, et libamina eorum.* 20. *Die vero tertio iuvencos undecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos.* 21. *Et minham eorum, et libamina eorum in iuvencos, in arietes, et in agnos, secundum numerum eorum, iuxta morem.* 22. *Et hircum in sacrificium pro peccato unum, praeter holocaustum iuge, et minham eius, et libamen eius.* 23. *Die autem quarto iuvencos decem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos.* 24. *Minham eorum et libamina eorum in iuvencos, in arietes, et in agnos, secundum numerum eorum, iuxta morem:* 25. *Et hircum caprarum unum in sacrificium pro peccato, praeter holocaustum iuge, minham eius et libamen eius.* 26. *Et die quinto iuvencos novem, arietes duos, agnos anniculos quatuor-*

decim immaculatos. 27. *Et minham eorum, et libamina eorum, in iuvencos, in arietes, et in agnos, secundum numerum eorum, iuxta morem.* 28. *Et hircum in sacrificium pro peccato unum, praeter holocaustum iuge, et minham eius, et libamen eius.* 29. *Die praeterea sexto invencos octo, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos.* 30. *Et minham eorum, et libamina eorum in iuvencos, in arietes, et in agnos, secundum numerum eorum iuxta morem.* 31. *Et hircum in sacrificium pro peccato unum: praeter holocaustum iuge, minham eius, et libamina eius.* 32. *Et die septimo iuvencos septem, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim immaculatos.* 33. *Et minham eorum, et libamina eorum, in iuvencos, in arietes, et in agnos, secundum numerum eorum iuxta morem.* 34. *Et hircum in sacrificium pro peccato unum, praeter holocaustum iuge, et minham eius, et libamen eius.* 35. *Die octavo solennitas erit vobis: nullum opus servile facietis.* 36. *Et offeretis holocaustum, et oblationem ignitam odoris quietis Iehovae iuvencum unum, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos:* 37. *Et minham eorum, et libamina eorum, in iuvencum, in arietem, et in agnos, secundum numerum eorum iuxta morem.* 38. *Et hircum in sacrificium pro peccato unum: praeter holocaustum iuge, et minham eius, et libamen eius.* 39. *Ista facietis Iehovae in solennitatibus vestris: praeter vota vestra, et spontanea vestra in holocaustis vestris, et minhis vestris, et libaminibus vestris, et sacrificiis prosperitatum.*

1. *Mense autem septimo.* Iam admonui non tractari de festis diebus, sed tantum quibus sacrificiis ornanda esset eorum solennitas. Initio septimi mensis erat memoriale: quod vocabant clangoris tubarum. Quia minus celebris erat dies, nonnisi iuvencum unum offerri iubet Moses: verum alio respectu crescebat numerus: ante enim vidimus singulis mensium calendis caesos fuisse duos iuvencos. Ergo dies ille habuit tresmaiores victimas, aliarum vero numerus duplicabatur, ut essent duo arietes, agni quatuordecim et hirci duo. Sic igitur diem illum bis sibi consecravit Deus, ut religio una nihil alteri detraheret: alioqui visus esset, quod semel statuerat, evertere. Ergo memoriale tubarum novilunii abrogatio non fuit, sed utrumque praeceptum simul servarunt.

7. *Decimo die.* Dies hic fuit expiationum. Etsi enim nunquam nisi cum veniae deprecatione prodibant in conspectum Dei, tunc speciali modo sua peccata confessi sunt, quia in signum reatus indictum fuit ieiunium. Sic enim scribitur Levit. 23. Omnis anima quae non fuerit afflicta illo die, excidetur e populis suis. Caeterum quod ad sacrificia spectat, tantum iuvencus unus exigitur: reliqua conveniunt, nisi quod in exceptione additur quod in superioribus omissum erat. Nam praeter hircum alia reconciliatio ponitur: nempe quae afflictioni respondeat. Culpae enim agnitio, dirum tormentum conscientiis fuisset absque spe placationis. Atque huius sacrificii ratio paulo post exponetur.

12. *Porro decima quinta die.* Inter dies festos principatum tenuit hic ultimus, quo habitabant per septem dies sub tabernaculis. Nam quum in paschate noctem qua a plagis Aegypti immunes egressi fuerant memoria repeterent, sub tabernaculis agendo, complectebantur totos quadraginta annos, quibus patres eorum in deserto continua et summa Dei beneficia experti erant. Valebat etiam solennis ille conventus ad alium praesentem usum, ut collecta messe gratias Deo agerent. Hinc fit ut singulis diebus victimas obtulerint, et plures numero, ac primo die quidem, nempe tredecim iuvencos, arietes duos, et agnos quatuordecim, secundo autem duodecim iuvencos, tertio undecim, quarto decem, quinto novem, sexto vero octo, septimo demum septem, octavo unum. Nec frustra Moses in recitatione adeo est verbosus: primum ne quid fiat nisi ex Dei praecepto: deinde ne molestum sit vel grave tantos sumptus facere, quos libenter refugissent. Ergo ut alacriter pareant Dei imperio, diligenter inculcat quibus in singulos dies victimis Deus sibi litari velit. Porro cur tam inaequalis fuerit distributio mihi non liquere fateor, et ignorantiam fateri praestat quam nimis subtiliter argutando, in meros fumos evanescere. Haec quidem nec curiosa est nec reiicienda cogitatio, numerum quotidie minuendo, tandem eos septimo die, ad septenarium numerum pervenisse, qui symbolum est perfectionis: nam octavus superadditus fuit tanquam clausula. Tandem subiicit Moses, in iugi sacrificio et aliis extraordinariis, tenendum esse quod Deus praescribit: ne quid hominum arbitrio mutetur. Sacrificia quae ex praeceptis secundae tabulae pendent, consulto in suum locum differre placuit.

LEVIT. XVI.

1. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen postquam mortui sunt duo ex filiis Aharon: qui dum accederent coram Iehova mortui sunt.* 2. *Dixitque Iehova ad Mosen: Loquere ad Aharon fratrem tuum, ut ne ingrediatur omni tempore sanctuarium intra velum coram propitiatorio quod est supra arcam, ne moriatur: in nube enim apparebo supra propitiatorium.* 3. *Cum hoc ingredietur Aharon sanctuarium, cum iuvenco filio bovis in hostiam pro peccato, et ariete in holocaustum.* 4. *Tunica linea sancta induet*

se, et femoralia linea erunt super carnem eius, balteoque lineo accinget se, et mitra linea velabit sese: vestes sanctitatis sunt: lavabitque aqua carnem suam, et induet se illis. 5. *A coetu autem filiorum Israel accipiet duos hircos caprarum in hostiam pro peccato, et arietem unum in holocaustum.* 6. *Offeretque Aharon iuvencum sacrificii pro peccato suum, et expiationem faciet pro se et pro domo sua.* 7. *Postea capiet duos hircos, quos statuet coram Iehova ad ostium tabernaculi conventionis.* 8. *Mittetque Aharon super duos illos hircos sortes, sortem unam Iehovae, et sortem alteram pro Azazel.* 9. *Offeret autem Aharon hircum super quem ceciderit sors pro Iehova, et faciet eum pro peccato.* 10. *Hircum vero super quem ceciderit sors pro Azazel, statuet vivum coram Iehova ad emundandum per illum, ad emittendum illum in Azazel in desertum.* 11. *Offeret autem Aharon iuvencum pro hostia peccati suum, et expiationem faciet pro se et pro domo sua, mactabitque iuvencum pro hostia peccati suum.* 12. *Assumet quoque plenum thuribulum prunis ignitis de altari a conspectu Iehovae, et plenas volas suas de incenso aromatico comminuto, et inferet intra velum.* 13. *Ponetque incensum super ignem coram Iehova: operietque nubes incensi propitiatorium quod est super testimonium, et non morietur.* 14. *Deinde accipiet de sanguine iuvenci, et asperget digito suo contra faciem propitiatorii ad orientem: coram propitiatorio inquam asperget septem vicibus de sanguine illo, digito suo.* 15. *Mactabit praeterea hircum hostiam pro peccato, qui fuerit populi, et inferet sanguinem eius intra velum: facietque de sanguine eius quemadmodum fecit de sanguine iuvenci, aspergens scilicet illum supra propitiatorium, et coram propitiatorio.* 16. *Et emundabit sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, et a praevaricationibus eorum, cunctisque peccatis eorum: sic quoque faciet tabernaculo conventionis quod moratur cum eis in medio immunditiarum eorum.* 17. *Nullus autem homo erit in tabernaculo conventionis dum ingredietur ipse ad emundandum in sanctuario, donec egrediatur ipse: et expiationem fecerit pro se et pro domo sua, et pro universo coetu Israel.* 18. *Exibit autem ad altare quod est coram Iehova: et expiabit illud: tolletque de sanguine iuvenci, ac de sanguine hirci, et ponet super cornua altaris per circuitum.* 19. *Aspergetque super illud de sanguine illo, digito suo, septem vicibus, ac mundabit illud sanctificabitque ab immunditiis filiorum Israel.* 20. *Quum autem finierit expiare sanctuarium tabernaculumque conventionis et altare, tunc offeret hircum vivum.* 21. *Imponetque Aharon ambas manus suas super caput hirci vivi, et confitebitur super illud omnes iniquitates filiorum Israel, et omnes praevaricationes eorum cum omnibus peccatis eorum: et ponet illa super caput hirci, ac emittet illum per manum viri praeparati in desertum.* 22. *Et portabit hircus ille super se omnes iniquitates eorum in terram inhabitabilem, et abire sinet hircum illum in deserto.* 23. *Veniet post haec Aharon in tabernaculum conventionis, et exuet se vestibus lineis, quibus induerat se dum ingrederetur sanctuarium, et ponet eas ibi.* 24. *Lavabitque carnem suam aqua in loco sancto: et induet se vestibus suis: egredietur autem et faciet holocaustum suum et populi, et expiationem faciet pro se et pro populo.* 25. *Adipem vero hostiae pro peccato adolebit super altare.* 26. *Qui vero deduxerit hircum in Azazel, lavabit vestimenta sua, posteaquam laverit carnem suam aqua, et postea ingredietur castra ipsa.* 27. *Iuvencum autem pro peccato, et hircum pro delicto quorum illatus fuerit sanguis ad emundandum in sanctuario, educet extra castra, et comburent igni pellem eorum, et carnes eorum, et fimum eorum.* 28. *Et qui combusserit ea, lavabit vestimenta sua, postquam laverit carnem suam aqua, et postea ingredietur castra.* 29. *Eritque vobis in statutum perpetuum: mense septimo decima mensis affligetis animas vestras: neque opus ullum facietis, indigena et peregrinus qui peregrinatur in medio vestri.* 30. *In hac enim die expiabit vos ut emundet vos ab omnibus peccatis vestris, coram Iehova mundabimini.* 31. *Sabbathum quietis est vobis, et affligetis animas vestras statuto perpetuo.* 32. *Expiabit enim sacerdos quem unxerit ungens, et cuius consecraverit manum ad fungendum sacrificio pro patre suo, induetque se vestibus lineis, vestibus sanctis.* 33. *Et expiabit sanctuarium sanctitatis et tabernaculum conventionis, altare quoque expiabit et sacerdotes, et cunctum populum congregationis expiabit.* 34. *Eritque hoc vobis in statutum perpetuum, ad emundandum filios Israel ab omnibus peccatis suis, semel quotannis. Et fecit Moses secundum quod praeceperat ei Iehova.*

1. *Loquutus est autem.* Hic copiose describitur quod paulo ante veluti in transcursu attigimus, de solenni expiatione quae quotannis fiebat mense septimo. Nam quum doceret Moses quibus sacrificiis litandum esset in singulos dies festos, ubi de ipso die expiationum quo affligebant animas suas loquutus est, diserte excepit hoc sacrificium, sed tantum uno verbo. Nunc itaque seorsum clara et distincta expositio traditur. Etsi autem aliis quoque anni temporibus expiabantur peccata tam publice quam privatim, atque ad hunc usum valebant quotidianae victimae, hic tamen ritus solennior expergefacere debuit populi mentes, ut attentius se toto anno exercerent in venia et remissione assidue petenda. Ergo ut magis solliciti essent de placando Deo, expiatio una, anno vertente, peracta fuit, quae reliquas omnes sanciret. Caeterum quo diligentius observent quod mandatur, circumstantiam temporis notat Moses, legem latam esse ex quo divinitus exstincti fuerant Nadab et Abiud, qui sua negligentia temere altare Dei polluerant.

2. *Loquere ad Aharon.* Summa legis est, ne sacerdos saepius ingrediatur interius sanctuarium, sed tantum semel quotannis, nempe festo expiationis die mense Septembri. Quod ideo factum est, ne ingressus frequentior vilesceret: nam si promiscue in omnibus sacrificiis esset ingressus, non parum de reverentia detractum esset. Satis ad testandam reconciliationem valebat ordinaria altaris aspersio: annuus autem hic ritus magis erigebat populi mentes. Deinde sacrificio, quod semel tantum in fine anni cernebant, clarius repraesentatum fuit unicum et perpetuum quod obtulit filius Dei. Itaque ad hanc caeremoniam concinne alludit apostolus in epistola ad Hebraeos (9, 8 et 10, 13): ubi dicitur, anniversario sacerdotis ingressu spiritum sanctum docuisse, quamdiu stetit prius tabernaculum, nondum patefactam fuisse sanctorum viam: et paulo post addit, postquam apparuit Christus verus pontifex, semel ingressum fuisse in sancta, quia aeternam redemptionem adeptus est. Ita annus in veteri figura, unicae oblationis fuit symbolum, ut intelligerent fideles non iterandum esse saepius sacrificium, quo placandus erat Deus. Iam quo plus timoris Deus incutiat, et securitatem excutiat sacerdotibus, commemorat suam gloriam in nube conspicuam fore in parte sanctuarii, ubi erat propitiatorium. Scimus enim signum illinc datum esse Israelitis, quando movenda essent castra, vel quamdiu standum esset in uno loco. Illud autem praesentiae Dei testimonium merito sacerdotes ad maiorem curam et attentionem erigere debuit: unde nunc quoque discendum est, quo propius se ostendit Dei maiestas, eo magis sollicite cavendum esse, ne quod signum contemptus demus nostra incogitantia: sed qua decet humilitate et modestia, submissionem nostram testemur.

3. *Cum hoc ingredietur Aharon sanctuarium.* Nunc ritus et forma describitur, primo ut Aharon sacras vestes induat, et abluat corpus: deinde ut iuvencum et arietem in holocaustum offerat: tertio ut duos hircos accipiat a populo, quorum unus vivus emittatur, alter vero mactetur in hostiam. Diximus autem alibi cur alio quam communi vestitu ornandi fuerint sacerdotes: qui enim mediator est Dei et hominum, omni sorde et macula purum esse oportet. Hoc quum nullus mortalium vere praestare queat, figura loco rei supposita fuit, ex qua discerent fideles, alium esse exspectandum mediatorem, quia in filiis Aharon tantum umbratilis erat dignitas, non autem vera et solida. Quoties enim suis vestibus exutus sacerdos, sanctas et ab usu communi separatas sumebat, perinde fuit ac si palam testatum faceret alienam se personam gerere. Quod si id symbolum non sufficeret, ablutio rursus docuit, neminem ex filiis Aharon legitimum esse propitiatorem. Quomodo enim alios purgasset qui purgatione egebat ipse, suamque immunditiam profitebatur? Tertium quoque symbolum accessit: nam qui proprio sacrificio se et domum expiabat, quomodo ad promerendum aliis Dei favorem idoneus fuisset? Ergo ita admoniti fuerunt sancti patres, sub imagine hominis mortalis promitti alium mediatorem, qui ad reconciliandum genus humanum se coram Deo sisteret cum perfecta et plus quam angelica puritate. Ad haec, in persona sacerdotis exhibitum populo fuit spectaculum corruptionis, qua inquinatum est totum humanum genus, ut coram Deo foeteat. Nam si sacerdos et a Deo electus, et sacra unctione praeditus, tamen ob suas sordes indignus erat qui ad altare accederet, quaenam in vulgo reperta fuisset dignitas? Atque hinc hodie quoque ad nos manat valde utilis doctrina, ubi de propitiando Deo agitur, non esse huc vel illuc circumspiciendum: quia extra Christum nulla est munditiae, et innocentia quae Dei iudicio respondeat.

7. *Postea capiet duos hircos.* Duplex hic ponitur expiationis forma: nam ex duobus hircis alter more legali oblatus fuit in victimam, alter emissus, ut esset κάθαρμα vel περίψημα. Utriusque autem figurae veritas in Christo fuit exhibita, quia et agnus Dei fuit (cuius immolatio delevit peccata mundi) et, ut κάθαρμα esset, exstinctus fuit in eo decor, et reiectus fuit ab hominibus. Posset quidem afferri magis arguta speculatio, nempe postquam oblatus erat hircus, emissionem eius fuisse resurrectionis Christi figuram: ac si immolatio unius hirci testata esset, in morte Christi satisfactionem pro peccatis quaerendam esse: alterius autem vita et discessus ostendisset, Christum ex quo pro peccatis oblatus est, et maledictionem hominum sustinuit, vivum tamen manere et superstitem. Ego vero quod simplicius est et certius amplector, eoque sum contentus: hircum qui vivus et liber abibat, vice piaculi fuisse, ut ex illius discessu et fuga certior fieret populus peccata sua procul abacta evanuisse. Atque hoc solum in lege fuit piaculare sacrificium absque sanguine. Neque id apostoli sententiae repugnat: nam quum hirci duo coniunctim oblati fuerint, satis fuit alterius caedem intercedere, et sanguinem fundi in expiationem. Sors enim non iaciebatur donec ad ostium tabernaculi uterque hircus adductus esset. Ita quamvis unum vivum sisteret sacerdos ad reconciliationem, quemadmodum verbis Mosis exprimitur, non tamen placatus fuit Deus absque sanguine, quia vis expiationis a sacrificio alterius hirci pendebat. Quod ad vocem Azazel spectat, quanquam variant interpretes, non dubito quin locum designet ad quem abigebatur piacularis hircus. Est certe nomen compositum, quod tantundem valet ac discessum caprae, quod Graeci ἀποπομπαῖον verterunt, nescio an conveniat. Certe quod interpretes accipiunt, ac si vocatus esset hircus ille malorum de-

pulsor, sicuti gentes finxerunt deos quosdam ἀλεξικάκους, vereor ne subtilius sit. Optime quadrat quod dixi de caprae abitu: quanquam ab Hebraeis dissentio, qui locum monti Sinai contiguum fuisse volunt: quasi vero non fuerit quotannis sors iacta Azazel, quum tamen longissime abesset populus a monte Sinai. Sufficiat igitur delectam fuisse regionem solitariam et minime habitabilem, ut illuc abigeretur hircus, ne in populo resideret Dei maledictio.

12. *Assumet quoque plenum thuribulum.* Antequam sanguinem in sanctuarium inferat, iubetur suffitum offerre. Erat quidem (ut ante vidimus) altare thymiamatis, ubi adolebat sacerdos, sed ante velum: nunc vero ut suffitum faciat sacerdos in ipso adyto, iubetur intra velum penetrare. Notatu vero dignum est quod dicitur fumo thymiamatis operiendum esse propitiatorium, ne moriatur sacerdos. Hoc enim signo ostensum fuit quam formidabilis sit Dei maiestas, cuius conspectus etiam sacerdoti lethalis esset: ut omnes discerent contremiscere, et suppliciter coram eo se prosternere, deinde ut omnis audacia et temeritas compesceretur. Incertum vero est an simul mactaverit iuvencum pro se, et hircum pro populo, an vero postquam sanguine sui sacrificii sanctuarium asperserat, hircum seorsum immolaverit. Videtur quidem Moses hanc distinctam seriem verbis suis notare, quia ubi de prima aspersione loquutus est, continuo post subiicit: Mactabit quoque hircum pro peccato: sed quia apud Mosen narrationes saepe non ponuntur suo loco, et res est exigui momenti, eligat lector utrum volet.

16. *Et emundabit sanctuarium.* Absurda videri posset sanctuarii ablutio, ac si in hominum arbitrio esset quod Deus ipse consecravit, polluere. Atqui scimus Deum veracem manere, quamvis totus mundus impius sit: unde sequitur, quidquid instituit Deus naturam non mutare hominum vitiis. Quod si nulla ex hominum peccatis contagio tabernaculum infecit, supervacua erat ablutio: verum quamvis sanctuarium per se nullam labem contraxerit ex sceleribus populi, tamen quoad ipsius populi culpam et reatum, merito immundum censetur. Atque ita exaggeratur crimen, quod homines (quibus alioqui propositum est Deum colere) si contemptim vel minus reverenter id faciant, sacrum profanant eius nomen. Detestabile omnibus sacrilegium tum fuit, altare et sanctuarium Dei polluere. Atqui Moses huius sacrilegii reos facit Israelitas, ubi iubet sanctuarium purgari. Porro sciamus homines ita contaminare Dei sacra, ne quid tamen decedat eorum naturae, nec dignitas violetur. Quare diserte exprimit Moses purgari sanctuarium ab inquinamentis non suis, sed filiorum Israel. Nunc huius figurae veritas in usum nostrum tenenda est. Per baptismum et sacram coenam nobis apparet Deus in filio suo unigenito: haec sunt sanctitatis nostrae pignora: verum quae nostra corruptio est, haec spiritus organa, quibus nos Deus sanctificat, profanare non desinimus, quantum in nobis est. Quando autem nullae pecudes mactantur, ingemiscere oportet: ac suppliciter precari, ut sordes nostras quibus baptismus vitiatur et sacra coena, Christus sanguinis sui aspersione deleat, ac purget. Ratio purgationis notanda est, quoniam habitet apud ipsos tabernaculum inter eorum immunditias. Quibus verbis significat Moses, sic pollutos esse homines et corruptelis refertos, ut quidquid sanctum est contaminent, nisi intercedat abstersio: nam pro confesso sumit, fieri non posse quin homines semper aliquid impuritatis secum ferant. Quod autem de adyto dictum est, ad altare quoque transfert, et totum tabernaculum.

17. *Nullus autem homo.* Quod omnes inter ipsum expiationis actum ab accessu tabernaculi arcentur, quodammodo poena illis infligitur temporalis exsilii: ut agnoscant se profligari a Dei facie, donec locus qui maculam contraxit ex eorum peccatis, purgetur. Hoc triste fuit spectaculum, quum tabernaculum desererent omnes quorum causa exstructum fuerat: sed hoc modo admoniti fuerunt, omnes salutis partes et numeros includi sub una Dei misericordia, dum se videbant a proposito veniae obtinendae remedio excludi: nisi altera venia succurreret: quoniam a spe reconciliationis exciderant.

20. *Quum finierit expiare.* Clarius nunc exprimitur ratio piaculi quoad alterum hircum, nempe ut sistatur coram Deo, et sacerdos manibus super caput eius impositis, confiteatur peccata populi, ut maledictionem reiiciat in ipsum hircum: hoc unum (ut dixi) ἀναίμακτον sacrificium fuit: diserte enim ponitur oblatio, sed quae immolationem prioris hirci respiceret: ideoque quoad vim placationis, minime esset ab ea separanda. Porro innoxium animal substitui in locum hominum, ut Dei maledictioni subiiceretur, minime consentaneum fuit: nisi ut discerent fideles se ferendo Dei iudicio minime pares esse, nec aliter se liberari quam noxa et culpa alio translata. Nam quia sentiunt homines, se ira Dei, quae omnibus incumbit, penitus obrui, onus illud intolerabile variis modis amoliri vel excutere conantur, sed frustra: quia nulla absolutio speranda, nisi satisfactione interposita: hanc vero fas non est obtrudi hominum arbitrio: et stultae superbiae est, in se ipsis pretium quaerere, quo peccata compensent. Alia igitur placandi Dei ratio tradita fuit, dum Christus factus maledictio, in se peccata transtulit quae homines a Deo alienabant (2. Cor. 5, 19. Galat. 3, 13. Psal. 51, 19). Confessio autem ad humiliandum populum valuit, et ita stimulus fuit ad studium poenitentiae: quia sacrificium Deo

est spiritus afflictus. Nec vero convenit Dei misericordia erigi nisi prostratos, vel absolvi, nisi qui se ipsos ultro damnarunt. Huc tendit verborum congeries: Confitebitur omnes iniquitates, omnes praevaricationes, et omnia peccata: ne leviter tantum et defunctorie agnoscant fideles se coram Deo reos, sed potius sub scelerum gravitate gemant. Iam quia in Christo certus dies in anno praescriptus non est, in quo ecclesia solenni ritu confiteatur sua peccata, discant fideles, quoties in nomine Dei conveniunt, suppliciter ad veniam deprecandam, voluntariae damnationi se subiicere, ac si spiritus Dei formam dictaret: simul ad eandem quisque regulam privatim se formet.

26. *Qui vero deduxerit.* Quoniam hircus ille *κάθαρμα* erat irae Dei et maledictioni devotum, iubetur qui illum deduxerit, corpus suum et vestes abluere, ac si labe esset coinquinatus: quo symbolo admoniti fuerunt fideles quantopere detestabilis esset sua iniquitas, quo magis ac magis exhorrescerent quoties reputabant quid essent promeriti. Nam quum hominem viderent a castris prohiberi, quia solo capri tactu pollutus foret, in mentem venire necesse fuit, quanto maius dissidium esset inter Deum et ipsos, qui immunditiem non aliunde contractam, sed propria culpa conflatam in se gestabant. Eadem est eius ratio qui pellem et carnes et fimum iuvenci et hirci combusserat. Alibi vidimus reliquias illas extra castra fuisse delatas in signum abominationis. Atque hac in parte clarius refulget inaestimabilis Christi erga nos amor, qui exire ab urbe gravatus non est, ut fieret pro nobis reiectamentum, ac maledictionem nobis debitam subiret.

29. *Eritque vobis in statutum perpetuum.* Nunc demum exprimitur dies ille publicae expiationis, et breviter attingitur afflictio animarum, cuius plenior fit mentio 23. capite, quo se diligentius in seria meditatione poenitentiae exerceant, nec dubitent vere se coram Deo purgari, sacramentali tamen modo, nempe ut caeremonia externa signum minime fallax esset eius expiationis, qua semel in plenitudine temporis conciliandi erant Deo. Itaque pluribus verbis inculcat Moses proprium hoc esse sacerdotis munus: quo elogio gratiam futuri mediatoris commendat, ut ad eum unum dirigat fidelium mentes.

LEVIT. I.

1. *Vocavit autem Mosen, et loquutus est Iehova cum eo e tabernaculo conventionis, dicendo:* 2. *Loquere ad filios Israel, et dic illis: Homo quum offeret ex vobis oblationem Iehovae: ex animalibus, ex bobus, et ex pecudibus offeretis oblationem.* 3. *Si holocaustum oblatio eius fuerit ex bobus, masculum immaculatum offeret: ad ostium tabernaculi conventionis offeret eum pro animi proposito in conspectu Iehovae.* 4. *Et admovebit manum suam super caput holocausti: et acceptum erit pro ipso ad eum expiandum.* 5. *Mactabit autem iuvencum in conspectu Iehovae, et offerent filii Aharon sacerdotes sanguinem, ac spargent illum in circuitu super altare quod erit ad ostium tabernaculi conventionis.* 6. *Et excoriabit holocaustum, concidetque in frusta sua.* 7. *Ponentque filii Aharon sacerdotis ignem super altare, et disponent ligna super ignem.* 8. *Post haec disponent filii Aharon sacerdotes frusta, caput, et adipem, super ligna superimposita igni qui est super altare.* 9. *Intestina autem eius et crura lavabit aqua, et adolebit sacerdos omnia super altare: holocaustum est, oblatio ignita odoris quietis Iehovae.* 10. *Quod si de pecudibus fuerit oblatio eius, de ovibus, vel de capris in holocaustum, masculum immaculatum offeret eum:* 11. *Mactabitque illud ad latus altaris ad aquilonem in conspectu Iehovae: spargentque filii Aharon sacerdotes sanguinem eius super altare in circuitu.* 12. *Et concidet eum in frusta sua, et caput eius, et adipem eius: ordinabitque ea sacerdos super ligna superposita igni qui est super altare.* 13. *Et intestina et crura lavabit aqua, offeretque sacerdos omnia, adolebitque super altare: holocaustum est, oblatio ignita odoris quietis Iehovae.* 14. *Si autem de avibus fuerit holocaustum, oblatio ipsius Iehovae, tum offeret de turturibus aut de columbis oblationem suam.* 15. *Et offeret illam sacerdos super altare, et ungue secabit caput ipsius: et adolebit super altare, exprimeturque sanguis eius super parietem altaris.* 16. *Et removebit vesiculam eius cum pluma ipsius: proiicietque illam prope altare ad orientem ad locum cineris.* 17. *Et findet illam cum alis suis, neque dividet, adolebitque eam sacerdos super altare, super ligna quae fuerint super igne: holocaustum est oblatio ignita odoris quietis Iehovae.*

1. *Vocavit autem Mosen.* His septem capitibus generaliter de sacrificiis disseret Moses. Quoniam autem multa hic leguntur quorum usus praeteriit, alia quorum me latet ratio, profiteor me brevi summa contentum fore: ex qua tamen probe intelligant lectores quidquid de legalibus figuris nobis relictum est, hodie quoque esse utile, modo ne simus nimium curiosi. Qui subtilius allegoriis ludere volunt, referant sane quam appetunt laudem: mihi quia nihil aliud propositum est quam lectoribus prodesse, quae cognitu utilia duxero, breviter colligere sufficiet. Porro hoc capite etsi de holocaustis tantum disseritur, quae tamen de illis praescribitur regula latius patet: quando quidem docet Moses quaenam animalia sibi offerri velit Deus ut grata habeat, deinde per quem offerenda sint, et quo ritu. Tres autem species enumerat, ex armentis, ex pe-

cudibus et ex avibus. Vaccae enim rufae ex qua cinis expiationis fiebat, alia specialis fuit ratio: hic enim de ordinariis sacrificiis agitur, quibus solebant privati homines vel peccata expiare, vel pietatem suam testari. Masculos ergo tam boves quam agnos et hoedos offerri iubet, deinde integros et puros omni macula. Proinde videmus nonnisi ex mundis animalibus delecta fuisse sacrificia: deinde non quaelibet munda animalia placuisse Deo, sed domestica, et quae se patiuntur manu et arbitrio hominum regi. Etsi enim interdum cicurantur damae et capreae, ad altare tamen suum Deus non admisit. Hoc ergo principium fuit obedientiae, ne homines absque delectu offerrent has vel illas victimas, sed ex pecore suo boves, ex gregibus autem agnos vel hoedos. Puritas ob duos fines requiritur: nam quia sacrificia Christi erant figurae, in omnibus repraesentari oportuit summam eius perfectionem, qua placandus erat coelestis pater. Deinde admonendi fuerunt Israelitae, repudiari a Deo omnem immunditiem, ne eius cultum suis sordibus polluerent. Sicuti autem ad studium verae sinceritatis illos hortabatur Deus, ita satis superque eos docebat, nisi fidem suam ad Christum dirigerent, repudiari quidquid ab ipsis profectum erat: neque enim bruti animalis puritas satisfactura erat Deo, nisi aliquid praestantius designasset. Secundo loco praecipitur, ut qui hostiam offert, postquam accesserit ad ostium tabernaculi, manus imponat super caput holocausti. Haec autem caeremonia non modo signum erat consecrationis, sed etiam piaculi: quoniam in hominis locum subiiciebatur animal: quod exprimitur verbis Mosis: Grata erit ad ipsum expiandum. Minime ergo dubium est quin reatum suum et quidquid poenarum meriti erant, in hostias transtulerint, ut Deo reconciliarentur. Porro quum minime fallax haec promissio fuerit, statuendum est pretium satisfactionis fuisse in veteribus sacrificiis quod ipsos solveret culpa et reatu in Dei iudicio: non tamen quod per se ad expiationem valerent bruta animalia, nisi quatenus testimonia erant gratiae per Christum exhibendae. Itaque modo sacramentali reconciliati fuerunt Deo veteres per victimas, sicuti hodie abluimur per baptismum. Unde sequitur, symbola illa utilia duntaxat fuisse, quatenus exercitia erant ad poenitentiam et fidem, ut peccator iram Dei metuere disceret, ac in Christo veniam quaereret.

5. *Mactabit autem iuvencum.* Subiicitur mactandi ritus, nempe ut sacerdos victimam ipsam paret, ac sanguinem fundat super altare: neque enim privato homini permittitur manibus suis immolare ipsam victimam, sed in eum transfertur quod ipsius nomine peragebat sacerdos. Id vero notatu dignum est, quamvis reconciliationis pignus domo afferrent, quaerendos tamen alibi fuisse placationis ministros, quia nemo ad tam praeclarum munus idoneus nisi qui sacra unctione divinitus ornatus est. Palam ergo ostensum fuit, indignos esse cunctos mortales qui ad Deum propitiandum accederent, et quodammodo pollutas esse omnium manus, vel profanas, nisi quas Deus ipse purgasset. Neque enim aliunde sacrificandi dignitas quam ex gratia spiritus, cuius pignus erat externa unctio. Nunc intelligimus, quomodo obtulerint singuli Deo sacrificia, et tamen unicus sacerdos hoc officio defunctus fuerit. Aspersum sanguine fuit altare, ut sciret populus non excidere in terra sanguinem ex victima fusum, sed Deo consecrari et quasi gratum odorem spirare: sicuti hodie coram eius facie apparet Christi sanguis. Reliqua praetereo: sicuti de tertia specie, hoc est, de avibus, non videtur operae pretium plura dicere. Tenendum tamen est, Mosen hactenus de holocaustis loquutum esse quorum corpus adolebatur: quia non eadem erat omnium ratio: ut postea videbimus. Quod ergo bis dictum fuit: Disponet sacerdos frusta illa, et adipem: non ita accipiendum est, quasi tantum adipem comburi iuberet cum capite, sed ne quid residuum maneret praeter pellem. Quanquam nonnullis placet פדר esse caput truncum: quorum sententiam non reiicio, modo ne adipem excludamus. Quod autem in victima sordidum erat voluit lavari Deus, ne quid eam contaminaret. Nunc quaeritur ratio combustionis, sive in totum, sive in parte. Equidem existimo igne ostensam fuisse spiritus virtutem, a qua dependet tota sacrificiorum utilitas, nisi enim in spiritu passus fuisset Christus, non fuisset expiatrix victima. Ignis ergo velut condimentum fuit, quod sacrificiis verum suum saporem daret: quia spiritu consecrandus erat Christi sanguis, ut nos ab omnibus scelerum maculis ablueret. Id in holocaustis plenius repraesentari voluit Deus, nulla tamen victima oblata fuit, cuius non aliqua pars igne adoleretur.

LEVIT. II.

1. *Anima quum offeret oblationem minha Iehovae, simila erit oblatio eius: fundetque super eam oleum, ac thus superimponet.* 2. *Afferet autem eam ad filios Aharon sacerdotes, et accipiet inde plenum pugillum de simila eius, et de oleo ipsius supra totum thus ipsius, adolebitque sacerdos odorem eius super altare: oblatio ignita est odoris quietis Iehovae.* 3. *Et residuum e minha, ipsius Aharon erit et filiorum eius, sanctum sanctorum est ex oblationibus ignitis Iehovae.* 4. *Quum vero obtuleris oblationem minha, coctionem clibani, sit e simila placentae infermentatae mixtae oleo, et lagana ex infermentatis mixta oleo.* 5. *Si*

minha sartaginis erit oblatio tua, sit simila conspersa oleo infermentata. 6. *Concides eam in frusta, et fundes super eam oleum: minha est.* 7. *Quod si minha craticulae erit oblatio tua, simila sit oleo conspersa.* 8. *Afferesque minha ex illis factam Iehovae: et offeres illam sacerdoti qui admovebit eam altari.* 9. *Tolletque sacerdos de minha odorem eius, et adolebit super altare: oblatio est ignita odoris quietis Iehovae.* 10. *Et quod superfuerit e minha erit Aharon et filiorum eius, sanctum sanctorum est ex oblationibus ignitis Iehovae.* 11. *Omnis minha quam offeretis Iehovae non fiet fermentata: quia de nullo fermento, et de nullo melle adolebis oblationem ignitam Iehovae.* 12. *In oblatione primitiarum offeretis ea Iehovae: et super altare non ascendent in odorem quietis.* 13. *Et omnem oblationem minhae tuae sale salies, neque cessare facies sal foederis Dei tui a minha tua: in omni oblatione tua offeres sal.* 14. *Si vero obtuleris minham primitiarum Iehovae, spicam tostam igni, triticum contusum spicae plenae offeres minham primitiarum tuarum.* 15. *Et pones super eam oleum, pones item thus super eam: minha est.* 16. *Et adolebit sacerdos odorem eius, de frumento eius contuso, et de oleo eius ultra totum thus ipsius: oblatio est ignita Iehovae.*

1. *Anima quum offeret.* Hoc capite praecipit Moses quaenam sit oblationum ratio, quibus speciale nomen minha impositum est. Erant autem non cruentae, neque ex animalibus, sed tantum ex farina et oleo. Porro si quis farinam crudam offerre vellet, iubetur thure et oleo ipsam condire, deinde eligere similaginem, ne furfure vitietur oblatio, ita hic, sicuti in toto Dei cultu, praescribitur regula, ne quid nisi purum offeratur: deinde per oleum commendatur sapor, per thus vero boni odoris fragrantia. Scimus, nec gustus dulcedine, nec suavi olfactu Deum capi: sed his symbolis rudem populum doceri utile fuit, ne insipidis suis commentis Dei cultum corrumperent. Postea iubet Moses, quidquid Deo consecratur tradi in manum sacerdotis, quemadmodum ante vidimus excludi hoc honore privatos homines, ut Christo maneat sua dignitas, nempe ut per eum solum quaeratur ad Deum accessus: ac sciant cuncti mortales nullum Deo placere cultum nisi quem ipse sanctificat. Huius figurae veritas breviter monstratur apostoli verbis, ubi dicit, hodie nos per ipsum offerre hostiam laudis Deo, hoc est fructum labiorum confitentium nomen eius (Hebr. 13, 15). Ubi autem sacerdos pugillum farinae cum oleo et thure incenderit, quod residuum est relinquitur in eius usum. Nam (ut alibi vidimus) sancta sanctorum ex oblationibus ignitis sacerdotibus data erant. Aliae deinde species ponuntur, nempe placentae in clibano coctae, postea frixae, tertio tostae in craticula. Voluit autem Deus ex singulis placentarum formis sibi fieri minha, ut discerent filii Israel in toto victu ad eum respicere: quia nihil nobis mundum nisi quod ipse sua benedictione consecrat. Haec ratio est, cur Moses curiose distinguat inter placentas, quae vel in clibano, vel in sartagine, vel in craticula coquuntur.

11. *Omnis minha quam offeretis.* Hic vetat Deus panes fermentatos sibi offerri: quo ritu edocti fuerunt veteres, corrumpi Dei cultum si quod alienum commentum admisceatur. Nec dubium est quin huc alluserit Christus, quum discipulos admonuit ut sibi caverent a fermento Pharisaeorum (Matth. 16, 11): ea voce figmenta intelligens quibus pietatem inquinaverant. Fermenti esus alia ratione prohibitus fuit in paschate, nempe ut memores essent subitae profectionis, vel potius fugae in quam non licuerat viaticum parare. Quanquam longius etiam extendit Paulus (1. Cor. 5, 7), nempe ut abstineant fideles ab omni fermento malitiae et pravitatis. Verum in hac generali regula certum est adventitias omnes corruptelas damnari quibus polluitur sincera religio: ac si dictum esset, nullas Deo nisi genuinas et ab omni extraneo sapore alienas oblationes probari. Quod ad mel spectat, obscurior est ratio. Nam quod subtiliter quidam de eius natura disputant, nescio an satis firmum sit. Etsi autem vix quidquam asserere audeo, omissis tamen argutiis, quod probabilius videtur afferam. Mel coctum, ut statim acorem contrahit, panem cui miscetur fermentat: ideo haec duo coniuncta videntur: Ne mel aut fermentum adoleantur. Quod autem post continuo subiicit Moses: Offeretis ea Iehovae inter primitias: nescio an fermento conveniat, sicuti volunt quidam: certe simplicior videtur esse exceptio, ex melle quidem gratos fore Deo primitias, modo ne oblationes altaris inficiat. Porro dubium non est quin veteres, ne inutile esset praeceptum, finem eius tenuerint, atque ita sciverint nihil in sacris esse legitimum nisi quod Deus instituit. Nos vero post abrogatum caeremoniae usum, discamus in Deo colendo nostra commenta vel imaginationes non ingerere, sed quam praescribit regulam obedienter sequi.

13. *Et omnem oblationem.* Similis fere in saliendis victimis ratio, ne sapore careret Dei cultus. Porro vera conditura, quae gratiam sacrificiis conciliet, nusquam reperitur nisi in Dei verbo. Unde sequitur, cultus omnes humanitus fabricatos, tanquam insulsos repudiari. Quamvis enim se valde acutos existiment qui superstitionibus profanant Dei cultum, mera tamen fatuitas est quod illis maxime arridet sub sapientiae colore. Quanquam Christus ex hac caeremonia exhortationem deducit, ut aequis animis sustineant fideles se excoqui et purgari, si Deo placere cupiunt. Omnis victima, inquit, salietur, et homo igne salietur. Quibus ver-

bis significat, tunc nos gratas Deo esse victimas ubi sumus igne examinati: et hanc esse salis conditurам, ubi caro nostra cum suis cupiditabus probe macerata fuerit. Interea fixum illud maneat, cultum Dei rectum non censeri absque sapore, qui ex verbo petendus est: quia in omnibus hominum cerebris ne mica quidem salis reperietur. Alias subtiliores allegorias praetermitto, quarum non alium video usum nisi ut curiosas aures oblectent. Sal foederis alio sensu ponitur quam foedus salis, nempe quod adhibetur ad sacra tanquam ex inviolabili Dei pacto. Unde etiam confirmatur quod iam dixi, foederis Dei observationem in eius cultu semper primas tenere.

14. *Si vero obtuleris.* Haec oblatio a primitiis diversa est, quia erat voluntaria, quum primitiae ex legis praescripto solverentur. Verum si quis ex horno tritico primitiis vellet aliquid superaddere, regulam tradit Moses: ut spicae torreantur, quo possint facilius conteri, deinde mixtae oleo cum thure adoleantur: sic enim interpretor Mosis verba, ut idem significent spica tosta et triticum spicae contusum: spicas vero plenas exigit, ut delectum habeat populus, ne quid exile aut macilentum offerat.

LEVIT. III.

1. *Quod si sacrificium prosperitatum fuerit oblatio eius, si de bobus ipse offeret sive masculum, sive feminam offerat, immaculatum offeret eum in conspectu Iehovae.* 2. *Et imponet manum suam super caput oblationis suae, et immolabit eum ad ostium tabernaculi conventionis: fundentque filii Aharon sacerdotes sanguinem super altare per circuitum.* 3. *Postea offeret de sacrificio prosperitatum oblationem ignitam Iehovae, adipem operientem intestina, et omnem adipem qui est super illa.* 4. *Et duos renes, adipemque qui est super ipsos, qui est super ilia, et fibram cum iecore cum renibus removebit.* 5. *Adolebunt autem omne illud filii Aharon super altare, una cum holocausto quod erit super ligna superposita igni: oblatio ignita est odoris quietis Iehovae.* 6. *Quod si de pecudibus fuerit oblatio eius, in sacrificium prosperitatum Iehovae, masculum aut feminam immaculatum offeret eum:* 7. *Si vero agnum offerat oblationem suam, tum offeret illum in conspectu Iehovae:* 8. *Imponetque manum suam super caput oblationis suae, postea mactabit eum in conspectu tabernaculi conventionis: et spargent filii Aharon sanguinem eius super altare per circuitum.* 9. *Et offeret de sacrificio prosperitatum oblationem ignitam Iehovae, adipem eius, caudam integram, e regione spinae dorsi removebit eam, adipem quoque operientem intestina, atque omnem adipem qui est super ilia.* 10. *Et duos renes: et adipem qui est super illos, et qui est super ilia, et fibram quae est super iecur, cum renibus removebit.* 11. *Adolebitque illud sacerdos super altare, cibus oblationis ignitae est Iehovae.* 12. *Si vero capra fuerit oblatio eius, tum offeret eam in conspectu Iehovae.* 13. *Ponetque manum suam super caput eius, et mactabit eam coram tabernaculo conventionis, et spargent filii Aharon sanguinem eius super altare per circuitum.* 14. *Postea offeret ex ea oblationem suam, oblationem ignitam Iehovae, adipem operientem intestina: et omnem adipem qui est super ilia.* 15. *Et duos renes, et adipem qui est super illos: et qui est super ilia, et fibram quae est super iecur cum renibus removebit.* 16. *Adolebitque eam sacerdos super altare, cibus oblationis ignitae est odoris quietis: et omnis adeps Iehovae est.* 17. *Statutum perpetuum in generationibus vestris, in cunctis habitaculis vestris: omnem adipem et omnem sanguinem non comedetis.*

1. *Quod si sacrificium.* Transit nunc ad diversum genus, nempe ad sacrificia quae gratitudinis testimonia erant in celebrandis Dei beneficiis: quorum pars igne comburebatur, partem sibi vendicabant sacerdotes, residuum manebat ipsis offerentibus. De voce שלמים alibi quid sentiam attigi: certe non quadrat vulgaris translatio: sacrificia pacificorum. Longe etiam petitum est quod alii tradunt, vocari sacrificia perfectionum, quia immundis ea attingere nefas erat. Porro quum Hebraei pacis nomine comprehendant salutem et laetos omnes successus, pluralem numerum commode censui posse verti prosperitates: qua ratione David (Psal. 116, 13) calicem salutum nominat libamen quod fieri solebat in eiusmodi sacrificio: neque enim dubito quin externo symbolo gratiarum actionem designet. Fateor quidem hoc sacrificium non modo in gratulatione oblatum esse, sed quum pacem et felices successus a Deo peterent: semper tamen optime conveniet epitheton, quia profitebantur Deum omnium bonorum sic autorem esse, ut suas omnes prosperitates ei ferrent acceptas. Primo autem omnia haec sacrificia sisti iubet ad tabernaculum, quod significat per conspectum Iehovae: alioqui enim passim erecta fuissent altaria in urbibus et pagis, et hac licentia discerptus fuisset cultus Dei, et pessumdata religio. Ergo ut populum contineat in eiusdem fidei consensu, iubet omnes unico altari esse contentos. Coli autem et invocari vult in eo loco quem sibi dedicaverat: ne ad Deos extraneos diffluant: deinde ritum offerendi praescribit, sive ex armento sit victima, sive ex pecudibus. Quod autem de rebus minutis tam exacte praecipit, videri posset frivola sedulitas, supervacua etiam repetitio, quod rem unam saepius inculcat verbis prorsus similibus: nisi quod haec diligentia populum commonefecit, aliquid in

caeremoniis praestantius subesse: deinde fraenum iniecit lasciviae, ne sibi permitterent vel minimum quidquam addere vel mutare. Haec igitur tam sollicita observatio eos ad res signatas quasi manu dirigere debuit: ut sub externa imagine spiritualis veritas occurreret eorum oculis. Debuit secundo ipsos quasi alligatos tenere ad Dei verbum, ne quid in rebus sacris ex proprio sensu tentarent. Hodie autem quamvis sacrificandi usus cessaverit, primo docemur profanari a nobis Dei beneficia, nisi in testanda nostra pietate diligenter nos exerceamus, ut meretur immensa eius et assidua erga nos liberalitas: deinde nisi uni Deo maneat illibata haec pietas, ipsum impie iure suo fraudari: tertio sicuti precamur in Christi nomine, ita per ipsius manum solvenda esse vota nostra, reddendasque gratiarum actiones: quarto non esse negligenter vel defunctorie celebrandam Dei beneficentiam, sed ut in re maxime seria, non vulgari studio et attentione elaborandum.

16. *Adolebitque ea sacerdos.* Merito sacerdoti partes assignat quae in sacrificio sunt praecipuae, ut sanguinem spargat, et adipem in ignem iniiciat, quia unus ille ad litandum erat idoneus. Caeterum quamvis aspera sit metaphora in voce cibi: quod tamen docere voluit spiritus sanctus, optime exprimit, cultum legalem perinde placuisse Deo ac suaves nobis sunt cibi quibus vescimur. Quanquam simul notatur familiaris Dei cum populo suo communicatio, ac si communem haberet cum illis mensam. Certum quidem est, alimentis Deum non egere, qui omnibus vitam inspirat, nec quidquam aliunde mutuatur. Sed melius ostendi non potuit incomparabilis eius humanitas quam dum se cultoribus suis convivam facere dignatus est. Eadem loquendi forma populi ingratitudo perstringitur apud Malachiam (1, 12), quia dixerit mensam Dei esse contemptibilem, cibum eius vilem et vulgarem proventum: non quod delectatus fuerit Deus vel adipe pinguium animalium, vel panibus: sed quia deterior fuerit et minus ferenda impietas, negligere illud singulare gratiae eius pignus. Porro haec similitudo ad veritatem referri debet, quod scilicet fidei exercitia et pietatis approbationes non minus Deo placeant quam si laute et suaviter pasceretur: quo magis videndum ne suis eum lautitiis fraudemus. Cur autem Deus adipem sibi vendicet in sacrificiis omnibus, et adoleri iubeat, mihi non satis liquet: nisi quod servos suos hoc modo ad temperantiam assuefacere voluit. Certe adipem pro parte delicatissima accipi antehac vidimus, quia hanc vocem Moses ad triticum et vinum transtulit, ac idem patet etiam in Psalmo (63, 6. Isa. 1, 11): Quasi adipe et pinguedine satiabitur anima mea. Et ubi negat Deus se appetere adipem, significat quod electissimum est in animalibus se non sua causa poscere: verum ut teneant Israelitae sobrie vescendum esse omnibus cibis, ac si florem et primitias consecrassent. Si quis distinctius rem exponi malit, cultum Dei magnifacere adipis oblatio docuit, secundo eos instituit ad abstinentiam. Allegoriae apud alios quaerantur, tantum auribus titillandis concinnae. Isychius postquam adipem esse finxit spirituales affectus, paulo post in crassos appetitus transformat. Alii volunt Christum designari. Alii intelligunt carnis nostrae crassitiem vel pinguedinem igne spiritus excoquendam: ut Deo mortificetur. Me haec simplicitas retinet, quum lex permitteret sacris carnibus vesci, exceptionem fuisse additam, ut optima portio penes Deum maneret: deinde igne consumptum fuisse quod liguritores maxime allicere poterat, ut ingluviem fraenarent. Sanguinis gustus hic quidem interdicitur, ut alibi: quia Deo propter expiationes sacer erat: sed altera fuit maior ratio prohibitionis, cuius facta fuit mentio Genes. 9. cap. et de qua rursus tractandum erit in expositione sexti praecepti.

LEVIT. IV.

1. *Alloquutus est praeterea Iehova Mosen, dicendo:* 2. *Loquere ad filios Israel, dicendo: Anima quum peccaverit per errorem ab omnibus praeceptis Iehovae quae non sunt facienda, feceritque quidpiam de uno ex illis:* 3. *Si sacerdos unctus peccaverit secundum delictum populi, offeret sacrificium pro peccato suo quod peccavit, iuvencum vitulum immaculatum Iehovae pro peccato.* 4. *Adducetque iuvencum illum ad ostium tabernaculi conventionis in conspectu Iehovae, et admovebit manum suam super caput iuvenci, mactabitque iuvencum in conspectu Iehovae.* 5. *Accipietque sacerdos unctus de sanguine iuvenci, et inferet eum in tabernaculum conventionis.* 6. *Dein sacerdos tinget digitum suum in sanguine, aspergetque de sanguine illo septem vicibus coram Iehova:* 7. *Ponetque sacerdos de sanguine isto super cornua altaris suffimenti aromatici coram Iehova, quod est in tabernaculo conventionis: totum autem sanguinem reliquum iuvenci effundet ab basin altaris holocausti quod est ad ostium tabernaculi conventionis.* 8. *Totum praeterea adipem iuvenci oblati pro peccato tollet ab eo: nempe adipem operientem intestina, et totum adipem qui est super ea.* 9. *Duos quoque renes, et adipem qui est super eos, et qui est super ilia, et fibram quae est super iecur, cum renibus auferet:* 10. *Quemadmodum tollitur a bove sacrificii prosperitatum: adolebitque ea sacerdos super altare holocausti.* 11. *Pellem praeterea iuvenci, et omnem carnem eius, cum capite eius, et cruribus, et intestina eius, et fimum eius.* 12. *Educetque totum iuvencum extra castra ad locum mundum, ad locum ubi effunditur cinis: et com-*

bis significat, tunc nos gratas Deo esse victimas ubi sumus igne examinati: et hanc esse salis conditurам, ubi caro nostra cum suis cupiditabus probe macerata fuerit. Interea fixum illud maneat, cultum Dei rectum non censeri absque sapore, qui ex verbo petendus est: quia in omnibus hominum cerebris ne mica quidem salis reperietur. Alias subtiliores allegorias praetermitto, quarum non alium video usum nisi ut curiosas aures oblectent. Sal foederis alio sensu ponitur quam foedus salis, nempe quod adhibetur ad sacra tanquam ex inviolabili Dei pacto. Unde etiam confirmatur quod iam dixi, foederis Dei observationem in eius cultu semper primas tenere.

14. *Si vero obtuleris.* Haec oblatio a primitiis diversa est, quia erat voluntaria, quum primitiae ex legis praescripto solverentur. Verum si quis ex horno tritico primitiis vellet aliquid superaddere, regulam tradit Moses: ut spicae torreantur, quo possint facilius conteri, deinde mixtae oleo cum thure adoleantur: sic enim interpretor Mosis verba, ut idem significent spica tosta et triticum spicae contusum: spicas vero plenas exigit, ut delectum habeat populus, ne quid exile aut macilentum offerat.

LEVIT. III.

1. *Quod si sacrificium prosperitatum fuerit oblatio eius, si de bobus ipse offeret sive masculum, sive feminam offerat, immaculatum offeret eum in conspectu Iehovae.* 2. *Et imponet manum suam super caput oblationis suae, et immolabit eum ad ostium tabernaculi conventionis: fundentque filii Aharon sacerdotes sanguinem super altare per circuitum.* 3. *Postea offeret de sacrificio prosperitatum oblationem ignitam Iehovae, adipem operientem intestina, et omnem adipem qui est super illa.* 4. *Et duos renes, adipemque qui est super ipsos, qui est super ilia, et fibram cum iecore cum renibus removebit.* 5. *Adolebunt autem omne illud filii Aharon super altare, una cum holocausto quod erit super ligna superposita igni: oblatio ignita est odoris quietis Iehovae.* 6. *Quod si de pecudibus fuerit oblatio eius, in sacrificium prosperitatum Iehovae, masculum aut feminam immaculatum offeret eum:* 7. *Si vero agnum offerat oblationem suam, tum offeret illum in conspectu Iehovae:* 8. *Imponetque manum suam super caput oblationis suae, postea mactabit eum in conspectu tabernaculi conventionis: et spargent filii Aharon sanguinem eius super altare per circuitum.* 9. *Et offeret de sacrificio prosperitatum oblationem ignitam Iehovae, adipem eius, caudam integram, e regione spinae dorsi removebit eam, adipem quoque operientem intestina, atque omnem adipem qui est super ilia.* 10. *Et duos renes: et adipem qui est super illos, et qui est super ilia, et fibram quae est super iecur, cum renibus removebit.* 11. *Adolebitque illud sacerdos super altare, cibus oblationis ignitae est Iehovae.* 12. *Si vero capra fuerit oblatio eius, tum offeret eam in conspectu Iehovae.* 13. *Ponetque manum suam super caput eius, et mactabit eam coram tabernaculo conventionis, et spargent filii Aharon sanguinem eius super altare per circuitum.* 14. *Postea offeret ex ea oblationem suam, oblationem ignitam Iehovae, adipem operientem intestina: et omnem adipem qui est super ilia.* 15. *Et duos renes, et adipem qui est super illos: et qui est super ilia, et fibram quae est super iecur cum renibus removebit.* 16. *Adolebitque eam sacerdos super altare, cibus oblationis ignitae est odoris quietis: et omnis adeps Iehovae est.* 17. *Statutum perpetuum in generationibus vestris, in cunctis habitaculis vestris: omnem adipem et omnem sanguinem non comedetis.*

1. *Quod si sacrificium.* Transit nunc ad diversum genus, nempe ad sacrificia quae gratitudinis testimonia erant in celebrandis Dei beneficiis: quorum pars igne comburebatur, partem sibi vendicabant sacerdotes, residuum manebat ipsis offerentibus. De voce שלמים alibi quid sentiam attigi: certe non quadrat vulgaris translatio: sacrificia pacificorum. Longe etiam petitum est quod alii tradunt, vocari sacrificia perfectionum, quia immundis ea attingere nefas erat. Porro quum Hebraei pacis nomine comprehendant salutem et laetos omnes successus, pluralem numerum commode censui posse verti prosperitates: qua ratione David (Psal. 116, 13) calicem salutum nominat libamen quod fieri solebat in eiusmodi sacrificio: neque enim dubito quin externo symbolo gratiarum actionem designet. Fateor quidem hoc sacrificium non modo in gratulatione oblatum esse, sed quum pacem et felices successus a Deo peterent: semper tamen optime conveniet epitheton, quia profitebantur Deum omnium bonorum sic autorem esse, ut suas omnes prosperitates ei ferrent acceptas. Primo autem omnia haec sacrificia sisti iubet ad tabernaculum, quod significat per conspectum Iehovae: alioqui enim passim [illegible] fuissent altaria in urbibus et pagis, et hac [illegible] discerptus fuisset cultus Dei, et pessumdata [illegible] Ergo ut populum contineat in eiusdem fidei [illegible] su, iubet omnes unico altari esse conten[illegible] autem et invocari vult in eo loco quem [illegible] caverat: ne ad Deos extraneos diffluant: [illegible] tum offerendi praescribit, sive ex [illegible] tima, sive ex pecudibus. Quo[illegible] minutis tam exacte praecipit, [illegible] sedulitas, supervacua etiam rep[illegible] saepius inculcat verbis pro[illegible] haec diligentia populum [illegible]

caeremoniis praestantius subesse: deinde fraenum iniecit lasciviae, ne sibi permitterent vel minimum quidquam addere vel mutare. Haec igitur tam sollicita observatio eos ad res signatas quasi manu dirigere debuit: ut sub externa imagine spiritualis veritas occurreret eorum oculis. Debuit secundo ipsos quasi alligatos tenere ad Dei verbum, ne quid in rebus sacris ex proprio sensu tentarent. Hodie autem quamvis sacrificandi usus cessaverit, primo docemur profanari a nobis Dei beneficia, nisi in testanda nostra pietate diligenter nos exerceamus, ut meretur immensa eius et assidua erga nos liberalitas: deinde nisi uni Deo maneat illibata haec pietas, ipsum impie iure suo fraudari: tertio sicuti precamur in Christi nomine, ita per ipsius manum solvenda esse vota nostra, reddendasque gratiarum actiones: quarto non esse negligenter vel defunctorie celebrandam Dei beneficentiam, sed ut in re maxime seria, non vulgari studio et attentione elaborandum.

16. *Adolebitque ea sacerdos.* Merito sacerdoti partes assignat quae in sacrificio sunt praecipuae, ut sanguinem spargat, et adipem in ignem iniiciat, quia unus ille ad litandum erat idoneus. Caeterum quamvis aspera sit metaphora in voce cibi: quod tamen docere voluit spiritus sanctus, optime exprimit, cultum legalem perinde placuisse Deo ac suaves nobis sunt cibi quibus vescimur. Quanquam simul notatur familiaris Dei cum populo suo communicatio, ac si communem haberet cum illis mensam. Certum quidem est, alimentis Deum non egere, qui omnibus vitam inspirat, nec quidquam aliunde mutuatur. Sed melius ostendi non potuit incomparabilis eius humanitas quam dum se cultoribus suis convivam facere dignatus est. Eadem loquendi forma populi ingratitudo perstringitur apud Malachiam (1, 12), quia dixerit mensam Dei esse contemptibilem, cibum eius vilem et vulgarem proventum: non quod delectatus fuerit Deus vel adipe pinguium animalium, vel panibus: sed quia deterior fuerit et minus ferenda impietas, negligere illud singulare gratiae eius pignus. Porro haec similitudo ad veritatem referri debet, quod scilicet fidei exercitia et pietatis approbationes non minus Deo placeant quam si laute et suaviter pasceretur: quo magis videndum ne suis eum lautitiis fraudemus. Cur autem Deus adipem sibi vendicet in sacrificiis omnibus, et adoleri iubeat, mihi non satis liquet: nisi quod servos suos hoc modo ad temper[illegible] assuefacere voluit. Certe adi[illegible] par[illegible] catissima accipi [illegible] vidi[illegible] a[illegible] Moses ad [illegible] patet etia[illegible] adipe et [illegible] negat [illegible] alcor[illegible]

poscere: verum ut teneant Israelitae sobrie vescendum esse omnibus cibis, ac si florem et primitias consecrassent. Si quis distinctius rem exponi malit, cultum Dei magnifacere adipis oblatio docuit, secundo eos instituit ad abstinentiam. Allegoriae apud alios quaerantur, tantum auribus titillandis concinnae. Isychius postquam adipem esse finxit spirituales affectus, paulo post in crassos appetitus transformat. Alii volunt Christum designari. Alii intelligunt carnis nostrae crassitiem vel pinguedinem igne spiritus excoquendam: ut Deo mortificetur. Me haec simplicitas retinet, quum lex permitteret sacris carnibus vesci, exceptionem fuisse additam, ut optima portio penes Deum maneret: deinde igne consumptum fuisse quod liguritores maxime allicere poterat, ut ingluviem fraenarent. Sanguinis gustus hic quidem interdicitur, ut alibi: quia Deo propter expiationes sacer erat: sed altera fuit maior ratio prohibitionis, cuius facta fuit mentio Genes. 9. cap. et de qua rursus tractandum erit in expositione sexti praecepti.

LEVIT. IV.

1. *Alloquutus est praeterea Iehova Mosen, dicendo:* 2. *Loquere ad filios Israel, dicendo: Anima quum peccaverit per errorem ab omnibus praeceptis Iehovae quae non sunt facienda, feceritque quidpiam de uno ex illis:* 3. *Si sacerdos unctus peccaverit secundum delictum populi, offeret sacrificium pro peccato suo quod peccavit, iuvencum vitulum immaculatum Iehovae pro peccato.* 4. *Adducetque iuvencum illum ad ostium tabernaculi conventionis in conspectu Iehovae, et admovebit manum suam super caput iuvenci, mactabitque iuvencum in conspectu Iehovae.* 5. *Accipietque sacerdos unctus de sanguine iuvenci, et inferet eum in tabernaculum conventionis.* 6. *Dein sacerdos tinget digitum suum in sanguine, aspergetque de sanguine illo septem vicibus coram Iehova:* 7. *Ponetque sacerdos de sanguine isto super cornua altaris suffimenti aromatici coram Iehova, quod est in tabernaculo conventionis: totum autem sanguinem reliquum iuvenci effundet ab basin altaris holocausti quod est ad ostium tabernaculi conventionis.* 8. *Totum praeterea adipem iuvenci oblati pro peccato tollet ab eo: nempe adipem operientem intestina, et totum adipem qui est super ea.* 9. *Duos quoque renes, et adipem qui est super eos, et qui est super ilia, et fibram quae est super iecur, cum renibus auferet:* 10. *Quemadmodum tollitur a bove sacrificii prosperitatum:* [illegible]*erdos super altare holocausti.* 11. *Pelem* [illegible] *adolebit* [illegible]*enci, et omnem carnem eius, cum capit*[illegible]*ribus, et intestina eius, et fimum eius* [illegible]*ue totum iuvencum extra castra ad lo*[illegible]*d locum ubi effunditur cinis:* et com-

buret eum super ligna igni: in loco inquam ubi effunditur cinis, comburetur. 13. *Quod si tota synagoga Israel erraverit, et latuerit res in oculis congregationis, et fecerit unum ab omnibus praeceptis Iehovae quae non sunt facienda, et deliquerit:* 14. *Notum autem fuerit peccatum quod peccaverunt: tunc offeret congregatio iuvencum filium bovis in sacrificium pro peccato, adducetque illum ante tabernaculum conventionis.* 15. *Ponentque seniores synagogae manus suas super caput iuvenci coram Iehova: tunc mactabit iuvencum coram Iehova.* 16. *Inferetque sacerdos unctus de sanguine iuvenci in tabernaculum conventionis.* 17. *Et intinget sacerdos digitum suum in ipso sanguine, aspergetque septem vicibus coram Iehova ante velum.* 18. *De sanguine quoque illo ponet super cornua altaris, quod est coram Iehova, quod est inquam in tabernaculo conventionis, posthaec totum sanguinem reliquum effundet ad basin altaris holocausti quod est ad ostium tabernaculi conventionis.* 19. *Totum autem adipem eius tollet ab eo, et adolebit super altare.* 20. *Iuvenco vero faciet quemadmodum fecit iuvenco oblato pro peccato, sic faciet ei: atque ita expiabit eos sacerdos, et remittetur eis.* 21. *Deinde iuvencum educet extra castra, et comburet eum quemadmodum combussit iuvencum priorem:* oblatio pro peccato congregationis est. 22. *Si princeps peccaverit, feceritque unum ab omnibus praeceptis Iehovae Dei sui quae non sunt facienda, et id fecerit per errorem, et deliquerit:* 23. *Si innotuerit ei peccatum suum quod peccavit: tunc offeret oblationem suam hircum caprarum masculum immaculatum.* 24. *Ponetque manum suam super caput hirci, et mactabit eum in loco in quo mactari solet holocaustum coram Iehova: oblatio pro peccato est.* 25. *Tolletque sacerdos de sanguine oblationis pro peccato digito suo, et ponet super cornua altaris holocausti: reliquum autem sanguinem eius effundet ad basin altaris holocausti.* 26. *Totum vero adipem eius adolebit super altare, sicut adipem sacrificii prosperitatum: et ita expiabit illum sacerdos a peccato eius, et remittetur ei.* 27. *Quod si anima aliqua peccaverit per errorem de populo terrae, faciendo unum a praeceptis Iehovae quae non sunt facienda, et deliquerit:* 28. *Si innotuerit ei peccatum suum quod peccavit: offeret oblationem suam capellam caprarum immaculatam feminam pro peccato suo quod peccavit.* 29. *Admovebitque manum suam super caput oblationis pro peccato, et mactabit oblationem illam pro peccato in loco holocausti.* 30. *Dein tollet sacerdos de sanguine eius digito suo, ponetque super cornua altaris holocausti: totum vero reliquum sanguinem eius effundet ad basin altaris.* 31. *Totum praeterea adipem eius auferet, quemadmodum ablatus fuit adeps a sacrificio prosperitatum: adolebitque sacerdos super altare in odorem quietis Iehovae: atque ita expiabit eum sacerdos, et remittetur ei.* 32. *Quod si pecudem obtulerit oblationem suam pro peccato, feminam immaculatam offeret.* 33. *Ponetque manum suam super caput illius oblationis pro peccato, et mactabit illam pro sacrificio peccati, in loco in quo mactari solet holocaustum.* 34. *Deinde accipiet sacerdos de sanguine oblationis pro peccato digito suo, ponetque super cornua altaris holocausti: totum vero reliquum sanguinem eius effundet ad basin altaris.* 35. *Totum praeterea adipem eius auferet, quemadmodum auferri solet adeps agni a sacrificio prosperitatum: adolebitque illa sacerdos super altare in oblationem ignitam Iehovae: atque ita expiabit eum sacerdos a peccato suo quod peccavit, et remittetur ei.*

EX NUMER. XV.

22. *Quum erraveritis, et non feceritis omnia praecepta haec quae protulit Iehova ad Mosen,* 23. *Omnia quae praecepit Iehova vobis per manum Mosis a die qua praecepit Iehova et postea per generationes vestras.* 24. *Si inquam a congregatione praeter scientiam aliquid factum fuerit per errorem, immolabit universa congregatio iuvencum unum filium bovis, in holocaustum in odorem quietis Iehovae, minha quoque eius, et libamen eius, secundum regulam, et hircum caprarum unum, in sacrificium pro peccato.* 25. *Expiabitque sacerdos universam congregationem filiorum Israel, et ignoscetur eis, quia error est, et illic offerent oblationem suam, oblationem ignitam Iehovae, et oblationem pro peccato suo, coram Iehova, propter errorem ipsorum.* 26. *Et condonabitur universae congregationi filiorum Israel, et peregrino qui peregrinabitur in medio illorum: quia universi populi error est.* 27. *Quod si anima una peccaverit per errorem, offeret capram anniculam sacrificium pro peccato.* 28. *Expiabitque sacerdos animam quae peccaverit per errorem, quum peccaverit per errorem coram Iehova: expiabit eam, et remittetur ei.* 29. *Indigenae inter filios Israel, et peregrino qui peregrinatur inter illos, lex una erit vobis quoad eum qui fecerit per errorem.*

Postquam de oblationibus et aliis sacrificiis disseruit Moses quae gratitudinis testimonia erant et pietatis exercitia, nunc ad expiationem descendit quae inter sacrificia primatum tenet: quia sine reconciliatione nihil unquam hominibus potuit esse cum Deo. Nam quum merito ob naturae corruptionem abominetur totum humanum genus, ac singuli assidue eius iram provocent: in eius placandi remediis totam salutis spem fundatam esse oportet. Hoc principio constituto tenendum est, Mosen deinceps verba facturum de expiatoriis sacrificiis quae Deum hominibus propitiant, abolito reatu. Hic quomodo placandus sit Deus admonet, ubi per ignorantiam vel inconsiderate quis peccavit: ubi etiam statuitur inter personas distinctio, quoniam alia a

rege, alia a sacerdote victima exigitur, alia vero a privatis, ubi item pauperum habetur ratio, ne pari sumptu graventur quo divites. Verum quia ex contextu patebit non omnes ignorantiae species hic comprehendi, videndum est quid valeat nomen שגגה, quod errorem potius quam ignorantiam transferre placuit: quia non ea delicta intelligit Moses quibus illaqueamur decepti specie recti, ut putemus nos esse extra culpam: sed quae non observantur ut animum pungant: aut lapsus subitos, dum carnis infirmitas rationem et iudicium ita suffocat ut caecutiat peccator. De hoc genere loquitur Paulus (Gal. 6, 1), dum iubet in spiritu lenitatis corrigi homines qui praeoccupati fuerint in aliquo delicto: quia non eos intelligit qui bona (quam vocant) intentione falluntur, vel stulta potius opinione, ut sibi male conscii non sint: sed qui carnis infirmitate labuntur, et quos Satan suis insidiis deprehendit incautos, vel certe non animadvertunt sua mala, ut statim adhibeant remedium. Id clarius perspicitur ex distinctione quae ponitur Psalm. 19. ubi David, postquam errorum veniam deprecatus est, petit a superbiis integer servari. Antithesis inter שגיאות et זדים ostendit errores vocari delicta quaelibet quibus nulla subest scelerata contra Deum superbia. Quod dicit: Si anima peccaverit ab omnibus praeceptis, dura est loquutio: atque ideo ad peccata omissionis quidam referunt. Ego autem simplicius interpretor: Si peccaverit declinando a praeceptis, vel si quid alienum a praeceptis commiserit.

3. *Si sacerdos unctus.* Nunc discernit inter personas: et incipit a summo pontifice, qui solus praecipuum insigne sacrae unctionis gestabat, nisi de toto ordine palmario sumere libeat. Probabile tamen est, ad unum restringi. Quo praestantior erat eius dignitas, eo maiore studio composita esse debuit eius vita ad exemplum sanctitatis. Erat imago Christi, et legis Dei interpres: ergo quae in aliis tolerabilis fuisset infirmitas, gravius in eo erat reprehensibilis. Haec ratio est cur maiore hostia ipsum litare oportuerit. Caeterum id aliqua ex parte pertinuit ad omnes Levitas, quatenus electi fuerant in sacrum ordinem. Et hodie extenditur ad omnes ecclesiae ministros ac pastores non ut vituli immolatione se redimant, sed ut sibi diligentius caveant ab omni peccato, et ad studium pietatis magis sint intenti. Particula, Secundum delictum populi, potest etiam verti: ad delictum, quasi diceret Moses, sacerdotem peccando populum malo exemplo corrumpere. Quoniam sicuti vita eius regula est pie iusteque vivendi, ita vitia occasionem errandi aliis praebent. Simplicior tamen est sensus quem sequutus sum: quamvis delictum sacerdotis vulgare sit, muneris tamen respectu gravius esse et obnoxium maiori poenae.

5. *Accipietque sacerdos unctus.* Quod de aspersione sanguinis vel effusione hic traditur, de adipe etiam et renibus adolendis, commune aliis sacrificiis esse satis notum est. Et similitudo quae additur nono versu, satis ostendit eandem formam in aliis fuisse servatam. Verum quia absurdum videri poterat, sacerdotem qui reus erat, coram Deo prodire ad obeundas reconciliationis partes, ut dubitationi obviam iretur, diligentius singula praescribi oportuit. Quamvis ergo indignus esset accessu, quia tamen inviolabilis erat lex sacerdotii, ad functionem suam admittitur: neque enim fas erat plures constitui mediatores. Ergo ut plus reverentiae haberet legalis ritus, nec alium reconciliationis modum quaererent homines, gratiam suam praetulit Deus sacerdotis culpae. Sparsus autem fuit sanguis coram Iehova, ut disceret populus immolationis aspectu tegi ac sepeliri peccata, ne in memoriam venirent coram Deo: reliquus autem sanguis est fusus coram altari, quia sacer erat, ideoque minime decebat tanquam profanum alio proiici.

13. *Quod si tota synagoga.* Idem sacrificium quod sacerdoti iniunctum fuit a populo exigitur: quia totum corpus repraesentabat qui omnium nomine ingrediebatur sanctuarium ut omnes tribus coram Deo sisteret. Videtur quidem haec ignorantiae species diversa a superiore notari: quia dicitur: Peccatum si latuerit. Ego tamen arbitror infirmitates comprehendi ad quas saepe contingit homines ad tempus caecutire. Quod enim suis vitiis multi obdormiunt, ideo fit quia non descendunt in se ipsos: nam si probe examinarent sua facta, statim eos conscientia pungeret. Potest igitur fieri ut totum populum fugiat peccati cognitio, dum sibi nimium indulget ac blanditur. Sensus ergo est: Quamvis nullus mali sensus ab initio eos sollicitet ad poenitentiam, si postea expergefacti fuerint ut culpam agnoscere incipiant, Deum sacrificiis placandum esse: poterat enim alioqui populus integumentum sibi ex errore facere.

22. *Si princeps peccaverit.* Principum quoque delictis iniungitur peculiaris expiatio. Etsi autem singulari numero principem nominat, quia tamen lex nondum posita erat ut unus quispiam dominaretur, haud dubie duces et capita designat, quia magis nocent malis exemplis qui praesunt quam privati homines. Si quis ergo ex iudicibus et praefectis per errorem deliquerat, minore quidem hostia defungi potuit quam sacerdos vel populus: discrimen tamen privatum inter ipsos fuit, quod hi capras vel oves, ille vero hircum masculum offerebat: idque ut magis sollicite puros se conservent ab omni noxa quicunque praesunt, qui alioqui delitias sibi facere solent, ac si honoris gradus plus licentiae daret. Ubi vertimus: Si innotuerit, non consentiunt interpretes. Proprie est disiunctiva particula Vel, sed quae interdum conditionalis vice ponitur: sicuti

proximo capite videbimus. Qui primam et genuinam vocis significationem retinent, violenter exponunt finem superioris versus, deliquerit pro senserit se deliquisse: verum quia ex pluribus locis patet tantundem valere או atque אם, nihil opus est torquere verba in alienum sensum. Verbum autem הודע, quod transitive pro patefacere accipiunt, commode exponitur sicuti verti: nisi quis forte malit: Si cognoverit. Porro quod saepius inculcat Moses, Expiabit eum sacerdos, et remittetur ei iniquitas, frigide quidam restringunt ad externam et civilem munditiam, ac si reatum duntaxat coram hominibus tolleret Moses: potius enim veniam offert Deus peccatoribus, seque propitium fore affirmat, ne liberam invocationem impediat metus aut dubitatio. Et certe prima fidei rudimenta non tenent qui non agnoscunt legales caeremonias fuisse sacramenta. Atqui in sacramentis omnibus, saltem quae ordinaria sunt in ecclesia, spiritualis annexa est promissio. Sequitur ergo vere promissam fuisse veniam patribus, qui se Deo reconciliabant oblatis victimis, non quod peccata expiaret pecudum mactatio: sed quia certum erat ac minime fallax symbolum in quo acquiescerent piae animae, ut tranquilla fiducia coram Deo prodire auderent. In summa, ut nunc baptismo sacramentaliter abluuntur peccata, ita sub lege quoque sacrificia fuerunt expiationes, diverso tamen modo: quia Christum quasi praesentem baptismus nobis proponit, qui obscure tantum sub lege fuit adumbratus. Improprie quidem ad signa transfertur quod nonnisi in Christum unum competit, in quo nobis exhibita fuit bonorum omnium spiritualium veritas, et qui peccata demum unico et perpetuo sacrificio abolevit: sed quia non agitur quid per se praestiterint legales caeremoniae, sufficiat vere testatas fuisse de gratia Dei, cuius figurae erant. Atque ita facessat profanum figmentum, politice tantum hominum respectu sacrificia eos a quibus offerebantur a culpa et reatu absolvisse.

Numer. 15, 22. *Quum erraveritis.* Quo genere sacrificii expianda sint totius populi vel privati cuiusque peccata, docet: quanquam ex quatuor ordinibus (quorum facta fuit in Levitico mentio) duos tantum recenset. Illic enim tam sacerdoti quam principi iniungitur propria expiatio. Sed neque hic ritus immolandi describitur, quia tantum obiter in memoriam reducere voluit Moses quomodo tam publice quam privatim reconciliandi essent Deo. Porro nomen erroris (ut dictum est) ad incogitantiam extenditur, quae Dei contemptu non caret ob nimiam securitatem, dum inconsiderate labuntur homines quo fert eos libido. Nam errori postea opponitur deliberata impietas, ubi data opera se proiiciunt homines ad legem violandam. Porro quia nihil proclivius est quam errare, ne animis deficerent qui peccarant, valde necessarium fuit remedium. Ergo ne populus, vel singuli privati homines, agnita culpa, tanquam desperata spe veniae abiicerent studium pietatis, Deus occurrit, et qua ratione placandus sit docet, ut quae acciderint vitia non abrumpant eius cultum. Sed quum hic tantum referat Moses quae iam exposita sunt, non opus est pluribus insistere, nisi quod in uno capite legem ferre videtur a superiore diversam. Illic enim iuvencos duos mactari iubet pro reconciliando populo, alterum in holocaustum, alterum pro peccato: si tamen eius copia non esset, hircum substituere permissum fuit. Perfectio igitur in Levitico ostensa fuit, nunc autem permissio tantum subiicitur: neque tamen dum brevitatis causa speciem unam attingit Moses, secum pugnat. In fine additur clarior explicatio, ut lex eadem sit omnibus communis: quia varietatem inducere minime utile erat.

EX LEVIT. V.

1. *Quum autem anima peccaverit audiendo vocem iuramenti, et ipse sit testis, quod aut viderit, aut sciverit: nisi renunciaverit, feret poenam iniquitatis suae.* 2. *Aut si anima tetigerit aliquam rem immundam, sive cadaver ferae immundae, sive cadaver animalis immundi, sive cadaver reptilis immundi, idque latuerit eam, tum ipse immundus erit, et deliquit.* 3. *Aut si tetigerit immunditiam hominis in omni immunditia eius qua polluitur, et latuerit eum, et ipse cognoverit postea, deliquit.* 4. *Aut anima si iuraverit, proferendo labiis se malefacturam, aut benefacturam, et secundum omne quod profert homo iuramento, et id latuerit eum, et ipse postea cognoverit: tunc delinquet in uno ex istis.* 5. *Erit autem quum deliquerit in uno ex istis, et confessus fuerit id super quo peccavit,* 6. *Adducet oblationem pro delicto suo Iehovae, pro peccato suo quod peccaverit, feminam de grege, agnam, aut capellam caprarum pro peccato: et expiabit eum sacerdos a peccato suo.* 7. *Quod si facultas offerendae pecudis defuerit ei, tunc adducet oblationem pro delicto suo quod peccavit, duos turtures, aut duos pullos columbae Iehovae, unum in hostiam pro peccato, et alterum in hostiam holocausti.* 8. *Afferetque illos ad sacerdotem, et offeret eum qui est in hostiam pro peccato priorem: et ungue secabit caput ipsius e regione cervicis eius, et non separabit.* 9. *Aspergetque de sanguine hostiae pro peccato super parietem altaris, et quod superest de sanguine exprimetur in basin ipsius altaris: oblatio pro peccato est.* 10. *Alterum autem faciet holocaustum iuxta morem: atque ita expiabit eum sacerdos a peccato suo quod peccavit, et remittetur ei.* 11. *Si vero non fuerit ei facultas offerendi duos turtures, aut duos pullos columbae, tunc afferet oblationem suam qui peccaverit, decimam partem epha similae in oblationem*

pro peccato: non ponet super eam oleum, neque ponet super eam thus, quia oblatio pro peccato est. 12. *Afferet illam inquam ad sacerdotem: tunc sacerdos accipiet ex ea plenum pugillum suum odorem eius, et adolebit super altare ultra oblationes ignitas Iehovae: oblatio pro peccato est.* 13. *Et expiabit eum sacerdos a peccato suo quod peccavit in uno de istis: et remittetur ei, et erit sacerdoti sicut minha.*

1. *Quum autem anima.* Tres delictorum species quas Moses principio capitis inserit, videntur inter se longe differre. Prima enim ex errore nasci non potuit: ubi quis rem cognitam celabat. Ego vero reticentiam de qua agitur, sub errore comprehendo, ubi quis pudore vel metu inductus, connivet ad scelus vel qualecunque delictum de quo interrogatus fuerit, atque ita non meditatus periurium, sed tenebras sibi obducens, subticet quod dicturus erat si rem probe examinasset. Quanquam propius excutienda sunt verba, de quorum sensu non satis convenit. Quidam nomen אלה pro exsecratione positum esse volunt, ac si dictum esset, Si quis audierit maleficium, vel scelus detestabile, et exsecratione dignum: sed eorum commentum refellitur ex primo contextu, quia mox subiicitur, Si viderit aut cognoverit. Alii iusiurandum quidem interpretantur, sed ad periurium male restringunt, quasi intelligeret Moses, reum esse qui audierit hominem peierantem, nec se opposuerit: quin potius sua conniventia et silentio texerit periurium. Itaque eorum sententiae subscribo qui de adiuratione exponunt, Sic enim optime simul cohaerebunt verba. Si quis testis citatus audierit vocem adiurationis, qua rogetur per nomen Dei ut vere de re proposita respondeat, et favore vel indulgentia, vel fallaci alio praetextu, quasi obiecta erroris nebula, tacuerit, quod tamen, si diligenter attenderet, habebat compertum: ille reus erit. Itaque particulam disiunctivam hoc loco per conditionalem reddere oportet. Ad verbum est, Si quis audierit vocem adiurationis, et testis ipse. Quorsum autem exprimeret, Si fuerit testis, deinde adderet: Vel cognoverit, ac si res diversas referret? Apte vero quadrat quod dixi, culpae fieri reum qui testis vocatus non respondet de re sibi cognita. Iam quid esset audire vocem iuramenti, nisi intelligas ore iudicis fuisse adiuratum? Ac notandum est, tres quae primo commemorantur species, inter se affines esse, quia de peccatoribus loquuntur qui ex aliorum sordibus contagionem trahunt. Nam quum in genere iussisset Moses delicta errore admissa expiari, nunc subiicit quod non satis diserte expositum erat, piaculo etiam obnoxios esse eos qui polluti fuerint alienis maculis. Ita optime conveniet cum reliquis duobus hoc primum, si quis obliquo periurio se alterius delicto implicuerit, immundum esse donec placationem obtulerit: id enim significat loquutio: Portare iniquitatem: ac si dixisset Moses, noxam contrahere qui maleficium celaverit, de quo interrogatus fuerit testis.

2. *Aut si anima tetigerit.* Videtur hoc praeceptum non modo supervacuum, sed absurdum quoque esse. Quomodo enim purganda esset immundities ex contactu vel cadaveris, vel alterius rei impurae contracta, satis antehac Moses docuit: purgationis vero modum facilem absque sumptu praescripsit. Videtur itaque inutilis esse repetitio. Graviorem vero poenam delicto irrogare, quod erroris praetextus extenuat, quam ubi nulla sit erroris mentio, iniquum est. Sed tenere oportet, non solum immunditiem pretio mulctari, sed negligentiam, qua factum fuerit ut purgationem omitteret qui pollutus erat. Fieri enim potest ut qui sic torpent in suis vitiis, cultum Dei ad tempus contaminent. Non igitur mirum si durior poena infligitur, ubi error ex supina crassaque securitate natus plura vitia ex se gignit, quo scilicet maior ad cavendum inter fideles vigeat attentio. Teneant ergo lectores, non in nudo attactu cadaveris situm esse delictum de quo nunc agitur, sed in ipsa incogitantia: quia si quis sedulo meditetur legem Dei, non tam facile obrepet oblivio, qua tollitur discrimen inter fas et nefas. Eadem ratio est proximi mandati, ubi simili poenae subiicitur qui hominem immundum et pollutum attigerit: sicuti dum mulier menstrua sua patitur, pollutionem inducit solo contactu.

4. *Aut anima si iuraverit.* Haec quoque culpa errori et ignorantiae adscribitur, ubi quis inconsiderate facit quod se non facturum pollicitus est: neque enim tunc violatur iusiurandum, quod scelere non careret: sed in ipsa incuria satis est culpae, quia solida religio voti memoriam renovaret. Unde sequitur, ubi nulla est sollicitudo non esse serium praestandi voti studium. Hoc vero mandatum necessarium fuit, quia saepe fieri potuit ut homines qui se voti obstrinxerant fide, per incogitantiam lapsi, quasi soluti omni vinculo, sibi in posterum indulgerent: qui autem eo veniunt licentiae, magis ac magis obdurescunt, donec tandem excutiant omnem Dei reverentiam. Voluit ergo Deus vota fideliter servari, ne contemptus ad impietatem usque tandem prorumperet. Si quis ergo non cogitans exciderit a fide data, iubetur Deum placare: non ob levitatem (ut quidam putant) quasi temere promiserit quod non debebat, sed ob neglectum, quia diligentiam non adhibuit ut voti in tempore recordaretur. Porro si locum hunc papistae suo more insulse arripiant ad stabilienda quaelibet vota, in promptu solutio est: Deum constantiam nonnisi in legitimis et rite conceptis votis exigere. Quaenam sit pie vivendi ratio ante intelleximus ex Mosis doctrina, unde colligimus ea minime praestanda

esse quibus profanatur Dei nomen: quia si vitiosum sit principium, in obstinatione duplex est impietas. Itaque malefacere hoc loco non est aliquid perperam tentare, sed aliquid suscipere quod carni alioqui grave et molestum est: quemadmodum si quis vel sumptu rem domesticam minuat vel privet se delitiis, vel abstinentiam sibi rei gratae vel commodae indicat.

6. *Adducet oblationem.* Continuat quod ante vidimus de piaculo tollendo, sed incipit discernere inter divites et pauperes: quae distinctio ad superiora extenditur: unde apparet, methodum non exacte observari a Mose, quia species quas inseruit videntur filum interrumpere: res tamen perspicua manet, quicunque errore lapsi sunt immundos esse, donec placationem obtulerint. Quod autem omissum fuerat nunc exprimitur, pauperes et egenos non esse urgendos plus quam ferat eorum facultas: imo gradus ponuntur ut exigua farinae mensura defungi possit cui non erit commodum offerre duos turtures vel columbas. Unde colligimus non aliud fuisse Deo propositum quam verum et unicum reconciliationis modum populo ostendere, ut ad mediatorem et sacrificium se conferrent. Hic enim vel duos turtures, vel pusillum farinae iubentur offerre pauperes: quod perinde ipsis Deum propitiet atque divitibus victima quae ab ipsis exigitur. Quod tamen citant nostri interpretes ex poëta, mutilum est, nempe: Quicunque ad templa attulerint mentis integritatem, farre litare: quia caecus ille non vidit quorsum tenderent sacrificia: atque ita omnia litationum genera despexit, ac si sola puritas et innocentia commendaret homines Deo. Tenendum igitur est, victimas nullius per se fuisse momenti, et tamen populum veterem exercitatum fuisse in caeremoniis, quae docerent non aliter quam pretio redemptionis Deum placari.

EX EODEM CAPITE.

14. *Loquutus est insuper Iehova ad Mosen, dicendo:* 15. *Anima quum praevaricata fuerit praevaricationem, et peccaverit per errorem in una re ex sanctificationibus Iehovae, adducat oblationem pro delicto suo Iehovae, arietem perfectum de pecudibus, secundum aestimationem tuam argenti siclorum, secundum siclum sanctitatis pro delicto.* 16. *Et quod peccaverit in sanctificatione reddet, et quintam partem ipsius addet ei, tradetque illud sacerdoti, sacerdos vero expiabit eum in ariete oblationis pro delicto: et remittetur ei.* 17. *Itaque si anima peccaverit, et fecerit unum ab omnibus praeceptis Iehovae, quae non sunt facienda, et non cognoverit et deliquerit, et portaverit iniquitatem suam:* 18. *Tunc adducet arietem immaculatum de pecudibus, secundum aestimationem tuam in oblationem pro delicto ad sacerdotem, et expiabit eum sacerdos ab errore suo quem per errorem commisit, neque intellexit, et remittetur ei.* 19. *Delictum est: delinquendo deliquit Iehovae.*

14. *Loquutus est insuper.* Diversitas hostiae clare demonstrat aliud genus delicti nunc attingi, quia loco feminae masculum nunc requirit Deus. Ante contentus fuit agna vel capra: quia autem maius est pretium arietis, sequitur poenam iniungi graviori delicto. Culpae vero gravitas ex rei qualitate pendet, ubi scilicet quispiam non hominem tantum mortalem laesit, sed Deum ipsum: neque simpliciter unum ex praeceptis primae tabulae transgressus fuerit, sed qui votum non reddiderit, vel obtulerit vitiosam hostiam, vel in quavis oblatione Deum fraudaverit iure suo: hoc sibi vult particula, Ex sanctificationibus Iehovae. Qua voce complectitur Moses tam vota sponte concepta quam oblationes legitimas, ut erant decimae, primitiae, primogenitorum oblatio: quoniam in his omnibus severe iussi fuerant Israelitae optimam fidem praestare Deo. Si forte avaritia quempiam excaecaverat, ut proprium lucrum captando minus quam par erat Deo solveret, merito securitas graviorem poenam sustinuit. Sciendum tamen est delictum hic notari, ubi fraus et dolus malus non intervenerat: quia, si quis data opera et astute quod sacrum erat in rem suam vertisset, non tam facile expiata fuisset impietas sacrilegii. Sed quia saepe contingit ut sibi nimis indulgenter parcant tenaces et avari, sacrificium iniungit Deus hoc loco, si domestica utilitas pietatis studio per incogitantiam praevaluerit. Quod dicitur, Secundum aestimationem tuam, alii ad Mosen, alii ad sacerdotem referunt. Ego vero passive accipere malo pro aestimatione divinitus praescripta: quae ideo populi dicitur, quia legi a Deo positae acquiescere debuit, ne pretium pro arbitrio mutaret. Duobus autem siclis sanctuarii aestimat Moses arietem, vel quatuor siclis vulgaribus, qui efficiunt gallicae monetae circiter 28. asses.

16. *Et quod peccaverit.* Hinc clarius apparet quod nuper attigi, in sanctificatione peccasse qui ex integro Dei iure aliquid detrahebant: quia restituere iubentur quinta parte superaddita. Meminerint tamen lectores, non ad restitutionem cogi qui fraudulenter res sacras averterant, sed qui vano aliquo praetextu sibi ad tempus blanditi fuerant, ut nulla eos tangeret culpae admissio. Finis ergo huius sacrificii fuit, attentum populum reddere, ut posthabitis privatis commodis, liberaliter Deo persolveret quod debebat. Inscite vero quidam nugantur Mosen quum antea de peccatis loquutus sit, nunc modum praescribere expiandi delicta: idem enim verbum ubique promiscue usurpat, et eodem quoque nomine designat omnes victimas. Delictum vero facere

gravius peccato, crassae ignorantiae est. Nec vero longa refutatione opus est, ubi palam apparet hoc loco specialem tradi regulam de ratione impetrandae veniae, ubi quis per incogitantiam non reputavit se in decimis, aut votis solvendis, aut aliis oblationibus solide non fuisse perfunctum.

17. *Itaque si anima peccaverit.* Quanquam videtur generalis sermo, ac si breviter confirmaret quae hactenus dixit: necesse tamen est vel contexere cum proximo membro, vel restringere ad certas species. Mihi prior expositio videtur recta: nec absurdum est bis idem repeti, ut immorigeris tergiversandi ansam praecideret. Quanquam non infitior rationem quae in fine subiicitur, ad omnes de quibus disseruit expiandi modos extendi: nempe quamvis ignorantiam obtendat qui inconsiderate lapsus est, vel noluit data opera peccare, vel per oblivionem aliquid maculae vel pollutionis contraxit, reum tamen esse coram Deo donec se reconciliet. Ergo ubi agnum integrum et iusti pretii offerri iubet, rursus ostendit quomodo purgare se debeant qui in sacris oblationibus fuerint nimis restricti. Continuo vero post adiungit rationem aliis erroribus communem: ac si diceret non absolvi coram Deo qui ad tegendam culpam ignorantiae colorem obiiciunt.

LEVIT. VI.

1 [1]). *Loquutus est praeterea Iehova ipsi Mosi, dicendo:* 2. *Anima quum peccaverit, et praevaricata fuerit praevaricationem contra Iehovam, mentiens nempe fuerit proximo suo in deposito, aut in depositione manus, aut raptum, aut vim fecerit proximo suo,* 3. *Aut invenerit amissum et negaverit illud, ac iuraverit falso in uno ex omnibus quae facere solet homo peccando in ipsis:* 4. *Quum ergo peccaverit, et deliquerit, tum reddet raptum quod rapuit, aut vi extortum quod vi extorsit, aut depositum quod depositum fuerit apud illum, vel amissum quod invenerit.* 5. *Aut quidpiam aliud ex omnibus de quibus iuraverit falso, tunc reddet illud in solidum, et quintum ipsius addet illi: eique cuius erat reddet illud die oblationis pro delicto suo.* 6. *Oblationem vero pro delicto suo adducet Iehovae, arietem integrum e pecudibus, secundum aestimationem suam ad faciendum sacrificium pro delicto ad sacerdotem.* 7. *Expiabit eum sacerdos coram Iehova, et remittetur ei, expiabit inquam ab uno ex omnibus quae facere solet homo delinquendo in eo.*

1. *Loquutus est praeterea Iehova.* Iam non de erroribus expiandis disserit Moses, ubi per incogitantiam reus erat peccator: verum si quis sponte et consulto Deum offendisset, reconciliationis modum praescribit. Quod notatu dignum est, ne dubitent qui voluntario peccato obstricti sunt, Deum sibi fore propitium, modo ad unicum Christi sacrificium (in quo solida constat umbrarum legis veritas) se conferant. Cavendum quidem est, ne praetextu clementiae et facilitatis Dei nobis indulgeamus: nam plus aequo nos ad peccandum carnis libido sollicitat, ut non accedat talis illecebra: nec sacrilega in Deum contumelia vacat, licentiam peccandi ex eo arripere, quod Deus ad ignoscendum sit propensus. Regnet ergo in nobis Dei timor, qui pravas cupiditates instar fraeni coerceat, ne sponte in culpam labamur, eius etiam misericordia potius odium et detestationem peccati gignat in cordibus nostris, quam nos ad audaciam incitet. Sed prudenter simul cavendum est, ne si fingamus Deum voluntariis peccatis inexorabilem, nimius rigor apud sanctissimos quosque spem salutis evertat. Sunt enim adhuc hodie quidam phrenetici, qui veniam omnibus negant, quibus per carnis infirmitatem labi contigerit. Quia autem morosis hominibus arridet severitas, hoc delirio valde turbavit Novatus veterem ecclesiam. Verum si probe nos omnes excutiamus, plane liquebit tetricos istos censores, qui laudem sanctitatis ex immodica asperitate affectant, nimis crassos esse hypocritas. Nam si deposito fastu suam vitam excuterent, quis eorum purus esset a concupiscentia? et quis non subinde sibi male conscius esset? Prodigiosa ergo caecitas est, eo perfectionis attollere homines carne mortali circumdatos, ut nullius eos vitii aut culpae coarguat sua conscientia. Et hac diaboli impostura nihil magis pestiferum, eos a spe veniae excludere qui scientes et volentes peccarunt: quando nemo est vel ex optimis Dei servis, in quo non interdum praevaleant vitiosi carnis affectus. Quamvis enim neque adulteri sint, neque fures, neque homicidae, nemo tamen est quem non reatu constringat ultimum legis praeceptum: Non concupisces. Et certe quo quisque magis profecit in studio puritatis, eo magis sentit et agnoscit ab ultima eius meta procul adhuc se distare. Ergo nisi salutis ianuam data opera nobis claudere velimus, tenendum est, Deum omnibus fore placabilem qui sacrificio Christi culpam sibi remitti confidunt. Neque enim vel mutatus est Deus, vel deterior nostra est quam patrum conditio: atqui sub lege instituit Deus sacrificia quae voluntaria quoque delicta expiarent. Sequitur ergo, quamvis culpae voluntariae convicti simus, remedium tamen impetrandae veniae in evangelio nobis proponi. Alioqui plus quam lusoriae essent figurae veteres, quae non alio spectarunt nisi ut testimonia essent ac specula eius gratiae, quae nobis demum in Christo exhibita fuit. Si mutuum consensum

1) Hebr. 5, 20 ss.

esse oportet inter externam gratiae repraesentationem quae sub lege fuit, et spiritualem effectum quem attulit Christus, palam apparet non minus hodie remitti nobis peccata quam veteri populo. Et hoc symbolo commonefieri fideles, ne de reconciliatione desperent, dum sibi displicent in suis vitiis: quin potius intrepide veniam quaerant in perpetuo sacrificio, quod assidue piis omnibus Deum propitiat. Et certe quum poenitentia et fides certa sint paterni Dei favoris pignora, fieri non potest quin recepti sint in Dei gratiam, qui utroque dono praediti sunt. Adde quod remissio peccatorum inaestimabilis est thesaurus quem Deus in ecclesia sua deposuit, ut esset peculiare filiis suis beneficium: sicuti continet fidei confessio: Credo ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum. Nec vero aliter constaret quod de legatione sibi commissa praedicat Paulus (2. Cor. 5. 20), nisi Deum quotidie fidelibus placaret Christi satisfactio. Iam hic non de levi quolibet delicto agitur, sed de malae fidei crimine quod periurii accessione duplicatum fuerit. Perfidia quidem, aut dolus, aut violentia, primo referuntur ad notandam culpae gravitatem: sed piaculum statuitur proprie in profanatione nominis Dei, ubi iniuria homini facta falso iureiurando tegitur. Quidquid sit, ad petendam veniam admittitur, qui et fratrem suum iniuste fefellit, et Dei nomine impie abusus est. Unde apparet miseris peccatoribus Deum parcere: quamvis se mala fide contaminaverint, et crimen perfidiae in homines admissum sacrilegio auxerint, dum peierando fuerunt in Deum contumeliosi. Etsi autem nonnisi octavi praecepti transgressiones commemorat Moses, per synecdochen tamen suo more docet quid in aliis quoque delictis agendum sit. Si quid ergo aut vi ereptum, aut fraude ablatum sit, et simul intercesserit periurium: iubet non tantum proximo qui fraudatus est satisfieri, sed pretium quoque placationis offerri Deo. Ratio etiam exprimitur, quia non tantum laesus est mortalis homo, sed Deus quoque offensus, qui vult homines inter se iuste et reverenter versari: cumulus deinde sceleri additus est, violando sacrum Dei nomen. Non exigitur quidem sacrificium a fure, vel raptore, vel depositi abnegatore, vel qui rem perditam averterit, nisi peieraverint. Pondere tamen non carent Mosis verba: Si quis negando depositum, vel furando, vel rapiendo, contra Deum peccaverit: quibus significat, quoties infertur hominibus iniuria, in eorum persona Deum offendi: quia omnis legis transgressio iustitiam eius violat ac pervertit. De restitutione furti vel rapinae alibi plenius videbimus, praesertim ubi quis fuerit convictus. Hoc unum proprie ad praesentem locum spectat: quisquis fratri suo nocet vel damnum affert, culpam vel reatum contrahere coram Deo: si vero in eam obstinationem prorumpat, ut sacrum Dei nomen falso ad tegendum maleficium praetendat, duplici scelere contaminari: itaque non sufficere iacturae compensationem, nisi Deo simul litetur. Porro eos intellige qui a metu poenae elapsi, sponte tamen resipiscunt. Quod interpretes quidam copulam accipiunt loco disiunctivae, et periurium volunt esse quasi speciem unam ex multis, tanquam alienum a Mosis sensu repudio. Sic exponunt illi: Si quis rapuerit vel furatus sit, vel falso iuraverit de re per se licita. Atqui non video cur ita torqueri verba debeant: deinde refellitur eorum error ipso contextu, ubi cum sacrificio coniungitur restitutio: quod non staret nisi cum fraude aut violentia pariter coniunctum esset periurium. Nec eos iuvat disiunctiva quae postea sequitur. Postquam enim restitui iussit quod vi aut dolo ablatum erat, quia distincte non poterant exprimi singulae species, additur: Aut de quibus falso iuraverit: non quasi in aliis negotiis contracta fuerit culpa ex periurio, sed ut omnes tergiversandi ansas praecideret: quod etiam confirmat repetitio: ubi enim interposuit falsi iurisiurandi crimen, iterum quasi clarius explicans quod dixerat, iubet summam restituere cum quinta parte. Quid autem reddere iubet nisi quod iurando suppresserat fraudator? Cuius rei in octavo praecepto luculentior explicatio videbitur. Itaque satisfactio erga homines praecipitur una cum oblatione. Non abs re autem iubet Deus damnum sarcire quo die offertur sacrificium, ne sibi impunitatem promittant hypocritae, ubi ex alieno ditati fuerint. Licebat quidem ante reddere hominibus quod suum erat, quam Deum sacrificio placare: sed non vult Deus altare suum inquinari, quod fieret si victimas offerrent fures vel praedones ex alieno. Vult ergo manus eorum qui sacrificant a pollutione esse purgatas. Et certe qui ex spoliis iniuste partis victimam Deo offerunt, quodammodo eum implicant criminis societate. Atque hinc elicitur utilis doctrina, frustra satagere hypocritas de reconciliando sibi Deo, nisi bona fide reddant quod iniuste rapuerint. Interea notanda est distinctio in verbis Mosis, inter satisfactionem erga homines, et oblationem pro peccato quae Deum propitiat: inde enim colligimus quod dixi, non consequi veniam apud Deum qui ex praeda locupletes manere volunt: et tamen non aliter quam sacrificio Deum placari. Huius secundae partis luculenta probatio ex tota lege sumi potest, quae unicum reconciliandi Dei modum praescribit, ubi se oblata victima expiat peccator. Unde refellitur diabolicum figmentum de satisfactionibus, quibus se a iudicio Dei redimi imaginantur papistae. Nam quamvis Deus culpam remiserit, poenae tamen reatum manere volunt, donec propriis operibus se peccator liberaverit. In hunc finem fabricarunt opera supererogationis, quae meritoria essent ad poenam redimendam: inde et purgatorium emersit. Atqui

ubi totum Mosen evolveris, et diligenter excusseris quidquid de ratione placandi Dei in lege traditum est, reperies Iudaeos ubique revocatos fuisse ad sacrificia. Iam certum est, quidquid sacrificiis tribuitur, propriis hominum operibus detrahi. Quod si Dei consilium non fuit veterem populum externis caeremoniis affigere, sequitur nonnisi per unicum mediatorem, sanguinis effusione, ab omni reatu tam culpae quam poenae absolvi homines, ut recipiantur a Deo in gratiam.

7. *Expiabit eum sacerdos.* Ex hac quoque loquendi forma quae frequenter occurrit, discendum est, victimam per se non fuisse redemptionis pretium, sed in sacerdotio fundatam esse expiationem. Stulte enim et perperam finxerunt in sacramentis homines quidquam operari: quorum vis et effectus prorsus aliunde manat. Oblatio igitur proprie loquendo, respectu hominis passiva est magis quam activa. Quid hoc valeat, ex papistarum delirio clarius poterit intelligi. Agnoscere quidem coguntur in sacramentis homines se passive habere, quatenus recipiunt oblatam illic Dei gratiam: sed hanc doctrinam mox pervertunt, fingendo opus operatum, ut loquuntur. Atqui ne populus domo se afferre putaret redemptionis pretium, subinde inculcat Moses, proprium esse sacerdotis munus placare Deum, et expiatione peccatum delere. Observatu etiam dignum est, quod addit Coram Iehova, quia hac particula refutatur profanum commentum, civiliter tantum (ut loquuntur), hoc est, coram hominibus, purgatos fuisse homines legalibus sacrificiis: ac si nulla illic inclusa fuisset spiritualis promissio. Atqui hoc modo nullis externis symbolis confirmati fuissent patres in veniae fiducia: quo nihil absurdius est: sed una hac particula tollitur ambiguitas, ubi pronunciat Moses coram Deo fuisse expiatos.

EX LEVIT. VI.

8 [1]). *Loquutus est etiam Iehova ad Mosen, dicendo:* 9. *Praecipe Aharon et filiis eius, dicendo: Haec est lex holocausti, (holocaustum est, quod aduritur super altare tota nocte usque mane, ubi ignis altari accensus fuerit in eo).* 10. *Induet se sacerdos veste linea, femoralibus item lineis induet se super carnem suam, tolletque cinerem quum absumpserit ignis holocaustum ex altari, et ponet eum secus altare.* 11. *Postea exuet se vestibus suis, et induet se vestibus aliis, efferetque cinerem extra castra ad locum mundum.* 12. *Et ignis super altare ardebit in eo, non exstinguetur, et accendet in eo sacerdos ligna quotidie mane, et disponet super illud victimam holocausti, adolebitque super illud adipes prosperitatum.* 13. *Ignis perpetuo ardebit in altari, non exstinguetur.* 14. *Ista est lex minha quam offerent filii Aharon coram Iehova ad altare.* 15. *Tollet ex ea pugillo suo ex simila minha, et oleo eius, et totum thus quod erit super minha: adolebitque super altare odorem quietis, odorem eius apud Iehovam.*

ITEM.

23 [1]). *Omnis minha sacerdotis tota cremabitur, non comedetur.*

EX EODEM CAPITE.

24. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 25. *Alloquere Aharon et filios eius, dicendo: Ista est lex hostiae pro peccato: In loco in quo mactabitur hostia holocausti mactabitur hostia pro peccato coram Iehova, quia sanctificatio sanctificationum est.*

EX EODEM CAPITE.

30 [2]). *Omnis autem hostia pro peccato, de cuius sanguine inferetur aliquid in tabernaculum conventionis, ad expiandum in sanctuario non comedetur, igni comburetur.*

9. *Praecipe Aharon.* Distinctius explicat quod poterat videri omissum, nec abs re tam sedulo exsequitur singulas partes. Sed quum Deus obedientiam praeferat omnibus victimis, noluit quidquam ambiguum manere etiam quoad externos ritus, qui alioqui non erant magni ponderis: ut discerent ad unguem servare exactissima cura quidquid lex mandabat: nec quidquam a se ipsis obtruderent: quia minimis quibusque commentis vitiata fuit sacrorum puritas. Ita nihil populi iudicio relinquere voluit, quin certa regula eos dirigeret etiam in rebus minutis. De holocaustis mandat, ne ex altari tollantur nisi iam igne consumpta: sed ex quo imposita fuerint, iubet igne continuo exuri, usque in alterum diem. In hunc finem diserte exprimit, ut ignis succendatur in eo tota nocte: neque enim sacrificium aliter in cineres redactum esset, nisi adhibitis fomentis. Secundo iubet sacerdotem linea veste et femoralibus indutum, sicuti ad sacra pera-

1) Hebr 6, 1 ss.

1) Hebr. 16.
2) Hebr. 23.

genda fieri solebat, accedere ad altare, inde auferre cinerem, et deponere ad latus vel partem aliquam: ubi autem discesserit ab altari, iubet eum sacras vestes exuere, et cinerem exportare extra castra, ad locum mundum. Sed quod breviter attigerat de lignis supponendis, pluribus statim declarat, ne scilicet ignis exstinguatur. Deinde has partes sacerdoti iniungit, ut ligna quotidie mane ordinet. Quia autem ex sacrificiis prosperitatum lex adipem solum exuri iubebat, nunc adiungit Moses eodem igne adipes esse cremandos. Praecipua observatione dignum, quod tandem addit praeceptum de igne sic fovendo ne unquam intereat. Eo autem spectavit perpetuitas, ut igne coelesti cremarentur hostiae: nam quo die initiatus fuit Aharon, non hominum opera, sed miraculo redactum fuit in cineres sacrificium, in signum approbationis. Noluit quidem Deus quotidie virtutem illam exserere: sic tamen interposuit manum et laborem hominum, ut principium sacri ignis e coelo esset. Idem postea contigit Salomoni in templi dedicatione [1]): quia mutatio illa coelestis decreti tesseram flagitabat: ne quis hominum arbitrio factum putaret, ut templi splendor tabernaculum obrueret. Tandem eodem privilegio ornata fuit hostia Eliae quum abolitum legis cultum restitueret. Et tunc quoque asseruit Deus quod lege sua instituerat, contra omnes adulterinos et degeneres ritus. Interea ut omnibus corruptelis occurreret, voluit ignem in altari interdiu et noctu manere, nec fas fuit aliunde petere. Fuit quidem apud Persas, fuit et Romae sub custodia Vestalium virginum perpetuus ignis: et fieri potest, ut stulta aemulatione ad se transtulerint quem apud Iudaeos audierant morem servari: sicuti diabolus ad fallendos incredulos plerumque aliquid divinum fallaciter obtendit: nec secus Deum atque hominem imitatur simia: verum Dei consilium fuit, ignem extraneum repudiando, in genuina sua ordinatione et legis praescripto retinere populum, ne qua hominum figmenta obreperent. Tantundem enim valuit ignis alieni prohibitio, ac si vetiti fuissent homines quidquam suum ingerere, vel addere ad puram legis doctrinam, vel ab eius regula declinare. Interea quoniam Deus semel testatus erat, quasi porrecta e coelo manu, sacrificia sibi placere: in eadem fiducia confirmati fuerunt fideles pignore ignis perpetui.

14. *Ista est lex minha.* Vidimus antehac diversas fuisse species huius oblationis: sed nunc, libis vel placentis omissis, tantum agitur de farina non cocta: ex ea iubet Deus quantum sacerdos pugillo capere poterit, super altare adoleri. Fuit autem haec lex necessaria, ut certo persuasi essent fideles Deum parte illa oblata rite placari: nec quisquam obstreperet quod maior pars apud sacerdotes maneret. Caeterum ne vilesceret sacrificii dignitas, tantum sacerdotibus permissum fuit panes azymos inde conficere, quos in sacrario ederent: sicuti alibi vidimus. Excipitur minha sacerdotis: quod duas ob causas fieri existimo, tum ut muneris praestantia et dignitas, singulari privilegio insignis, sacerdotes magis incitet ad pietatis studium, ne defunctorie et vulgari more in Dei cultu se exerceant: tum vero ut quasi iniecto fraeno, cohibeatur ambitio in nimia frequentia. Nam si dispendium fuisset exiguae farinae, aperta erat vanae ostentationi ianua: nunquam cessassent minha suum offerre, cuius ad eos fructus rediisset: forte etiam quaestum inde captassent, ut videmus sacrificos papales, fictae devotionis pompa allicere simplicem plebeculam ad profusos oblationum sumptus. Ergo ne immodicas oblationes tam ad iactantiam quam ad avaritiam conferrent, voluit Deus eorum minha prorsus consumi.

25. *Alloquere Aharon.* Videmus ubique quam diligenter caveat Deus ne qua de re populus ambigat. Et certe a falsis imaginationibus discernitur vera religio quasi propria nota: ubi Deus ipse quid agendum sit, praescribit. Nec vero aliunde quam ex eius ore sumi potest certitudo, in qua tamen fundata esse debet pietas. Porro quia discrimen erat inter holocausta et victimas pro peccato, promptum fuisset separatim diversis locis mactare, nisi errori obviam itum esset. Eximitur autem omnis dubitatio, quando utrisque Deus eundem assignat locum. Unde etiam colligimus, legem unam Deo probe colendo sufficere, si non sibi sapiant homines, sed pendeant ex ore eius. Nam qui factum est, ut quum inter se differrent duo ista genera, similis hac in parte fuerit eorum ratio, nisi quia sic Deo placuit? Hic ergo locus satis admonet, quanta sobrietate et modestia quod Dei verbo ostenditur, sequi conveniat. Ratio tamen simul additur, quae reverentiam conciliet victimis pro peccato, ubi illis attribuitur praecipua sanctitas, quae pro usu linguae hebraicae vocatur sanctitatum. Porro חטא et אשם, quas voces Latini vertunt peccatum et delictum, incipit distinguere, quibus indifferenter antehac usus est ad rem eandem notandam. Quid porro interfuerit, nescire me fateor: quid alii comminiscantur video, sed nihil certi.

30. *Omnis autem hostia.* Exceptio repetitur tam de sacrificiis quorum facta fuit mentio quarto capite, quam de solenni sacrificio quo sacerdos et populus quotannis reconciliabantur. Minori enim sumptu expiabant singuli homines privati sua peccata, et tantum maius altare quod erat in atrio, sanguine aspergebatur. At si Deum vel populo, vel sibi reconciliabat sacerdos, quo magis seria esset deprecatio, sanctuarium ingrediebatur, ut e regione veli

1) *Margo adscribit* 2 *Reg.* 18, 30. *Tu vero* 2 *Chron.* 7, 1. *Historia Eliae quam Noster infra laudat, legitur* 1. *Reg.* 18, 36. *Princeps de Salomone omnino tacet.*

sanguinem funderet: tales victimas nunc iterum totas cremari iubet Deus. Ita hic locus nihil aliud est quam aliorum confirmatio, ubi simile datur mandatum. Unde apostolus (Hebr. 13, 10) concinna allusione colligit abolitum esse ciborum discrimen: dicit enim nunc patere nobis interius altare, quod sub lege erat absconditum, ideoque non amplius vesci legalibus sacrificiis, imo quia unicus sacerdos noster sanguinem suum in sacrarium intulit, tantum nobis restare, ut post ipsum exeamus extra castra.

EX LEVIT. VII.

1. *Ista autem est lex hostiae pro delicto: sanctificatio sanctificationum est.* 2. *Quo in loco mactabunt hostiam holocausti, mactabunt hostiam pro delicto, et sanguinem eius sparget super altare per circuitum.* 3. *Totum vero adipem eius offeret ex ea, caudam, et adipem operientem intestina.* 4. *Duos quoque renes, et adipem qui est super illos qui est prope ilia, et fibram super iecur, cum renibus removebit.* 5. *Adolebitque illa sacerdos super altare oblationem ignitam Iehovae: oblatio pro delicto est.*

1. *Ista autem est lex.* Nuper confessus sum me non satis tenere quomodo istae duae voces חטא et אשם inter se differant, ideoque sequutus sum quod vulgo receptum erat, ut dicerem hostiam pro peccato, vel pro delicto. Etsi autem hic in secunda specie eundem ritum quem in priori servari iubet, quaedam tamen exprimit quae nuper omiserat, sicuti de aspersione sanguinis per altaris circuitum, de oblatione adipis, et renum, et similibus, quorum ante facta non fuerat mentio. Summa huc tendit, ut eodem ritu et modo tam pro peccato quam pro delicto sacrificent, neque tantillum deflectant a regula sibi tradita.

EX EODEM CAPITE.

11. *Haec autem est lex sacrificii prosperitatum, quod offeret Iehovae.* 12. *Si pro gratiarum actione obtulerit illud, tunc offeret pro sacrificio gratiarum actionis, placentas infermentatas versatas in oleo, et lagana infermentata uncta oleo, et similam frictam una cum placentis illis versatis in oleo.* 13. *Cum placentis panis fermentati offeret oblationem suam pro sacrificio gratiarum actionis prosperitatum suarum.* 14. *Offeretque ex eo unum panem, ex omni oblatione oblationem Iehovae.* 15. *Caro autem hostiae gratiarum actionis prosperitatum eius, in die oblationis eius comedetur: non relinquet ex eo usque mane.* 16. *Quod si votum, vel spontaneum fuerit sacrificium oblationis eius, die quo ille obtulerit sacrificium suum, comedetur, et sequenti die comedetur quod superfuerit ex eo.* 17. *Quod vero superfuerit de carne sacrificii die tertia igni comburetur.* 18. *Si autem comedendo comedatur aliquid de carne sacrificii prosperitatum eius die tertia, non placebit offerens illud, neque imputabitur illi, abominatio erit: et anima comedens ex eo iniquitatem suam portabit.*

EX LEVIT. XXII.

29. *Quum vero sacrificaveritis sacrificium gratiarum actionis Iehovae, in acceptationem vestri sacrificabitis.* 30. *Die ipsa comedetur: non relinquetis usque mane ex eo: ego Iehova.*

EX LEVIT. XIX.

5. *Et quando sacrificaveritis sacrificium prosperitatum Iehovae, in acceptationem vestri sacrificabitis illud.* 6. *Die quo sacrificaveritis comedetur, et postridie: quod autem superfuerit usque ad diem tertium, igni comburetur.* 7. *Quod si comedendo comedatur die tertio, profanum erit, neque placebit.* 8. *Et qui comederit illud, poenam iniquitatis suae portabit: quia sanctitatem Iehovae polluit: et excidetur anima ipsa e populis suis.*

11. *Haec autem est lex sacrificii.* Cur hoc genus sacrificii vocarim prosperitatum, alibi rationem attuli. Caeterum non modo in signum gratitudinis oblata fuisse, sed quum Dei opem implorarent, ex hoc loco et aliis patet. Modis tamen omnibus testati sunt se agnoscere Deum bonorum omnium autorem: sive ob insigne aliquod beneficium gratias agebant: sive petebant eius ope liberari a periculis: sive in genere profitebantur suam pietatem, sive vota solvebant, quae simpliciter et sine conditione fuerunt nuncupata: nam voti conditionalis solutio, gratiarum actio erat. Porro quia Deum in omnibus debito cultu prosequebantur, gratitudinis suae testimonium dederunt. Hinc merito nomen impositum sacrificiis: quia vel ab eo optabant felices successus, vel quos iam adepti erant, eius gratiae ferebant acceptos: vel in rebus adversis levationem flagitabant, vel de salvis et integris sibi gratulabantur. Ponit tamen Moses quasi speciem unam ab aliis distinctam, sacrificium pro gratiarum actione: nempe ubi ex professo de insigni aliqua liberatione gratias agebant: quod non semper fiebat. In hac specie iubet placentas sine fermento

frixas in oleo, lagana oleo condita, et similaginem frixam offerri, panem vero fermentatum: ipso deinde oblationis die iubet carnem hostiae comedi, ne quid reliquum fiat. In votis et spontaneis sacrificiis maior conceditur libertas, ut scilicet postridie reliquiis vescantur, modo ne quid servent usque ad tertium diem. In loco quem inserui ex 22 cap. ubi verti: In acceptationem vestri, posset etiam reddi: In beneplacitum: רצון enim vocatur gratuitus Dei favor. Itaque sensus est, si Deo acceptum esse vultis sacrificium, videte ne quid reliquum maneat ex carne in posterum diem. Alii vero de hominum beneplacito intelligunt, ac si dictum esset, sponte vestra, vel prout libuerit. Et fateor vocem רצון eo sensu interdum sumi: sed quia eodem capite non aliter potest accipi quam pro Dei favore, vel acceptatione, varietatem fugere volui: neque tamen repugno, si cui diversa lectio magis placeat. [Verum [1]) si antithesin expendant lectores, quum mox additur: Si caro ultra iustum tempus residua maneat, non placiturum Deo sacrificium, mihi subscribent]. Apparet quidem in ea repugnantiae species, quia hoc modo Moses sacrificium voluntarium iuberet eodem die comedi. [Quod tamen non facit], si de liberali hominum affectu accipere libeat, hortabitur populum ut hilariter victimas suas offerat pro gratiarum actione. Quid tamen mihi probetur, ostendi: ac tunc quoque facilis erit conciliatio. [Neque enim Dei beneplacitum aequalitatem exigit: neque ut grati sint, eundem modum tenere necesse est. Verum in acceptationem sui offerre dicuntur, ubi nihil vitii admiscent: sed pure et rite offerunt]. Iam si causa discriminis quaeritur, mihi non magis liquet, quam varietatis inter panem et lagana vel placentas. Certum quidem est, Deo fuisse causam cur remissius vel strictius ageret: verum curiosius hodie inquirere de rebus incognitis, et quae ad pietatem nihil conducunt, neque rectum est, neque expedit.

16. *Quod si votum.* Paulo ante admonui votum hic intelligi non conditionale, sed simplex: quia si quis voti damnatus esset, gratiarum actionem solvebat. Ita eiusmodi sacrificium sub prima specie comprehensum esset. Id vero absurditate non careret, res similes inter se distingui quasi diversas. Verum quia multi gratuito vovebant, hoc genus sacrificii spontaneo coniungit Moses, ut sint in eodem ordine. Dictum etiam fuit carnes sacratas diutius non fuisse servatas, ne si rancidae essent vel putrefactae, vilesceret religio. Forte etiam correcta fuit ambitio: quia si permissum fuisset carnes sale maceratas comedere, multi se ostentassent absque dispendio. Fraenum ergo iniecit Deus, ut parcius et reverentius sacrificia sua offerrent. Poena additur, gratum non fore sacrificium Deo, sed potius abominabile: inde reos fore quicunque comederint. Porro quum dicit Moses, non imputari polluta sacrificia, inde colligendum est, quae rite offeruntur venire in rationem coram Deo, ut tanquam inter res sibi expensas referat. Neque tamen merita imaginari convenit quae ipsum obstringant, sed quia tam liberaliter nobiscum agere dignatur, ut nullum quod ei praestamus officium sit inutile.

1) *Quae uncis includimus ab ed. principe absunt.*

EX LEVIT. VII.

19. *Et caro quae contigerit ullum immundum, non comedetur, sed igni comburetur: at carnes illas omnis mundus comedet.* 20. *Nam anima quae comederit carnes de sacrificio prosperitatum quod est Iehovae, et immunditia eius fuerit super ipsum, tunc excidetur anima illa e populis suis.* 21. *Anima item quum tetigerit quidquam immundum, nempe de immunditia hominis, aut animal immundum, aut omne reptile immundum, comederitque de carnibus sacrificii prosperitatum, quod est Iehovae, tunc excidetur anima illa e populis suis.* 22. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen, dicendo:* 23. *Alloquere filios Israel dicendo: Omnem adipem bovis, et agni, et caprae, non comedetis.* 24. *Adeps quidem cadaveris, et adeps rapti parabitur in omne opus, sed comedendo non comedetis illum.* 25. *Nam quicunque comederit adipem animalis ex quo offeret oblationem ignitam Iehovae: tunc anima quae comederit excidetur e populis suis.*

EX EODEM CAPITE.

28. *Loquutus est insuper Iehova ad Mosen, dicendo:* 29. *Loquere ad filios Israel, dicendo: Offerens sacrificium prosperitatum suarum Iehovae, afferet oblationem suam Iehovae de hostia prosperitatum suarum.* 30. *Manus eius afferent oblationes ignitas Iehovae, adipem cum pectusculo afferet, pectusculum quidem ad agitandum illud agitatione coram Iehova.* 31. *Adolebit vero sacerdos adipem super altare.*

EX EODEM CAPITE.

37. *Haec est lex holocausti, minhae, et sacrificii pro peccato, et sacrificii pro delicto, et consecrationum, et sacrificii prosperitatum:* 38. *Quam praecepit Iehova Mosi in monte Sinai, die quo praecepit filiis Israel ut offerrent oblationes suas Iehovae in deserto Sinai.*

19. *Et caro quae contigerit.* Nulla quidem carne polluta licebat vesci, sed in sacrificiis specialis ratio

erat, quia immundities sacrilegio erat implicita: hac ratione comburi iubet, sicuti quod intra legitimum tempus consumptum non fuerat. Poena edicitur, ut quisquis immundus carnem sacram attigerit, excidatur a populo. Cuius atrocitas vel immodicus rigor quosdam induxit, ut exscindi non aliud esse putarent quam eiici extra castra. Atqui mirum non est Deum tam graviter in eos animadvertisse qui scientes et volentes contaminabant quod sanctum erat: neque enim si quis errore lapsus erat, hac sententia damnatus fuit, sed qui impia sacrorum profanatione apertum Dei contemptum prodiderat.

23. *Alloquere filios Israel.* Quoniam in omnibus sacrificiis adeps sanctus erat Deo, et adolebatur super altare, populum suum adipe vesci Deus vetuit, etiam in cibis vulgaribus, ut domi quoque religionem colerent. Fuit enim haud dubie hoc pietatis exercitium, ut qui procul aberant a templo, sese tamen in quotidiano victu assuefacerent ad Dei cultum. Nec me latet quibus allegoriis ludant nonnulli interpretes, sed in ratione divinitus tradita libenter acquiesco: quia adipem sibi Deus addixerat, ab illius esu prohibitum fuisse populum. Interea adipem cadaveris, vel animalis laceri, ad quemlibet usum accommodare lex permittit, modo abstineant ab adipe eorum animalium quae rite offerri poterant.

37. *Haec est lex holocausti.* Hac clausula significat Moses provisum fuisse ne quid adventitium obreperet ex hominum commentis ad vitianda sacrificia: quo die inquit sacrificia sibi offerri instituit Deus in monte Sinai, nihil omisit observatu dignum, ne quid aggredi auderent homines nisi ex eius praescripto. Et certe quum ita sedulo complexus fuerit omnes caeremonias, inde colligere promptum est quantopere fugienda sit temeritas, et quidquam fingendi audacia. Consilium itaque Mosis fuit, hac brevi admonitione populum ad modestiam hortari, ne metas a Deo positas transsiliret.

NUMER. XV.

1. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Loquere ad filios Israel, et dicas eis: Quum ingressi fueritis terram habitationum vestrarum quas ego daturus sum vobis,* 3. *Et facere voletis oblationem ignitam Iehovae, holocaustum vel sacrificium, ut solvatis votum aut sponte vestra, aut in solennitatibus vestris, ut faciatis odorem quietis Iehovae de bobus aut ex pecudibus:* 4. *Tunc offeret offerens oblationem suam Iehovae pro minha similae, decimam partem mistam cum quarta parte olei.* 5. *Et vini pro libamine quartam partem hin facies super holocaustum, aut ultra sacrificium pro agno uno.* 6. *Aut pro ariete facies minham similae duas decimas permistae cum olei tertia parte hin.* 7. *Et vini pro libamine tertiam partem hin offeretis in odorem quietis Iehovae.* 8. *Quod si facere voles iuvencum in holocaustum, aut sacrificium ad solvendum votum, aut sacrificia prosperitatum Iehovae:* 9. *Offeres una cum iuvenco minham, similae tres decimas permistae cum olei dimidia parte hin.* 10. *Et vinum offeres pro libamine dimidiam partem hin: oblationem ignitam odoris quietis Iehovae.* 11. *Sic facies bovi aut arieti uni, aut foetui tam de ovibus quam de capris.* 12. *Iuxta numerum quem facietis, singulis facietis iuxta numerum illorum.* 13. *Omnis civis faciet sic ista ut offerat oblationem odoris quietis Iehovae.* 14. *Et quum peregrinatus fuerit apud vos peregrinus, aut quicunque est in medio vestri per generationes vestras, feceritque oblationem ignitam odoris quietis Iehovae, quemadmodum facietis sic faciet.* 15. *O congregatio, statutum unum erit vobis et peregrino qui peregrinatur apud vos: statutum inquam perpetuum per generationes vestras: sicut vos sic et peregrinus erit coram Iehova.* 16. *Lex una et norma una erit vobis et peregrino qui peregrinatur apud vos.*

1. *Loquutus est autem.* Partim eadem nunc praecepta breviter attingit, de quibus magis distincte et copiosius disseruit in Levitico, partim quae obscurius et sparsim dixerat in unum locum colligit. Neque enim certam adhuc regulam tradiderat de accessionibus minha olei et vini: sed quae ad certas species accommodaverat, nunc generaliter servari iubet: quae autem exacte tractaverat, nunc levius transcurrit. Neque tamen omnia persequitur, sed tantum vetat ne sacrificia offerantur sine farina, vini libamine, et oleo. Visum alibi fuit, Deum in sacrificiis et oblationibus, quo populi ruditati consuleret, suscepisse quodammodo hominis personam, ac si familiariter illic epularetur. Quo sensu alibi sacrificia cibum suum appellat: non quod vitae adminiculis indigeat qui a se ipso vita est et qui vitam omnibus inspirat, sed quia nisi ad homines descendat, sursum attollere non potest eorum animos. Caeterum quia ex altera parte periculum erat ne multas inanes et supervacuas pompas induceret populus (quemadmodum videmus in sacris epulis gentes immodice et stulte fuisse curiosas, ac si Deum oblectarent lautitiae) praescribitur unuscuiusque rei mensura, ne quid pro arbitrio comminisci audeant. Probabilis autem coniectura est, quod satis clare traditum fuerat rursus fuisse memoriae mandatum. Sed quoniam ea ratio non exprimitur, tenere sufficiat quod aliquoties dictum fuit: quamvis res sint levis momenti caeremoniae, diligenter tamen oportuisse legitimas ab adulterinis discerni, ut obviam iretur hominum lasciviae, qui alioqui fermentum suum miscere non desinerent. Summa

huius loci est, ut tam in sacrificiis solennibus quae lex exigit, quam in voluntariis proportionem observent: de qua alibi vidimus.

14. *Et quum peregrinatus.* Peregrinos intelligit non quoslibet, sed qui oriundi a profanis gentibus Deo nomen dederant, atque ita recepti fuerant in corpus ecclesiae: nam hospites qui retinebant praeputium, sua immundities arcebat a cultu legali. Porro cur unam et eandem formam servari voluerit Deus: existimo duas fuisse causas, ut alacrius pietatis exercitia susciperent advenae qui nuper fuerant cooptati, quum viderent se in eodem locari gradu cum filiis Abrahae: deinde ne si discrimen aliquod fieret, statim obreperent vitiosae mixturae. Ergo ne praepostera aemulatione paulatim corrumperetur cultus Dei puritas, varietati quae huc et illuc abstrahere solet homines clausa fuit ianua.

EX LEVIT. XXII.

17. *Loquutus est praeterea Iehova ad Mosen, dicendo:* 18. *Alloquere Aharon et filios eius, et omnes filios Israel et dicas illis: Quicunque e domo Israelis, et e peregrinis Israel obtulerit oblationem suam pro omnibus votis suis, et pro omnibus oblationibus spontaneis suis, quae obtulerit Iehovae in holocaustum,* 19. *In acceptationem vestri offeretis immaculatum masculum ex bobus, ex agnis, et ex capris.* 20. *Omne in quo fuerit macula non offeretis: quia non erit in acceptationem pro vobis.* 21. *Vir autem quum obtulerit sacrificium prosperitatum Iehovae, ad solvendum votum, vel ad voluntarie offerendum, ex bobus, vel ex ovibus immaculatum erit in acceptationem, nullum vitium erit in eo.* 22. *Caecum, aut fractum, aut concisum labiis, aut verrucatum, vel scabiosum, vel impetiginosum, non offeretis ista Iehovae: neque oblationem ignitam dabitis ex his super altare Iehovae.* 23. *Bovem quidem et pecus superfluum aut diminutum, pro oblatione voluntaria facies: at pro voto non placebit.* 24. *Concussum et contusum, ruptum et excisum non offeretis Iehovae: in terra vestra non facietis.* 25. *De manu autem alienigenae non offeretis panem Dei vestri, ex omnibus istis: quia corruptio eorum est in ipsis: macula est in eis: non accepta erunt pro vobis.*

EX DEUT. XVII.

1. *Non sacrificabis Iehovae Deo tuo bovem, aut agnum, in quo fuerit macula, aut quidpiam vitii, quia abominatio Iehovae Dei tui est.*

17. *Loquutus est praeterea.* Clarius nunc docet, et copiosius prosequitur quod ante aliquoties perstrinxerat, nefas esse Deo offerre animal mutilum, vel debile, vel alio modo vitiosum. Porro illa externa integritas veterem populum admonuit, Deum perperam coli ex dimidia parte, quia cor duplex abominatur (Prov. 11, 20): simul hoc symbolo ostensa fuit perfecta eius hostiae puritas, qua tandem reconciliandus erat Deus. Scimus quantum sibi licentiae indulgeat mundus in cultu Dei: quamvis enim leviter et contemptim nugas tantum quasi puero obtrudat, probe tamen se defungi arbitratur. Hinc fit ut sordibus quibuslibet pretium arroget, ac perinde exsultet in meris Dei ludibriis, ac si eum teneret sibi obstrictum. Huius tam supinae securitatis clarum hodie exemplar cernitur in papatu, ubi non minus licentiose Deo illudunt quam si negotium esset cum trunco ligni. Ut alia innumera omittam, quid superbia hac magis prodigiosum, quando preces suas murmurando, vagantur mente, non tantum per evanidas sed etiam perversas imaginationes, fingere tamen meritoriam esse finalem, quam vocant, intentionem, ac Deo probari? Sacrifico propositum erit, divinas preces ex breviario recitare, vix tribus verbis conceptis, animus eius inter patinas versabitur nunc ad pocula, nunc ad lusum aleae, vel alias oblectationes discurret: interea velut soluto penso, iactabit se cultum Deo praestitisse. Huic itaque vitio ut occurreret Deus, praecepit hostias omni macula puras sibi offerri. Inde acerba eius expostulatio apud Malachiam (1, 13), quod altare polluerent Iudaei, ac mensam contemptibilem censerent, quum dicebant caecas victimas, claudas, et aegras non esse malas. Offer, inquit, tale quid duci tuo, et vide an suscipiat faciem tuam: non quod Deus pinguedinem adipis, vel saginam, vel succum, et vigorem moratus sit in animalibus, sed quia inde apparuit negligi, imo penitus contemni veram pietatem. Tenemus ergo reiectas fuisse omnes vitiosas hostias, ut sincero affectu ac serio discerent Israelitae se totos consecrare Deo, non autem cum eo pueriliter ludere, ut saepe fieri solet. Alibi quidem vidimus, repudiari a Deo omnem immunditiem: sed tenendum est duo ad legitimum cultum requiri, ut omni macula purgatus sit qui ad Deum accedit, deinde ut nihil offerat nisi purum ab omni labe et perfectum. Quod dicit Solomon (Prov. 15, 8) victimas impiorum esse abominationem, verum est, quamlibet pingues sint ac splendidae. Sed ut quae a nobis offeruntur placeant Deo, alterum quoque accedere necesse est, ne maligna et restricta, vel manca sit oblatio: deinde hoc symbolo (ut nuper dixi) directi fuerunt ad Christum, extra quem nusquam reperietur integritas quae Deo satisfaciat.

19. *In acceptationem vestri.* Vertunt quidam sponte vestra, sed repugnat contextus. Moses enim

eodem sensu nunc verbum רצה quod acceptum esse significat, nunc vero nomen רצון ponit, quod non potest nisi ad Dei favorem referri: quod vulgo beneplacitum dicitur. Deinde sicuti hoc loco composite dicitur לרצנכם, ita paulo post subiicitur לרצון לכם, ubi denunciat non fore illis in acceptationem mutilam hostiam, quia Deo respuetur. Summa igitur est, si cupiant Deo probari suas oblationes, cavendum esse ne quid vitii sit admistum. Quanquam si quis gratuitum favorem exprimi velit beneplaciti nomine, libenter admitto: quandoquidem non aliter placent Deo nostra officia, nisi quatenus, pro paterna sua indulgentia, pretium quo minime digna sunt tribuere dignatur. Interea tamen discamus non esse cum Deo ludendum, sed integro et sincero affectu sic colendum esse ut eius beneplacito respondeant nostra sacrificia. Hinc etiam tam secura cultus eius profanatio, quia non satis reverenter expendimus quid eius perfectioni respondeat. Certum quidem est nihil posse a nobis proficisci omni ex parte purum: sed aspiremus saltem quo decet, ac gemamus studium nostrum longe a suo fine distare, ut quod nobis deest, Christus gratia sua suppleat: neque enim dubium est, modo sacrificia nostra verae sint regenerationis fructus, quin eorum maculas suo sanguine abstergat.

23. *Et bovem, et pecus superfluum.* Exceptio hic ponitur in spontaneis oblationibus: illic enim animal vel pusillum, vel cuius membrum contractum erit, vel iustum modum excedet, non repudiat Deus. Et certe ubi quis, neque voto, neque alia necessitate obstrictus est, maior debet esse libertas. Tenendum tamen est nullam victimam Deo probari quae vitio notabili laboret.

25. *De manu autem alienigenae.* Hic vetat Deus victimas eiusmodi, vel ab externis emptas sibi offerri, quanquam Hebraei diversum sensum fabricarunt, ne ab extraneis quidem recipienda esse sacrificia quae ab ipsis ecclesiae filiis offerri non licebat. Caeterum quia prorsus a sacris oblationibus lex arcebat gentes immundas, excogitanda adhuc fuit solutio huius nodi. Volunt itaque alienigenas vocari, qui observant praecepta filiorum Noe, nempe qui Deum benedicunt, nec se contaminant incestu, abstinent ab effusione sanguinis humani, et rapinis, et idola non adorant: sed repugnat contextus: quia in fine subiicit Moses, non accepta fore Deo huiusmodi sacrificia pro ipsis Iudaeis: quod non conveniet si gentes ipsae offerant. Videtur ergo mihi confirmatio esse superioris doctrinae, per modum occupationis posita: videri enim poterat tolerabilis oblatio, si animal, quamvis mutilum, pecunia tamen emissent. Atqui pronunciat Deus, quod fas non erat ex propriis caulis educere, nihilo magis probari si pretio comparatum fuerit, quia vitium semper displiceat. Neque hoc ad proximum membrum restringo, sicut illi: ac si sermo esset tantum de animalibus castratis, vel quibus contusi sunt testiculi: sed verrucas etiam et impetiginem et alia vitia simul comprehendo. Iam quo plus ponderis habeat prohibitio, iterum sacrificia vocat panem Dei: non quod Deus, qui fons vitae est, cibo indigeat: vel quod carne corruptibili vescatur, quum sit spiritus aeternus: sed quo maiore diligentia studeant homines sacra rite peragere, in quibus familiariter ad Deum accedunt. Quod si principi terreno cibum foetidum vel corruptum obtrudere nemo auderet, multo minus tolerabile est mensam Dei ullis vitiis coinquinare.

EX DEUT. XXIII.

18 [1]). *Non offeres mercedem meretricis, nec pretium canis in domum Iehovae Dei tui, pro quocunque voto: quia abominatio Iehovae Dei tui utrumque est.*

18. *Non offeres.* Hoc mandatum superioribus affine est, quia Deus quidquid partum est illicito et turpi quaestu repudians, colendam in sacris summam castitatem docet: nec solum reiicit pretium meretricis, sed etiam canis, ne sanctitas altaris ulla impura oblatione polluatur. Quanquam videtur canis prae aliis animalibus reiici ob contemptum: nam suem immolare perinde nefas fuit ac canem, pretium tamen suis offerre licuit. Ergo canis non modo tanquam impurum animal, sed tanquam vile et abiectum reiicitur. In summa commendat Deus templi et altaris sui reverentiam.

EX LEVIT. XXII.

26. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 27. *Bos, vel agnus, vel capra, quum natus fuerit, erit septem diebus sub matre sua, a die autem octavo et deinceps, placebit in oblationem sacrificii igniti Iehovae.* 28. *Bovem autem, vel pecudem, et filium eius non mactabitis die una.*

EX EXODI XXII.

30 [2]). *Erit primogenitum animal septem diebus cum matre sua: die autem octavo dabitis illud mihi.*

1) Hebr. 19.
2) Hebr. 29.

EX EXODI XXIII.

19. *Non coques hoedum in lacte matris suae.*

EX EXODI XXXIV.

26. *Non coques hoedum in lacte matris suae.*

EX DEUT. XIV.

21. *Non coques hoedum in lacte matris suae.*

Levitic. 22, 27. *Bos vel agnus.* Vetat Deus teneros foetus statim ab utero trahi ad altare, non modo quia proclive fuisset hoc exemplum a sacrificiis traducere ad communem victum: sed etiam quia fraudulenta fuisset oblatio. Vidimus sacrificia vocari Dei panem, quo liberalius se gerant homines, nec immolent macilentas victimas. Mactare vero foetum ab utero recentem, signum fuisset contemptus: quanquam humanitatis etiam habita fuit ratio, ne talibus sacrificiis vescendo, ad barbariem assuefierent. Dies autem octavus praescribitur, quo legitima esse incipiat victima. Ratio quam nonnulli assignant, vereor ne sit nimium arguta, perfectum septem diebus reddi animal, quia Deus septem diebus mundi creationem absolverit. Adde quod hac ratione septimus dies idoneus esset ad sacrificandum: quia sex diebus complevit Deus omne opus suum, septimus vero ad eius cultum consecratus fuit. Mihi satis est aetatis maturitatem fuisse spectatam, non secus atque in circumcisione.

28. *Bovem aut pecudem.* Immanitas quidem hoc praecepto damnata fuit: non tamen dubito Mosen de sacrificiis proprie loqui. Fateor verbum שחט quo utitur esse generale: sed quum per totum caput de sacrificiis ex professo disserat, et huic sententiae continuo addatur clausula, ut sanctificent nomen Dei, contextus postulat ut dicamus commendari puritatem in Dei cultu. Si cui latius extendere placeat, non contendo: atque ita haec sententia appendix esset sexti praecepti. Sequutus tamen sum quod magis erat probabile, et mihi ut spero sani iudicii lectores subscribent. Interea fateor feritatem omnem et saevitiam arceri a Dei sacrificiis, et in ipsis regulam statui, ne homines in quotidiano victu crudeles sint. Spectaculum est mansuetis ingeniis minime iucundum, matrem iugulare cum suo foetu: id si consuetudine receptum fuerit, facile homines ad promiscuas caedes obdurescent. Ergo pietatis exercitia voluit Deus non aliena esse ab humanitatis officiis: et huc tendit mandatum, ne Dei altare cyclopica sit carnificina.

Exodi 23, 19. *Non coques hoedum.* Triplex mandati repetitio admonet de re seria verba fieri. Atqui leve est ac paene frivolum quod volunt quidam, vetari edulium minus salubre. Iudaei vero finem non spectantes, ut in nugis puerilibus sanctimoniam affectant, non audent cum carne vel hoedina vel agnina caseum gustare, donec bene perfricuerint suos dentes. Ego vero non dubito quin haec prohibitio ad sacrificia pertineat, quia primo loco coniunctim subiicitur primitiarum oblationi. Secundo etiam ita legitur: Adduces in sanctuarium Dei tui maturos terrae fructus, nec coques hoedum in lacte matris suae: similiter tertio loco: Non comedes cadaver, quia populus sanctus es Deo tuo, nec coques hoedum in lacte matris suae. Fateor quidem Mosen aliquando praecepta miscere de rebus diversis: verum perpetuus ille contextus evincit, praeceptum hoc inter caeremonias referri, atque ita censeri partem legalis cultus. Unde statuo non tantum interdici ne populus vescatur tali edulii genere, perinde ac si carnem vorarent sanguine imbutam: sed ne illa immani mistura sacrificia contaminent. Probabile autem est carnes lacte conditas fuisse in delitiis: sed quia obrepere poterat feritas, si agnum vel hoedum comederent in matris lacte, vetuit Deus sibi offerri quod ne in communi quidem victu erat tolerabile. Quod exponunt quidam hoedos excludi a mensis, donec ablactati fuerint, alienum est a ratione: quia tunc hircum subolere incipiunt. Verum optime convenit illa ratio, Deum in sacrificiis suis non admittere portentum: ut caro teneri foetus coquatur in lacte matris, tanquam in suo sanguine.

APPENDICES POLITICAE SECUNDI PRAECEPTI.

EX EXODI XXIII.

24. *Destruendo destrues eos, et confringendo confringes statuas eorum.*

EX DEUTER. XII.

1. *Haec sunt statuta et iudicia quae custodietis, ut faciatis in terra quam daturus est Iehova Deus patrum tuorum tibi, quo possideatis eam omnibus diebus quibus vos vivetis super terram illam.* 2. *Destruendo destruetis omnia loca in quibus servierunt gentes quas possessuri estis, diis suis, super montes excelsos, et super colles, et sub omni arbore frondosa.* 3. *Diruetisque aras earum, et statuas earum confringetis, lucos earum comburetis igni, et sculptilia deorum earum concidetis, abolebitisque nomen earum ex ipso loco.*

EX EXODI XXXIV.

13. *Aras eorum diruetis, statuas eorum confringetis, lucosque eorum succidetis.*

EX DEUT. VII.

5. *Sic facietis eis, altaria eorum destruetis, et statuas eorum confringetis, lucosque eorum succidetis, ac sculptilia eorum comburetis igni.*

EX NUMER. XXXIII.

52. *Destruite omnes statuas earum, et omnes imagines conflatiles destruite, et omnes aras eorum dissipate.*

EX DEUT. XVI.

21 *Non plantabis tibi lucum quarumvis arborum apud altare Iehovae Dei tui, quod facies tibi.*

Exodi 23, 24. *Destruendo destrues.* Fateor quidem has appendices partim quadrare et aptari posse primo praecepto: sed quia ubique expressa fit idolorum mentio, locus hic visus est commodior. Postquam autem docuit Moses quod observatu necessarium erat, quo diligentius sibi populus caveat, politicam legem addit de frangendis statuis et diruendis altaribus. Differunt autem hi loci a superioribus: quia hactenus superstitiones damnando quae per se vitiosae sunt, praescripsit Deus quod volebat servari usque ad mundi finem. Nunc temporalibus exercitiis confirmat doctrinam illam, ut populum veterem in officio contineat. Neque enim nobis hodie religio est, templa retinere quae polluta fuerunt idolis, et accommodare in meliorem usum: quia nos non obstringit quod propter consequentiam (ut loquuntur) legi additum est. Fateor quidem quaecunque ad superstitionem fovendam spectant, e medio tollenda esse, modo ne praecise urgendo quod per se medium est, simus in nimio rigore superstitiosi. Summa porro huc tendit: quo melius pateat quantopere detestetur Deus idololatriam, velle eorum omnium memoriam aboleri quae semel dicata sunt idolis. Secundus locus fusius explicat quod in primo breviter attigerat Moses. Nam sub voce statuae comprehenderat quae postea recenset idololatriae insignia: quibus terram ita purgari iubet, ut nullae appareant reliquiae. Quod autem dicitur: Quum veneris in terram, ut possideas: ex his verbis prudenter colligit Augustinus, non mandari quibuslibet privatis ut superstitionis instrumenta diruant: sed hac autoritate armari vel instrui populum, ex quo terra potitus, curam sustinet ordinandi publici status. Tertius locus brevior est, quia tantum tres enumerat species: quartus addit sculptilia. Quintus autem lucos omittit, ac eorum loco ponit imagines, vel repraesentationes ex materia conflata factas: ubi notandum est quod alibi attigimus, nomen statuae interdum sumi in bonam partem: ideoque existimant Iudaei, quod patribus ante legem permissum fuerat, nunc vetari. Mihi tamen magis probabile est, statuas nunc damnari, non qualem erexit Iacob, ut esset monumentum duntaxat, sed qua putabant Deum figurari. Alii titulos vertunt, alii picturas: quam apte, relinquo iudicium lectoribus. Adiungit imagines, quod nomen licet per se vitiosum non sit, merito tamen repudiatur quoad Dei cultum. Homo est imago Dei, hanc enim eandem vocem usurpat Moses ubi narrat hominis creationem. Verum ulla figura Deum repraesentare apud quam colatur, nihil aliud est quam eius gloriam corrum-

pere, atque adeo ipsum transfigurare. Caeterum fusiles vocando, non admittit sculpturas vel picturas: sed quia ut plurimum conflantur ex pretiosa materia, diserte cavendum fuit ne deos aureos vel argenteos populus servaret in ornamentum.

Deuteron. 16, 21. *Non plantabis.* Hanc quoque partem esse secundi praecepti ex fine liquet. Scimus profanis gentibus sacros fuisse lucos, ut nulla fere religio iustam apud eos venerationem haberet absque umbra arborum. Itaque ne similitudo cum illo communi usu vitiaret purum Dei cultum, interposita fuit distantia. Huc ergo tendit prohibitio, ut fugiant Iudaei omnes adventitios ritus: ne si propius ad gentes accedant, fiat vitiosa commistio. Porro quam necessaria fuerit prohibitio, ex fervida aemulatione apparet, cuius passim in sacra historia fit mentio. Vix enim ullum fuit tempus quo abstinuerint ab excelsis. Nec temere exprobrant Isaias et Ieremias sub omni arbore frondosa scortatos esse. (Isa. 57, 5. Ierem. 2, 20 et 3, 6).

EX EXODI XXXIV.

11. *Custodi quod ego praecipio tibi hodie. Ecce ego eiiciam a facie tua Amorrhaeum, Chananaeum, Hittaeum, Pheresaeum, Hivaeum, et Iebusaeum.* 12. *Cave tibi ne forte percutias foedus cum habitatoribus eius terrae ad quam ingressurus es, ne forte sint in laqueum vel offendiculum in medio tui.* Item: 15. *Ne forte percutias foedus cum habitatoribus eius terrae, ut scortentur post deos suos, et sacrificent diis suis: vocet autem te quispiam, et comedas e sacrificio eius.* 16. *Et forte accipias e filiabus eius filiis tuis, et scortentur filiae eius post deos ipsarum, et scortari faciant filios tuos post deos earum.*

EX DEUT. VII.

1. *Quum introduxerit te Iehova Deus tuus in terram in quam ingredieris possidendam, et avellerit gentes multas a facie tua: Hittaeum, Gergasaeum, Amorrhaeum, Chananaeum, Perisaeum, Hivaeum, et Iebusaeum, septem gentes magnas et robustiores te:* 2. *Et tradiderit eas Iehova Deus tuus coram te, et percusseris eas: perdendo perdes eas: non inibis cum illis pactum, neque misereberis earum.* 3. *Non iunges te affinitate cum eis, filiam tuam non dabis filio eius, et filiam eius non accipies filio tuo.* 4. *Avocabit enim filium tuum a me, et colent Deos alienos: unde irascetur furor Iehovae in vos, ut disperdat te cito.*

EX EXODI XXIII.

31. *Dabo in manum vestram habitatores terrae, et expelles eos a facie tua.* 32. *Non percuties cum ipsis foedus, nec cum diis eorum.* 33. *Non habitabunt in terra tua: ne forte peccare faciant te contra me quando colueris deos eorum, quod erit tibi in offendiculum.*

Exodi 34, 11. *Custodi quod ego praecipio.* Hae quoque appendices tametsi communiter ad primum et secundum praeceptum pertinent, in hunc locum differendae fuerunt, quia in illis remedium adhibuit Deus externis et manifestis omnibus superstitionibus, quae facile obrepere poterant nisi mature obviam itum fuisset. Ut nemo aliunde impellat, quisque ad idololatriam cupide prosiliet: ubi autem impii accedunt quasi flabella (quod fieri necesse est dum se eorum societate implicat Dei populus) magis ac magis accenditur morbus ille. Certe quae cum illis intercedit propior necessitudo, quasi iugum est quo secum alios trahunt. Ergo ut populus terram ingressus purum se et integrum Deo servaret, cavendum fuit ne quas sordes contraheret a reliquis gentibus: ideo voluit Deus omnes incolas terrae Chanaan penitus deleri, ne electum populum ad suos errores, et falsorum deorum cultum allicerent. Duas autem foederis species hic interdicit Deus, ne vel publice vel privatim se coniungant: tandem omnes absque venia interfici iubet. Quantum attinet ad foedus publicum, speciali ratione vetitum fuit ne se reprobis miscerent filii Abrahae: quia hoc modo se privassent legitima haereditate quae divinitus ipsis destinata erat: nec renovata fuisset terrae facies purgatis omnibus inquinamentis. Quoniam ergo iusto iudicio pridem statuerat Deus gentes illas perdere, nefas fuit filiis Abrahae rescindere coeleste decretum, vel quidquam ex eo mutare. Itaque si quis praecise urgeat, non licere ullum cum impiis foedus percutere quia id olim Deus vetuit, non bene ratiocinabitur, quia nobis hodie non praecipit Deus vindictam exsequi, impios omnes e vita tollendo: sicuti nec ecclesiae assignata est certa regio in qua seorsum habitet ac dominetur. Neque tamen infitior, aliqua ex parte ad nos spectare quod veteri populo mandatum est. Imo diligenter notandum est quod nuper attigi, qui sponte impiis se coniungunt quasi iugum subire quo in exitium trahantur. Et certe hac similitudine complexus est Paulus (2. Cor. 6, 14) rationes omnes quibus se in familiaritatem nostram insinuant increduli, ut suis corruptelis nos illaqueent. Itaque quoad fieri potest solvenda sunt potius omnia coniunctionis vincula, quam ut ad Dei hostes accedendo, sinamus nos eorum illecebris ab ipso abduci: semper enim quibuscunque poterunt artificiis divortium inter nos et

Deum facere tentabunt. Adde quod si cupimus fideliter Deum colere, perpetuum cum illis dissidium nobis esse oportet. Ergo non tantum a manifesto consensu separare nos vult Deus: sed quia plus satis corruptelis sumus dediti, fugere etiam iubet omnes illecebras, quae paulatim nos ad societatem scelerum inducant. Sed quia recte admonet Paulus (1. Cor. 5, 10), si nihil liceat habere negotii cum incredulis, exeundum esse a mundo, distinguere convenit inter contractus qui nos consociant, et alios qui nihil minuunt ex nostra libertate. Quamdiu versamur inter incredulos, commercia quae ad communem vitam spectant effugere non possumus: verum si propius accedimus, ut inde oriatur maior familiaritas, ianuam quodammodo aperimus Satanae. Eiusmodi sunt foedera inter reges et populos, inter privatos homines connubia: ideoque de utrisque legem tulit Moses veteri populo. Etsi autem nostra conditio hodie sit liberior, monemur tamen vitandas esse omnes insidias, quaecunque huic malo occasionem daturae essent. Viros uxorum blanditiis decipi nimis vulgare est, rursum viri uxores pro sua potestate cogunt ad obsequium. Itaque se idolis scientes et volentes devovent qui se idololatris commiscent. In foederibus idem contingit: quia pudet non aliquod signum observantiae dare. Sic in gratiam regis Syriae erexit Achaz altare in templo Damasceno simile (2. Reg. 16, 10). Sic dum gratificari volunt Iudaei Assyriis, eorum superstitiones imitati sunt. Denique rarissimum est exemplum, ut apud eos qui impiorum favorem captant impolluta maneat religio. Ac quo magis sollicite se in officio contineant, denunciatur quod dixi periculum. Alioqui statim in ore fuissent hae exceptiones, quamvis a vera pietate abhorreat uxor, stabo tamen integer: quamvis se Deo non subiiciat maritus, nunquam tamen a recto cursu deflectam: quamvis foederatis cordi non sit religio, apud nos tamen sancte coli non desinet. Deus ergo tempestive occurrit, ac negat tam cordatos fore ad resistendum, ubi semel fenestram malo aperuerint. Addit etiam aliud malum, quod terra sacra hoc modo profanabitur. Quamvis enim se disiungerent Israelitae a gentium impietatibus, hoc tamen excusabile non erat, illis permittere altaria in ea regione in qua sanctuarium sibi elegerat Deus. Simul tamen admonet Moses vix fieri posse quin participatio Israelitas quoque involvat. Quod ergo dicit: Ne scortentur post deos suos, et te invitent: his verbis significat Israelitas fore quasi lenones, si praetextu foederis, et fovendae benevolentiae causa, licentiam concedant gentium superstitionibus: deinde hanc fore illecebram gravius peccandi, quia dum offensionem metuent, non recusabunt venire ad epulas, atque hoc modo participes erunt eiusdem criminis. Ad verbum est: Ne forte percutias foedus, et scortabuntur post deos suos, et sacrificabunt diis suis, et vocabunt te: quae verba sic resolvi possunt, ut pendeant a superiori prohibitione: Ne contingat postquam percusseris foedus, ut scortentur etc. vel hoc modo: Nequaquam percutias foedus, quia scortabuntur cum idolis, et ubi sacrificia obtulerint, te vocabunt. Eodem tamen redibit sensus: quia duos pessimos fructus illiciti foederis numerat, quod terram polluent incredulae illae gentes, et humanitatis praetextu populum Dei corrumpent. Iam quo sint magis strenui et animosi ad officium, additur promissio, gentium illarum fore victores. Erat hoc fere incredibile, vagos et exsules facile et cito posse tot regionibus potiri. Dubitationem ergo tollit Deus, atque ita iubet Israelitas suo imperio parere in exitu eius belli, quod eius auspiciis feliciter se gessisse sentient. Ita reos ingratitudinis peragit, si quid de rigore quem postulat, remittere ausi fuerint: ac si diceret: Quum vos et multitudine, et opibus, et omni bellico apparatu longe superent gentes istae, tunc clare patebit vos non proprio marte vicisse. Plus quam ergo iniquum foret, bellum quod meo unius ductu et mea manu confectum fuerit, non meo quoque arbitrio finiri: vos autem victoriae, quam gratis contulerim, esse dominos. Quod autem sex tantum gentes enumerat Moses in Exodo, in Deuteronomio autem septimam addit, facile diluitur repugnantia: quando saepe vel Chananaeos tantum, vel Amorrhaeos nominat, sub quibus tamen reliquos omnes per synecdochen intelligit.

Deuteron. 7, 2. *Perdendo perdes.* Qui existimant inhumaniter hoc fuisse mandatum, nimium iuris sibi arripiunt in eum qui omnium est iudex. Speciosa quidem obiectio est, absurde populum Dei imbui saevitia, ut per strages atrociter grassando, nulli sexui, vel aetati parceret. Sed primo tenendum est quod postea videbimus: quum terram destinasset populo suo Deus, fuisse in eius arbitrio priores incolas penitus delere, ut populo suo vacua esset possessio. Longius deinde progrediendum, quia iusta suae vindictae testimonia in illas gentes exstare voluit. Quadringentis ante annis merito ultus fuisset plurima earum scelera: suspenderat tamen iudicium suum, et patienter eas tulerat, si forte resipiscerent. Nota est illa sententia: Nondum completae sunt iniquitates Amorrhaeorum (Gen. 15, 16). Postquam saeculis quatuor illi signovit Deus, et haec clementia auxit vel audaciam vel furorem, ut iram eius provocare non destiterint: certe crudelitas non fuit, poenae gravitate moram pensare. Atque hic apparet foeda et detestabilis humani ingenii perversitas. Nisi statim fulminet, indignamur: si poenas differt, eum ignaviae ac tarditatis insimulat fervor noster: ubi rursus prodit in medium vindex scelerum, vel crudelem vocamus, vel saltem obstrepimus eius severitati. Atqui semper eum absolvet sua iustitia,

nostrae vero calumniae et obtrectationes in capita nostra recident. Funditus perdere iussit septem populos: nempe postquam quadringentis annis addiderant peccata peccatis, ut immensa esset congeries, et experientia docuerat obstinatos esse et insanabiles. Itaque alibi dicitur terra illos evomuisse: ac si eorum foetore gravata se levasset (Levit. 18, 28). Si mortuo elemento intolerabilis est impietas, quid miramur Deum pro iudicis officio exercuisse extremum rigorem? Si vero iusta fuit ira Dei, certe eius ministros et exsequutores quos volebat, eligere potuit. Has partes quum iniunxerit populo suo, non abs re vetuit misereri eorum quos exitio addixerat. Quid enim magis praeposterum quam homines mortales cum Deo certare clementia? et ubi domino placet rigor, servos ius dandae veniae ad se trahere? Itaque saepius exprobrat Deus Israelitis quod perperam fuerint misericordes. Et hinc factum est, ut populi quos perdere debuerant tanquam, spinae et aculei fuerint ad ipsos configendos (Iosue 23, 13 et per totum librum Iudic.). Ergo ne maligne restringatur Dei potentia ad sensus nostri modulum, facessat omnis temeritas. Ac potius discamus reverenter suspicere eius opera, quorum nos latet ratio, quam proterve obloqui. Praesertim vero ubi iustas vindictae suae causas nobis proponit, qua decet humilitate et modestia, potius subscribere discamus eius decretis, quam frustra, et quidem in nostram perniciem, intercedere.

EX DEUT. VII.

16. *Absumesque omnes populos quos Iehova Deus tuus dat tibi: non parcet oculus tuus eis, nec coles deos eorum, quia laqueus erunt tibi.* 17. *Quum dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes illae quam ego: quomodo potero expellere eas?* 18. *Ne timeas tibi ab eis: recordando recorderis quae fecerit Iehova Deus tuus ipsi Pharaoni, et omnibus Aegyptiis.* 19. *Probationum magnarum quas viderunt oculi tui, et signorum, portentorumque, et manus validae, brachiique extenti quo eduxit te Iehova Deus tuus: sic faciet Iehova Deus tuus omnibus populis a quorum conspectu times tibi.* 20. *Praeterea crabronem immittet Iehova Deus tuus in eos, donec pereant qui superfuerint, et qui absconderint se a facie tua.* 21. *Ne paveas a facie eorum: quia Iehova Deus tuus est in medio tui, Deus maximus et terribilis.* 22. *Expelletque Iehova Deus tuus gentes illas a facie tua paulatim paulatim: non poteris absumere eas cito, ne multiplicetur contra te bestia agri.* 23. *Attamen tradet eas Iehova Deus tuus coram te, et conteret eas contritione maxima, donec perdantur ipsae.* 24. *Tradetque reges earum in manum tuam, et perdes nomen earum de sub coelo: non consistet quisquam coram te, donec perdas eos.* 25. *Sculptilia deorum ipsorum combures igni: non concupisces argentum et aurum quae sunt super ea, et capias tibi: ne illaquees te in illo: abominatio enim Iehovae Dei tui est.* 26. *Neque introduces abominationem in domum tuam, et sis anathema sicut illud: detestando detestaberis illud, et abominando abominaberis illud, quia est anathema.*

16. *Absumesque.* Quorsum iubeat populos Chanaan interfici, ex secunda parte versus liquet: ubi vetat eorum deos coli. Hoc igitur praeceptum aliis respondet, ubi similiter populos illos ad internecionem destinat. Quod autem alibi exposui, nunc praetereo: saevitiae non posse adscribi quam erga obstinatos et decies perditos vindictam Deus exercuit. Nam quum quadringentis ante annis dictum fuisset Abrahae, nondum completas esse eorum iniquitates, non potuerunt satis atrociter pro merito tractari, qui tam licentiose et improbe longa Dei tolerantia abusi fuerant. Sed observandum est Dei consilium, cur tam praecise Israelitis iniunxerit, ut penitus delerent quidquid illic repertum esset. Praeterquam enim quod eos omnes semel, ut digni erant, exitio addixerat, terram quoque in qua invocandum erat eius nomen, voluit omnibus inquinamentis purgari. Iam si qui ex veteribus incolis fuissent superstites, conati fuissent suas corruptelas subinde renovare: et quum alioqui plus satis ad superstitiones propensi essent Israelitae, facile tracti essent ad colenda idola. Haec igitur ratio est cur Deus quidquam humanitatis vel clementiae illis praestari vetet, sicuti ex contextu patere admonui: haec enim simul cohaerent, ne parcant gentibus, et ne colant earum deos. Ratio quae additur: Quia laqueus vel offendiculum erit tibi, ad totum complexum extendi debet: nempe exitiale fore Iudaeis, si gentibus parcant quae ipsos ad impietatem allicient.

17. *Quum dixeris in corde tuo.* Quia res plus quam difficilis erat tantam hominum multitudinem delere, et ipsa desperatio eos in rabiem adigere poterat, ut periculosum esset Israelitis omnem veniae spem praecidere, occurrit Deus timori, et eos ad strenuam iudicii sui exsequutionem hortatur. Unde colligitur utilis doctrina: quoties Deus mandat quod vires nostras superat, parendum nihilominus esse, et quaecunque ad nos impediendos se ingerant obstacula, audacter perrumpendum. Itaque in arduis omnibus negotiis succurrat haec doctrina, quidquid Dei imperio contrarium est, immensa eius potentia facile posse aboleri. Verum quia terror oculis iniectus statim ita occupat sensus omnes, ut tanquam torpidi iaceamus, in memoriam Deus Israelitis revocat quam multiplicem fiduciae materiam illis suggesserit. Nam quotquot ediderat miracula, totidem

probationes erant invictae eius virtutis. Unde statuere debebant, nihil esse metuendum modo praeiret Deus, ac proinde certi de victoria, non descenderent ad ullas pactiones.

20. *Praeterea crabronem.* Quoniam longa videri poterat hostium expugnatio, si manu et armis tantum sternendi forent: deinde quia vix credibile erat, omissa defensione ultro iugulum porrecturos, promittit Deus alio quoque modo stragem se editurum ad eos profligandos. Et ne Israelitae, dum hostes fingunt ad resistendum promptos fore, et alacres, turbentur vel trepident, alios sibi milites praesto fore Deus pronunciat: quia crabrones vel aliae virulentae bestiolae profugos omnes exstinguent. Eadem sententia legitur Exodi 23 capite. Quod vero pollicitus fuerat Deus, Iosue completum fuisse commemorat (Iosue 24, 12). Caeterum quia non uno momento perdendae erant gentes illae, ne taedio propterea labasceret populus, vel segnior redderetur, mature occurrit Deus, et admonet tarditatem hanc fore utilem: quia exstinctis omnibus incolis, irrumperent ferae bestiae in vacuam terram. Molesta igitur non debuit esse longior belli protractio, in qua Deus populi saluti consulebat, quia hominibus celeriter deletis, bellandum cum feris sylvestribus fuisset. Illum vero quem citavi locum Exodi, tametsi verbis similis est, consulto in alia classe locavi: quia nunc Deus in alium finem de exterminandis gentibus disserit, ne quid scilicet ex antiquis pollutionibus in terra residuum maneat, nec se misceant Israelitae impiis, quorum artibus tandem ad cultus adulterinos abstrahantur.

25. *Sculptilia deorum.* Finem ipsum cur profligandae sint gentes, rursus inculcat: sed longius quam ante progreditur. Deos colere vetuerat, nunc sculptilia iubet igni consumere: nam ut ad superstitionem proclivis erat populus, tales illecebrae facile eum a puro Dei cultu alienassent. Nec solum conflare aurum et argentum iubet, ut figuram mutet, sed omni usu interdicit, quoniam contagiosa sit lues. Docet enim Deum tantopere idola abominari, ut quisquis materiam unde conflata sunt attigerit, pollutionem inde contrahat, et fiat anathema. Videri quidem potuit haec nimia severitas, metalla quae in hominum usum creata sunt, impuritatis damnari, ac si naturae integritas hominum corruptelis esset obnoxia. Atqui hoc modo solem et lunam contaminarent idololatrae dum illis perversum cultum affingunt. Respondendum est aurum vel argentum impio abusu minime fuisse vitiatum: sed quamvis omni macula in se careret, populi respectu fuisse pollutum. Talis fuit animalium immunditiες: non quod in se quidquam haberent inquinamenti, sed quoniam Deus eorum esu interdixerat. Pollutio itaque cuius nunc fit mentio, a simili interdicto pendet, quia enim aliter cohiberi non poterat rudis populus, quod per se purum erat, Deus abominabile esse voluit: quamvis autem politicum hoc fuerit praeceptum, et tantum veteri populo ad tempus datum, ex eo tamen colligimus quam detestabilis sit idololatria, quae ipsa etiam Dei opera sua foeditate inficit.

EX DEUT. XXV.

17. *Memento quid fecerit tibi Amalec in via, quando egressi estis ex Aegypto:* 18. *Quod tibi occurrerit in via, et te in cauda agminis aggressus sit, omnium debilium post te, quum esses lassus et fatigatus, et non timuerit Deum.* 19. *Erit ergo quum dederit requiem Iehova Deus tuus tibi ab omnibus inimicis tuis per circuitum, in terra quam Iehova Deus tuus dat tibi in haereditatem ut possideas eam, delebis memoriam Amalec de sub coelo, ne obliviscaris.*

17. *Memento quid fecerit.* Vidimus alibi, ut Amalecitae primi hostiliter irruerint in populum, et conati fuerint iter eius abrumpere. Retulit etiam Moses Dei iudicium adversus ipsos, cuius nunc exsequutionem populo iniungit. Iurabat illic Deus continuum sibi per omnes aetates cum illis bellum fore: ne irrita esset comminatio, populum constituit vindicem tantae saevitiae et impietatis. Nam quum nihil molestiae vel damni illis inferrent Israelitae, iniustum erat armis lacessere tranquillos, et absque maleficio pergentes in aliam terram. Sed gravius ab illis violata fuit humanitas, quod cognatis suis non parcendo, abiecerint naturae sensum. Amalecitas ex primo libro Mosis patet fuisse posteros Esau (Gen. 36, 12): unde sequitur fuisse utrosque oriundos ex eodem patre Isaac. Sed videtur praeceptum hoc pietati minime consentaneum, ut retaliet populus illatam sibi iniuriam. Respondeo, non stimulari his verbis ad ulciscendi affectum, sed mandari, ut eodem poenae rigore persequantur scelera Amalec, quo aliorum gentium. Videtur quidem privato respectu Deus ipsos impellere, dum recitat saevitiam qua usi sunt: sed iudicium de legislatoris consilio facere oportet ex eius natura. Scimus autem nullos irae vel odii impetus posse Deo probari: atque hinc statuere promptum est, mandari quod zelo recte composito perficiat populus. Et notatur prima sceleris origo, quod scilicet non timuerint Deum. Id autem accipi non debet communi more: sed quia contra Deum quasi ex professo insurrexerint. Neque enim ignota illis esse potuit promissio Abrahae et Isaac data: sed quia autor generis Esau a iure primogeniturae exciderat, prava et sacrilega aemulatione factum est ut tentarent foedus Dei exinanire. Haec ratio est cur

Deus reprobis gentibus eos coniungat in eundem interitum. Caeterum verbum זנב, quod decaudare significat, tantundem valet atque extremum agmen carpere, ubi locari solent impedimenta et aegroti.

EX DEUT. XXIII.

3[1]). *Non ingredietur Ammonita et Moabita congregationem Iehovae: etiam generatione decima non ingredietur congregationem Iehovae usque in saeculum.* 4. *Eo quod non exceperint vos cum pane et aqua in via, posteaquam egressi estis ex Aegypto, et quod mercede conduxerit adversum te Bileam filium Beor de Pethor e Mesopotamia Syriae, ut malediceret tibi.* 5. *Sed noluit Iehova Deus tuus audire Bileam, et convertit Iehova Deus tuus tibi maledictionem in benedictionem, quod diligeret te Iehova Deus tuus.* 6. *Non quaeres pacem eorum et bonum eorum cunctis diebus tuis, in saeculum.* 7. *Non abominaberis Edomaeum, quia frater tuus est: non abominaberis Aegyptium, quia peregrinus fuisti in terra eius: filii qui nascentur eis generatione tertia ingredientur congregationem Iehovae.*

3. *Non ingredietur.* Sicuti populum nuper Deus prohibuit ab omni affinitate et foedere gentium Chanaan, ita nunc inter alienigenas distinguit, et docet qua lege quosque admittere liceat. Ac Moabitas quidem et Ammonitas prorsus reiicit: quia non modo commune humanitatis officium negaverint populo, sed arma contra eum sumpserint, atque etiam conduxerint Balaam ad eum maledicendum. Erant progenies Loth, atque filios Abrahae amplecti pro fratribus debuerant. Fuit igitur inexcusabilis barbaries, eos violenter impetere qui ultro pacem illis obtulerant: qui promiserant per suos legatos se iter facturos absque iniuria et maleficio: qui denique petierant sibi transitum permitti, modo bona fide pretium numerarent panis et aquae: etsi haud dubie impietatem magis quam saevitiam ultus est Deus, quod non modo suum beneficium facere irritum, sed fidem quoque exinanire moliti fuerant. Quum ergo per eos non stetisset quominus periret ecclesia, et excideret effectus promissionis, in qua fundata erat hominum salus, idque scientes et volentes fecissent, non mirum si ab ecclesia fuerunt exclusi.

4. *Et quod mercede conduxerit.* Etsi communis est ratio cur nunquam admitti debeat uterque populus, videtur tamen consulto mutatus esse numerus verbi: quia Balac rex Moab Balaam conduxit: sed quia simul conspiraverant, merito idem crimen adscribitur Ammonitis. In eo quidem se prodidit maxime detestabilis impietas, quod mercenarium hominem conducendo, qui maledictionis fulmen vibraret contra populum, tentarunt Deum magicis incantationibus opprimere. Neque ignorantia lapsi sunt, quum obstinate furorem suum prosequuti sint, donec e coelo prostratus fuit. Et hac ratione diserte exprimitur, Balaam non fuisse auditum, quin potius diras eius ac devotiones in benedictionem fuisse conversas. Hinc apparet quam formidabilis vindicta eos omnes maneat qui Dei gratiam et ecclesiae salutem deliberata malitia oppugnant. Sicuti hodie a defensoribus papatus nulli non moventur lapides, quo coelestis doctrinae cursum disturbent, imo evangelium, si fieri posset, e medio tollant. Caeterum quando clare notatur alia reiectionis causa, stulte hoc iudicium quidam trahunt ad originem: quia ex incestuoso coitu Ammonitae et Moabitae fuerint concepti, excludi ab ecclesiae gremio.

7. *Non abominaberis Edomaeum.* Quo insignius esset exemplum in poena quam abversus Moabitas et Ammonitas edixit: Idumaeos et Aegyptios in tertio gradu admitti iubet: priores quia genus ducebant ab eodem parente, nempe Isaac, quum essent posteri Esau: alteros vero quia hospites fuerant. Nam inde patebat Ammonitas et Moabitas suo scelere ab honore esse deiectos, cuius ne alieni quidem essent expertes. Caeterum etsi Esau se abdicaverat ab ordine fidelium, filiis tamen eius rursum aperta fuit ianua, modo ad caput et originem redirent, ac fidei suae humilitate sancirent primogenituram Iacob, qui electus fuerat praeterito vel posthabito eorum patre. Sed quid sibi vult poenae inaequalitas in pari scelere? Nam Edom prior armis adortus est Israelem quam Moab, et coegit alio iter vertere. Non conductitiis quidem imprecationibus certaverat ad perdendum Israelem: sed quia suppliciter per vetustam cognationem rogatus non modo negaverat transitum, sed cum ingenti exercitu in occursum irruerat, nihilo mitius tractandus erat quam Amalec vel Ammon. Adde quod arctiore sanguinis vinculo coniuncti, minus erant excusabiles in sua immanitate. Itaque causam non invenio, cur in eos clementior fuerit Deus quam in alios quibus fuit severior: nisi quia ostendere voluerit, in arbitrio suo esse, eadem, quae in aliis gravius vindicat peccata, in aliis levius castigare: nempe quum omnes digni sint extremo interitu, merito liberum ius parcendi quibus placuerit, apud se retinet. Hic adoranda sunt eius iudicia, ad quorum altitudinem non penetramus. Neque tamen inaequalitas obstreperis impiorum vocibus obnoxia est, ac si ipse sibi dissimilis esset, et a legis suae regula deflecteret: quando sic agendo non iudicat diversis modis, sed omnes peraequa damnando, indulget quibus visum est, vel partem poenae remittit. De Aegyptiis quoque moveri potest quaestio, cur illis obstringat Deus

1) Hebr. 4-9.

populum suum, quia in eorum terra peregrinatus sit. Fuit enim barbaries et immanitas inhospitalis, miseros advenas opprimere, qui in eorum fidem confugerant. Sed Deus primum ingressum hic respicit: sicuti apud Isaiam (52, 4), ubi Aegyptios Assyriis comparans, dicit latronum more hos grassari in populum suum, illos vero non sine praetextu fuisse dominatos: quia populus illuc sponte descenderat. Quamvis ergo violento imperio indigne oppressi fuerint Israelitae, vult tamen Deus vetus beneficium ab illis agnosci: quod levata fuit eorum inopia et fames, et inquilini benigne excepti fuerint, quo tempore incolae Chanaan inedia peribant.

EX DEUT. XVII.

2. *Si inventus fuerit in medio tui, in una portarum tuarum, quas Iehova Deus tuus dat tibi, vir sive mulier qui fecerit malum in oculis Iehovae Dei tui, ad transgrediendum pactum eius:* 3. *Iveritque et coluerit deos alienos: et adoraverit eos, solem aut lunam, aut universum exercitum coelorum, quod ego non praecepi:* 4. *Et nunciatum fuerit tibi, audierisque: tunc probe inquires: et ecce, si verus et certus fuerit sermo, et facta fuerit abominatio haec in Israel,* 5. *Educes virum illum, aut mulierem illam, qui commiserint facinus illud pravum ad portas tuas, virum, aut mulierem, et obrues eos lapidibus donec moriantur* [1]). Ibidem. 7. *Manus testium primo erit in eum ad occidendum ipsum, et manus populi postea: exterminabisque malum e medio tui.*

2. *Si inventus.* Hic eadem statuitur poena in idololatras, cui prius subiecti fuerunt apostatae: ita utriusque peccati transgressio capitis poena sancitur. Unde colligimus, non minus grave scelus coram Deo censeri, cultus eius vitiare crassis et impuris superstitionibus, quam palam et ex professo a pietate desciscere. Ideo apud Ezechielem (20, 39), valedicit Iudaeis, et quasi eos emancipat, ut eant singuli post idola sua, quando non contenti sunt eo solo. Caeterum ita rigidus est poenae exactor Deus, ut praecipitanter ferri iudicium nolit. Haec ad severitatem pertinent, ut tam mulier quam vir e medio tollantur, ut totus populus ad eos lapidandos conspiret, ut tollatur malum e medio terrae, ne abominatio maneat inulta. Moderatio autem opponitur, ut probe inquirant, nec iudicent nisi re bene comperta: deinde ut legitima sit probatio, nec eum qui accusatur unius hominis delatio opprimat. Ergo non vult Deus zeli praetextu iudices inconsiderate fundere sanguinem: sed ubi praecessit matura cognitio, ut plectatur maleficus pro modo delicti. Portarum nomine urbes designat συνεκδοχικῶς. Terrae vero datae mentionem facit, ne Deo sint ingrati in ea profananda. Criminis vero atrocitatem notat: vocando transgressionem foederis Dei: ac si diceret foedifragos esse quicunque ad idola declinant. Nam et fur, et scortator, et ebriosus, et similes transgrediuntur quidem legem: sed quia non se prorsus alienant a Deo, non ponuntur in hoc ordine. Denique non simpliciter hic punitur impietas, sed perfidia qua deseritur vera religio, postquam Deo nomen dederunt homines, et se professi sunt fore ex eius populo. Quod secundo repetitur: Sive vir, sive mulier, certius confirmat quod dixi: quamvis in sexu muliebri culpam extenuet infirmitas, hac tamen in parte non debere ignosci, ubi directe violatur Dei cultus. Etsi vero tantum fit mentio solis et lunae et stellarum, eadem est imaginum ratio. Imo quo turpior est impietas transferre Dei honorem ad mortuos lapides, vel truncos, quam ad stellas in quibus divinum aliquid refulget, eo magis detestabiles sunt qui se demergunt in tantum stuporem.

4. *Tunc probe inquires.* Quanquam moderatio ista ad praesentem causam refertur, vigere tamen semper debet in iudicio, ne quid durius contra innoxios statuatur. Rursus memoria tenendum est quod alibi dixi, non tantum hic cohiberi iudices, ne praecipites ferantur ad damnandum, sed etiam stimulari, ne res cognitu necessarias ignavia vel negligentia praetereant. Saepe enim cessant in officio, quia libenter connivent: atque ita evanescit quod liquido poterat constare, si diligentius inquirere gravati non essent. Non vult igitur eos torpere Deus, et sinistros rumores pro nihilo ducere, sed sedulo de rebus auditis sciscitari, ne quod maneat impunitum crimen. Eadem est ratio in testibus: nam ut iniquum esset ex voce aut relatu unius hominis pronunciare, ita si duo aut tres non sufficiant, nullus erit litigandi finis. Recte ergo Deus utrumque iudicibus praescripsit, ne temere creduli sint, et tamen contenti sint legitimo testium modo: verum hoc alibi fusius tractabitur, nempe tam in sexto quam penultimo praecepto.

7. *Manus testium primo.* Non abs re sceleratos Deus interfici voluit eorum manu quorum testimonio damnati essent. Carnificum usus non fuit in veteri populo, quo maior esset in exigendis poenis religio, modestia, et reverentia. Testibus autem maxime has partes mandavit, quia multorum nimis lubrica est lingua, ne dicam futilis, ut audacter voce iugulare non dubitent quem non auderent digito attingere. Optimum ergo huic levitati coercendae remedium fuit, non admittere testimonium ullius, nisi ad exsequendum iudicium parata esset manus. Triste quidem atque horrendum supplicii

1) *Editio* 1563 *latina, non vero recentiores neque Gallus, addit hic v.* 6.

genus fuit lapidatio: sed probabile est Deo placuisse, ubi plurium manibus utendum erat. Nisi in usu fuisset suspendium, frustra iussisset Deus ante solis occasum e ligno tolli suspensi hominis cadaver. (Deut. 21, v. 23.) Fuerunt igitur aliae poenarum capitalium species. Sed ubi eius qui peccaverat morte, quasi piaculo, purganda fuit terra, lapidari oportuit totius populi manibus: quia crudele fuisset lenta morte consumi, si alii post alios manus attulissent. Cur autem iussus fuerit populus lapides proiicere uno consensu, haec fuit ratio, ut specimen ederet zeli sui, quo monstraret quanti faceret violationem cultus Dei.

TERTIUM PRAECEPTUM.

EX EXODI XX.

7. *Non sumes nomen Iehovae Dei tui in vanum: quia non absolvet eum Iehova qui nomen suum sumpserit in vanum.*

REPETITIO, EX DEUT. V.

11. *Non sumes nomen Iehovae Dei tui in vanum: quia non absolvet Iehova eum qui nomen suum sumpserit in vanum.*

Exodi 20, 7. *Non sumes nomen.* Manifesta est in hoc praecepto synecdoche: nam ut Deus reverentiam conciliet sacro suo nomini qualis debetur, vetat temere sumi, praecipue in iuramentis. Unde colligitur ex opposito affirmativum praeceptum, ut omne iusiurandum testimonium sit verae pietatis, in quo Dei ipsius maiestas gloriam suam obtineat. Porro certum est non modo quum per Deum iuramus, reverenter colendum esse eius nomen, sed quoties fit eius mentio. Ita his verbis sanctitatem suam, tam in verbo quam operibus suis, ab omni profano contemptu asserit. Iurare per Dei nomen, speciem esse vel partem cultus eius, paulo post videbimus, et ex Isaiae verbis clare patet (Isa. 45, 23). Nam ubi praedicit gentes omnes purae religioni nomen daturas, sic ait: Vivo ego, dicit Iehova, mihi curvabitur omne genu, et omnis lingua iurabit per me. Porro si genuflexio adorationem significat, istud iurare quod coniunctim additur, tantundem valet atque ipsum agnoscere pro Deo. Iam quum ratio dictet speciem hic poni pro genere, videndum est quid intelligi debeat per nomen Dei, et per adverbium לשוא. Ineptum ac puerile commentum est restringere hoc ad nomen Iehovae, ac si in literis vel syllabis inclusa esset Dei maiestas: sed quia invisibilis est eius essentia, nomen tanquam imago nobis proponitur, quatenus se nobis Deus patefacit, et suis notis se insigniens cognoscitur: sicuti homines ex suo quisque nomine. Hac ratione Christus docet nomen Dei comprehendi sub coelo, terra, templo, altari: quia illic conspicua est eius gloria (Matt. 5, 34). Unde sequitur, profanari Dei nomen quoties summae eius sapientiae, infinitae virtuti, iustitiae, veritati, clementiae et rectitudini detrahitur. Si placeat brevior definitio, dicamus nomen esse quod Paulus (Rom. 1, 19) vocat *τὸ γνωστόν*. Inaniter vero sumitur nomen Dei, non tantum ubi quis eo abutitur ad periuria, sed ubi leviter ac contemptim rapitur ad probandas res frivolas ac nugatorias: loquor de iuramentis. In eo autem nimis crassa est hominum ingratitudo, quod quum Deus nomen suum quasi precario concedat ad lites dirimendas, tanquam interposito fidei pignore: promiscue non sine manifesto contemptu in ipsorum ore volitat. Periuria iterum damnabit Deus in quinto praecepto secundae tabulae, nempe quatenus proximis nocendo caritatem laedunt ac violant. Huius praecepti alius est respectus vel finis, ut Deo suus honos illibatus maneat, non nisi religiose de ipso loquamur, vigeat inter nos quae debet, eius veneratio. לשוא quidem verti posset: Ad mendacium, et hoc sensu videbimus aliis locis sumi: sed quia saepe tantundem valet ac חנם quod est gratis vel frustra, haec expositio melius quadrare visa est: in qua etiam plenior et uberior doctrina continetur, ne homines quasi per ludum et iocum Dei nomen levibus de causis arripiant: quod non fit sine eius contumelia,

et profanatione. Atque ita particulae לשוא opponitur nominis Dei sanctitas, quae nos in eius timore, et vera pietare continet. Quia vero nihil difficilius est quam hominum licentiam fraenare in hac parte, et ad crimen excusandum, vel saltem elevandum, linguae obtenditur lubricitas, additur poenae denunciatio: si Dei nomen temere expositum fuerit probro vel contemptui, ipsum fore ultorem. Quo igitur magis in sua licentia obduruerint, eo minus impune laturi sunt: tantum abest, ut culpam minuat prava consuetudo.

EXPOSITIO TERTII PRAECEPTI.

EX LEVIT. XIX.

12. *Non iurabitis per nomen meum mendaciter, nec profanabis nomen Dei tui: ego Iehova.*

EX EXODI XXIII.

13. *Nomen deorum alienorum non memorabitis, non audietur in ore tuo.*

EX DEUT. VI.

13. *Per nomen eius iurabis.*

EX DEUT. X.

20. *In nomine eius iurabis.*

Levit. 19, 12. *Non iurabitis per nomen.* Etsi Moses disserit de officiis secundae tabulae, ac postquam vetuerat fraudulenter agere cum proximis, sententiam hanc adiungit confirmationis loco: tamen ex secundo membro versus colligere licet, proprie eum spectasse ad Dei gloriam, quum dicit: Non pollues nomen Dei tui. Facit enim insana lucri cupiditas, ut avarus et rapax non tantum homines fraudet, sed contumeliosus sit in ipsum Deum. Ergo Moses, quamvis ex professo damnet mendacia et fraudes quibus proximi laeduntur, per occasionem simul inserit, cavendum esse ne ubi nos ad nocendum impellit cupiditas, non tantum hominibus, sed ipsi quoque Deo fiat iniuria. Non ponitur autem hic nomen שוא ut prius, sed שקר, quod proprie fallaciam significat: et ideo dixi, cavere ne quid noxae periuriis afferat quisque proximo suo: nihilominus hanc prohibitionem spectare ad tertium praeceptum, quia in hac parte maxime insistit Moses, profanari nomen Dei periuriis. Atque ita non tantum integritatem commendat, sed rationem habet pietatis, ne violetur Dei maiestas. Ac notatu digna est loquutio, Non pollues nomen Dei tui: quia non potest Deus, qui aeterna est veritas ac immutabilis, maiore contumelia affici quam ubi citatur mendacii testis: quae certe indigna est ac nefanda pollutio. Hoc animadversum non fuit a profanis hominibus: qui etsi Dei nomen se revereri iurando simulabant, pro nihilo tamen ducebant fallere, si ita meritus erat ille cui fidem dederant. Dicit Thyestes apud poetam, Ego vero fidem neque dedi infideli cuiquam, neque do [1]): quoniam sceleratus erat frater, nullam cum eo religionem ducebat sibi colendam. Quasi vero pendeat Dei maiestas ab hominum meritis, ut eum testem producere liceat, dum fallaciter agimus. Maneat ergo illud fixum, primam in iuramentis rationem Dei habendam esse, cuius sacrum nomen centum mundis pretiosius est.

Exodi 23, 13. *Nomen deorum alienorum.* Quin haec sententia connecti debeat cum tertio praecepto, minime dubium est. Nomen ergo Dei frustra et perperam sumi interpretatur Moses, si per deos alienos iuretur. Neque enim alteri quam uni Deo fas est iudicium deferre de rebus incognitis. Unde sequitur, ad eos transferri deitatis gloriam per quorum nomen iuratur, ideo severe denunciat Deus per prophetam (Soph. 1, 4), se perditurum omnes qui iurant per nomen suum, et simul per Melchom: quia hoc modo miscebant eum Iudaei cum suo idolo, ac proinde sanctitatem eius inquinabant. In summa, quum iurando profiteamur eum nobis esse deum, quem et cordium cognitorem, et iudicem in animas nostras statuimus, hunc honorem sibi in solidum merito asserit verus Deus, quia non tantum detrahitur nominis eius gloriae, si minus reverenter quam deceat de ipso loquimur, verum etiam si socios adiungimus qui partem iuris occupent. Quod etiam duobus locis, quos ex Deut. adduximus, clarius patet, ubi iubetur populus per nomen unius Dei iurare: quod tantundem valet atque in externa cultus professione integram quam meretur reverentiam praestare sacro eius nomini. Caeterum non incitat Deus populum ad iurandi licentiam, ac si frequenter iurando se exercerent in officiis pietatis: sed intelligit simpliciter, ubi opus fuerit, vel necessitas aut iusta ratio id postulabit, non aliter iurandum quam ut ipse solus advocetur testis ac iudex.

1) *Laudatur hic versus a Cicerone in Offic. III.* 29.

EX DEUT. XXIII.

21 [1]. *Si votum voveris Iehovae Deo tuo, non tardabis illud solvere: alioqui requirendo requiret illud Iehova deus tuus abs te, et erit in te peccatum.* 22. *Quod si abstinueris a vovendo, non erit in te peccatum: quod egressum fuerit e labiis tuis observabis, et facies sicut vovisti Iehovae Deo tuo liberaliter, et sicut loquutus es ore tuo.*

21. *Si votum voveris Iehovae.* Pertinet vovendi quoque ratio ad observationem tertii praecepti: quia vovendo homines in sanctificando Dei nomine se exercent, et species est iurisiurandi, aliquid Deo promittere: quia solenni ritu interponitur sacrum eius nomen. Nam quod inter homines pactum dicitur vel conventio, Dei respectu votum est: ideoque apte dici potest sacra pactio, quae non tantum fit Deo teste, sed cum ipso transigitur. Alibi quidem obiter vota quaedam attigimus, ut Nazaraeorum: sed quia consecratio illa pars erat cultus Dei, eam in primo praecepto posui. Nec sane illic de ipsa voti obligatione proprie disseruit Moses, sed de illo pietatis exercitio quod populum ad puritatis, sanctimoniae et sobrietatis studium excitabat. Idem sequutus sum in voluntariis sacrificiis, quae maiori ex parte votiva fuisse certum est: sed quod praecipuum erat consideravi, de accessione non perinde sollicitus. Nunc vero in altera specie confirmat Moses quod prius docuit, nomen Dei non frustra esse sumendum. Itaque iubet vota solvere, quae nisi rata sint, imminuitur nominis Dei gloria, dum iure suo faudatur ipse, et pro nihilo ducitur promissio coram ipso sancita. Porro notandum est, vota omnia quae unquam Deo grata fuerunt, fuisse testimonia gratitudinis, ne beneficiorum eius memoria intercideret, quorum nimis facile oblivio inter nos obrepit. Quum ergo sancti vel tarditatis vel ignaviae sibi conscii essent in praedicanda Dei bonitate, hoc adiumento et quasi stimulo usi sunt ad corrigendam suam segnitiem. Ita quum serium aliquid a Deo postularent, saepe aliqua promissione se obstringere solebant ad testandam gratiarum actionem. Eiusmodi vota sancte et fideliter servari iubet Moses, ne Deo illudant qui ex periculo elapsi sunt, vel rebus optatis potiti, quum in sua anxiedate supplices fuerint. Scimus enim quanta facilitate, vel potius levitate, rapiantur multi ad vovendum, qui mox eadem inconstantia pro nihilo ducunt datam fidem violare. Hac in parte Deus merito nomen suum a contemptu vindicat, atque in hunc finem postulat sibi solvi quod promissum fuerit. Sed quoniam superstitiosi hoc trahunt, vel torquent promiscue ad quaelibet vota, quo genuinum Mosis sensum teneamus, refutandus est illorum error. Volunt papistae vota omnia praestari sine exceptione, quia scriptum sit, Non tardabis solvere quod egressum erit ex ore tuo. Sed primum tenenda est votorum definitio, aut saltem videndum quaenam legitima sind vota et Deo probentur. Nam si votis omnibus, quamlibet temere nuncupatis constet effectus, olim sub lege fas fuisset filios et filias mactare, erigere idolis altaria, atque ita hoc praetextu tota lex Dėi eversa prorsus fuisset. Quare statuendum est discrimen inter vota, nisi velimus fas et nefas confundere. Hoc autem primum est caput, nihil rite voveri Deo, nisi quod cognoverimus ei placere. Nam si obedientia potior est omnibus sacrificiis (1. Sam. 15, 22), nihil certe magis absurdum est quam licentiam hanc grassari, ut suo quisque arbitrio Deum colat. Si vovisset quispiam ex Iudaeis se canem immolaturum, quia id vetabat lex Dei, sacrilegium fuisset votum solvere. Caeterum quia inter id quod diserte praecepit Deus aut vetuit, medius est aliquis gradus, obiici posset, in rebus quas indifferentes vocant, licere votum concipere. Rursus hic respondeo, quia principium illud semper vigere debet inter pios, nihil sine fine tentandum esse, semper considerandum esse quid Dei verbo consentaneum sit, alioqui praeposterum esse zelum. Non vetabat Deus olim permulta, quae tamen sibi in cultum offerri nolebat (Rom. 14, 23). Ita et hodie quanquam tota vita licebit carnes non gustare, si quis tamen perpetuam earum abstinentiam voveat, superstitiose faciet: quoniam Deo inconsiderate obtrudet, quod eum non probare ex ipsius verbo colligimus. Quare nisi ad hanc regulam exigantur vota omnia, nihil erit vel rectum vel firmum. Alter vero nimis crassus error coargui potest in papistis, quod stulte plus Deo promittunt quam sint solvendo. Certe plus quam caeca superbia est, imo diabolicus furor: mortalem hominem velle aliquid de suo afferre quod non acceperit: ut si quis voveat inediam toto vitae cursu, si quis somno et necessariis vitae subsidiis renunciet, insania haec omnium consensu damnabitur. Nullum ergo placere potest Deo munus, nisi quod pro sua in nos liberalitate contulit. Quid autem in papatu agitur? Monachi, moniales et sacrifici ad perpetuum caelibatum se obstringunt, nec expendunt peculiare esse continentiae donum. Ita dum nemo ad facultatis suae modum respicit, misere se praecipitant, vel exitiales induunt laqueos. Adhaec singulis habenda est vocationis suae ratio. Addicet se quispiam monachus abbati ut patris iugum excutiat: qui ad gerenda publica negotia idoneus erat, liberis valere iussis, monachatus praetextu, immunitatem captabit. Hinc apparet, ex voventis persona aestimandum esse votum, ratum esse debeat necne. Sed in fine ipso gravissime et magis vul-

1) Hebr. 22—24.

gariter peccatur. Dixi nuper nunquam Deo pios vovisse nisi in testimonium gratitudinis: atqui quotquot fere vota concipiunt superstitiosi, totidem sunt fictitii cultus, quibus nihil aliud propositum est quam Deum placare expiando peccata, vel gratiam meritis acquirere. Non persequor longe foediora deliria quibus se et vota sua inquinant, dum in Dei locum substituunt sua idola. Vovebit quispiam altare Christophoro vel Barbarae. Ut rata sit barbara illa impietas, obtenditur Mosis sententia, quae certe longe aliud continet, nempe Dei cultum pervertere qui altari [1]) vovent. Ubi etiam pro confesso sumit Moses, non censeri legitimum votum nisi quod ipsi Deo, ex pietatis regula legisque praescripto nuncupatum fuerit. Itaque in hoc exordio fundata est doctrina, noxam contrahi nisi reddatur quod promissum est.

22. *Quod si abstinueris.* Confirmat quod dixit, obnoxios fore Deo qui eum frustrati fuerint: quia nulla eos necessitas compulerit: unde sequitur duplicari culpam, quod peccare maluerint: quum liberum esset non vovere. Sic Petrus Ananiae et Saphirae perfidiam obiurgans: Quis vos coegit mentiri spiritui sancto? nonne ager erat vester, quem retinere licuit? nunc vero parte pretii Deum fraudare, impia est simulatio. Interea oblique sobrietatem in votis commendat, dum illis remittit hoc genus officii: perinde ac si moneret, non esse causam cur reatu se obstringant futiliter promittendo quod Deus non exigit. Et certe nihil est consultius quam esse in votis parcissimos: quia qui leviter ad ea prosiliunt, vel mox ducuntur poenitentia, vel serviliter tanquam vi adacti, nec sine molestia et taedio pensum solvunt, atque ita corrumpunt operis gratiam. Quod autem dicit: Egressum ex ore, non attendit ad caeremoniam, in qua suo more nimis scrupulose insistunt Iudaei: sed licentiam vovendi cohibet, ad quam sponte plus aequo sumus propensi. Quum dicitur Psalmo 66: Veniam cum holocaustis, solvam tibi vota quae protulerunt labia mea, et os meum loquutum est in afflictione mea: quanquam intelligit propheta se in ultimis angustiis praesenti semper fuisse animo et composito, ut diserte opem Dei imploraret, ac constantiae vel fiduciae specimen ederet in votis nuncupandis: hoc tamen simul notatur, non praecipitanter fudisse voces in aëre, sed ex seria meditatione esse loquutum. Et certe quum nimis volubilis sit multorum lingua, et pectus praeeat, praecipua obligatio in ipso loquendi actu quaerenda non est. Verum ut constet vera maturitas, requiritur mutuus consensus cordis et linguae. Eadem loquutio iterum saepius recurret. Itaque repetitio ostendit scrupulum eximi infirmis, ne simulac aliquid ipsis in mentem venerit, vanam religionem sibi fabricent. Scimus apud profanas gentes, in solenni templorum dedicatione, sacerdotem fuisse adhibitum qui verba praeiret: quo ritu admoniti fuerunt, nihil rite offerri Deo nisi ipso quasi dictante. Haec quidem ratio, fateor, ab illis minime expensa fuit: voluit tamen eorum exemplo Deus in sacris oblationibus levitatem vel inconsideratum fervorem damnare.

EX LEVIT. XXVII.

1. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Alloquere filios Israel, et dic eis: Vir quum separaverit votum secundum aestimationem tuam animarum Iehovae,* 3. *Erit aestimatio tua pro masculo, a filio viginti annorum usque ad filium sexaginta annorum, erit aestimatio tua quinquaginta siclorum argenteorum, secundum siclum sanctuarii.* 4. *Quod si femina fuerit, erit aestimatio triginta siclorum.* 5. *Si autem a filio quinque annorum usque ad filium viginti annorum, erit aestimatio tua pro masculo viginti siclorum, pro femina vero decem siclorum.* 6. *Si vero a filio mensis usque ad filium quinque annorum, erit aestimatio tua pro masculo, quinque siclorum argenteorum, pro femina vero aestimatio tua erit trium siclorum argenteorum.* 7. *At si a filio sexaginta annorum, et supra, si pro masculo, erit aestimatio tua quindecim siclorum, et pro femina decem siclorum.* 8. *Quod si pauperior est quam ut aestimationem tuam possit solvere, tunc statuet illum coram sacerdote, et aestimabit eum sacerdos: secundum quod apprehenderit manus voventis, aestimabit eum sacerdos.* 9. *Si autem animal voverit de quo offerunt oblationem Iehovae, omne de quo dederit Iehovae erit sanctitas.* 10. *Non mutabit illud, neque commutabit illud, melius deteriore, aut deterius meliore: quod si commutando commutaverit animal animali, et illud et commutatio eius erit sanctitas.* 11. *Si autem fuerit quodlibet animal immundum, de quo non offerunt oblationem Iehovae, tunc statuet animal coram sacerdote.* 12. *Aestimabitque illud sacerdos, sive bonum sit, sive malum: secundum aestimationem tuam, sic erit.* 13. *Si vero redimendo redemerit illud, addet quintam eius partem ultra aestimationem tuam.* 14. *Vir autem quum consecraverit domum suam consecrationem Iehovae, aestimabit eam sacerdos, sive bona sit, sive mala: secundum quod aestimaverit eam sacerdos sic manebit:* 15. *Si autem consecrans redemerit domum suam, addet quintam partem pecuniae aestimationis tuae super eam, et illius erit.* 16. *Si vero de agro possessionis suae consecraverit quis Iehovae, erit aestimatio tua secundum sementem eius, semen cori hordeorum quinquaginta siclis argenteis aestimabitur.* 17. *Quod si ab anno Iubilaei consecraverit agrum suum, secundum*

1) *Sic Edd. Lege:* alteri (à un autre).

aestimationem tuam manebit. 18. *Si vero post Iubilaeum consecraverit agrum suum, tum supputabit cum eo sacerdos pecuniam secundum annos qui remanent usque ad annum Iubilaei, et detrahetur de aestimatione tua.* 19. *Si autem redimendo redimat agrum qui consecravit ipsum, addet quintam partem pecuniae aestimationis tuae super eam, et manebit ei.* 20. *Si vero non redemerit agrum, et si vendiderit agrum viro alteri, non redimet ultra:* 21. *Sed erit ager quum egredietur Iubilaeus, sanctitas Iehovae, sicut ager anathematis: sacerdoti erit possessio eius.* 22. *Si vero agrum emptum a se qui non erat de agro possessionis suae, consecraverit Iehovae:* 23. *Tunc supputabit illi sacerdos numerum aestimationis tuae usque ad annum Iubilaei, dabitque aestimationem tuam in die illo sanctitatem Iehovae.* 24. *In anno Iubilaei revertetur ager ad eum a quo emerat ipsum, ad eum cuius erat possessio terrae.* 25. *Omnis autem aestimatio tua erit secundum siclum sanctuarii: viginti obolorum est siclus.*

EX EODEM CAPITE.

27. *Si vero fuerit ex animalibus immundis, redimet iuxta aestimationem tuam, et addet quintam partem eius ultra eam, et si non redimatur, vendatur iuxta aestimationem tuam.* 28. *Verumtamen omne anathema quod consecrabit aliquis Iehovae ex omnibus quae habet, de hominibus et animalibus, et de agris possessionis suae, non vendetur neque redimetur. Omne enim anathema sanctitas sanctitatum erit Iehovae.* 29. *Omne anathema quod consecrabitur de hominibus non redimetur: moriendo morietur.*

1. *Loquutus est.* Hoc capite docet Moses, si forte vota commode solvi nequeant, quomodo vel quo pretio redimendum sit quod semel oblatum fuit Deo. Porro notandum est duas fuisse consecrandi species in veteri populo, nempe, in anathema quod Hebraei vocant חרם, vel in usum templi, et alia pietatis exercitia. Anathema fieri potuit ex animalibus immundis, et aliis profanis rebus, sicuti in urbe Iericho, et aliis similibus exemplis videre licet: sed proprie vota nuncupare fas non fuit, nisi de homine vel animali mundo, vel alia re quae ad Dei cultum aptari posset. Sic ex gregibus vovebant hircos vel oves: ex armentis boves aut vitulos, ut Dei gratiam in foecunditate sentirent. Si quem orbitatis taedebat, sobolem a Deo postulans, filium vel filiam voto offerebat: qua ratione Samuel, antequam in utero conciperetur, Deo fuit dicatus. Si cui natus erat imbecillior foetus, vel si quis ex liberis in gravem morbum inciderat, vel ipse erat in aliquo discrimine, moris erat ad vota confugere, ut Deus quod sibi dicatum erat, tueretur. Nec dubium est quin perperam multi ad ineptias prolapsi sint: quae vitia sic toleravit Deus, ut res ipsa cum lege non pugnaret. Porro quia saepe contingit ut qui votorum damnati sunt, mutato consilio, ad solvendum minus sint alacres ac prompti, imo aegre et inviti sese liberent: ut voluntariae essent oblationes, Deus pretio dato redimere permisit quod promissum erat. Imposito autem pretio, quasi mulcta indicta, temeritas correcta fuit, et in posterum fraenata levitas: ut ante conceptum votum probe meditarentur quid facturi essent, ne molestum deinde esset promissis stare. Notandum porro est rata fuisse vota, non quia penitus Deo placerent, sed ne assuesceret populus ad impium eius contemptum, si fraudator impune Deo negaret quod promiserat. Primo agit Moses de personis et masculum aestimat quinquaginta siclis sanctuarii ab annis viginti ab sexaginta: quoniam illud est praecipuum aetatis tempus, quo utilis esse potest hominum opera. Feminam aestimat triginta siclis: quia ut plurimum minus fructus percipitur ex femina quam masculo. Quanquam autem fieri potest ut feminae quaedam viris longe praestent, (quia interdum reperiuntur industriae, prudentes, cordatae feminae, et ad ferendum laborem robustae: viri autem ignavi, bardi, inertes et molles) lex tamen communis ferenda fuit, quia nimis difficile fuisset examen, si singuli pro suis virtutibus aestimandi essent: Deus ergo exacte non attendit ad cuiusque meritum, sed vulgari ratione contentus fuit. Deinde praecipit de minori aetate a quinquennio usque ad annum vicesimum, et masculo quidem indicit viginti siclos, feminae vero decem. Postea ad infantes descendit, et in masculo unius mensis ad quinquennem pretium statuit quinque siclos, tres autem in femina. Quarto loco aestimat eos qui sexagenariis sunt maiores, nempe virum quindecim siclis, feminam decem: quia senium vigorem tam corporis quam animi debilitat, et paulatum consumit. Quinto loco additur exceptio, ne praeter suae tenuitatis modulum graventur pauperes, ut sacerdos quantum videbitur ex pretio diminuat. Quanquam haec etiam moderatio locum habuit in divitibus, si commune pretium non aequaret qui redimendus erat: pauperibus tamen Deum hic peculiariter consulere ex verbis apparet: Secundum quod apprehendet manus voventis: qua particula solet Moses defectum vel inopiam notare, quia copia egenis vel tenuibus pro arbitrio non suppetit.

11. *Si autem fuerit quodlibet animal.* Nunc secundo loco de brutis animalibus agit Moses: quae si apta sint sacrificiis mactari sibi Deus iubet. Nec votum mutari patitur. Quod si mutila fuerint, vel immunda, legem redimendi ponit. Sed hic exoritur quaestio, quomodo vovere licuerit quae Deus sibi offerri vetuerat, adeoque prohibuerat ab accessu templi tanquam immunda. Certe si cui in mentem

venisset animal immundum mactare, repudiata fuisset superstitio, imo expiatione opus fuisset. Hic autem (meo iudicio) alia oblationis species attingitur, quae sacrificia et cultum templi contra legis mandatum non vitiabat. Itaque nihil absurdi si Deus recipiat tale votum: multatitia tamen pecunia castiget levitatem. Adde quod equum robustum et experimentis probatum, si erat in periculo, vovebat herus, ut ipso salvo damnatus voti pretium solveret: ita et in reliquis. Nec aliud erat vovere quam committere fidei ac tutelae Dei quod servari optabant. Hinc nimia votorum frequentia quae tamen aliquo modo praestare necesse fuit, ne sacrum Dei nomen exponeretur ludibrio. Hanc aestimationem sacerdotis arbitrio permisit Deus. Si autem animal in victimam offerri posset, nulla erat redemptio: quod si quis aliud animal substituisset vel pretium solvisset, dabat fraudis poenam: quia utrumque Deo sanctum fiebat. Stabilitur autem aestimatio quae voventi imposita erit, quia simpliciter iubet Deus Israelitas stare sacerdotum iudicio, et alterius mulctae nomine, addere oportuit quintam partem ultra pretium a sacerdote edictum.

14. *Vir autem quum consecraverit.* Sequitur tertium genus votorum in consecrandis aedibus et agris. Qua etiam in parte ius medium statuitur, ne spernatur religio et tamen non abigantur e suo domicilio iusti possessores, vel agri inutiles reddantur, cessante cultura. Vovebant porro suas domos qui tutam illic et salubrem, et modis omnibus prosperam habitationem a Deo petebant sibi et suis. Qui fertilitatem agris suis impetrare optabat, ex decem iugeribus aut viginti vovebat unum. Nec dubium est quin pietatis exercitio permistae interdum fuerint superstitiosae preces, ac si pacta mercede Dei favorem sibi acquirerent. Verum quia res per se mala non erat, vitia quae non ita facile poterant corrigi, indulgenter toleravit Deus, ne eorum odio, quae et utilia et laude digna erant, prorsus aboleret. Hinc permissa tam domus quam agri redemptio. Quod si quis fraudasset agrum devotum vendendo, gravior poena additur, ut in perpetuum ipso careat. De anno Iubilaei alibi dicetur fusius. Hoc in praesentia notandum est, ne unquam intercideret terrae partitio facta sub Iosue (quoniam clare ostenderat Deus eius se esse autorem), quinquagesimo quoque anno revocavit Deus singulas tribus ad primam sortem, atque ita possessores quos inopia expulerat, in integrum restituit. Quo autem propior aut remotior erat annus ille, prout magis et minus diuturna futura erat possessio, viliores erant agri aut cariores. Non metitur quidem Deus agros pertica vel fune, sed simpliciter, ut apud rude vulgus, a satione aestimat: nempe ut ager qui seminando corum hordei capit solutis quinquaginta siclis sanctuarii penes dominum maneat. Hos autem siclos alibi vidimus vulgaribus fuisse duplo meliores. Sed quia vota saepe concipiebantur, vel dimidio tempore, vel sub finem Iubilaei, discrimen ponitur. Praecipit ergo Deus sacerdotibus, ut temporis ratione habita, quo magis accedet ad Iubilaeum, tantundem a pretio minuant. Caeterum ubi fraus intervenerat, noluit Deus eiici bonae fidei emptores, sed ubi transierat Iubilaeum, agrum qui sacrilegio ereptus fuerat ad tempus sacerdotibus in perpetuum addixit. Comparat vero Moses hanc consecrationem anathemati, quod Hebraei חרם vocant, voce a perdendo vel abolendo deducta: qua ratione Latini devotum accipiunt in malam partem, quod destinatum est ultimo exitio. Extenditur deinde lex ad agros emptos, qui anno Iubilaei redibant ad priores dominos, quia prima terrae sortitio tunc restituebatur in integrum. Pro his agris iubet Deus pretium solvi, supputatione temporis facta, ut tantum proventus non fundus in rationem veniat. Porro ut vulgus perperam vota quae Deus veteri populo sub lege concessit, stulta affectatione mutuatum est: ita papa in illis redimendis, diabolico fastu ausus est Deum aemulari. Notus est titulus in 3. Decret. De voto et voti redemptione: ubi pudendis naeniis mundum adeo licentiose despexit quisquis fuit consarcinator, ut non dubitet sententias palam contrarias simul ingerere. Quod si nihil esset adversum, nihil tamen illic traditur, nisi quomodo redimendae sint votivae peregrinationes, quas patet ex Christi sententia, post promulgatum evangelium, vitiosas esse. Et certe mira fuit diaboli fascinatio, quod sub lege dictum erat, solvenda esse vota in Ierusalem, transferre ad Christianos, postquam pronunciavit Christus venisse tempus quo veri cultores ubique sine discrimine locorum, adorent Deum in spiritu et veritate (Ioan. 4, 23 seq.). Si obiiciant conductitii papae rabulae, valere eandem rationem in votis redimendis, quia negandum non sit remedium vel solatium, si qua nimis gravia sint vel molesta: respondeo impie facere homines, si quod Deus suo arbitrio asseruit, ad se rapiant. Neque enim olim sub lege fas fuisset homini mortali votum mutare, nisi eius permissu. Si rursus excipiant, datum fuisse iudicium sacerdotibus, hinc bis refellitur eorum stultitia: quia nec ostendent se creatos esse iudices: et temeritatis crimen non effugient, quia sine ullo mandato pronunciant de redemptione, quum nihil olim protulerint sacerdotes nisi ex ore Dei et certa quae hic traditur regula. Exceptio de primogenitis et decimis satis ostendit fuisse illicita quaedam vota quae Deus repudiat: ideoque non quibuslibet indifferenter locum fuisse datum: quoniam mera fuisset frustratio Deo vovere quod iam sui iuris fecerat: quemadmodum alibi docuimus, ubi locum hunc inserui. Quod de anathemate dicitur, generaliter intelligi non debet, quia fas non fuisset anathe-

mati subiicere hominem, nisi qui interitu dignus esset. Quare hoc ad hostes restringitur, quos alioqui liberum erat perdere, cuius rei exemplum est celebre in urbe Hierico, civibus eius, et spoliis. Iam quia piaculum erat quidquid fiebat anathema, tanquam exsecrationi obnoxium: Deus aboleri vult, nec ullam compensationem admittit. Quorsum in anathema devoverint agros suos, mihi non constat, nisi aliquod forte crimen unde contracta esset pollutio, expiare vellent.

EX NUMER. XXX.

1[1]). *Et loquutus est Moses ad capita tribuum in Israel, dicendo: Hic est sermo quem praecepit Iehova.* 2. *Vir qui voverit votum Iehovae, aut iuraverit iusiurandum, quo constringendo constrinxerit animam suam, ne violet verbum suum: sed secundum omne quod egressum fuerit ex ore eius, faciat.* 3. *Mulier autem si voverit votum Iehovae, et constringendo constrinxerit in domo patris sui in pueritia sua:* 4. *Et audierit pater eius votum ipsius, et obligationem qua adstrinxit animam suam, et tacuerit ei (vel ad eam rem) pater eius, stabilia erunt omnia vota eius, omnisque obligatio qua constrinxit animam suam stabilietur.* 5. *Si autem irritum fecerit pater eius illo die quo audierit omne votum ab ea factum, et obligationem eius quibus constrinxerit animam suam, non stabilietur: et Iehova parcet ei, quia pater eius irritum fecerit.* 6. *Quod si fuerit sub viro, et fuerint vota eius super eam, aut prolatio labiorum qua constrinxerit animam suam:* 7. *Et audierit maritus eius, et die quo audivit tacuerit ei: tunc stabilientur vota eius, et obligationes quibus constrinxerit animam suam stabilientur.* 8. *Quod si quo die audivit maritus eius irritum id fecerit, et dissolverit vota eius quae erant super eam, et prolationem labiorum eius relaxaverit, qua constrinxerat animam suam, tunc Iehova propitius illi erit.* 9. *Votum autem omne viduae et repudiatae quo constrinxerit animam suam, stabilietur super eam.* 10. *Porro si in domo mariti sui votum fecerit, aut constringendo constrinxerit animam suam per iusiurandum:* 11. *Et maritus eius audierit et tacuerit ei, nec irritum fecerit illud: tunc stabilientur omnia eius vota, et omnis obligatio qua constrinxerit animam suam stabilietur.* 12. *Quod si dissolvendo dissolverit illa maritus eius, quo die audivit omnem prolationem labiorum eius, ad vota eius, et obligationem animae eius, non stabilietur, maritus eius dissolvit ea, et Iehova propitius erit ei.* 13. *Omne votum, et omne iusiurandum obligationis ad affligendam animam maritus eius stabiliet, et maritus eius dissolvet.* 14. *Sin tacendo tacuerit maritus eius a die in diem, tunc stabiliet omnia vota eius, et omnes obligationes eius quae sunt super eam stabiliet, quia tacuit ei quo die audivit.* 15. *Quod si dissolvendo dissolverit ea postquam audierit, portabit iniquitatem illius.* 16. *Haec sunt statuta quae praecepit Iehova Mosi inter virum et uxorem eius, inter patrem et filiam eius quae est in pueritia in domo patris sui.*

1. *Et loquutus est Moses.* Hoc capite docet Moses, vota quae non fuerint concepta a liberis personis, rata non haberi coram Deo. Etsi autem de liberis masculis nulla fit mentio, quia tamen eadem est conditio, videntur per synecdochen debere coniungi filiabus et uxoribus, nisi forte sexus infirmitati consulere Deus voluerit. Sed quia puellis quae non erant sub patria potestate, vovere permittit, nec sexus rationem habet, ut levitati aut incogitantiae subveniat, propositus videtur fuisse finis, ut tam patri in suos liberos, quam marito in uxorem ius salvum maneret.

2. *Vir qui voverit.* Legem generalem restringere volens, ne quis in hac correctione putaret esse quidquam repugnantiae, exordium facit a repetitione ipsius legis, ut fideliter praestet quisque quod vovit: quasi diceret, fixum quidem illud manere, sed tantum ad eos spectare qui sunt sui iuris: feminas autem et puellas quae sub aliena sunt potestate, non esse liberas ad vovendum, nisi accesserit patris vel mariti consensus. Haec autem praefatio exponi debet (ut ante admonui) de votis licitis, quibus nec corrumpitur religio, nec profanatur nominis Dei sanctitas. Et certe nisi Deo placeat quod offertur, nulla potest esse animae constrictio. Caeterum quia comparatio fit maris et feminae, probabilis forte coniectura elici posset, pueros quoque decennes, quamvis sint filiifamilias, obstringi, atque ideo pertinaciter non contendam, quia praestat in medio relinquere quod dubium est, atque (ut vulgo loquuntur) in utramque partem disputabile.

3. *Mulier autem si voverit.* Iam descendit ad rem ipsam de qua propositum est tractare: nempe vota a personis quae iuris sui non sunt concepta rata non haberi. Ac duas species connumerat. Primo enim loco docet, si filiafamilias dum habitat apud patrem quidquam voverit ipso inscio, nullius momenti esse. Idem iuris statuit si pater voto audito contradixerit: si vero tacuerit quum adesset, silentium eius pro consensu valere pronunciat. Unde colligitur eos omnes qui potestate praediti sunt, non fungi suo officio nisi libere et cordate se opponant quoties aliquid displicet: quia eorum conniventia tacita quaedam est approbatio. Secundo loco agit de mulieribus coniugatis, quarum vota absentibus maritis aut improbantibus concepta, irrita esse iubet: si vero scientes tacuerint, ad praestandum obligat. Multae enim fraudes intervenire poterant, quia multis usitatum est, dum uxoribus

1) *Hebr. v.* 2—17.

gratificari volunt, ad tempus animum suum tegere, ubi vero ad seriam exsequutionem ventum est, eludere quidquid fuerit promissum. Atqui nisi libertate sua in tempore utantur: Deus poenam servilis indulgentiae et dissimulationis luere vult: sed quia mulieres sua levitas et inconstantia saepe ad fraudandum invitat, huic quoque periculo occurritur. Accidet ut mulier viro subiecta, praecipiti zeli fervore voveat, eo mortuo in viduitate retractet specioso praetextu, quia tunc libera non erat nec sui iuris: idem faciet quae repudiata se obstringet, deinde ubi nupserit, soluta sibi videbitur [1]). Huius impiae poenitentiae quum nimis crebra sint exempla, non mirum est si ad fraudes tollendas specialis addita fuerit cautio. Quare tempus voti considerandum esse pronunciat Deus, ut non minus sint obnoxiae quam si eadem maneret conditio. Quae ergo a patria potestate emancipatae fuerint per coniugium, deinde vel morte vel repudio solutae, eas ad vota solvenda damnat. Caeterum ex ultimo versu capitis patet hic duas exceptiones proprie tractari quae legem generalem restringunt.

5. *Si autem irritum fecerit pater eius.* Notanda loquutio est: Deum puellae fore propitium, qua Moses leniter stultam facilitatem castigat: paulo post idem dicetur de uxoribus coniugatis. Et certe temeritas est reprehensione digna, quod suae conditionis immemores, quasi excusso iugo, ad audendum prosiliunt. Subindicat ergo Deus non esse extra culpam: sed ne occulto moerore torqueantur, omnem scrupulum eximit, se placatum fore pronuncians si aliunde impedita fuerit voti solutio. Quod mariti vel patris dissensus requiritur eodem die, tantundem valet, ac si dictum esset, non posse improbari quod semel placuerit. Porro tacere uxori vel filiae, significat non se opponere, sed tacendo dare signum annuendi.

9. *Votum autem omne viduae.* Dixi cur nominatim de viduis praecipiat, ne scilicet mulier novis nuptiis se elapsam esse putet, quia iam iterum libera non sit recepto iugo: ut saepe eiusmodi cavillis sese extricant homines. Nec aliud agitur usque ad finem versus penultimi, nimis enim crasse hallucinati sunt, qui de familia interpretantur et hero. Res certe ipsa tale commentum non admittit: verba etiam Mosis repugnant. Quo magis mirum est homines linguae hebraicae peritos claram lucem non vidisse.

APPENDICES TERTII PRAECEPTI POLITICAE.

EX LEVIT. XXIV.

15. *Ad filios Israel loqueris, dicendo: Homo qui maledixerit Deo suo, portabit scelus suum.* 16. *Et qui transfixerit nomen Iehovae, morte moriatur: lapidando lapidabit eum universus coetus, sive indigena fuerit, sive peregrinus, quum transfixerit nomen, moriatur.*

EX EXODI XXII [2]).

9. *Si quis dederit proximo suo asinum, vel bovem, vel ovem, aut quodcunque iumentum in custodiam, et illud mortuum fuerit, aut confractum aut captum nemine vidente:* 10. *Erit iusiurandum Iehovae inter utrumque, quod non extenderit manum suam in rem proximi sui, et illius dominus suscipiet, ipse vero non restituet.*

Levit. 24, 15. *Ad filios Israel loqueris.* Hinc iam clarius patet finem tertii praecepti fuisse ut qua decet observantia et veneratione colatur sacrum Dei nomen, quia poena capitis sancitur contumelia qua violatum fuerit. Nam maledicendi verbo Moses profanas omnes et impuras voces designat quae ad dedecus inurendum tendunt: ut si quis Deum vel iniustitiae vel crudelitatis insimulet, vel eum laceret conviciis, vel ex professo detrahat eius gloriae, sive id per iracundiam fiat, sive per proterviam, ut multi exasperati evomunt horribiles blasphemias, alii in ludibriis audaciam suam ostentant. Secundum versum quod bis legitur proximo versu נקב significat Hebraeis cavare vel perforare, et per metaphoram explicare: sicut Latini enucleari dicunt quod penitus excutitur. Non longe absimilis est metaphorae ratio in contumelia. Nam quod

1) *Princeps habebat:* Idem faciet quae iam obstricta repudiabitur a marito.

2) *Hunc locum depromimus ex edit.* 1563. *Abest a versione gallica et ab edd. latinis. Idem dicendum de commentario huc pertinente. Refertur melius ad octavum praeceptum.*

verterunt quidam: Qui expresserit, insipidum est: mihi verbum transfigendi optime quadrare visum est praesenti loco: nec multum absimilis est latina loquutio, proscindere, vel lacerare. De sensu quidem satis convenit, quod Deus sacrum suum nomen nolit probrose traduci. Et certe intolerabilis est impietas, ubi mortalis homo linguam quae ad celebrandas Dei laudes creata est, in eius contumeliam exserit. Genus quoque mortis exprimitur, dum iubet lapidibus obrui a toto populo, ut omnes e spectaculo illo discerent abolendum esse tale portentum, quod terram contaminabat. Voluit etiam Deus zelum populi sui probare, quum omnes accerseret ad defensionem gloriae suae, et ad vindictam armaret. Porro non Iudaeos solum, qui se profitebantur eius cultores, huic poenae subiecit, sed exteros etiam, qui negotiandi causa in terra degerent, nempe quo severius in ipsis domesticis qui minus erant excusabiles, crimen punirent.

Ex. 22, 9. *Si quis dederit.* Quanquam in eo loco unde duos istos versus sumpsi, depositi fit mentio, et Moses fraudibus, rapinis et furtis ex professo occurrit, haec tamen pars debuit referri ad tertium praeceptum quia legitimum usum iurisiurandi ostendit, nempe ut in rebus occultis ad Dei testimonium confugiant homines, ac interposito sacro eius nomine lis inter ipsos dirimatur. Quum autem ex Dei reverentia pendeat quae defertur autoritas iuramentis, simul in ipsis commendatur fides et religio, ut inter se omnia respondeant. Vult etiam absolvi depositarium si iuret animal quod in custodiam acceperat periisse, quamvis eius rei testem non producat: quia iniquum est ut culpam sustineat, nisi fraus vel crassius aliquod delictum intervenerit. Ideo in fine dicitur, suscipiet possessor iuramentum, quod tantundem valet ac cogetur acquiescere, ne ultra molestiam facessat. Notanda autem loquutio est: Erit iusiurandum Iehovae inter ambos, qua iurandi religio et sanctitas commendatur, dum admonet Moses Deum esse autorem sacrae testificationis, ideoque iudicem ac vindicem praesidere.

QUARTUM PRAECEPTUM.

EX EXODI XX.

8. *Recordare diei Sabbathi, ut sanctifices eum:* 9. *Sex diebus operaberis et facies universum opus tuum.* 10. *Dies autem septimus Sabbathum Iehovae Dei tui est. Non facies ullum opus, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, et inquilinus tuus qui est in portis tuis:* 11. *Quoniam sex diebus fecit Iehova coelum et terram, mare et quaecunque in illis sunt, et quievit die septimo: propterea benedixit Iehova diem sabbathi, et sanctificavit eum.*

REPETITIO, EX DEUT. V.

12. *Observa diem sabbathi ut eum sanctifices, quemadmodum praecepit Iehova Deus tuus.* 13. *Sex diebus operaberis, et facies universum opus tuum: dies autem septimus sabbathum est Iehovae Dei tui.* 14. *Non facies ullum opus tu et filius tuus, et asinus tuus, quodvis iumentum tuum, et inquilinus tuus qui est in portis tuis, ut quiescat servus tuus et ancilla tua sicut tu.* 15. *Ac recordare quod servus fueris in terra Aegypti, et eduxerit te Iehova Deus tuus inde per manum fortem et brachium extentum. Idcirco praecepit Iehova Deus tuus ut facias diem sabbathi.*

Exodi 20, 8. *Recordare diei sabbathi.* Finis huius praecepti est ut se exerceant fideles in Dei cultu. Scimus enim, nisi in tuenda religionis cura et studio fulturis nitantur vel adminiculis moveantur homines, quam proclives sint ad ignaviam. In secundo quidem praecepto aliquid de externa pietatis professione iam attigimus, et in primo quoque brevis facta fuit mentio festorum quorundam dierum: quatenus scilicet in paschate et primitiis populus, quasi solenni repetitione foederis, se Deo addicebat. Multae etiam ex caeremoniis quas exposuimus, sabbatho affines erant. Verum non abs re Deus specialem locum attribuit tam sabbatho quam

reliquis diebus festis. Et quanquam res sunt coniunctae tabernaculum cum suis sacrificiis ipsoque sacerdotio, et observatio sabbathi: non temere seorsum instituti sunt dies festi, ut hoc subsidio magis animaretur populus ad fovendam unitatem fidei, et retinendum ecclesiae consensum. Interim mutua sanctuarii et sabbathi coniunctio ex superioribus liquet. Hoc quidem illustre esse voluit Deus discriminis symbolum inter Iudaeos et profanas gentes. Unde et diabolus, quo infamiam aspergeret purae sanctaeque religioni, per protervas linguas iudaica sabbatha saepe traduxit. Porro quo melius pateat quid huic praecepto sit proprium, et quid a primo separatum habeat, tenenda est spiritualis figurae veritas: quia non tantum dies certos praescripsit Deus ad habendos conventus, ubi populus sacrificiis, precibus, et eius celebrandis laudibus operam daret: sed ante oculos posuit sanctitatis summam, ut singuli ab operibus suis desisterent. Certe otio et desidia non oblectatur Deus, ideoque simpliciter in cessatione manuum et pedum nihil fuit momenti. Imo feriari non alio respectu quam ut quietem suam ponerent in Dei cultu, frivola fuisset superstitio. Quare ne erremus in sensu huius praecepti, tenere convenit rei signatae analogiam et consensum: ut scilicet Iudaei scirent non aliter vitam suam posse Deo probari, nisi cessando a propriis operibus, rationem, consilia, sensus omnes carnis et affectus exuerent. Neque enim vetiti sunt sine exceptione quidquam operis aggredi, quia et parvulos circumcidere, et victimas adducere in atrium, et sacrificia offerre illo die oportuit: sed tantum revocati sunt a suis operibus, ut tanquam sibi et mundo mortui, penitus se Deo addicerent. Quare dum alibi (Exod. 31, 13) per Mosen pronunciat, deinde per Ezechielem (20, 12), hoc inter se et Iudaeos signum esse quod eos sanctificet, videndum est quae sit huius sanctificationis summa: nempe carnis interitus, dum se ipsos abnegant homines, seque terreno ingenio abdicant, ut regantur atque agantur spiritu Dei. Quanquam res iam satis perspicua est, operae pretium erit eam pluribus confirmare. Ac primo quidem caeremoniale hoc fuisse praeceptum Paulus clare docet (Col. 2, 17), umbram earum rerum vocans quarum solidum corpus est in Christo. Quod si caeremonia duntaxat fuit externa quies, cuius in Christo quaerenda sit substantia, scire nunc restat quomodo re ipsa exhibuerit Christus quod tunc figuratum fuit. Hoc porro definit idem apostolus quum tradit (Rom. 6, 6) veterem nostrum hominem crucifixum esse cum Christo, et nos ei consepultos, ut nobis eius resurrectio sit vitae novitas. Ac certe ex multis locis colligitur rem fuisse maxime seriam sabbathum servare: quando nullum aliud praeceptum saepius inculcat Deus, nec quidquam severius exigit: deinde ubi conqueritur se contempto Iudaeos ad extremam impietatem prolapsos esse, tantum dicit violata fuisse sabbatha, ac si in eorum observatione praecipue consisteret religio (Iere. 17, 24. Eze. 20, 21. 22; 8, 23. 38). Quod nisi eximium aliquid et singulare fuisset in sabbatho, videri posset aequo atrocius, iubere hominem interfici tantum quoniam ligna ceciderat (Num. 15, 32). Quare statuendum est substantiam sabbathi, quam Paulus in Christo reperiri docet non fuisse vulgare aliquod bonum. Nec vero eius praestantia multis elogiis indiget, quia spiritualis quies nihil aliud est quam mors hominis maxime optanda et vere beata, quae Dei vitam in se continet: sicuti gloriatur Paulus (Galat. 2, 20), se iam esse quasi mortuum, quia in ipso Christus vivit. Apost. in Epist. ad Hebr. (4, 3) subtilius disserit, veram requiem nobis afferri per evangelium, et eam repudiari ab incredulis. Etsi autem allegoricum quiddam miscet, genuinam tamen praecepti causam retinet, quo nobis cessandum sit a nostris operibus, sicuti Deus à suis requievit. Hac ratione Esaias (58, 13) dum hypocritas obiurgat quod in externo tantum cessandi ritu insisterent, exprobrat inveniri in ipso sabbatho eorum voluntatem: ac si diceret legitimum sabbathi usum referri debere ad nostri abnegationem, quia is demum cessare ab operibus suis censetur qui non agitur suo arbitrio, nec consiliis suis indulget, sed a spiritu Dei se dirigi patitur. Porro usque eo patet haec hominis exinanitio, ut in bonis quoque operibus violetur sabbathum, quamdiu ea ducimus nostra esse. Recte enim Augustinus (ultimo capite l. 22. De civitate Dei): Nam et ipsa bona opera nostra quando ipsius potius intelliguntur esse quam nostra, tunc nobis ad hoc sabbathum adipiscendum imputantur, dum vacamus ad videndum quod ipse est Deus: quia si nobis ea tribuerimus, servilia erunt, quum de sabbatho dicatur: Omne opus servile in eo non facietis. Quaeritur nunc cur septimum quemque diem potius assignaverit Deus sabbatho, quam sextum vel decimum. Quia septenarius numerus saepe in scriptura perfectionem designat, putarunt quidam hoc modo admonitos fuisse fideles, toto conatu ad perfectam sanctitatem enitendum esse, ne dimidia tantum ex parte se Deo addicerent. Alii diversam sententiam eliciunt, quamvis non contrariam, fideles fuisse edoctos, utcunque iam sanctificati essent, sinceroque animo studerent a propria vita cessare, manere tamen aliquid carnis residuum: ideoque toto vitae cursu meditandam esse sanctitatem quam nullus mortalium assequitur. Ego vero non dubito quin Deus sex diebus condiderit mundum ac septimo quieverit, ut documentum ederet summae operum suorum perfectionis: atque ita dum se typum proponit ad imitationem, significat se ad veram felicitatis metam suos vocare. Etsi autem

in hoc praecepto inclusa est promissio, seorsum tamen, et quasi in transcursu notanda est. Promittit quidem sicut benedixit diem septimum ut eum segregaret, ita se benedicturum fideles ut eos sanctificet. Verum praecipuae sunt iubendi partes. Et tantundem valet narratio benedictionis ac si exhortatio esset ad parendum. Quoniam alioqui intempestive hoc esset positum inter legis mandata. Quod autem dixi feriandi ritum figuram spiritualis et maximi mysterii fuisse, ac proinde caeremoniale hoc praeceptum censeri, non ita accipiendum est ac si non essent alii quoque diversi fines. Et certe diem septimum sibi sumpsit Deus ac consecravit completa mundi creatione, ut in consideranda operum suorum pulchritudine, excellentia, et decore, cultores suos aliis omnibus curis solutos prorsus retineret. Nullum quidem momentum praeterire aequum est, quo non attenti simus ad considerandam in admirabili mundi opificio et gubernatione Dei sapientiam, potentiam, bonitatem, iustitiam. Sed quia lubricae sunt mentes nostrae, et subinde vel diffluunt vel distrahuntur, Deus pro sua indulgentia infirmitati nostrae consulens, diem unum a reliquis separat, et ab omnibus terrenis negotiis et curis immunem esse iubet, ne quid sanctum illud studium impediat. Hac ratione non simpliciter voluit singulos domi quiescere, sed convenire ad sanctuarium, ut illic precibus et sacrificiis operam darent simulque proficerent in doctrina pietatis ex legis interpretatione. Quoad hanc partem, nobis cum veteri populo communis est sabbathi necessitas, ut die uno liberi simus, atque ita melius parati tam ad discendum quam ad fidem nostram testandam. Tertius etiam sabbathi finis notatur a Mose, sed quasi accidentalis, ut sit aliqua servis relaxatio. Quia hoc ad caritatis regulam pertinet, proprie locum non habet in priore tabula: ideoque additur a Mose tanquam extrinseca utilitas: ut paulo post iterum dicetur.

8. *Recordare.* Eodem sensu in Deuter. dicitur: Custodi. Hinc colligimus non de re levi verba fieri, ubi Deus non uno verbo sanctitatem sabbathi commendat, sed Iudaeos ad sollicitam observationem hortatur, atque ita incuriam transgressionis instar fore pronunciat. Porro, quum dicit: Sex diebus operaberis, oblique ingratitudinem exprobrat, si forte illis grave esset ac molestum diem unum ex septem Deo dicare, quum pro sua liberalitate sex illis permittat. Neque enim (ut inscite quidam putarunt) exigit sex dierum laborem, sed ipsa facilitate eos ad parendum allicit, quod septimam partem duntaxat sibi vendicet: ac si diceret: Quando assidui toto studio et mentis attentione esse non potestis ad me quaerendum, saltem exiguum aliquod tempus mihi vacuum concedite. Ideo dicit: Universum opus, quo significat, dempto sabbatho suppetere adhuc satis temporis ad omnia negotia.

10. *Non facies opus.* Nempe quod vel pridie confici potuit, vel in crastinum differri potest. Audire duos litigantes iudicibus fas non fuit: si quis autem violenter aggressus esset proximum, prohibere iniuriam licuit, et opem ferre innoxio: quia necessitas moram non patiebatur. Cibum hospitibus coquere non licuit: si bos vel asinus in foveam ceciderat, debuit educi: quia postridie serum fuisset auxilium. Hac de causa pronunciat Christus sabbathum factum esse hominis gratia, non autem hominem propter sabbathum (Marc. 2, 27): quia non plus exigit Deus quam utile erat vel necesse ad populum in studio pietatis continendum. Ita bovem ad pascendum emittere impium fuisset: si autem exiisset bos cornupeta, retrahere ad stabulum ne obvios occideret vel laederet rectum fuit.

Servus tuus et ancilla. Quanquam in Deuteronomio additur, Deum aequitati consulere dum servis et ancillis remissionem a labore dari iubet, ac in memoriam Israelitis revocatur fuisse olim servos, quo magis ad humanitatem sint propensi: tenendum tamen est quod admonui, proprie spectatum fuisse unum Dei cultum. Scimus autem totum Abrahae genus sic fuisse Deo sacrum, ut servi essent quaedam accessio, unde et circumcisio communis illis fuit. Et certe nimis absurdum est, hominem in familia cui praeest, et in qua vult agnosci dominus, fovere profanum Dei contemptum. Alia inquilinorum ratio, quibus necesse fuit quiescere die septimo, quamvis in praeputio manerent. Neque enim alienigenas tantum designat qui legi nomen dederant, sed etiam incircumcisos. Si quis excipiat perperam factos esse consortes sacri symboli quo Deus electum populum sibi devinxerat, solutio in promptu est, non factum fuisse eorum causa, sed ne quid occurreret Israelitis ante oculos sabbatho contrarium: quod clarius perspicere licet in bobus et asinis. Certe Deus a brutis animalibus cultum spiritualem nunquam exigeret. Sed voluit Deus otium animalium pro documento esse, ut quocunque verterent Israelitae oculos incitarentur ad sabbathi observationem. Nec mirum, quando in communi luctu qui suscipiebatur ad deprecandam iram Dei, indictum fuit ieiunium brutis animalibus: ut hoc spectaculo admoniti miseri homines, culpae gravitatem melius sentirent, et spontaneo reatu praevenirent Dei iudicium, sibique in peccatis serio displicerent, quorum poenam aliqua ex parte videbant imponi innoxiis animalibus. Adde quod si vel minima libertas fuisset illis permissa, cessando multa fecissent in fraudem legis, opera sua per inquilinos et iumenta peragendo.

11. *Quoniam sex diebus fecit Iehova.* Ex hoc loco probabilis coniectura elicitur, sabbathi sanctitatem fuisse priorem lege. Et certe quod ante narravit Moses, vetitos fuisse die septimo manna col-

ligere, videtur ex recepta notitia et usu sumptum. Et quum Deus sanctis tradiderit sacrificandi ritum, credibile non est omissam fuisse sabbathi observationem. Sed pro humani ingenii pravitate, quod apud profanas gentes prorsus exstinctum erat, in progenie autem Abrahae fere obsoletum, Deus lege sua renovavit, ut sancta et inviolabili observantia sabbathum coleretur: quod inter dedecora iudaicae gentis posuerunt impuri canes.

LOCI AD PRAECEPTI EXPOSITIONEM SPECTANTES.

EX LEVIT. XIX.

30. *Sabbatha mea observabitis, et sanctuarium meum metuetis. Ego Iehova.*

EX LEVIT. XXVI.

2. *Sabbatha mea custodite, et sanctuarium meum timete. Ego Iehova.*

EX EXODI XXIII.

12. *Sex diebus facies opera tua: die autem septimo quiesces, ut quiescat bos tuus, et asinus tuus, et respiret filius ancillae tuae, et peregrinus.*

EX LEVIT. XXIII.

3. *Sex diebus facietis opus, septimo die cessatio est quietis, celebritas sancta: nullum opus facietis in eo: sabbathum est Iehovae in cunctis habitationibus vestris.*

EX EXODI XXXI.

12. *Dixit praeterea Iehova ad Mosen, dicendo:*
13. *Et tu alloquere filios Israel, dicendo: Verumtamen sabbatha mea custodietis: quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis quod sum Iehova sanctificans vos.*
14. *Custodietis igitur sabbathum, quia sanctitas est vobis: quisquis profanaverit illud moriendo morietur: quia omnis faciens in eo opus, excidetur anima ipsa e medio populorum suorum.*
15. *Sex diebus fiet opus: at die septimo sabbathum cessationis est, sanctitas Iehovae: quicunque fecerit opus die sabbathi, moriendo morietur.*
16. *Observabunt itaque filii Israel sabbathum, observando ipsum in generationibus suis, pactum est perpetuum.*
17. *Inter me et filios Israel signum est in perpetuum: quia sex diebus fecit Iehova coelos et terram, die autem septimo cessavit et requievit.*

EX EXODI XXXIV.

21. *Sex diebus operaberis, septimo die quiesces in aratione et messe.*

EX EXODI XXXV.

1. *Congregavit Moses universum coetum filiorum Israel, et dixit illis: Haec sunt verba quae praecepit Iehova ut faciatis.*
2. *Sex diebus facies opus, die septimo erit vobis sanctitas, sabbathum cessationis Iehovae: quisquis fecerit opus in eo, morietur.*
3. *Ne accendatis ignem in omnibus habitaculis vestris die sabbathi.*

EX LEVIT. XIX.

3. *Sabbatha mea servate: ego Iehova Deus vester*

Levit. 19, 30 et 26, 2. *Sabbatha mea observate, et sanctuarium meum timete.* Ex his duobus locis manifestum est, sabbatho annexum fuisse cultum tabernaculi, nec modo res fuisse coniunctas insolubili vinculo, sed otium a laboribus debuisse referri ad sacrificia: quoniam merum fuisset ludibrium feriari non alio fine proposito: imo quum de quiete loquutus est Moses, reverentiam sanctuarii videtur subiicere tanquam genus, ut intelligat populus tolli omnia obstacula quae abstrahere solent a Dei cultu. Loquutio est impropria, quod dicit: Timete sanctuarium, sed tantundem valet atque in ipsa sanctuarii veneratione ostendere quam vere et serio Deum timeant, qui se illic praesentem fore promiserat quoties invocaretur.

Exodi 23, 12. *Sex diebus.* Hoc loco repetitur adventitia utilitas, quamvis non sit ex prima et genuina institutione sabbathi, nempe quod hoc modo familia quoque et iumenta sublevabuntur. Non est autem absurdum, numerari hoc inter alia bona ad

sabbathi commendationem, quamvis membrum sit secundae tabulae. Et scimus rudem illum populum modis omnibus alliciendum fuisse, ut alacriter debitum Deo cultum praestaret. Summa igitur est, non modo testatam se facturos suam erga Deum pietatem, sed clementiam erga servos. Herile vero imperium mediocriter ab illis exercendum esse ante docui, si memores essent antiquae conditionis: quia ipsi quoque in Aegypto servierant. Si quis putet rationem non quadrare, quia illic oppressi fuerant immani et dira tyrannide: responsio in promptu est, ex proprio sensu potuisse melius statuere quam detestanda et intolerabilis esset saevitia.

Exodi 31, 13. *Et tu alloquere filios Israel.* Eadem quae prius inculcat, additis quibusdam aliis verbis, quale est istud: Sanctitas erit vobis: qua voce hortatur ut ritum hunc tanquam sacrosanctum et inviolabilem sollicite observent, quia in eius neglectu concideret religio. Et ideo capitalem poenam denunciat si quis opus illo die fecerit. Unde iterum colligitur mysterii dignitas et praestantia, quum delictum in speciem leve Deus morte dignum censuerit. Minime autem excusabilis fuit contemptus, quasi ex professo pessumdare quod Deus volebat notam esse discriminis inter populum suum et profanas gentes. Eodem tendunt qui sequuntur loci, quorum supervacua esset repetitio, nisi quia hoc modo admonitus fuit populus rem esse maximi ponderis. Ac vetando ignem accendere, cavillis omnibus occurrit, quorum fuissent satis prompti artifices: negassent enim si pridie apposita fuisset olla ad focum, violari sabbathum igne accenso. Quod ergo prae aliis tolerabile fuisset, excludit Deus, ne se in victu parando occupent, vel aliud terrestre opus suscipiant quantumvis favorabile. Quod autem pactum saeculi, vel aeternum vocat, inde pertinaciae materiam arripiunt Iudaei, et in Christum quasi foedifragum proterve bacchantur quod sabbathum abrogaverit. Non litigabo cum ipsis de voce עולם, quae ubique perpetuitatem non sonat, sed longum tempus, in re ipsa simpliciter insistam. Quidquid sub lege dictum fuit aeternum, dico respexisse ad novitatem quae Christi adventu contigit: atque adeo legis aeternitas non longius extendi debuit quam ad plenitudinem temporis, quo exhibita fuit umbrarum veritas, et Dei foedus novam formam induit. Si vociferentur Iudaei, perpetuum et temporale esse contraria, negandum est secundum diversos respectus, quia certe quod proprium est legis, vigere non debuit nisi usque ad Christum. Adde quod sabbathum, quamvis hodie in usu non sit externa eius observatio, aeternum manet ipso effectu, sicut circumcisio. Itaque abrogatione optime sancita fuit utriusque stabilitas: quia si hodie a Christianis idem exigeret Deus, velum opponeret morti et resurrectioni filii sui. Et Iudaei quo magis sedulo incumbunt ad servandum diem festum, eo magis derogant eius sanctitati. Nos vero falsa invidia gravant, ac si contumeliosi essemus in sabbathum: quia nihil est quod rem ipsam et substantiam melius confirmet quam abolitio externi usus. Huc etiam accommodent lectores quae scripsi in caput 17. Genesis, ne frustra cum eorum taedio prolixior sim: et in sacrificiis tractandis nonnihil attigi quod ad eandem doctrinam conveniet. Quod Exodi 34. diserte feriari iubet Deus in aratione et messe, non perinde est ac si fraenum laxaret in reliquum anni tempus: sed vinculum magis adstringit, quia nulla necessitas sacram hanc observationem interrumpere debeat. Videri alioqui poterat honestus praetextus, si ob continuas pluvias, aut alia coeli incommoda difficilis esset aratio, solvendos esse lege agricolas, ne cessatio sterilitatem adduceret. Idem fuisset iudicium in colligenda segete, ne in agro corrumperetur. Atqui Deus nullam dispensationem admittit, quin dies septimus servetur etiam cum periculo communis iacturae.

APPENDICES AD QUARTUM PRAECEPTUM.

EX EXODI XXIII.

10. *Sex annis seres terram tuam et congregabis fructus eius:* 11. *Anno autem septimo omittes eam, et quiescere sines, ut comedant pauperes populi tui, et residuum comedant bestiae agri. Ita facies vineae et oliveto tuo.*

EX LEVIT. XXV.

1. *Loquutus est Iehova ad Mosen in monte Sinai, dicendo:* 2. *Alloquere filios Israel, et dic illis: Quum veneritis in terram quam ego do vobis, sabbathiset terra quiete Iehovae.* 3. *Sex annis seminabis agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, et fructum*

eius colliges. 4. Septimo autem cessatio quietis erit terrae, Sabbathum Iehovae: agrum tuum non seminabis, nec vineam putabis. 5. Quae sponte gignet terra in messe tua non metes, et uvas possessionis tuae non vindemiabis: annus enim quietis terrae est. 6. Sed erunt vobis in cibum, tibi et servo tuo, ancillae, et mercenario, et inquilino tuo qui peregrinatur apud te. 7. Iumentis quoque tuis et pecoribus terrae tuae erit cunctus eius proventus in cibum.

EX EODEM CAPITE.

20. *Quod si dixeritis: Quid edemus anno septimo, si neque seminabimus, nec colligemus fruges nostras? 21. Ego mandabo benedictionem meam anno sexto, et edet proventum tribus annis. 22. Seminabitis anno octavo: comedetis tamen e proventu veteri usque ad annum nonum: donec nova nascantur comedetis vetera.*

Exodi 23, 10. *Sex annis seres terram tuam.* Sequitur alter sabbathismus, nempe annorum, in terrae cultura. Sicut enim septimo quoque die quiescebant homines et iumenta, sic Deus annum septimum quieti terrae praefixit. Prout unaquaeque regio vel feracior est vel magis arida, ita tertio aut quarto quoque anno cessant agri, ne exhausto succo prorsus sterilescant. Certe vix reperitur ea terrae foecunditas quae assiduae productioni sufficiat. Datur igitur aliqua relaxatio donec terra vigorem recuperet: sed hoc nonnisi ad triticum, hordeum, pisa, fabas, et legumina, et quaecunque seruntur, pertinet. In pratis et vitibus diversa est ratio: quia ubi prata quotannis secantur, non maceratur terrae ubertas: vites autem nisi excolantur, degenerant. Quod terra Chanaan sex annorum sationem absque lassitudine ferre potuit, signum fuit rarae et eximiae foecunditatis. Hac dote eam nobilitavit Deus in favorem populi sui. Nec vero cessationem indixit necessitatis causa, quando anno sexto vim suae benedictionis duplicavit: sed ut fulgeret ubique sabbathi sanctitas, atque ita ad eius observantiam, terrae conspectu magis animarentur filii Israel. Porro quietis ratio talis fuit, ne quid sererent anno sacro, et ne vineas putarent. Si quid autem nasceretur ex deciduis granis messis proximae, commune erat tam indigenis quam hospitibus: quanquam pauperibus tam fruges quam racemos sponte nascentes peculiariter concessit, ut gratuita quaedam esset largitio ad levandam eorum egestatem. Atque haec humanitas et beneficentia erat accessio ad pietatis exercitium. Non fuit quidem maxime vel praecipue Deo propositum aliquid afferre solatii pauperibus: sed (quemadmodum ante diximus) absurdum non fuit officia caritatis subsequi Dei cultum. Si obstrepant profani homines, nihil esse brutae telluri cum spirituali mysterio: iam respondimus, quamvis sabbathum apud solos fideles tanquam pignus inaestimabilis boni depositum fuerit, eius tamen notas ideo tam in pecudibus et iumentis quam in mortuis creaturis apparuisse ad renovandam eius memoriam, ne frigidior esset populus, vel languesceret eius studium. Quod si facete exagitent, praeclare fuisse actum cum Iudaeis, qui in praecipua gratia socios habuerint asinos et boves una cum agris: respondeo cur non eandem scurrilitatem exserant in re vulgari. Quando enim ante mandatur salutis doctrina chartae vel membranae quam nobis, cur fidei nostrae obedientiam plenis buccis non derident? quod stulta credulitate amplectimur promissiones a foetida pelle vel sordida alia materia ad nos transmissas. Sabbathi observationem voluit Deus insculptam esse omnibus creaturis, ut quocunque verterent oculos Iudaei, in ea retinerentur. Cur non igitur terra notabilis esse potuit character ad crassam huius doctrinae explicationem? Quod dicitur: Residuum comedent bestiae agri, non extenditur ad feras noxias, quas licuit abigere a possessionibus: sed tantum iubet Deus promiscue exponi in victum tam hominibus quam bestiis quidquid terra protulerit. Et obliqua est quaestionis solutio, quia Deus ostendit, herbas non esse perituras, quamvis nullum sit foenisecium. Bestiis enim herbas fore loco foeni, ut in agris et pratis ad satietatem pascantur. Exoritur tamen alia quaestio ex loco Levitici: ubi Deus agrorum possessoribus et eorum familiis colligere in alimenta permittit quod tunc sponte natum fuerit. Sed nihil obstat quominus ipsi quoque tanquam extranei, et ex aliorum numero, vesci potuerint frugibus quae omnium communes erant, modo ne sua tenacitate fraudarent pauperes. Idem paulo post subiicitur in descriptione Iubilaei: nam etsi annus ille qui complebat septem septenarios, reliquis erat celebrior, permittit tamen Deus omnes frugibus sponte natis vesci. Restrictius loquitur in Exodo, quo magis eos ad liberalitatem hortetur. In Levitico autem docet non esse periculum ne quid intercidat ex terrae proventu: quia praeter mercenarios et peregrinos, ipsis quoque et servis eorum, et iumentis licebit cibum capere. [Quod dicit, sponte genitum in messe tua, de agro quem metere solebant, interpretor: sicuti paulo post, separationem eorum vocat peculiare ius dominii in vitibus. Quamvis ergo fundum esse suum possessor iactaret: ac proinde messem sibi debere salvam relinqui: Deus admonet fructum nihilominus esse communem anno sabbathario. Messis itaque pro agro sativo accipitur, sicuti separatio pro vite privata, vel eius fructu]. Aliter vetus interpres qui transtulit uvas primitiarum. Si cui placeat hunc sensum amplecti, consulto exprimeret

Moses nullam oblationem ius acquirere agrorum dominis, ut privatim sibi vendicarent quod in vitibus natum erat, nempe, quia plausibile erat ex vindemiis primitias offerre Deo: et hunc colorem obducere Iudaeis promptum erat, consecrari in primitiis totum proventum. Atqui cavillo obviat Deus, perperam trahi ad annum extraordinarium cessationis, quod de legitima cultura dictum erat. Verum quia nomen נזיר separationem significat, non video cur mutemus quod optime convenit. Quanquam adhuc in sensu dissentiunt interpretes: quia alii accipiunt pro derelictione, quod possessor quisque se proprio iure abdicabat, ut communis esset vindemia. Alii exponunt, quia se abstinuerint a cultura illius anni. Ego vero ut iam dixi simpliciter existimo separationem vocari ius peculiare, quod habebat possessor, ut non liceret alienis vindemiam attingere, excepto sabbatho. [Ita separatio opponitur agris communibus et publice expositis [1])].

Levit. 25, 20. *Quod si dixeritis.* Nunquam Dei praeceptis morigeri erunt homines nisi correcta diffidentia: et semper ingeniosi sunt ad captandos praetextus, ne pareant. Fuit autem speciosa excusatio Iudaeis a difficultate: quia duobus annis conficere eos poterat esuries, quum anno septimo neque sererent, neque meterent: ad metendum vero exspectandus esset finis anni octavi. Iam unde sementis copia, postquam terra annum integrum cessaverat? Non abs re ergo Deus hac dubitatione ipsos liberat, foecunditatem promittens se daturum anno sexto, quae exuberet in alios duos sequentes annos. Ac notanda est loquutio: Deum suam benedictionem mandare singulari modo et praeter consuetum morem, ut terra duplo vel triplo sit fertilior. Unde nobis suggeritur non vulgaris materia fiduciae ad panem nostrum quotidianum petendum. Sed haec specialis fuit promissio, non defore Iudaeis alimenta propter sabbathum: cuius rei specimen Deus iam ante in deserto ediderat, quum pridie sabbathi suppeteret colligentibus duplex mannae portio. Hodie hoc incommodum vitatur agricolarum industria, qui sic agrorum iugera partiti sunt, ut nunquam in totum otiosa sit terra, dum pars una supplet alterius defectum. Ea distributio apud Iudaeos locum non habuit. Ergo penuriae metum illis ademit Deus usque ad messem anni octavi: quanquam videtur simul eos ad frugalem usum assuefacere, ne intemperantia et luxu dissipent quod largius contulit, ut in duos annos redundet. Ad hoc praeceptum alludit Deus, quum per prophetas denunciat terram fruituram suis sabbathis, ubi suos incolas evomuerit (2. Par. 36, 21). Quia enim sabbathum violando ipsam polluerant, ut gemeret sub gravi onere, dicit longa et continua serie quieturam, ut cessatio compenset multorum annorum laborem.

1) *Quae uncis includimus desunt in ed.* 1563.

EX LEVIT. XXV.

8. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est septem annos septem vicibus, qui quidem dies septem sabbathorum annorum efficient tibi quadraginta novem annos.* 9. *Tunc transire facies tubam iubilationis mense septimo die decimo, id est die expiationum: transire, inquam, facietis tubam per universam terram vestram.* 10. *Sanctificabitisque annum quinquagesimum, et proclamabitis libertatem in terra cunctis habitatoribus eius: Iobel ipse erit vobis: et revertemini quisque ad possessionem suam, et quisque ad familiam suam revertemini.* 11. *Iobel ipse annus quinquaginta annorum erit vobis: non seretis, neque metetis quae sponte produxerit terra: neque vindemiabitis separationes eius.* 12. *Quia Iobel est, sanctus erit vobis, agri comedetis fructum.* 13. *Anno Iobel isto revertemini singuli ad possessionem suam.*

8. *Numerabis quoque.* Subiicitur tertium genus sabbathi quod conficitur ex annis quadragintanovem, vel ex septem annorum septenariis. Hoc sabbathum celeberrimum erat, quia tam in personis quam in aedibus et agrorum fundis renovabatur populi status. Quanquam autem hoc modo publicae utilitati consuluit Deus, pauperibus opitulatus est, ne eorum opprimeretur libertas, ordinem quoque a se positum servavit: minime tamen dubium est quin addiderit alium stimulum quo Iudaei ad cultum sabbathi incitarentur. Fuit enim insigne aliquod monumentum sacrae quietis, videre servos manumitti, et fieri repente liberos, aedium et agrorum possessiones ad pristinos dominos qui vendiderant, redire: denique proferri novam rerum omnium faciem. Iobel vocabant hunc annum a sonitu cornu arietini, quo libertas et agrorum restitutio promulgabatur: verum sicut dixi, primas partes tenebat solennitas, ex qua discebant se a reliquis gentibus separatos esse, ut populus essent peculiaris et sacer Deo: imo redintegratio huc spectabat, ut magno sabbatho iterum redempti se Deo liberatori penitus addicerent.

EX LEVIT. XXIII.

1. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Alloquere filios Israel, et dic illis: Hae sunt feriae quas vocabitis convocationes sanctas, hae sunt solennitates meae.* 4. *Hae sunt feriae quas celebrabitis: hae*

sunt feriae Iehovae sanctae, quas celebrabitis temporibus suis. 5. *Mense primo, quartadecima mensis, ad vesperam Pesah Iehovae est.* 6. *Quintodecimo autem die mensis huius solennitas erit infermentatorum Iehovae, septem diebus infermentata comedetis.* 7. *Die primo convocatio sancta erit vobis: nullum opus servile facietis.* 8. *Offeretis autem oblationem ignitam Iehovae septem diebus: die septimo erit convocatio sancta, nullum opus servile facietis.* 9. *Ad haec loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 10. *Alloquere filios Israel, et dic eis: Quum ingressi fueritis terram quam ego do vobis, et messueritis messem eius, tunc offeretis omnes primitias messis vestrae ad sacerdotem.* 11. *Qui offert omer coram Iehova, ut sit acceptum pro vobis: in crastino sabbathi offeret illud sacerdos.* 12. *Facietisque die quo offeretis omer agnum integrum anniculum, in holocaustum Iehovae:* 13. *Et minham eius, duas decimas similae permistae oleo, oblationem ignitam Iehovae in odorem quietis: et libamen eius vini quartam partem hin.* 14. *Panem vero et polentam, et spicam plenam non comedetis usque ad hunc ipsum diem, donec obtuleritis munus Dei vestri: statutum perpetuum erit in generationibus vestris, in cunctis habitaculis vestris.* 15. *Numerabitis autem vobis dies a postero die sabbathi, a die qua obtuleritis omer elevationis, septem hebdomades plenae erunt.* 16. *Usque ad posterum diem sabbathi septimi numerabitis quinquaginta dies, et offeretis oblationem novam Iehovae.* 17. *Ex habitaculis vestris offeretis panem oblationis: duae ex duabus decimis similae erunt: cum fermento coquentur primitiae Iehovae.* 18. *Offeretisque cum pane illo septem agnos integros anniculos, et iuvencum filium bovis unum, et arietes duos, erunt holocaustum Iehovae: et oblatio eorum libaminaque eorum, oblatio ignita erit odoris quietis Iehovae.* 19. *Facietis quoque hircum caprarum unum pro peccato, et duos agnos anniculos in sacrificium prosperitatum.* 20. *Offeretque sacerdos illa ultra panem primitiarum, elevationem coram Iehova cum duobus agnis, sanctitas erunt Iehovae sacerdoti.* 21. *Et celebrabitis hoc ipso die celebritatem, convocatio sancta erit vobis: nullum opus servile facietis: statutum perpetuum erit in cunctis habitaculis vestris, in generationibus vestris.* [22. *Et quum messueritis messem terrae vestrae, non complebis angulum agri tui in messe tua: nec quod residuum erit in messe tua colliges*]. 23. *Loquutus est praeterea Iehova ad Mosen, dicendo:* 24. *Alloquere filios Israel, dicendo: Mense septimo, primo die eiusdem erit vobis sabbathum monimentum clangoris, convocatio sancta.* 25. *Nullum opus servile facietis, et offeretis oblationem ignitam Iehovae.* 26. *Loquutus est quoque Iehova ad Mosen, dicendo:* 27. *Verumtamen*[1]) *in decimo mensis huius septimi, dies expiationum erit: convocatio sancta erit vobis, affligetisque animas vestras, et offeretis sacrificium ignitum Iehovae.* 28. *Nullum opus facietis hoc ipso die, quia dies expiationum est ad expiandum*[1]) *vos coram Iehova Deo vestro.* 29. *Omnis enim anima quae non fuerit afflicta eo ipso die, excidetur e populis suis.* 30. *Et quisquis fecerit quodcunque opus eo ipso die, perdam animam illam e medio populi sui.* 31. *Nullum opus facietis: statutum perpetuum erit in generationibus vestris, in cunctis habitationibus vestris.* 32. *Sabbathum quietis est vobis, et affligetis animas vestras nona mensis in vespera: a vespera usque ad vesperam quiescetis in sabbatho vestro.* 33. *Loquutus est et Iehova ad Mosen, dicendo:* 34. *Alloquere filios Israel, dicendo: Decimoquinto die mensis septimi huius, solennitas tabernaculorum erit septem diebus Iehovae.* 35. *Die primo erit convocatio sancta, nullum opus servile facietis.* 36. *Septem diebus offeretis sacrificium ignitum Iehovae, die octavo convocatio sancta erit vobis, et offeretis sacrificium ignitum Iehovae, solennitas est, nullum opus servile facietis.* 37. *Istae sunt festivitates Iehovae quas celebrabitis, convocationes sanctae, ut offeratis in eis sacrificium ignitum Iehovae, holocaustum et oblationem, sacrificium et libamina suo quodque die.* 38. *Praeter Sabbatha Iehovae, et praeter dona vestra, praeterque omnia vota vestra, et praeter omnes spontaneas oblationes vestras quas dabitis Iehovae.* 39. *Verumtamen decimoquinto die mensis septimi, quando congregaveritis fructum terrae, celebrabitis celebritatem Iehovae septem diebus: die primo erit sabbathum, die quoque octavo erit sabbathum.* 40. *Sumetisque vobis die primo fructum arboris decorae, et ramos palmarum, et ramos arboris densarum frondium, et salices torrentis, et laetabimini coram Iehova Deo vestro septem diebus.* 41. *Celebrabitis, inquam, istam celebritatem Iehovae septem diebus quotannis: statutum perpetuum erit in generationibus vestris, mense septimo celebrabitis illam.* 42. *In tabernaculis habitabitis septem diebus: omnis indigena ex Israele habitabit in tabernaculis.* 43. *Ut sciant generationes vestrae quod in tabernaculis habitare feci filios Israel quando eduxi eos e terra Aegypti: ego Iehova Deus vester.* 44. *Loquutus est igitur Moses de solennitatibus Iehovae ad filios Israel.*

4. *Hae sunt feriae.* Sabbatho affines sunt alii dies festi quos hic recenset Moses. Primo loco ponitur pascha, cuius tamen mysterium non absque ratione primo praecepto coniunxi. Nam illic exposita fuit institutio, quatenus populum retinebat, ne ad deos alienos deficeret. Initiabantur enim illo ritu in obsequium Dei, ut cunctis superstitionibus gentium valere iussis, in pura legis doctrina acquiescerent. Pascha igitur per se appendix fuit primi praecepti, dies tamen quotannis recurrens inter alios

1) *In margine:* Vel, utique. *Et sic quoque v.* 39.

1) *Ibid:* Vel, super vos aut pro vobis.

dies festos apte numeratur. Et certe non alium quarti praecepti finem vel usum esse liquet quam ut populum exerceat in Dei cultu. Sed quum ipsa agni mactatio repraesentaret adoptionis gratiam, qua Deus populum sibi devinxerat, primo praecepto iungere oportuit. Nunc itaque altera parte contenti sint lectores, quod annua celebritas subsidium fuerit aeternae memoriae, ne unquam excideret Israelitis sua redemptio.

10. *Quum ingressi fueritis.* Nunc de secundo die festo praecipit Moses qui dicatus fuit offerendis primitiis. Ritus describitur, ut in manum sacerdotis tradant manipulum: quanquam aliis placet notari mensuram quae erat decima pars epha: et omer utrumque significat. Verum praesenti loco melius convenit nomen manipuli, quia sic ad vivum repraesentabant initium messis: non enim licebat vel tosta grana gustare ante oblatas primitias. Eum sacerdos elevabat coram altari, sed in modum ventilationis: sic enim distinguunt Hebraei inter duas species, quod תרומה sursum tolleretur, תנופה autem, cuius hic fit mentio, agitaretur versus quatuor mundi plagas: deinde fiebat sacrificium et libatio. Scimus profanas gentes ita sibi deos frugum ac deas fabricasse, ut terra communis esset, et magna deorum hominumque mater. In hunc errorem statim delapsi fuissent Iudaei, vel Deo praeterito se ingurgitassent, nisi hoc ritu admoniti didicissent in coelo sibi esse nutritium patrem, cuius terra ministra esset in promendis alimentis. Nam quum in uno manipulo tota messis consecraretur, perinde erat ac si in solidum iuris esse divini ostenderent quidquid protulerat terra. Sed in eo resplenduit admirabilis Dei bonitas, quod suum sibi vendicans, nihil detrahebat ex victu populi: postea tanquam ex Dei manu recipiebant quod singuli habebant domi repositum, perinde ac si e Dei sanctuario prodiret. Nota enim est Pauli sententia (Rom. 11, 16): Si sanctae sunt primitiae, totam quoque massam esse sanctam: ubi ad hunc veterem legis ritum alludit. Quod vertunt: Ad placationem vestri, idem est nomen quod alibi exponunt interpretes beneplacitum, [et ad populum referunt, ac si dictum esset pro arbitrio vel ad libitum ut loquuntur barbari]. At vero alibi docui, de favore et benevolentia Dei intelligi debere, quanquam ad populum transfertur passivo sensu, quemadmodum in Psalmo (106, 4.) רצון vel beneplacitum electi populi, vocatur gratuitus amor quo Deus ecclesiam suam prosequitur. Significat autem Moses non aliter posse tranquilla conscientia terrae frugibus vesci, quia non sentirent Deum sibi esse propitium, et paterno affectu. Hodie abolita caeremonia, manet tamen ac viget inter nos eius veritas: quia nonnisi agnitio largitatis Dei quae ex fide nascitur, et gratiarum actio sanctificat quaecunque ex Dei manu percipimus. Primitiis additur festus dies septem hebdomadum, quem Graeci vertunt Pentecostes, in eundem finem respiciens: postquam enim ex intacta segete primitias obtulerant, addebant signum gratitudinis in panibus et maiore sacrificio. Notandum autem est panes duos a singulis familiis exigi, qui constent ex duabus decimis: sacrificium vero septem agnorum, iuvenci unius, et duorum arietum, et hirci, duorumque agnorum, toti populo iniungi. Haec demum erat legitima agnitio liberalitatis Dei, quia manipuli elevatio, ut in festinatione, quasi defunctoria erat. Sicuti enim vidimus, antequam granum attingerent, postulabat Deus sibi primitias offerri, donec per otium et tempore magis opportuno plenius officio suo satisfacerent. Itaque quod nuper vidimus de primitiis, tantum praeparatio fuit ad diem festum pentecostes, in quo non spicae, sed panes cocti ex horno tritico sacra oblatio erant.

24. *Mense septimo primo die.* Miror unde in mentem venerit Iudaeis in festo tubarum celebrari liberationem Isaac, quando in eius locum suppositus fuit hircus qui immolaretur: sed hoc scilicet pro solita sua audacia commenti sunt. Certe nihilo plus habet coloris quam rationis. Rectius sentiunt alii, parasceven fuisse proximi festi expiationum, propter exiguam temporis distantiam. Nam quia nulla proprie nota insignitur hic dies, probabile est non separari ab altero qui paulo post sequitur, die scilicet decimo. Nisi forte magis probabile sit, semel quotannis vocatos fuisse clangore tubarum: primum ut discerent sacros conventus Dei voce fuisse indictos, deinde vocem illam renovari, ut praesto semper essent ad Dei obsequium. Atque id videtur innuere per monumentum clangoris: ac si diceret, semel quotannis tubas sonare in auribus eorum, ut tota vita sint attenti ad Dei vocem, et ad sequendum voluntarii quocunque tendere iubeat. Alii existimant praecinuisse tubas initio mensis, ut se pararent ad tres dies festos: deinde quia insignis erat tam sabbatho anni septimi quam iubilaeo. Quid autem si Deus mensem hunc ex capite anni in septimum ordinem reiiciens, aliquod priscae dignitatis vestigium relinquere voluerit? Omnium enim consensu receptum est, donec egressus est populus ex Aegypto, hunc fuisse primum mensem. Quidam etiam putant mundum in ipso creatum esse, quod probabili ratione non caret. Ac Iudaei nunc quoque in negotiis politicis, et quae ad usum terrenae vitae spectant, ex continua observatione retinent primam illam supputationem: in sacris duntaxat initium anni faciunt a Martio. Haec quidem probabilis mihi videtur ratio cur eo qui nunc notatur die, memoriam regni sui Deus solenni promulgatione renovarit, ac septimum mensem assignarit tam Iubilaeo quam sabbatho annorum. Uno autem die finita fuit haec solennitas, nihil fere ab

ordinario sabbatho differens, nisi tubarum clangore et sacrificio: quale Numerorum 29 describitur. Plus enim illic exprimit Moses quam hoc loco: quia enumerat vitulum, arietem, agnos septem, hircum pro peccato cum accessionibus, praeter holocaustum novilunii: atque ex omnibus iubet offerri holocaustum: nunc autem genus tantum uno verbo designat.

27. *Verumtamen in decimo mensis huius.* Verbum כפר, unde nomen כפרים deducitur, tam propitiare significat quam expiando delere culpam et reatum: כפרים ergo sunt litationes ad Deum placandum. Et pluralis numerus ponitur, quia non uno tantum genere reatus obstricti erant, sed ob multa et varia delicta opus habebant multiplici reconciliatione. Id quidem fiebat tam publice quam privatim reliquo anni tempore: nam quotquot mactabant victimas, totidem erant satisfactiones ad impetrandam veniam et Deum reconciliandum. Tamen ad haec quotidiana exercitia dies festus quotannis fuit additus tanquam speciale monumentum, et acrior stimulus ad poenitentiam. Solenni enim ieiunio et sacrificiis eos ad pium dolorem incitari oportuit, quod toto anno iram Dei in se provocassent. Ergo hoc festo die citati fuerunt ad Dei tribunal, ut se illuc sistentes, agnoscerent se obnoxios esse illius iudicio, poenam tamen deprecarentur: atque in hunc finem spectabat ieiunium. Interea ex sacrificiis discebant se recipi in gratiam, quia simplex confessio tantum desperationis causa illis fuisset. Sic ergo tristitiam et alia poenitentiae testimonia ab illis Deus exegit, ut testatum vicissim illis faceret rite litatum esse quo propitius esset. Affligere animas, ad ieiunium refertur hoc loco, quod requirebatur tanquam externa poenitentiae professio. Et certe in ieiunio per se nihil fuisset momenti, quemadmodum clare apud Isaiam (58, 3) ostendit Deus se floccifacere hypocritas, qui ieiunando litare se confidunt. Sed a lautiore victu et omnibus delitiis abstracti, commonefiebant de suis malis: ut moerore deiecti et humiliati ardentiore studio remedium expeterent. Neque enim aliis promittitur remissio peccatorum, quam qui serio dolore tacti sentiunt se miseros ac perditos, agnoscunt et fatentur quid meriti sint. Hoc modo ianua aperitur ad implorandam Dei misericordiam. Neque tamen imaginari convenit, eos qui ita sibi displicent veniam mereri sua praeparatione. Sed quia pugnaret cum natura Dei, favore suo amplecti homines in vitiis suis demersos, et ad peccatum obstinatos: deinde nimis indignum esset, eius clementia dari peccandi licentiam sub impunitatis praetextu, necesse est poenitentiam ordine praecedere, ut quis reconcilietur Deo. Unde etiam apparet, ipsum ita ignoscere peccatoribus ut tamen oderit peccata: quando non alios absolvit, nisi qui ultro se damnarunt, neque redit cum aliis in gratiam nisi qui peccatis valedicunt, non quod insolidum quisquam sibi ac peccatis renunciet, sed per indulgentiam grata est Deo poenitentia, quae merito posset ob multas defectus partes repudiari. Quo etiam confirmatur quod nuper dixi, non fieri poenitentiae merito ut Deus peccata nobis remittat: ac si culpam vel poenam fletu, dolore, confessione redimeremus, quando poenitentia in optimis quibusque mutila semper ac debilis reperietur. Quare nonnisi gratuitae Dei bonitati causa et laus veniae adscribi debet. Ideo dixi ieiunio professos fuisse Israelitas culpam suam ac reatum, sacrificio autem fuisse expiatos: quia non alia erat fatisfaciendi ratio.

29. *Omnis enim anima quae non fuerit afflicta.* Hinc discamus quantopere placeat Deo sacrificium afflicti et humiliati cordis: quando tam severam poenam sumi iussit de caeremoniae contemptu. Et certe hoc erat nimis crassae socordiae indicium, quum Deus incuteret irae suae terrorem, et ad lacrymas vocaret: secure et molliter quiescere et vacare delitiis. Qua ratione horribili iureiurando apud Isaiam (Isa. 22, 14) denunciat, se nunquam placabilem fore Iudaeis, quibus nulla fuerat resipiscendi cura: sed quum Deus increpando clamasset per suos prophetas ut properarent ad fletum, lamentum, calvitium, et cincturam sacci, hilariter comessando et bibendo dixerant: Epulemur, quia cras moriemur. Nec mirum, quando hic est extremae impietatis cumulus, bruta contumacia conscientias obstupefacere, et Deum privare potestate iudicis. Quantisper enim eousque mordetur ac pungitur peccator vitiorum suorum sensu, ut anxie ad remedium suspiret, spes est aliqua sanationis: qui vero metum cum pudore exuit, prorsus est desperatus. Iam quia externis rudimentis non frustra Deus veterem populum exercuit sub lege, profana et intolerabilis incuria fuit omittere quod tam necessarium erat: peior etiam durities, quasi data opera aspernari, ut mirari nemo debeat poenae severitatem. Numerorum 29 capite exprimitur numerus victimarum: sed partem illam praetereo, quia expositione opus non habet.

34. *Decimoquinto die.* In fine capitis ostenditur cur diem festum tabernaculorum instituerit Deus: nempe ut memoria repeterent filii Israel, se in deserto sub tuguriis habitasse quum nulla illis esset certa statio, sed vita quasi erratica. Pascha docebat mirabiliter ex praesenti morte manu Dei fuisse ereptos: hoc autem altero die continuum et diuturnum gratiae suae cursum Deus commendavit: quia non satis fuisset agnoscere Dei potentiam in ipso egressu, et de momentanea liberatione gratias agere, nisi omnes solidae liberationis progressus simul reputarent, quos experti fuerant annis quadraginta. Huc alludens propheta Zacharias, ubi de secunda redemptione verba facit, cunctis gentibus quae ad Dei cultum conversae fuerint praecipit ut

quotannis ascendant ad celebrandum hunc diem. (Zach. 14, 16). Et cur potius quam alios festos dies? nempe quia reditus e Babylone per longum et difficile iter, et ab hostium incursu et violentia infestum, aeque memorabilis futurus esset ac transitio populi ex Aegypto in terram promissam. Unde colligimus, quamvis hodie abolita sit caeremonia, eius tamen usum in spiritu et veritate adhuc vigere, ut nobis assidue ante oculos versetur incomparabilis Dei virtus et misericordia, qui nos e tenebris et profunda abysso mortis erutos, transtulit in coelestem vitam. Ac populum veterem pro sua ruditate ita exerceri oportuit, ut singuli, a senibus usque ad pueros, domibus egressi quasi in rem praesentem adducerentur, et in spectaculo illo cernerent quod alioqui nunquam satis penetrasset in eorum animos. Quanquam simul in futurum tempus edocti fuerunt, in terra quoque Chanaan peregrinandum esse, sicuti haec conditio praescribitur omnibus piis et filiis Dei, ut inquilini sint in terra, si cupiunt coeli esse haeredes. Praecipue tamen eos ad gratitudinem stimulare Deus voluit, quo pluris fieret quieta terrae promissae habitatio, et tectorum commoditas, quum recordarentur illuc ex deserto et miserrima rerum omnium egestate manu Dei se fuisse deductos.

36. *Septem diebus.* Non feriabantur nisi primo et octavo die, habitabant tamen in tuguriis, et septem continuis diebus offerebant sacrificia: quorum alibi facta fuit mentio prolixior. Ideo quae libro quarto distincte prosequitur Moses, reiicere in alterum locum malui, ubi de sacrificiis in genere tractavi. De voce solennitatis non convenit inter omnes. עצרת a verbo עצר deducitur, quod tam prohibere quam colligere significat. Itaque quidam interpretes retinent primam etymologiam, vertendo, Retentio vel prohibitio Dei est. Sed quia sensus videtur obscurior, non dubitavi pro solennitate accipere, ut aliis locis. Nam absque controversia nunc dies festos, nunc coetus aut conventus significat. Liberum tamen sit lectoribus eligere quod magis probaverint. Postquam vero de quiete et victimis praecepit Moses, adiungit exceptionem, ne quid minuatur ex ordinario cultu. Poterant enim fraudulenter transscribere in diem festum sacrificia, quibus iam alioqui obstricti erant, et hoc cavillo dealbare una fidelia duos parietes, ut loquuntur. Quare initio proximi versus particula אך adversative videtur sumi, quia antithesis fit inter peculiarem cultum huius solennitatis, et communes ritus qui extra diem festum servandi erant. Ac si dixisset, ubi praestiterint quae lex exigebat in singulos dies, non tamen cessandum esse a praesenti observatione: ideoque seorsum tam generali quam speciali praecepto satisfaciendum esse, si rite defungi velint. Porro ex circumstantia temporis demonstrat debere ipsos esse alacres, quod tunc minimum facient iacturae, iam repositis frugibus. Huc enim pertinet quod dicit: Postquam collegeritis fructum terrae: ac si diceret eorum commodo se prospicere, quia alioqui otium domi colerent, idque ad tollendam excusationem.

40. *Sumetisque vobis die primo.* Hoc symbolo admoniti fuerunt Iudaei celebrandum esse hunc diem cum hilaritate et laetitia. Fuit enim non tantum recordatio gratiae qua Deus patres in deserto dignatus fuerat, quum omnibus coeli iniuriis expositos, sub alis suis tanquam aquila pullos foveret: sed etiam gratiarum actio, quod longe commodius hospitium in terra promissa illis parasset: ita ramos gestando gaudium et quasi ovationem prae se ferebant. Nec enim fuisset consentaneum tristes et contractis animis tuguria subire, quae tam veterem quam praesentem Dei gratiam repraesentabant eorum oculis, et simul gustum dabant coelestis vitae, eo quod inquilini essent in terra. הדר quidam proprium nomen esse volunt, sed quum ubique decorem significet, nolui discedere a communi sensu: nec curiosius in verbis insisto quam necesse est ad rem ipsam tenendam.

EX EXODI XXIII.

14. *Ter festum celebrabis mihi unoquoque anno.* 15. *Solennitatem asymorum custodies: septem diebus comedes infermentata, quemadmodum praecepi tibi tempore mensis Abib: quia in eo egressus es ex Aegypto: neque conspicientur coram me vacui.* 16. *Et solennitatem mensis primitivorum operum tuorum quae seminaveris in agro, et solennitatem collectionis in exitu anni, quando collegeris opera tua ex agro.* 17. *Tribus vicibus conspicietur omnis masculus tuus coram domino Iehova.*

EX EXODI XXXIV.

22. *Solennitatem hebdomadum facies tibi in primitiis messis triticeae, et festum collectionis in conversione anni.* 23. *Tribus vicibus in anno conspicietur omnis masculus tuus coram domino Iehova Deo Israel.* 24. *Expellam enim gentes a facie tua, et dilatabo terminum tuum, neque concupiscet quisquam terram tuam dum ascendes ut conspiciaris coram Iehova tribus vicibus in anno.*

EX DEUT. XVI.

1. *Observa mensem Abib, et fac Pesah Iehovae Deo tuo: quia mense Abib eduxit te Iehova Deus tuus ex Aegypto nocte.* 2. *Et sacrificabis Pesah Iehovae Deo tuo de pecudibus et bobus, in loco quem elegerit Iehova ut habitare faciat nomen suum ibi.*

EX EODEM CAPITE.

5. *Non poteris sacrificare Pesah in aliqua e portis tuis quas Iehova Deus tuus dat tibi.* 6. *Sed in loco quem elegerit Iehova Deus tuus ut habitare faciat nomen suum ibi: sacrificabis Pesah ad vesperam, occumbente sole, tempore quo egressus es ex Aegypto.* 7. *Assabis autem ac comedes in loco quem elegerit Iehova Deus tuus, postea mane conversus reverteris in tabernacula tua.* 8. *Sex diebus comedes infermentata, die autem septimo erit solennitas Iehovae Deo tuo: non facies opus ullum.* 9. *Septem hebdomadas numerabis tibi, ex quo coeperit falx esse in segete, incipies numerare septem hebdomadas.* 10. *Postea celebrabis solennitatem hebdomadum Iehovae Deo tuo pro facultate spontaneae manus tuae quod dabis prout benedixerit tibi Iehova Deus tuus.* 11. *Et laetaberis coram Iehova Deo tuo, tu et filius tuus et filia tua, et servus tuus et ancilla tua, et Levita qui est intra portas tuas, et peregrinus, et pupillus, et vidua, qui fuerint in medio tui, in loco quem elegerit Iehova Deus tuus ut habitare faciat nomen suum ibi.* 12. *Et recordaberis quod servus fueris in Aegypto, propterea custodies ac facies statuta haec.* 13. *Solennitatem tabernaculorum facies septem diebus, quum collegeris tu de area tua, et de torculari tuo.* 14. *Et laetaberis in solennitate tua, tu et filius tuus et filia tua, et servus tuus et ancilla tua, et Levita, et peregrinus, et pupillus, et vidua, qui habitaverint intra portas tuas.* 15. *Septem diebus solennitatem celebrabis Iehovae Deo tuo in loco quem elegerit Iehova: quum benedixerit tibi Iehova Deus tuus in cunctis frugibus tuis, et in omni opere manuum tuarum, et eris tantummodo laetus.* 16. *Tribus vicibus quotannis conspicietur omnis masculus tuus coram Iehova Deo tuo, in loco quem elegerit in solennitate infermentatorum, et in solennitate hebdomadum, et in solennitate tabernaculorum, neque quisquam conspicietur coram Iehova vacuus.* 17. *Quisque secundum donum manus suae, secundum benedictionem Iehovae Dei tui quam dedit tibi.*

EX EXODI XXXIV.

20. *Non conspicientur coram me vacui.*

Exodi 23, 14. *Ter festum celebrabis.* Mirum est quum plures alibi dies festos enumeret Moses, cur nunc tantum iubeat ter singulis annis apparere in Dei conspectu. Ubi igitur dies clangoris tubarum et dies expiationum? neque enim dubium est quin Ierosolymae celebrandi omnes fuerint. Primo notandum est praecipuos hic nominari, quibus maior suberat religio. Deinde quia tres feriae mense septimo fere continuae erant, ne toto mense abessent a suis aedibus, aliquid per indulgentiam fuisse remissum: nam initio mensis tubis clangebant, decimo autem die erat solenne ieiunium, a decimoquinto incipiebant sub tentoriis habitare. Si imposita fuisset omnibus necessitas manendi Ierosolymae, gravis fuisset tam diuturna mora. Quod si ab ipso principio usque ad finem perfungi vellent, tamen nonnisi una erat profectio, cui nomen a die celeberrimo imponitur. Et certe nomen רגלים quod usurpat Moses, potius itinera metaphorice significat quam vices: etsi fateor פעמים quod significat vices, in Deuteronomio legi eodem sensu. Quidquid sit, apparet Deum populo suo pepercisse, ubi tres duntaxat necessarios conventus indixit, ne patres familias et eorum liberi sumptu et molestia gravati, ad taedium inducerentur, quia nullum cultum probat nisi ab alacritate animi profectum.

Deut. 16, 1. *Observa mensem Abib.* Quorsum instituerit Deus pascha, ostensum fuit in expositione primi praecepti: nam quia redemptionis erat symbolum, et in caeremonia illa sese exercuit populus ad purum unius Dei cultum, ut agnosceret unicum patrem, et discerneret ab omnibus idolis: inter accessiones primi praecepti ipsam agni immolationem censui numerandam esse. Hoc loco tractandum superest duntaxat quod dependet ex sabbatho. Fuit ergo primus hic dies solennis, in quo voluit Deus populum feriari, et relictis omnibus negotiis, ascendere Ierosolymam. Porro non tantum fit hic mentio agni paschalis, sed etiam iubet sibi oves et boves mactari in loco quem elegerit. Quibus verbis significat die illo habendum esse sacrum conventum: quod paulo post clarius exprimitur: nam duos versus intermedios prius retuli in ipsa institutione paschatis. Prohibet ergo ne in urbibus suis pascha seorsum immolent: sed ut conveniant omnes ad idem sanctuarium. Porro alibi dictum fuit unum altare fuisse illis propositum, ac si Deus ipsos sub unum vexillum colligeret ad fovendam concordiam et fidei unitatem. Quod autem de solennitate septimi diei additur, maxime proprium est huius loci.

6. *Septem hebdomadas.* Notandum est diem paschatis incidisse in partem anni qua segetes maturescebant: tunc ergo oblatae fuerunt primitiae, de quibus disserui in primo praecepto. Inde post septem hebdomadas celebrarunt alterum diem festum, qui a Graecis pentecoste vocatus est, quasi quinquagesimus. Et totidem dies intercesserunt ab exitu populi usque ad legis promulgationem. Tunc vero alia fuit primitiarum oblatio, ut pro sua quisque facultate, et secundum anni proventum, munus ex frugibus collectis Deo consecrarent. Porro quo promptior et hilarior esset liberalitas, proponitur Dei benedictio in medium, ac si iuberet Moses populum gratitudinem suam testari: quia merum ipsius Dei beneficium sit quidquid ex terra nascitur.

11. *Et laetaberis.* Alia ratione eos ad promptitudinem hortatur et incitat, quia cultus Dei illis pariat laetitiam: nihil autem est quod magis ad obsequium stimulare nos debeat quam ubi cognoscimus Deum nobis potius consulere quam a nobis captare quidquam utilitatis. Laetantur quidem etiam profani homines, imo in suo gaudio intemperanter lasciviunt: sed quia non modo evanidum est gaudium illud, sed risus vertitur in lacrymas et stridorem dentium: non frustra hic tanquam singulare bonum commendat Moses, coram Deo laetari: ac si pater filios suos invitet, ut communiter secum eos oblectet. Caeterum externo hoc exercitio admoniti fuerunt fideles, nullum esse solidum vel optabile gaudium, nisi ad Deum referatur. Et certe utcunque in suis delitiis exsultent impii, et se in voluptates proiiciant, quia tamen eos deficit conscientiae tranquillitas, quae sola vere exhilarat, gaudio quod ingurgitare cupiunt non fruuntur. Tandem bonum illud quo potiebantur in Deo colendo, Moses comparatione amplificat, ubi dicit: Recordaberis te fuisse servum in Aegypto: quia ut iucundior esset ipsis sua conditio, eius dulcedinem auxit tristissimae captivitatis memoria. Hic a me subtilis illa inter gaudium et laetitiam Ciceronis [1]) distinctio negligitur: quia nisi in bonam partem utrumque nomen sumam, non possem reddere voces hebraicas: quibus tamen exprimere voluit Deus quam indulgenter agat cum filiis suis. Interea vero exhortationem continet hic locus, ad gratias Deo liberatori agendas.

13. *Solennitatem tabernaculorum.* Vocatus est primus collectionum dies, quia tunc in horreis et cellis penuariis reconditus erat totius anni proventus. Ergo quum ab operibus rusticis vacarent, commodum fuit illud anni tempus ad celebrandum festum diem: nam quo libentius ascenderent Ierosolymam, divinitus prospectum fuit ut minore sumptu et rei domesticae iactura id fieret. Ubi vertimus, Quum benedixerit tibi Iehova, ad verbum legitur: Quia benedicet tibi, sed eodem fere sensu: quoniam admonet Moses, modo animos et studia sua fideliter ad Deum colendum adiiciant, nunquam illis defore gaudendi materiam, quia ipse cursum suae benedictionis nunquam abrumpet. Itaque in fine versus decimiquinti non simplex est mandatum, sed etiam promissio: ac si diceret, modo ne sint ingrati, minime timendum esse quin Deus assidue novam laetitiae materiam suggerat: et coniunctim haec duo membra legenda sunt: Benedicet tibi Deus, ideoque tantummodo laetus eris. Nam hoc loco particulam אך libenter ita interpretor: adversative quidem sumi absurdum est. Exclusive ergo exponere non male conveniet, ac si diceret, nihil fore tristitiae vel sollicitudinis quod ipsos in praestando pietatis officio impediat: qui legunt Utique, ad hunc quoque sensum accedunt.

16. *Tribus vicibus.* Diximus antea, quamvis reliqui duo festi dies non essent spernendi, quia tamen aliquid populi sui infirmitati concedere Deus voluit, non fuisse impositam necessitatem, ut quinquies ascenderent Ierosolymam. Deinde quia tantum dimidia pars septimi mensis tres dies festos comprehendebat, a Calendis scilicet, usque ad decimum quintum: eadem ratione tantum a masculis exigitur, ut relictis domibus sacros conventus celebrent: mulieribus enim hoc modo parcitur quibus iter facere non ita commodum est. Adde quod pro foecunditate divinitus promissa, vel gravidae semper fere erant vel nutrices. Pueros etiam et adolescentes viginti annis minores excipi certum est, quia per masculos Deus non alios intelligit nisi qui sub censum transibant. Si quis obiiciat in spirituali Dei cultu feminas a masculis nihil differre: responsio in promptu est, patres familias illic nomen dedisse pro uxoribus et liberis. Ita ad alterum sexum, et ad teneram aetatem extendebatur haec professio. Et huc videtur alludere David (Psal. 110, 3), quum dicit: Populus tuus liberalitatum est in die congregationis tuae, in splendoribus sanctitatis: quia de voluntariis fidelium obsequiis verba faciens, more prophetico eius exemplar petit a legali cultu. Iam ne obiiciant Iudaei, periculum fore ab hostili incursu, si omnibus viris in locum unum confluentibus terra nudetur praesidio: huic dubitationi capite Exodi 24. Deus occurrit: se facturum promittens ne quis grassari appetat in domos derelictas. Nam huc spectat sententia: Eliminabo gentes a conspectu tuo, et amplificabo terminos tuos, ut nullus desideret terram tuam. Unde etiam colligitur, Dei cultum non fuisse omni ex parte stabilitum, donec subactis omnibus finitimis populis sanctuarium suum locavit in monte Sion. Non quod ante illud tempus populo fas fuerit praetermittere

1) *Alludit ad Tuscul. IV.* 6 *sq. et* 31.

dies festos: sed ut ipsa experientia doceret, Deum iis esse offensum quos singulari beneficio privabat: trepidatio enim et metus non aliunde proveniebat quam ex eorum culpa. Caeterum hinc colligant fideles utilem doctrinam, quoties Deum sequentur, se eius protectione tutos fore: quia in eius manu est prohibere hostium impetus, et omnes noxas.

Neque quisquam conspicietur coram Iehova vacuus. Nescio quid in mentem venerit quibusdam, ut putarent Deum promittere locupletes fore omnes qui ter se sisterent coram sanctuario: quum ex verbis Mosis palam appareat exigi a singulis munus aliquod in signum gratitudinis. Et forte quod historici narrant fuisse moris apud Persas, ne quis regem alloqui auderet absque munere, antiquius fuit et aliis populis commune. Voluit quidem Deus munus sibi offerri ab unoquoque, tanquam subiectionis tesseram vel arrham. Etsi autem cessavit hic ritus legalis, retinenda est tamen eius veritas, eos scilicet demum veros esse Dei cultores, qui inanem professionem non ostentant: sed re ipsa testantur, eum se regem agnoscere.

SECUNDA TABULA
CUIUS PRIMUM PRAECEPTUM QUINTUM LEGIS EST.

EX EXODI XX.

12. *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut prorogerentur dies tui super terram quam Iehova Deus tuus dat tibi.*

EIUSDEM MANDATI REPETITIO.
EX DEUT. V.

16. *Honora patrem tuum et matrem tuam, quemadmodum praecepit tibi Iehova, Deus tuus: ut prorogentur dies tui, et ut bene sit tibi super terram quam Iehova Deus tuus dat tibi.*

Non ignoro vulgo aliter distingui legis tabulas: nam qui ex duobus primis praeceptis unum duntaxat faciunt, coguntur tandem ultimum lacerare. Nam quod Deus concupiscere vetat tam uxorem quam domum proximi, inscite in duo frusta discerpitur, quum nonnisi de una re agi satis liqueat. Idque ex Pauli verbis elicitur, qui tanquam praeceptum unum commemorat (Rom. 7, 7): quanquam longa disputatione opus non est, ubi res ipsa clare ostendit ex uno errore alterum esse natum. Quum enim perperam secundum praeceptum sub primo occultassent, quia deinde numerum non reperiebant, coacti sunt secare in duas partes quod unum et simplex erat. Cur vero tribus praeceptis priorem tabulam finierint, ratio frivola ab Augustino adducitur, ut scilicet cultum Dei ad trinitatem referre discerent fideles: atque ita Deum unum adorarent in tribus personis. Talibus scilicet argutiis inconsiderate ludendo exposuerunt impiorum ludibriis sacram Dei legem. Iosephus recte quidem praecepta ipsa suo ordine enumerat, sed male singulis tabulis quina attribuit: ac si Deus arithmeticen sequutus esset, ac non potius postquam ad pietatem populum suum erudierat, seorsum praecipere voluisset de caritatis officiis. Hactenus enim tradita fuit regula Dei rite colendi, vel prior tabula complexa est pietatis summam: nunc vero lex disserere incipiet quomodo inter se vivere homines debeant: alioqui sufficere poterat una tabula, nec Deus legem frustra partitus esset. Verum quia tota vitae formandae ratio pietate et iustitia continetur, eas partes distingui oportuit, ut populus legis finem teneret, de quo postea iterum dicendum erit.

Exodi 20, 12. *Honora patrem.* Quanquam caritas (ut est vinculum perfectionis [Col. 3, 14]) comprehendit summam secundae tabulae, mutua tamen obligatio non obstat quominus suum gradum retineant tam parentes quam alii qui supereminent. Imo non aliter foveri et integra manere potest humana societas, quam si filii parentibus se modeste subiiciant, ac reverenter etiam colantur quicunque aliis

divinitus sunt praefecti. Quia autem observantia quam parentibus deferunt liberi, censetur pietatis species: hoc praetextu quidam inscite locarunt in prima tabula quod nunc praecipitur. Nec illis suffragatur Paulus (Rom. 13, 9), dum summam secundae tabulae colligens, huius praecepti non meminit: id enim consulto fecit, quia illic ex professo docet, regum et magistratuum imperio parendum esse. Christus vero omnem controversiam dirimit, ubi inter praecepta secundae tabulae enumerat, ut filii parentes honorent (Matt. 19, 19). Diserte vero nomen matrum exprimitur, ne sexus eas contemptibiles reddat apud liberos masculos. Iam quid valeat honorandi verbum, tenere convenit, non quoad significationem grammaticam: (quia כבר nihil aliud est quam Deo et hominibus qui dignitate pollent iustum honorem deferre): sed quoad summam rei. Certe quum Deus servos suos externis tantum caeremoniis defungi nolit, minime dubium est omnia pietatis officia nunc complecti, quibus ipse naturae sensus liberos parentibus obstringit: quae ad tria capita referri possunt, ut reverenter eos observent, ut obedienter pareant eorum imperio, seque ab ipsis regi sustineant, ut studeant mutuam vicem rependere, atque ita se et suas operas sedulo ipsis impendant. Quia ergo sacrum est patris nomen, et singulari Dei beneficio ad homines transfertur, redundat parentum contemptus in ipsius Dei contumeliam: nec potest quisquam patrem spernere sine sacrilegio. Si quis obiiciat multos esse impios et sceleratos patres, de quibus honorifice sentire nequeunt filii quin tollant boni et mali discrimen: responsio in promptu est, hominum vitiis non tolli perpetuam naturae legem: ideoque quamlibet honore indignus sit pater, retinere tamen (quatenus pater est) ius suum in filios, modo ne id Dei iudicio quidquam deroget: nam vitia quae lege eius damnantur, absolvere quocunque praetextu nimis absurdum esset: imo patris nomen trahere ad obtegenda scelera, indigna esset profanatio. Ergo in damnandis patris sceleribus filius vere pius legi Dei subscribet: qualiscunque tamen sit, agnoscet eum esse colendum: quia pater a Deo est datus. Sequitur obedientia, quae et ipsa suis finibus circumscribitur. Fidelis huius praecepti interpres est Paulus, ubi iubet filios parentibus obedire (Eph. 6, 1. Col. 3, 20). Honor itaque subiectionem in se continet: ut qui patris iugum excutit nec se eius autoritate gubernari sustinet, merito dicatur patrem spernere, et ex aliis locis clarius patebit, quicunque morigeri non sunt parentibus, censeri eorum contemptores. Caeterum ita limitatur patria potestas, ut Deus a quo pendet omnis cognatio, dominetur tam patribus quam filiis. Praesunt enim liberis parentes: verum sub summo Dei imperio. Itaque non simpliciter filios hortatur Paulus ut parentibus sint obsequentes, sed restrictione addita: In Domino: quo significat si quid iniuste pater iniungat, obsequium libere negandum esse. Ferendus quidem est immodicus rigor, morositas, atque etiam saevitia, modo ne mortalis homo impie exigendo quod fas non est, ius suum Deo eripere tentet. Denique ita lex filios parentibus subiicit, ut Deo ius suum illibatum maneat. Quod hic obiicitur quaestio, posse interdum contingere ut filius magistratum gerat, pater vero sit homo privatus: atque ita filium privato officio non posse defungi quin publicum ordinem violet: responsio facilis est, mutua utriusque moderatione sic posse omnia temperari, ut dum se imperio filii submittit pater, honore tamen suo minime fraudetur, et filius, quamvis potestate emineat, modeste tamen patrem revereatur. Tertium caput honoris est, ut filii parentum curam gerant, et ad omnia officia prompti sint ac seduli. Hanc speciem pietatis Graeci vocarunt ἀντιπελαργίαν, quia ciconiae parentibus effoetis et senio confectis cibum suppeditant, et ita gratitudinis sunt magistrae. Quo foedior est ac magis detestabilis eorum barbaries, qui parentum inopiam levare, et necessitatibus opem ferre, vel gravantur vel negligunt. Etsi vero paternum nomen sua dulcedine satis ad obsequii promptitudinem allicere filios debet: promissio tamen instar stimuli additur, quo alacrius filii ad honorem qui iniungitur praestandum se comparent. Ideo Paulus quo libentius filii parentibus obediant admonet hoc praeceptum esse primum cum promissione (Eph. 6, 2). Etsi enim secundo praecepto annexa promissio fuit, non tamen specialis, qualem hanc esse cernimus. Iam praecepti observationi convenienter respondet merces, ut dies filiis, qui se pie erga parentes gesserint, prorogentur: quia hoc modo Deus favoris sui testimonium repraesentat in hac vita, ubi erga eos grati sumus quibus eam ferre acceptam convenit. Sicuti minime aequum est, diu eos vitam protrahere qui suos progenitores, a quibus in hanc lucem sunt editi, contemnunt. Hic nascitur quaestio, quum tot aerumnis, doloribus et molestiis obnoxia sit terrena vita, quomodo eius longitudinem Deus in beneficii loco censeat. Verum quum aerumnae omnes ex Dei maledictione proveniant, accidentales esse apparet: itaque si in se consideretur vita, non desinit tamen favoris Dei esse testimonium. Adde quod miseriarum omnium congeries non delet praecipuum huius vitae bonum, quod scilicet creati sunt homines et foventur in spem beatae immortalitatis: nunc enim se illis manifestat Deus in patrem, ut aliquando fruantur aeterna eius haereditate. Haec cognitio quasi lampas accensa luce, facit ut gratia Dei in mediis tenebris refulgeat. Unde sequitur eos nunquam gustasse quod praecipuum erat in vita, qui dixerunt optimum esse non nasci, proximum vero quam citissime aboleri: quin

potius ita variis afflictionibus exercet Deus homines, ut tamen illis per se bonum sit ad imaginem Dei creatos esse, ut filii eius reputentur. Additur etiam clarior explicatio in Deuteronomio, non tantum ut bene vivant, sed ut bene sit illis. Ergo non tantum vitae diuturnitas promittitur, sed aliae quoque accessiones. Et certe multi qui erga parentes impii et ingrati fuerunt, non aliter vitam protrahunt quam in poenam, dum ipsis merces inhumanitatis a filiis et nepotibus rependitur. Quod autem omnibus qui erga parentes officio pietatis defuncti sunt non contingit diuturna vita, tenendum est praemiis temporalibus minime fixam esse perpetuam legem: neque tamen ubi varie et inaequaliter operatur Deus, irritas fieri promissiones: quia fidelibus qui in terra privati fuerint caducis beneficiis, in coelis reposita est melior compensatio. Certe experientia saeculis omnibus docuit, Deum omnibus qui fideliter erga parentes defuncti fuerint vera pietate, non frustra pollicitum esse longam vitam. Caeterum ex principio ante posito sciendum est praeceptum hoc longius extendi quam verba sonent: idque firma ratione colligitur: quia alioqui mutila esset lex Dei, neque ad perfectam pie iusteque vivendi normam nos institueret. Principibus esse obediendum sensus ipse naturae dictat: nisi servi dominis suis pareant, evertitur societas humani generis. Pars ergo iustitiae est non postrema, ut populus magistratuum imperio sponte se subiiciat, et servi dominis suis pareant: itaque omissam fuisse in lege Dei valde absurdum esset. Ergo in hoc pracepto, sicut in aliis, Deus per synecdochen sub una specie complectitur totum genus: nempe ut legitima imperia suam apud nos reverentiam obtineant. Quod autem non omnia distincte expressa sunt, primo brevitas ipsa facile excusat: deinde observanda est alia ratio, quod Deus crasso stylo apud rudem populum consulto usus fuerit, quia videbat ita expedire. Si generaliter dixisset obediendum esse omnibus praefectis, ut omnibus ingenita est superbia, non facile fuisset maiorem hominum partem ad paucorum obsequium flectere. Imo ut naturaliter odiosa est subiectio, multi refragati essent. Speciem ergo subiectionis proponit Deus, quam recusare immanis esset barbaries; ita ut paulatim subacta ferocia, homines assuefaciat ad ferendum iugum. Hinc ductae sunt exhortationes, ut populus regem honoret, ut omnis anima subiecta sit potestati quae supereminet, ut servi heris suis pareant, etiam difficilibus et morosis (Prov. 24, 21. 1. Petr. 2, 13. 14. Rom. 13, 1. Eph. 6, 5).

EXPOSITIO PRAECEPTI.

EX LEVIT. XIX.

3. *Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat.*

Quum haec sententia haud dubie ad quinti praecepti explicationem spectet, confirmatur quod ante docui, honorem quem Deus impendere parentibus iubet, non in sola veneratione consistere, sed obedientiam simul complecti. Reverentia enim de qua nunc praecipit, morigeros et obsequentes filios reddet. Nunc itaque certius intelligimus quomodo parentes sint colendi, dum liberos hortatur Deus, ut ab eorum offensione caveant. Haec enim vera demum pietatis est probatio, subiectionis iugum placide ferre, et re ipsa probare sincerum obediendi studium.

APPENDICES QUINTI PRAECEPTI.

EX EXODI XXI.

15. *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.*

EX EODEM CAPITE.

17. *Qui maledixerit patri suo vel matri suae, morte moriatur.*

EX LEVIT. XX.

9. *Qui maledixerit patri suo aut matri suae morte moriatur: qui patri suo et matri suae maledixit, sanguis eius super eum.*

Nunc poena capitali sancitur praecepti violatio, non tamen quae omnes comprehendat qui erga parentes quovis modo fuerint impii, sed quae satis ostendat sanctum esse ius parentum, nec posse vio-

lari sine maximo scelere. Scimus parricidas, tanquam omnium maxime detestabiles, olim culeo fuisse insutos, et proiectos in aquam: Deus vero longius progreditur, dum e mundo exterminari iubet quicunque violentas manus parentibus attulerint, vel fuerint in eos contumeliosi. Percussio enim non tantum pro caede capitur, sed pro violentia qualibet, quamvis nullum vulnus fuerit inflictum. Si quis ergo fuste vel pugno patrem vel matrem percusserat, tam vesani furoris eadem fuit quae homicidii poena. Et certe abominabile est portentum ubi filius contra eos a quibus vitam accepit insurgere non dubitat: nec fieri potest quin tam foedi criminis impunitas immanem statim barbariem gignat. Secunda lex non vim modo parentibus illatam ulciscitur, sed verborum etiam probra, quae usque ad insultandi petulantiam et atrocem contemptum prosiliunt. Neque enim si cui futiliter leve aliquod convicium exciderit (ut saepe contingere solet in rixa) ad hanc inconsideratam proterviam extendi debet poenae severitas: et קלל, unde sumptum est participium quod ponit Moses, non tantum conviciari significat, sed etiam exsecrari: sicut vilipendere ac spernere. Sicuti ergo non quaelibet protervia qua laesa erat parentum veneratio, morte punita fuit: sic voluit Deus impiam superbiam quae naturae principia convelleret, horrori esse. Porro quia durum videri poterat, vocem, quamvis probo filio indignam, mortis tamen causam esse: talis quoque exceptio compescitur, ubi in Levitico Deus addit: Sanguis eius super eum, quia patri vel matri maledixit: ac si iuberet facessere quidquid alioqui obstrepere vellent homines ad extenuandam poenae gravitatem.

EX DEUT. XXI.

18. *Quum quis habuerit filium perversum et rebellem, non obedientem voci patris sui et matris suae, et castigaverint illum, nec paruerit illis:* 19. *Tunc apprehendent eum pater eius et mater eius, educentque ad seniores urbis suae et portam loci sui:* 20. *Dicentque senioribus urbis: Filius iste noster perversus et rebellis est, non obediens voci nostrae, epulo est ac comessator.* 21. *Tunc lapidabunt eum omnes homines urbis suae lapidibus, et morietur: atque ita auferes malum e medio tui, universusque Israel audiet, et timebit.*

18. *Quum quis habuerit filium.* Quod Deus ante sub duobus membris attigerat, nunc generali lege complectitur. Neque enim dubium est quin per filios immorigeros designentur omnes qui iniurii sunt vel contumeliosi in patrem et matrem. Nam si crimen capitale est non obedire parentibus: eos pulsare et verberibus afficere, et probris insectari, multo magis. In summa pronunciat Moses morte dignos qui ita praefracto et intractabili sunt ingenio, ut patris et matris imperium respuant ac pro nihilo ducant. Unde etiam colligitur quid sit honorare patrem et matrem: neque enim irrogatur poena nisi ob transgressionem praecepti. Quum ergo morti lex addicat omnes qui parentum disciplinam contumaciter excutiunt, sequitur eos debitum parentibus honorem eripere. Optima autem statuitur moderatio, ubi ex patris quidem et matris testimonio Deus vult iudicium decerni: causam tamen publice cognosci iubet, ne quis privato arbitrio interficiatur. Iure romano permissa fuit patri in liberos vitae et necis potestas: quia probabile non erat patres tam furiosa immanitate posse abripi, ut in propria viscera saevirent: verum quia reperiuntur interdum patres non absimiles feris bestiis, et exempla docent, multos odio vel avaritia excaecatos, filiis suis non pepercisse: licentia illa romani iuris merito repudianda est. Fateor quidem, qui de liberis volebant poenam exigere, adhibuisse amicos in consilium: sed quia domestici parietes dedecora multa occultant, longe melius fraenum Deus iniecit parentibus, ne ultra querimoniam et testimonium progredi ipsis liceret. Porro quamvis eorum testimonio fidem haberi velit, quum tamen ad iudicum tribunal sistentur liberi, cognitio haud dubie intercessit. Haec enim actionis forma praescribitur, ut filium educant pater et mater, et de indomabili filii pervicacia querantur apud iudices. Etsi autem mox subiicitur damnatio, tenendum est nihilominus iudices ante pronunciasse quam lapidaretur reus: alioqui ridiculum fuisset sedere illic tanquam umbras. Ipsum ergo iudicii nomen demonstrat filium fuisse auditum, ut si non esset sibi male conscius, se a crimine purgaret. Quid enim si patris et matris vulgo nota esset morositas? quid si pater impulsu novercae filium accusaret? quid si iniquum odium detegeretur? quid si subito impetu conspirassent pater et mater in mortem filii? Ergo sub adverbio Tunc comprehenditur rei defensio: quia plus quam absurdum fuisset inauditum damnari. Praesertim quum lapidandus esset a toto populo, prius esse convictum oportuit: et hac ratione productus fuit in medium, ut admitteretur ad causam dicendam. Caeterum quamvis damnati fuerint aliis quoque vitiis dediti: Moses tamen ebriosos et intemperantes diserte exprimit, ut ostendat quamvis nullum crimen capitale proferatur in medium, sufficere tamen dissolutam luxuriem, si corrigi a parentibus nequeat: quia perditis moribus esse certum est, qui modestiam simul cum verecundia sic abiecit, ut nihil prosint admonitiones paternae. Ex fine versus colligitur duplex finis poenarum, ut terra sceleribus purgetur,

quibus quodammodo polluta est: deinde ut mors eius qui deliquit omnibus sit exemplo.

EX EXODI XXII.

28 [1]). *Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices.*

EX LEVIT. XIX.

32. *Ante canitiem assurge, et honora faciem senis, metuesque Deum tuum: ego Iehova.*

EX DEUT. XVI.

18. *Iudices et praefectos constitues tibi intra omnes portas tuas quas Iehova Deus tuus dabit tibi per tribus tuas, qui iudicent populum iudicio iustitiae, hoc est recto.*

EX DEUT. XX.

9. *Quum finem fecerint praefecti militares loquendi ad populum, constituent principes turmarum in capite populi.*

Exod. 22, 28. *Diis non detrahes.* Quatuor isti loci confirmant quod dixi, sub parentum nomine per synecdochen in quinto praecepto comprehendi eos omnes qui praesunt cum imperio. Neque enim Dei consilium fuit quidquam addere ad duas tabulas, ac si quid melius vel perfectius deinde in mentem venisset: quod imaginari nefas est. Contentus ergo fuit regula semel tradita, quamvis explicatius postea loquutus sit. Atqui a lege alienum esset quod nunc praecipitur, nisi accessio atque adeo pars esset quinti praecepti. Primo iubet reverenter sentire, et loqui de iudicibus et aliis qui magistratum gerunt. Non dubium autem est quin pro communi linguae hebraicae usu bis idem repetat: unde sequitur eosdem vocari deos et populi principes. Dei vero nomen improprie quidem, sed optima ratione, ad magistratus transfertur, quibus, tanquam imperii sui ministris, insculpsit gloriae suae notam. Quemadmodum enim vidimus patribus deberi honorem, quia Deus in societatem patrii nominis eos ascivit: ita hic iudicibus asseritur sua dignitas, ut eos veneretur populus: quia Dei personam sustinent, tanquam legati aut vicarii. Atque ita exponit Christus certissimus interpres, ubi locum ex Psalmo citat: Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes (Ioan. 10, 34. Ps. 82, 6): nempe, vocari deos ad quos sermo Dei factus est: quod non de vulgari doctrina quae destinatur omnibus Dei filiis, sed de speciali dominandi mandato intelligitur. Est autem insignis magistratuum commendatio, dum eos non modo parentum loco censet Deus, sed nomine suo ornatos producit in medium. Unde etiam clare liquet non tantum ipsis obediendum esse poenae metu, sed propter conscientiam (Rom. 13, 5), et reverenter colendos esse, ne in ipsis Deus spernatur. Si quis obiiciat, perperam laudari eorum vitia quos videmus sua potestate abuti: responsio in promptu est, quamvis tolerandi sint iudices alioqui non optimi, honorem tamen quo praediti sunt non esse vitiorum integumentum. Nec vero iubet Deus eorum delictis applaudere, sed populum tacito gemitu potius deplorare, quam licentiosa insectatione movere turbas, et convellere politicum ordinem.

Levit. 19, 32. *Ante canitiem.* In senibus quoque aliquam suae maiestatis scintillam Deus refulgere docet, qua ad patrum honorem accedunt. Flosculos ex profanis autoribus colligere de honorandis senibus non est mihi propositum: sufficiat quod hic Deus praecipit dictari a natura. Quod apparuit Athenis, quum venisset senex quidam in theatrum, nec locum reperisset inter cives suos, tandem ubi a legato spartano honoris causa admissus esset (quia senectus apud Lacedaemonas magna veneratione colitur) plausus undique excitatus est: tunc Lacedaemonius ille exclamavit: Athenienses scire quid rectum esset, facere autem nolle. Hoc certe tanto consensu populi patefactum est ingenitam esse legem omnium cordibus, ut senes revereantur ac observent. Multi quidem senes sua vel levitate, vel lascivia, vel socordia, dignitatem sibi arrogant: quamvis tamen canities non semper habeat comitem sapientiam, aetas per se venerabilis est ex Dei mandato.

Deuter. 16, 18. *Iudices et praefectos.* Hunc locum inter appendices quinti praecepti posui: quia si Deo placet praeesse iudices regendo populo, sequitur eorum legibus et edictis obediendum esse: ita ad eos usque extenditur patria potestas. Caeterum quo lubentius iudicibus se populus subiiciat, admonet Deus non posse aliter conservari humanum genus. Ergo publica utilitas, quod alioqui odiosum esset magistratuum imperium, amabile dulceque reddit. Caeterum quamvis non omnibus datum sit iudices eligere, quia Deus hac praerogativa electum populum dignatus est: generaliter tamen commendat Deus politicum ordinem: quia significat non aliter

1) Hebr. 27.

posse stare hominum societatem, quam si constet legitimis praefectis sua autoritas ad exercenda iudicia. Sive ergo suffragiis populi creati sint magistratus, sive aliunde impositi, discamus necessarios esse Dei ministros qui sub legum iugo omnes contineant. Ultimus locus quem ex Deuteronomio attexui, eodem spectat: nempe in bello quoque necessarium esse ordinem, ne tumultuarie misceantur omnia. Iam si Deo placet capita praeesse, etiam sequitur illis esse parendum: quia ridiculum esset praeficere qui gubernent, si eos impune spernere liceat. Deus ergo locando in capite populi bellicos duces, subiectionis modestiam commendat.

SEXTUM PRAECEPTUM.

EX EXODI XX.

13. *Non occides.*

EIUSDEM PRAECEPTI REPETITIO.

EX DEUT. V.

17. *Non occides.*

Summa huius praecepti est, ne cui iniustam vim afferamus. Verum quo melius ab omni laesione nos Deus prohibeat, speciem unam a qua naturaliter abhorret hominum sensus proponit: homicidium enim detestamur omnes, ut eos refugiamus quorum manus sunt sanguine pollutae, ac si aliquid contagionis secum ferrent. Voluit scilicet Deus imaginis suae reliquias quae adhuc in hominibus emicant, aliquo in pretio manere, ut sentirent omnes cum caede hominis coniunctum esse sacrilegium. Non exprimitur quidem hic ratio qua Deus alibi (Gen. 9, 6) homines a caedibus deterret, dum asserit imaginem suam hoc modo violari: sed quamvis praecise, ut legislator, pro imperio loquatur, considerari tamen voluit quod ultro in mentem omnibus venire poterat: quale est illud quoque Isaiae hominem esse carnem nostram. Quo itaque attentius ab omni iniuria sibi caveant fideles, crimen quod sponte fatentur omnes non esse ferendum damnat. Per synecdochen vero sub voce caedis comprehendi quamlibet violentiam, pulsationem et insultum, mox clarius patebit. Iam vero alterum quoque principium tenendum est, praeceptis negativis (ut vocant) subesse contrarium affirmationem: alioqui minime consentaneum esset, si quis ab iniuria sibi temperet, legi Dei satisfacere. Sit (exempli gratia) quispiam pusillo animo, et qui vel puerum aggredi non audeat, is ne digitum quidem movebit ad proximos laedendos: an propterea humanitatis officio defunctus erit quoad sextum praeceptum? Imo communis naturae sensus plus exigit quam ut abstineamus a maleficio. Ac ne pluribus agam, ex summa secundae tabulae patebit Deum non modo vetare ne homicidae simus, sed etiam praecipere ut fideliter quisque tueri studeat vitam proximi sui, ac re ipsa declaret sibi caram esse. Neque enim illic negativa tantum est loquutio, sed verba diserte sonant, diligendos esse proximos. Quos ergo illic iubet Deus diligi, minime dubium est quin eorum vitam nunc commendet. Duae ergo sunt mandati partes, ne quem vexemus vel opprimamus, ac ne cui simus infesti, vel molesti: deinde ut non modo placide versemur cum hominibus, et pacem colamus, nihil rixarum movendo: sed etiam iuvemus, quoad in nobis erit, miseros qui inique premuntur, et improbis obsistere conemur, ne pro libidine noceant. Itaque Christus genuinum legis sensum explicans (Matt. 5, 22), non modo transgressores esse pronunciat qui occiderint, sed etiam reum fore coram iudicio qui fratri suo temere irascitur: qui vero dixerit: Racha, reum fore coram concilio, et qui dixerit: Fatue, reum fore gehennae ignis. Nec vero (ut stulte quidam putarunt) novam legem illic fabricat, ac si patrem suum reprehenderet: sed perversos et insulsos legis interpretes esse ostendit qui in externa duntaxat operum specie, vel cortice (ut vulgo loquuntur) insistunt: quum potius ex Dei natura eius doctrina aestimari debeat. Apud terrenos iudices, si quis

telum occidendi hominis causa gestaverit, reus est de vi. Deus autem qui spiritualis est legislator, altius progreditur. Itaque apud eum iracundia homicidium censetur. Imo quia penetrat usque ad intimos affectus, occultum quoque odium homicidii loco ducit. Sic enim intelligi debent Ioannis verba: Qui odit fratrem suum, homicida est (1. Ioan. 3, 15): nempe ad damnationem sufficere conceptum in corde odium, quamvis non appareat.

EXPOSITIO PRAECEPTI.

EX LEVIT. XIX.

17. *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.*

Hanc partem versus separatim legendam esse non dubito. Nec mihi probatur quod interposita adversativa sed, interpretes quod postea sequetur contexunt. Scimus autem in distinctione versuum non semper quaerendam esse rationem. Porro quum certum sit, quaecunque apud Mosen leguntur formandae vitae praecepta ex decalogo pendere, haec sententia satis demonstrat non ideo tantum prohibitas fuisse caedes ne quis manu et gladio fratrem interficiat, sed ne malevolentiam et odium intus fovendo ad nocendum sibi indulgeat. Quo vere confirmatur illud Pauli, legem spiritualem esse: et refutatur eorum inscitia qui Mosen fingunt instar Lycurgi vel Solonis terrenum fuisse legislatorem apud Iudaeos, quando ad arcanos usque affectus penetrat. Ad haec probabile est ex hoc loco Ioannem sumpsisse quod dicit, homicidam esse qui fratrem odit. Emphatice enim hic ponitur nomen cordis: quia etsi nulla appareant odii signa, homicidium tamen coram Deo censetur interior affectus.

EX LEVIT. XIX.

18. *Ne ulciscaris te, neque serves odium contra filios populi tui: sed diliges proximum tuum sicut te ipsum: ego Iehova.*

Hinc clare apparet longius Deum respexisse quam ne alii alios interficerent, quia non tantum manus coercet, sed corda omni odio pura exigit. Nam quum fons et causa inimicitiarum sit vindictae cupiditas, sequitur sub occidendi verbo damnari quidquid cum fraterna dilectione pugnat. Huc accedit antithesis, ne quis odio prosequatur fratrem, quin potius diligat tanquam se ipsum. Ita non alius praecepti interpres quaerendus est quam ipse Deus, qui caedis reos esse pronunciat quicunque aliqua malevolentia sunt infecti: nec modo qui offensi par pari referre appetunt, sed qui non sincere amant proximos suos, quibus etiam iure se inimicos esse putant. Quare ut nos a spirituali caede absolvat Deus, abstergere ex animis nostris discamus omnem vindictae appetitum, ac depositis odiis fraternam cum omnibus dilectionem colere. Etsi autem posterior pars versus summam complectitur totius secundae tabulae: quia tamen vindictae opponitur dilectio, separare non debui quae tam bene inter se cohaerent, praesertim quum alterum ex altero pendeat. De solis quidem filiis Abrahae praecipit, quia atrocius erat crimen vindictae inter eos qui simul devincti erant fraterno iure: dubium tamen non est quin vitium generaliter Deus improbet. Turpiter vero in vulgaribus scholis corrupta fuit haec sententia: nam quia regula (ut ipsi loquuntur) regulato superior est, finxerunt ordinem praeposterum, ut quisque se primum, deinde proximos diligat: qua de re alibi fusius tractabo. Verbum נטר quod est custodire, sine adiectione positum tantundem valet atque retinere memoria iniuriam: sicut etiam gallice dicimus: *Garder une iniure.*

EX LEVIT. XIX.

14. *Surdo non maledices, et coram caeco non pones offendiculum, sed timebis a Deo tuo: ego Iehova.*

Quum sub homicidii nomine comprehendat lex omnes noxas quibus iniuste laeduntur homines, in primis damnanda fuit crudelitas qua affliguntur miseri, quibus sua calamitas misericordiam potius conciliare debet. Nam si qua humanitatis gutta in nobis viget, ubi occurrit caecus, solliciti erimus ne impingat vel cadat: quod si erret, porrecta manu in viam reducere studebimus: surdis etiam parcemus, quia illis insultare non minus est ridiculum vel barbarum quam conviciis lapides incessere. Ergo immanis est feritas, ad quos sublevandos naturae sensus nos impellit, eorum mala, quibus iam plus satis gravantur, augere. Itaque discamus ex iis verbis, quo quisque debilior est, ita ab omni molestia et iniuria debere tutum esse, et ubi aggredimur eos quibus nulla suppetit defensio, saevitiae crimen magis exaggerari: petulantiam vero qua insurgimus adversus calamitosos, prorsus Deo esse intolerabilem.

APPENDICES CAEREMONIALES SEXTI PRAECEPTI.

EX DEUT. XXI.

1. *Quum inventum fuerit cadaver hominis occisi in terra quam Iehova Deus tuus dabit tibi ut possideas eam, prostratum in agro, nec cognitum fuerit quis percusserit eum:* 2. *Tunc egredientur seniores tui, et iudices tui, et metientur usque ad civitates quae sunt in circuitibus cadaveris hominis illius occisi.* 3. *Et seniores urbis, propinquioris urbis illi cadaveri occiso, capient vitulam de armento qua nemo usus fuerit, et quae non traxerit iugum.* 4. *Et adducent seniores eius urbis vitulam ad vallem asperam, quae nunquam fuerit arata, neque seminata, et praecident cervicem vitulae illic in valle.* 5. *Et accedent sacerdotes filii Levi (eos enim elegit Iehova Deus tuus ut ministrent ipsi, et ad benedicendum in nomine Iehovae: et iuxta quorum sermonem erit omnis lis atque omnis plaga).* 6. *Et omnes seniores eius urbis, ubi accesserint ad cadaver hominis occisi, lavabunt manus suas super vitulam percussam in valle.* 7. *Et testificabuntur, ac dicent: Manus nostrae non effuderunt sanguinem istum, neque oculi nostri viderunt.* 8. *Expia populum tuum Israel quem redemisti Iehova, et ne imputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel: et expiabitur ab eis sanguis.* 9. *Tu autem auferes sanguinem innocentem e medio tui, quum feceris quod rectum est in oculis Iehovae.*

1. *Quum inventum.* Haec appendix mista est ex iure forensi et caeremonia. Porro in ea docemur quam pretiosa sit Deo hominis vita: quia si caedes facta fuerit incerto autore, expiationem requirit, qua se urbes vicinae a sceleris contagione purgent. Unde apparet sanguine humano terram ita pollui, ut quicunque impunitate caedes alunt, eadem se noxa obstringant. Hic de occulto scelere agitur, cuius culpam sustinent vicinae urbes, donec sedula inquisitione perfunctae, testari queant autorem non fuisse compertum: quanto itaque minus erunt excusabiles si homicidam impune elabi sinant? Ritus vero praescribitur, ut seniores urbis magis propinquae vitulam sumant quae iugum non traxerit, adducant in vallem saxosam et sterilem, cervicem praecidant adhibitis sacerdotibus, lavent manus suas et testentur se habere manus puras et oculos, quia non sint conscii. Quod vitulam iugi expertem elegit Deus, factum est quo magis ad vivum repraesentaretur compensatio sanguinis innoxii. Mactari vero in loco arido oportuit, ut ab agris cultis tolleretur immundities. Nam si in medio foro urbis, vel in parte aliqua habitabili fusus esset sanguis vitulae, familiari immolationis aspectu, magis obduruissent ad immanitatem. Gignendi ergo horroris causa extracta fuit in locum solitarium et horridum, ut hoc modo ad crudelitatem detestandam assuefierent. Etsi autem proprie loquendo non fuit hoc sacrificium, quia fas non fuisset alibi quam in sanctuario peragi: accessit tamen ad sacrificii naturam, quoniam adhibiti fuerunt Levitae, et deprecatio solennis concepta fuit. Quanquam non tantum ut ministri altaris, sed etiam ut iudices asciti fuerunt: qualitas enim his verbis exprimitur, quod ad cultum Dei ad benedicendum populum, et ad ferendam de plagis sententiam electi fuerint.

6. *Et omnes seniores.* Manuum ablutio valuit ad eos melius excitandos, ne temere solenni isto ritu testificarentur se puros esse et immunes. Perinde enim erat ac si cadaver mortui hominis sisterent coram Deo, et ipsi ex opposito starent ad crimen diluendum. Interea tamen veniam postulant, quia fieri potuit ut eorum incuria fuerit homo percussus: deinde quum sacrilegio unius Acham contaminatus fuerit totus populus, timendum fuit ne Dei vindicta latius serperet ob commissum piaculum. Atque ita rursus edocti fuerunt quantopere homicidia abominetur Deus, ubi populus alienum peccatum sibi ignosci postulat: ac si ex solo aspectu noxam contraxissent. Pronunciat tandem Deus se non imputaturum illis ubi tali purgatione rite defuncti fuerint: non quod vitula pretium satisfactionis esset ad Deum placandum: sed quia hoc modo suppliciter se Deo reconciliabant, et in posterum ianuam claudebant homicidiis. Hac ratione dicitur: Tolles e medio sanguinem: quia si negligatur caedes, residet in populo macula, et terra ipsa quodammodo apud Deum foetet.

EX DEUT. XII.

15. *Pro omni desiderio animae tuae mactabis, et comedes carnes secundum benedictionem Iehovae Dei tui, quam dederit tibi intra omnes portas tuas: immundus et mundus comedet eas, sicut capream et cervum.* 16. *Tantummodo sanguinem non comedetis, super terram effundetis illum instar aquae.*

EX EODEM CAPITE.

20. *Quum dilataverit Iehova Deus tuus terminum tuum, quemadmodum loquutus est tibi, et dixeris: Comedam carnem, quod concupiscat anima tua vesci carnibus: iuxta omne desiderium animae tuae comedes carnes.* 21. *Quum longinquus a te fuerit locus quem elegerit Iehova Deus tuus ut ponat nomen suum ibi, mactabis de bobus tuis et de pecudibus tuis quas dederit Iehova tibi: quemadmodum praecepi tibi, et vesceris in portis tuis secundum omne desiderium animae tuae.* 22. *Certe quemadmodum comeditur caprea et cervus, sic comedes illas: immundus pariter et mundus vescentur illis.* 23. *Tantum roborare ut non comedas sanguinem: quia sanguis est anima, et non comedes animam una cum carne.* 24. *Non comedes illum, sed in terram effundes illum instar aquae.* 25. *Non vesceris illo, ut bene sit tibi, et filiis tuis post te, quum feceris quod rectum est in oculis Iehovae.*

EX LEVIT. XVII.

10. *Quicunque e domo Israel, et e peregrinis qui peregrinantur in medio eorum, comederit ullum sanguinem, ponam faciem meam in animam quae comederit sanguinem, et excidam eam e medio populi sui.* 11. *Quia anima carnis in sanguine est: ego autem dedi illum vobis super altare ad expiandum animas vestras, quia sanguis animam expiabit.* 12. *Ideo dixi filiis Israel: Nulla anima ex vobis comedet sanguinem, et peregrinus qui peregrinatur in medio vestri non comedet sanguinem.* 13. *Et quicunque e filiis Israel, et e peregrinis qui peregrinantur in medio eorum, venatus fuerit venationem bestiae vel avis quae comeditur, effundet sanguinem eius et cooperiet pulvere.* 14. *Quia anima cuiusque carnis, sanguis eius est in anima: dixique filiis Israel: Sanguinem cuiuscunque carnis non comedetis, quia anima cuiusque carnis est sanguis eius: quicunque comederit illum, excidetur.*

EX LEVIT. VII.

26. *Nullum sanguinem comedetis in cunctis habitationibus vestris, tam de avibus quam de iumentis.* 27. *Omnis anima quae comederit ullum sanguinem, excidetur anima illa e populis suis.*

EX LEVIT. XIX.

26. *Non comedetis cum sanguine.*

Deuter. 12, 15. *Pro omni desiderio animae tuae mactabis.* Quod praecedit apud Mosen suo loco posui, ne alibi sacrificia mactarent quam in loco sacro, qui unus erat in tota Iudaea. Hic libertas edendi permittitur, modo ne animalia Deo offerant, sed illis vescantur tanquam feris sylvestribus. Exempli causa ponuntur duae species, caprea et cervus, ex quibus nulla fiebat oblatio. Liberum ergo illis fit ubicunque velint vesci carnibus, exceptione tamen addita, ne sanguinem gustent: quod tametsi observatum a parentibus fuerat ante legem, Deus iterum sancivit, quum peculiarem sibi populum colligeret. Scimus enim statim a diluvio indictam fuisse Noae et posteris sanguinis abstinentiam. Verum ut maior pars statim degeneravit, verisimile est, neglecto Dei mandato, gentes omnes promiscuam sibi licentiam sumpsisse: ac dubium est an in familia Sem viguerit religio, quae passim sepulta erat. Certe ex nova legis promulgatione coniicere licet illam fuisse prorsus obsoletam: quidquid sit, hac nota electum populum discerni voluit Deus a profanis gentibus. Ratio autem prohibitionis cuius nunc fit mentio, iam ante expressa fuerat, quia animae sedes est sanguis. Etsi autem animal occidere in cibum licebat, simul fraenum tamen ad cohibendam feritatem utile fuit, sanguinem non attingere: quia dum parcebant animalium sanguini, necesse fuit multo magis humano parcere. Ideo postquam vetuit Deus sanguine vesci, statim transit ad homines ipsos: Qui effuderit sanguinem hominis in homine, fundetur sanguis eius, quia ad imaginem Dei creatus est (Genes. 9, 6). Convenienter ergo sexto praecepto attexui omnes locos quibus Deus iubet populum a sanguine abstinere. Per se quidem non magni interfuit sanguinem comedere: quod ergo rem non adeo ponderosam toties Deus inculcat, inde colligitur legem alio spectare. Huc quoque accedit poenae severitas: nam aviculae sanguinem gustare, crimen certe non erat morte dignum. Ergo inde similiter patet alium fuisse prohibitionis finem, ut scilicet crudelitas horrori esset. Et verba Mosis ostendunt, non ideo vetari esum sanguinis ac si sua immunditie hominem inficeret, sed ut vitam hominis pretiosam ducant: dicitur enim: Quia sanguis anima est: quod Augustino tantundem valet atque animae signum: sed potius intelligit Moses vitam animalem contineri in sanguine. Sanguis ergo qui vitam repraesentat, non abs re fuit interdictus, nec seorsum modo sanguinem comedere nefas fuit, sed etiam simul cum carne. Sicuti tam in Deuteronomio quam in Levitico ultimo loco diserte traditur.

23. *Tantummodo roborare.* Non frustra sollicite eos hortatur ad inflexibilem constantiam, quia et res erat in speciem levis, et molesta observatio, et proclivis erat lapsus ob commune gentium exemplum. Nam quum secum reputarent nihil ad sanc-

timoniam conferre si sanguinem non attingerent, inde facile indulgentiae suborta fuisset illecebra.

Levit. 17, 10. *Quicunque ex domo Israel.* Hic non tantum morti addicit qui se esu sanguinis polluerint, sed si manus iudicum effugerint, se vindicem fore pronunciat. Neque enim iudicibus tantum praescribit quid factu rectum sit, sed sibi ipsi vendicat poenae exigendae partes: nec vero modum excedit si finis legis spectetur. Etsi enim hominis interitu pensari sanguinem bruti animalis consentaneum non fuit, tenendum tamen est paedagogiam hanc rudi populo fuisse necessariam, ne ad barbariem prosilirent. Porro ne querantur sibi nullum relinqui usum sanguinis, admonet Deus, quum in expiationem datus sit, plus quam ingratos esse nisi tanto beneficio contenti sint. Et certe quum apud eos pretium esset placandi Dei, haec utilitas cibo longe praeferenda fuit. Ergo si sanguinem qui ad Deum reconciliandum altari destinatus est, in vulgarem cibum transferre appetant, ingratitudinem illis oblique exprobrat Moses: quia Deus esum auferens, melius aliquid, quod abunde sufficere debeat, residuum illis fecit. Caeterum quomodo animas expiet sanguis, alibi visum est, sacramentali modo scilicet: ubi notandum est, quod proprium est Christi, sic metonymice transferri ad figuras et symbola, ut tamen non inanis aut fallax fuerit similitudo: quia quatenus in externis sacrificiis Christum apprehenderunt patres, illic vere exhibita fuit expiatio. Peregrinos hoc quoque loco intelligo non quoslibet hospites qui negotiandi causa iter facerent, sed qui ad Dei cultum se contulerant. Multi enim exteri superstitionibus valere iussis, circumcidebantur, quos oportuit diserte obstringi, ne se eximerent si lex eos praeteriisset. Hoc ideo breviter notandum est, ne putemus ab esu sanguinis profanos hospites arceri, quibus licebat carnes a feris discerptas in cibum emere. Caeterum quia ante legem abstinuerant patres a sanguine, et prohibitio ad primam tabulam et legalem cultum non spectabat: inde factum est ut apostoli, abrogatis caeremoniis, non ausi tamen fuerint liberum esum sanguinis statim permittere (Act. 15, 20), ne gravior offensio nasceretur ex re nova et insolita. Ergo ne res tantilla exitialibus dissidiis scinderet ecclesias, gentibus mandarunt ne vescerentur sanguine: ratione addita, quod novo exemplo turbati essent qui assueti erant ad legendam Mosis doctrinam: haec tamen exigui temporis fuit observatio, sicut ex Paulo colligitur. Quod autem usque ad tempus Tertulliani a quibusdam retenta fuit, superstitione non caruit et perverso zelo.

APPENDICES SEXTI PRAECEPTI POLITICAE.

EX LEVIT. XXIV.

17. *Qui percusserit animam hominis, morte moriatur.*

EX EODEM CAPITE.

19. *Vir qui intulerit maculam proximo suo, secundum quod fecit sic fiat ei.* 20. *Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente: sicut intulerit maculam homini, sic inferetur ei.* 21. *Qui percusserit animal reddet illud: qui vero percusserit hominem moriatur.* 22. *Iudicium unum erit vobis, sicut peregrinus sic et indigena erit: quia ego Iehova Deus vester.*

EX EXODI XXI.

12. *Qui percusserit virum ad mortem, morte moriatur.* 13. *At qui non insidiatus fuerit ei, sed tradiderit illum Deus in manus eius, tunc dabo locum ad quem fugiet.* 14. *Sin vero insultando se extulerit quispiam in proximum suum, ut occidat eum malitiose, ab altari meo tolles eum ut moriatur.*

EX EODEM CAPITE.

18. *Quod si rixati fuerint aliqui, et percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, nec mortuus fuerit, sed iacuerit in lecto:* 19. *Si surrexerit, et ambulaverit foris super baculum suum, tunc innocens erit qui percussit, tantum cessationem eius pensabit: et medendo medicandum curabit.* 20. *Quum percusserit quispiam servum suum vel ancillam suam baculo, et*

mortuus fuerit sub manu eius, vindicando vindicabitur. 21. *Verumtamen si per diem vel duos dies steterit, non vindicabitur, quia pecunia eius est.* 22. *Quum autem rixati fuerint viri, et percusserint mulierem praegnantem ut egrediatur foetus eius, nec tamen sequatur mors, puniendo punietur quemadmodum imposuerit ei maritus mulieris, et solvet apud iudices.* 23. *Quod si mors fuerit, tunc dabis animam pro anima,* 24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede,* 25. *Adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* 26. *Quum autem percusserit quispiam oculum servi sui, vel oculum ancillae suae, et corruperit eum, liberum dimittet eum pro oculo eius.* 27. *Quod si dentem servi sui, vel dentem ancillae suae excusserit: liberum dimittet eum pro dente eius.* 28. *Si cornu petierit bos virum aut mulierem ut moriatur, lapidando lapidabitur bos, neque comedetur caro eius: dominus autem bovis erit innocens.* 29. *Quod si bos cornupeta fuerit ab heri et nudiustertius, et contestatio facta fuerit domino eius, nec custodierit eum, occidendo autem occiderit virum vel mulierem, bos lapidabitur, et dominus quoque eius morietur.* 30. *Si pretium redemptionis impositum fuerit ei, tunc dabit redemptionem animae suae quantum impositum fuerit ei.* 31. *Sive filium cornu petierit, sive filiam, secundum iudicium hoc fiet ei.* 32. *Si servum bos cornu petierit, vel ancillam, argenti triginta siclos dabit domino eius, et bos ille lapidabitur.*

Levit. 24, 17. *Qui percusserit.* Sequitur praecepti confirmatio ex iure forensi: ac primo quidem mortis poena statuitur in homicidas: nam percutere animam tantundem valet ac lethaliter vulnerare, ut mors quoque sequatur: sicut Moses in Exodo se clarius explicat. Porro quanquam breviter loquitur, ut legislator, non dubium tamen est quin sententia iudicum velit interfici quos morti adiudicat: qualis fuerit exsequendae poenae forma videbimus suo loco. Etsi autem non ubique ad perfectionem exegit Deus quas ferebat leges, in praecipuo tamen capite simplicem et puram approbationem sui praecepti exstare voluit. Atque haec causa fuit cur exordium facerem ab hac sententia, quia praecepto respondet quasi *ἀντίστροφος*.

19. *Vir qui intulerit.* Poenae etiam nunc eos subiicit qui verberibus corpus proximi mutilarint: quod necesse fuit, quia alioquin improbissimus quisque, ut peritus fuisset nocendi artifex, crus vel brachium fregisset fratri, deinde non tantum misero insultasset, sed Deo quoque et legi. Si quis ergo membrum hominis afflixerat, poena talionis edicitur, qua usae sunt aliae quoque gentes. Verum ita distincte praecipit Deus quando et quomodo retalianda sit iniuria, ut lex minime obnoxia sit frigidis cavillis, quibus legem duodecim tabularum exagitat apud Gellium Phavorinus. Et certe nimis obscure decemviri: Si membrum fregeris meum, ex pacto talio esto. Deus autem non ante iubet oculum pro oculo erui, vel dentem excuti pro dente, quam exposuit: Si quis sciens et volens plagam intulerit: ita fortuitos ictus non vocat in iudicium, sed tantum conceptum scelus. Frustra autem obiicitur, vix ad aequilibrium frangi posse membra ex diversis corporibus: quia alio non tendit Dei consilium quam ut poenae rigore territi, a laesione abstineant: adeoque haec coniunctim posita sunt: Qui hominem occiderit, moriatur, et qui partem vitae abstulerit, privetur similiter. Atque eodem spectat comparatio, iacturam animalis percussi rependi posse, si vero percussus fuerit homo, nullum in pecunia esse iustum compensationis pretium.

22. *Iudicium unum.* Ne populus Israel pro solita superbia solum genus Abrahae sacrosanctum esse putaret, lex ad exteros quoque extenditur. Atque ita ostendit Deus societatem totius humani generis sibi curae esse, ut etiam alienissimos nolit expositos esse improborum libidini. Aliis in rebus privilegio seorsum cavit electo populo, nunc vero, quia sine exceptione cunctos mortales creavit ad imaginem suam, ideo in fidem tutelamque suam recipit, ne quis impune illis noceat.

Exod. 21, 12. *Qui percusserit virum.* Hic locus singulas partes (ut dixi) clarius explicat, ac primo discernit inter voluntarium et fortuitum homicidium, quia si cui lapis vel securis per incogitantiam exciderit, ac obvium quempiam feriat, mortale crimen censeri non vult. Atque in hunc usum datae sunt urbes refugii, quarum nunc breviter facta fuit mentio: et de quarum iure mox copiose dicendum erit, ubi etiam ratio discernendi inter fraudem et ignorantiam tradetur. Notandum vero est homicidium fortuitum (ut vulgo nominant) Mosen pronunciare non casu vel fortuna accidere, sed Dei consilio: ac si ad mortem eum qui interficitur manu duceret. Quocunque ergo interitus genere abripiantur homines, certum est nonnisi Dei arbitrio vivere et mori. Et certe quum ne passerculus quidem in terram nisi ipso volente cadat (Matt. 10, 19), valde absurdum esset homines ad imaginem eius creatos, temere prostitui ad caecos impetus fortunae. Quare statuendum est, quod etiam alibi scriptura docet, finitas esse singulis vivendi metas: cui sententiae respondet quod alibi dicitur: Tu facis redire hominem, et dicis: Revertimini filii hominum (Psalm. 90, 3). Verum quidem est fortuitum nobis videri cuius non apparet causa vel necessitas: et inde contingentia vocari quae secundum naturam aliter habere possunt. Atqui interea tenendum est, quae in utramque partem alioqui flexibilia sunt, arcano Dei consilio gubernari, ut nihil nisi eius gubernatione et decreto fiat. Hoc modo non imaginamur fatum

quale Stoici finxerunt: quia aliud est, quae per se inclinant in varios et dubios eventus dirigi manu Dei quocunque voluerit, aliud vero, necessitatem dominari ex perpetuo causarum complexu, idque Deo connivente. Imo nihil magis diversum est quam Deum trahi et rapi fatali motu, et omnia prout visum est temperare. Altius hic cum Iudaeis philosophari nihil attinet, non alios obiici ad mortem nisi in quibus Deus occasionem reperit. Certum quidem est Deo semper constare optimam consilii sui rationem: sed inde perperam eliciunt noxa aliqua esse implicitos qui Deo duce ad mortem occurrunt. Nec vero si Deus hominem innoxium tollat e medio, fas est obstrepere, ac si nulla eius esset iustitia, quia nobis abscondita est, atque etiam incomprehensibilis.

14. *Sin vero insultando se extulerit.* Diversis modis rem unam exprimit: etsi enim superbire et insidiari longe differunt, utrumque tamen Moses ad caedem voluntariam accommodat: quia per insidias intelligit pravum nocendi affectum: superbiendi autem voce denotat violentum insultum, ubi se odio quis in alium petulanter effert. Et certe truculentia et vis, et quaelibet saevitia superba est, quia nisi quis fratrem suum despiceret, non hostiliter aggrederetur. Iam ne caedibus dando veniam terram polluant, iubet Deus ab altari quoque suo avelli homicidas: quibus verbis significat tam divino quam humano auxilio esse indignos. Nam etsi altaris sanctitas ad eos qui per imprudentiam vel errorem deliquerant protegendos asylum esse potuit, scelerum tamen impunitas inde male captata esset: quia hoc modo conversum fuisset sanctuarium in speluncam latronum, et foedae profanationi subiecta fuisset religio. Quamvis ergo scelerati altare amplexi opem Dei implorent, iubet lex eos inde ad poenam rapi, quia indignum sit sacro Dei nomine ad peccandi licentiam abuti. Unde apparet quam stulte olim templa ornari putarint, quum asyla fierent fovendis maleficiis. Sumptum id quidem fuit ex recepto gentium more, sed fatua aemulatione, quum Deum idolis in adulterino cultu miscerent: quanquam idola sua castius et purius gentiles in hac parte quam Christiani Deum coluerunt. Impios enim et sacrilegos et impuros a iure asyli arcebant, ut ne Persi quidem regi Macedonum latebra in templo Samothracum tuta fuerit. Vox profani hominis refertur apud Livium: Quum omnis praefatio sacrorum eos quibus non sunt purae manus sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis corpore sinetis? Pudeat ergo nos venerationis praetextu templa polluere.

18. *Quod si rixati.* Hic verberibus et plagis statuitur levis poena, et quae irritamentum petulantiae improbis esse potuit. Quum duodecim tabulae iniustam pulsationem vigintiquinque assibus mulctarent, repertus est Lucius quidam Neratius, qui lusum ex protervia faciens, colaphos obviis quibuscunque infligere non dubitabat, mox iubebat asses numerari a servo: ut tandem satius visum fuerit legem obsolescere quam esse ludibrio. Idem apud Iudaeos facile contingere potuit, ubi qui proximum plagis afflixerat ut in lecto decumberet, tantum solvebat quod miser impenderat corpori suo curando. Quis enim hac mercede non libenter se oblectet prosternendis inimicis, ut eos iacentes in lecto alat? Sed tenenda est Christi sententia, quoniam praefracto erant ingenio Iudaei, multa illis propter duritiem concessa esse, in quibus numeranda est haec indulgentia (Matt. 19, 7 et par.). Quanquam videtur remissius egisse Deus cum eo qui percusserat, ut alterum castigaret qui viribus debilior temere descenderat in certamen: ambo enim pariter ob vim iniuste illatam puniendi. Aequa igitur utrique fieri videtur remissio, dum percusso privata tantum iactura pensatur. Quod autem leges politicas Deus ad solidam perfectionem non exegit, hac facilitate coarguere voluit populi contumaciam, quae ne moderato quidem iuri parere sustinuit. Quoties ergo videtur Deus nimis clementer et lente ignoscere, veniat nobis in mentem, ipsum deflexisse ab optima regula, quia negotium erat cum indomabili populo.

20. *Quin percusserit servum.* Quamvis secundum ordinem politicum longe differant servi a liberis: Deus tamen ut ostendat caram et pretiosam sibi esse hominum vitam, personas in caede non respicit: sed perinde ulciscitur servi mortem atque hominis liberi, si quidem repente ex vulnere perierit. Et sane dominis concedere potestatem vitae et necis, immanis fuit barbaries apud Romanos et alias gentes: et sanctiore vinculo inter se coniuncti sunt homines quam ut domino liceat miserum mancipium impune interficere. Neque enim alii sic praesunt aliis ut tyrannidem vel latrocinium exerceant, nec ulla ratio patitur ut privatus quisquam ius gladii sibi arripiat. Et quamvis legibus romanis non fuerit (ut par erat) cohibita iniusta crudelitas, confessi tamen sunt utendum servis esse ut mercenariis. Verum quae mox sequitur exceptio videtur non satis congruere, quia si servus paulatim mortuus fuerit, caedis poena remittitur: atqui saepe praestaret uno vulnere statim concidere quam diuturno languore confici. Continget servum verberibus ita conteri et affligi, ut aliquanto post intereat: hic certe deterior est heri saevitia quam si iracundiae fervore ad caedem impulsus esset. Quare videtur ius nimis inaequale statui: sed notandum est, caedem eorum servorum qui ex plagis decubuerant, non fuisse impunitam. Unde colligitur saevis et truculentis dominis minime liberum fuisse atrociter vulnerare servos: idque diserte sonant verba,

quia non aliter poena eximitur qui percussit, quam si ita sibi moderatus sit ut non appareat crudelitatis indicium. Nam servos per diem unum vel duos dies stare tantundem valet ac vigere omnibus integris membris: quod si inflictum esset vulnus, aut appareret ulla mutilatio, caedis reus erat percussor. Non absolvitur ergo nisi qui servum castigare duntaxat voluit: ubi autem nulla apparet laesio, probabile est non fuisse occidendi consilium. Itaque lex quae sanguinarios impetus compescit, fraenum homicidiis minime laxat. Ratio quae additur, ad privatam iacturam restringi debet: quia nunquam hoc praetextu absolveretur homicida, quod pecunia servum emerit, quum vita hominis pretio aestimari nequeat.

22. *Quum autem rixati fuerint.* Locus hic primo intuitu ambiguus est, quia si mors intelligitur tantum mulieris gravidae, foetum exstinguere capitale non fuisset: quod magna absurditate non caret. Foetus enim utero matris inclusus iam homo est: vita autem privari, cuius usuram nondum percepit, fere prodigiosum est. Quod si hominem domi suae occidi quam in agro videtur indignius, quoniam sua cuique domus tutissimum est receptaculum: multo atrocius censeri debet foetum qui nondum in lucem editus est in utero necari. His rationibus adducor, ut non dubitem ad foetum quoque extendi non minus quam ad matrem, id quod dicitur: Si mors consequuta sit. Adde quod minime consentaneum esset patrem filii sui vel filiae vitam pretio vendere. Quare hic (meo iudicio) legis sensus est, crimen esse morte dignum non solum ubi mulier ex abortu periit, sed etiam si infans fuerit occisus: sive sit abortivus, sive paulo post ex vulnere moriatur. Caeterum quia fieri non potest quin matrem et liberos debilitet immaturus partus, marito permittitur mulctam exigere apud iudices, quae eorum arbitrio in solatium et damni levationem pendatur. Etsi enim non aliud quam pecuniam apud iudices repraesentari iubet Deus: eos tamen aestimatores et arbitros praeficit, si forte maritus modum excedat. Quod autem hoc loco legem talionis repetit, inde perspicimus, iusta proportione habita, eandem esse vindictae rationem in dente vel oculo et in ipsa vita, ut aequa respondeat maleficii compensatio. Ergo ad singulas partes merito transfertur, ut qui fratri suo oculum eruit, vel manum abscidit, vel crus fregit, oculum vel manum vel crus perdat. In summa, ad omnem vim cohibendam merces rependitur pro modo maleficii. Porro quamvis de sontibus poenam Deus exigi velit, non tamen si quis laesus fuerit, vindictam appetere debet: neque enim secum pugnat Deus, qui toties filios suos hortatur non modo ad iniurias patienter ferendas, sed etiam beneficiis vincendas. Ad poenam trahendus est homicida, vel qui membrum fratris sui mutilavit: atqui non ideo protinus licet, si vim iniustam passus fueris, iracundiae vel odio indulgere, ut par pari referas. Quoniam hic error apud Iudaeos invaluerat, eum refellit Christus (Matt. 5, 38), ac docet, poenam quae publice statuitur adversus noxios, non servire privatae cuiusque libidini, ut qui offensus est, ad retaliandum prosiliat. Nec sane ad eos diriguntur verba quae inflamment vel incitent ulciscendi affectum, sed poenae metu compescitur omnis violentia.

26. *Quum autem percusserit oculum.* Quum apud Deum non sit servus nec liber, certe est perinde peccare qui servum percutit ac si libero homini manum inferret. Verum quoad ius forense et humana iudicia distinctio ponitur, praesertim si quis proprio servo vulnus inflixerit. Neque enim hic exigitur dens pro dente, oculus pro oculo, sed dominium quo male abusus est, aufertur domino: servo autem vel ancillae in solatium laesionis datur libertas, quae propemodum dimidium est vitae. Ita servi quidem sui comparatione mitius tractatur dominus, dum ita laxatur poenae severitas: servo autem pro luxatione vel fractura rependitur quod magis optabile est, ut manumissus et sui iuris factus, non subiaceat alienae saevitiae.

28. *Si cornu petierit.* Iam ad bruta animalia usque descendit Moses, ut si quem violaverint, eorum poena magis ac magis deterreantur homines a sanguine fundendo. Ergo si bos cornupeta hominem occiderit, lapidari iubet, et cadaver eius proiici tanquam abominabile. Quod hanc legem exagitant nasuti homines, ac si puerile esset morte mulctare miserum animal, cuius nullum est crimen, non longa refutatione indiget haec petulantia. Sicut enim creati sunt boves in gratiam hominum, ita non mirum est tam mortem eorum quam vitam publicae utilitati addici. Iam vero si alatur bos homicida, tali spectaculo haud dubie ad feritatem obdurescent homines: carnem vero eius comedere, tantundem fere esset ac vorare humanam carnem. Non potuit ergo melius compesci hominum crudelitas, ut a mutuis caedibus abhorrerent, quam si mors hominis ita vindicaretur. In secunda parte longius progreditur Deus, ipsum bovis dominum morti addicens si admonitus fuerit, ut caveret. Talis enim denunciatio praetextum ignorantiae tollit: nec dura videri poena debet in crassum neglectum: quia liberum exitum noxiis bestiis dare, tantundem valet atque armare in hominum necem. Qui vero sciens et volens fratris sui vitam obiicit periculo, caedis autor merito censetur. Quae tandem additur correctio speciem absurditatis primo intuitu continet, quia lege vetitum fuit pretio transigere cum homicida. Sed quia differt crimen a delicto, quamvis nefas fuerit poenam ex pacto homicidis remittere, licuit tamen iudicibus eam mitigare causa

quale Stoici finxerunt: quia aliud est, quae per se inclinant in varios et dubios eventus dirigi manu Dei quocunque voluerit, aliud vero, necessitatem dominari ex perpetuo causarum complexu, idque Deo connivente. Imo nihil magis diversum est quam Deum trahi et rapi fatali motu, et omnia prout visum est temperare. Altius hic cum Iudaeis philosophari nihil attinet, non alios obiici ad mortem nisi in quibus Deus occasionem reperit. Certum quidem est Deo semper constare optimam consilii sui rationem: sed inde perperam eliciunt noxa aliqua esse implicitos qui Deo duce ad mortem occurrunt. Nec vero si Deus hominem innoxium tollat e medio, fas est obstrepere, ac si nulla eius esset iustitia, quia nobis abscondita est, atque etiam incomprehensibilis.

14. *Sin vero insultando se extulerit.*. Diversis modis rem unam exprimit: etsi enim superbire et insidiari longe differunt, utrumque tamen Moses ad caedem voluntariam accommodat: quia per insidias intelligit pravum nocendi affectum: superbiendi autem voce denotat violentum insultum, ubi se odio quis in alium petulanter effert. Et certe truculentia et vis, et quaelibet saevitia superba est, quia nisi quis fratrem suum despiceret, non hostiliter aggrederetur. Iam ne caedibus dando veniam terram polluant, iubet Deus ab altari quoque suo avelli homicidas: quibus verbis significat tam divino quam humano auxilio esse indignos. Nam etsi altaris sanctitas ad eos qui per imprudentiam vel errorem deliquerant protegendos asylum esse potuit, scelerum tamen impunitas inde male captata esset: quia hoc modo conversum fuisset sanctuarium in speluncam latronum, et foedae profanationi subiecta fuisset religio. Quamvis ergo scelerati altare amplexi opem Dei implorent, iubet lex eos inde ad poenam rapi, quia indignum sit sacro Dei nomine ad peccandi licentiam abuti. Unde apparet quam stulte olim templa ornari putarint, quum asyla fierent fovendis maleficiis. Sumptum id quidem fuit ex recepto gentium more, sed fatua aemulatione, quum Deum idolis in adulterino cultu miscerent: quanquam idola sua castius et purius gentiles in hac parte quam Christiani Deum coluerunt. Impios enim et sacrilegos et impuros a iure asyli arcebant, ut ne Persi quidem regi Macedonum latebra in templo Samothracum tuta fuerit. Vox profani hominis refertur apud Livium: Quum omnis praefatio sacrorum eos quibus non sunt purae manus sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis corpore sinetis? Pudeat ergo nos venerationis praetextu templa polluere.

18. *Quod si rixati.* Hic verberibus et plagis statuitur levis poena, et quae irritamentum petulantiae improbis esse potuit. Quum duodecim tabulae iniustam pulsationem vigintiquinque assibus mulctarent, repertus est Lucius quidam Neratius, qui lusum ex protervia faciens, colaphos obviis quibuscunque infligere non dubitabat, mox iubebat asses numerari a servo: ut tandem satius visum fuerit legem obsolescere quam esse ludibrio. Idem apud Iudaeos facile contingere potuit, ubi qui proximum plagis afflixerat ut in lecto decumberet, tantum solvebat quod miser impenderat corpori suo curando. Quis enim hac mercede non libenter se oblectet prosternendis inimicis, ut eos iacentes in lecto alat? Sed tenenda est Christi sententia, quoniam praefracto erant ingenio Iudaei, multa illis propter duritiem concessa esse, in quibus numeranda est haec indulgentia (Matt. 19, 7 et par.). Quanquam videtur remissius egisse Deus cum eo qui percusserat, ut alterum castigaret qui viribus debilior temere descenderat in certamen: ambo enim pariter ob vim iniuste illatam puniendi. Aequa igitur utrique fieri videtur remissio, dum percusso privata tantum iactura pensatur. Quod autem leges politicas Deus ad solidam perfectionem non exegit, hac facilitate coarguere voluit populi contumaciam, quae ne moderato quidem iuri parere sustinuit. Quoties ergo videtur Deus nimis clementer et lente ignoscere, veniat nobis in mentem, ipsum deflexisse ab optima regula, quia negotium erat cum indomabili populo.

20. *Quin percusserit servum.* Quamvis secundum ordinem politicum longe differant servi a liberis: Deus tamen ut ostendat caram et pretiosam sibi esse hominum vitam, personas in caede non respicit: sed perinde ulciscitur servi mortem atque hominis liberi, si quidem repente ex vulnere perierit. Et sane dominis concedere potestatem vitae et necis, immanis fuit barbaries apud Romanos et alias gentes: et sanctiore vinculo inter se coniuncti sunt homines quam ut domino liceat miserum mancipium impune interficere. Neque enim alii sic praesunt aliis ut tyrannidem vel latrocinium exerceant, nec ulla ratio patitur ut privatus quisquam ius gladii sibi arripiat. Et quamvis legibus romanis non fuerit (ut par erat) cohibita iniusta crudelitas, confessi tamen sunt utendum servis esse ut mercenariis. Verum quae mox sequitur exceptio videtur non satis congruere, quia si servus paulatim mortuus fuerit, caedis poena remittitur: atqui saepe praestaret uno vulnere statim concidere quam diuturno languore confici. Continget servum verberibus ita conteri et affligi, ut aliquanto post intereat: hic certe deterior est heri saevitia quam si iracundiae fervore ad caedem impulsus esset. Quare videtur ius nimis inaequale statui: sed notandum est, caedem eorum servorum qui ex plagis decubuerant, non fuisse impunitam. Unde colligitur saevis et truculentis dominis minime liberum fuisse atrociter vulnerare servos: idque diserte sonant verba,

quia non aliter poena eximitur qui percussit, quam si ita sibi moderatus sit ut non appareat crudelitatis indicium. Nam servos per diem unum vel duos dies stare tantundem valet ac vigere omnibus integris membris: quod si inflictum esset vulnus, aut appareret ulla mutilatio, caedis reus erat percussor. Non absolvitur ergo nisi qui servum castigare duntaxat voluit: ubi autem nulla apparet laesio, probabile est non fuisse occidendi consilium. Itaque lex quae sanguinarios impetus compescit, fraenum homicidiis minime laxat. Ratio quae additur, ad privatam iacturam restringi debet: quia nunquam hoc praetextu absolveretur homicida, quod pecunia servum emerit, quum vita hominis pretio aestimari nequeat.

22. *Quum autem rixati fuerint.* Locus hic primo intuitu ambiguus est, quia si mors intelligitur tantum mulieris gravidae, foetum exstinguere capitale non fuisset: quod magna absurditate non caret. Foetus enim utero matris inclusus iam homo est: vita autem privari, cuius usuram nondum percepit, fere prodigiosum est. Quod si hominem domi suae occidi quam in agro videtur indignius, quoniam sua cuique domus tutissimum est receptaculum: multo atrocius censeri debet foetum qui nondum in lucem editus est in utero necari. His rationibus adducor, ut non dubitem ad foetum quoque extendi non minus quam ad matrem, id quod dicitur: Si mors consequuta sit. Adde quod minime consentaneum esset patrem filii sui vel filiae vitam pretio vendere. Quare hic (meo iudicio) legis sensus est, crimen esse morte dignum non solum ubi mulier ex abortu periit, sed etiam si infans fuerit occisus: sive sit abortivus, sive paulo post ex vulnere moriatur. Caeterum quia fieri non potest quin matrem et liberos debilitet immaturus partus, marito permittitur mulctam exigere apud iudices, quae eorum arbitrio in solatium et damni levationem pendatur. Etsi enim non aliud quam pecuniam apud iudices repraesentari iubet Deus: eos tamen aestimatores et arbitros praeficit, si forte maritus modum excedat. Quod autem hoc loco legem talionis repetit, inde perspicimus, iusta proportione habita, eandem esse vindictae rationem in dente vel oculo et in ipsa vita, ut aequa respondeat maleficii compensatio. Ergo ad singulas partes merito transfertur, ut qui fratri suo oculum eruit, vel manum abscidit, vel crus fregit, oculum vel manum vel crus perdat. In summa, ad omnem vim cohibendam merces rependitur pro modo maleficii. Porro quamvis de sontibus poenam Deus exigi velit, non tamen si quis laesus fuerit, vindictam appetere debet: neque enim secum pugnat Deus, qui toties filios suos hortatur non modo ad iniurias patienter ferendas, sed etiam beneficiis vincendas. Ad poenam trahendus est homicida, vel qui membrum fratris sui mutilavit: atqui non ideo protinus licet, si vim iniustam passus fueris, iracundiae vel odio indulgere, ut par pari referas. Quoniam hic error apud Iudaeos invaluerat, eum refellit Christus (Matt. 5, 38), ac docet, poenam quae publice statuitur adversus noxios, non servire privatae cuiusque libidini, ut qui offensus est, ad retaliandum prosiliat. Nec sane ad eos diriguntur verba quae inflamment vel incitent ulciscendi affectum, sed poenae metu compescitur omnis violentia.

26. *Quum autem percusserit oculum.* Quum apud Deum non sit servus nec liber, certe est perinde peccare qui servum percutit ac si libero homini manum inferret. Verum quoad ius forense et humana iudicia distinctio ponitur, praesertim si quis proprio servo vulnus inflixerit. Neque enim hic exigitur dens pro dente, oculus pro oculo, sed dominium quo male abusus est, aufertur domino: servo autem vel ancillae in solatium laesionis datur libertas, quae propemodum dimidium est vitae. Ita servi quidem sui comparatione mitius tractatur dominus, dum ita laxatur poenae severitas: servo autem pro luxatione vel fractura rependitur quod magis optabile est, ut manumissus et sui iuris factus, non subiaceat alienae saevitiae.

28. *Si cornu petierit.* Iam ad bruta animalia usque descendit Moses, ut si quem violaverint, eorum poena magis ac magis deterreantur homines a sanguine fundendo. Ergo si bos cornupeta hominem occiderit, lapidari iubet, et cadaver eius proiici tanquam abominabile. Quod hanc legem exagitant nasuti homines, ac si puerile esset morte mulctare miserum animal, cuius nullum est crimen, non longa refutatione indiget haec petulantia. Sicut enim creati sunt boves in gratiam hominum, ita non mirum est tam mortem eorum quam vitam publicae utilitati addici. Iam vero si alatur bos homicida, tali spectaculo haud dubie ad feritatem obdurescent homines: carnem vero eius comedere, tantundem fere esset ac vorare humanam carnem. Non potuit ergo melius compesci hominum crudelitas, ut a mutuis caedibus abhorrerent, quam si mors hominis ita vindicaretur. In secunda parte longius progreditur Deus, ipsum bovis dominum morti addicens si admonitus fuerit, ut caveret. Talis enim denunciatio praetextum ignorantiae tollit: nec dura videri poena debet in crassum neglectum: quia liberum exitum noxiis bestiis dare, tantundem valet atque armare in hominum necem. Qui vero sciens et volens fratris sui vitam obiicit periculo, caedis autor merito censetur. Quae tandem additur correctio speciem absurditatis primo intuitu continet, quia lege vetitum fuit pretio transigere cum homicida. Sed quia differt crimen a delicto, quamvis nefas fuerit poenam ex pacto homicidis remittere, licuit tamen iudicibus eam mitigare causa

cognita, si simplicitas vel incogitantia hominem excusaret. Haec itaque specialis est exceptio, quae iudicibus permittit distinguere noxarum species: nempe si compertum illis fuerit hominem non esse mortis reum, ut eius tamen negligentiam pecunia mulctent.

31. *Sive filium cornu petierit.* Quod ad aetatem quidam referunt, ac si filii et filiae nominarentur pueri et puellae, nescio an conveniat: neque tamen hanc sententiam reiicio. Quanquam videtur Moses amplificare legem, si bos petulcus herilem filium occiderit, ut pater ipse poenae subiaceat, qui non melius liberis suis prospexerit. Dubitari autem potuit, aequumne esset patrem iam orbitatis dolore confectum ad mortem trahere: verum ad exemplum pertinet, non impune cedere parentibus si eorum culpa filii vel filiae pereant.

32. *Si servum.* Quod iam minoris aestimatur servi occisi poena quam hominis liberi, ratione non caret. Quantum ad crimen caedis voluntariae, nullum fuit discrimen inter servos ac dominos: in delicto autem potuit aliquid de severitate remitti: praesertim quum bovis lapidatio ad detestationem caedis sufficeret. Optima ergo moderatione usus est Deus quum triginta siclis damnavit negligentiam domini: bovem vero in exemplum proposuit, cuius nece omnes commonefierent quantopere pretiosus sit Deo humanus sanguis.

EX DEUT. XVII.

6. *In ore duorum vel trium testium interficietur qui moriturus est, non interficietur in ore unius testis.*

EX DEUT. XIX.

15. *Non stabit testis unus contra quemquam in quacunque iniquitate, et in quocunque peccato quod peccaverit: in ore duorum testium vel in ore trium testium stabit verbum.*

Sicuti severitas in exigenda poena, ubi caedem factam esse constat, ostendit quanti aestimet Deus hominum vitam, ita eandem conservandi innoxii sanguinis curam declarat quae hic ponitur moderatio. Quia enim nimia crudelitas saepe iudicem impelleret ad insontes damnandos, huic malo remedium Deus adhibet, ubi crimen, nisi firmis testimoniis probatum, puniri vetat. Etsi vero legem hanc naturaliter insculpsit omnium cordibus, quo tamen sanctior esset observatio apud Israelitas, scribi voluit: quia nihil magis periculosum quam unius hominis linguae subiicere cuiusque vitam: ubi autem consensus duorum vel trium serio examinatur, ut plurimum deprehendi potest si qua latet falsitas. Ergo ne vel levibus coniecturis, vel parum idoneis delationibus, vel iniquis praeiudiciis temere quisquam damnetur, ac ita opprimatur innocentia, Deus se medium opponit, nec patitur quemquam durius tractari nisi probe convictum.

EX DEUT. XXII.

8. *Si aedificaveris domum novam, facies tabulatum per circuitum in tecto tuo: nec pones sanguinem in domo tua, si quispiam ceciderit ex eo.*

Hoc quoque praeceptum ad humanae vitae conservationem spectat. Scimus Iudaeis plana fuisse tecta, ut liberae illic essent ambulationes. Si claustra non fuissent opposita, lethalis fuisset lapsus: ita saepe domus omnes fuissent funestae. Iubet ergo Deus claustris vel cancellis vel aliis clausuris muniri circuitum, et quidem severa denunciatione interposita: domos enim sanguine contaminari pronunciat si quis ex tecto non clauso deciderit. Quod si sola incuria contractus fuit reatus, hinc apparet quantopere Deus abominetur deliberatam saevitiam. Et si unumquemque ita sollicitum esse oportuit de fratrum suorum vita, hinc apparet quantum nefas fuerit eos data opera hostiliter aggredi.

EX DEUT. XXIV.

7. *Si quis furatus fuerit animam e fratribus suis e filiis Israel, et vendiderit: morietur vir ille, et auferes malum e medio tui.*

Iam in plagiarios eadem quae in homicidas poena constituitur, et merito: nam ut misera erat servorum conditio, plus quam dimidium vitae fuit libertas. Hominem ergo privare tanto bono propemodum iugulare fuit. Adde quod non plagium modo hic damnatur, sed praeterea accessio crudelitatis et doli: si is qui furatus est hominem, simul vendiderit. Venditio autem vix fieri poterat in populo quin mox crimen detegeretur: nihil autem magis odiosum quam filios Dei alienari ab ecclesia, et addici profanis gentibus.

EX DEUT. XXI.

22. *Quum fuerit in aliquo peccatum ad iudicium mortis, et interficiendus fuerit, et suspenderis illum in ligno:* 23. *Non pernoctabit cadaver eius in ligno, sed sepeliendo sepelies eodem die: quia maledictio est Dei qui suspenditur, et non contaminabis terram tuam quam Iehova Deus tuus dat tibi in haereditatem.*

Finis huius praecepti est truculentiam et barbariem arcere ab electo populo, dum horror etiam iustae caedis incutitur. Et certe triste spectaculum est ac deforme, cadaver hominis in cruce suspensum: sepultura enim humano generi destinata est, tam in resurrectionis pignus ac symbolum, quam ut oculis vivorum parcatur, ne se rei tam foedae aspectu contaminent. Non agit hic Moses de quibuslibet, sed de sceleratis qui indigni sunt sepulcri honore: sed publica utilitas spectatur in ipsis sepeliendis, ne homines ad feritatem assuefiant, atque ita reddantur promptiores ad homicidia. Porro quo diligentius in hac parte sibi caveant, terram pollui denunciat si cadaver in cruce suspensum relinquitur: nempe quia talis immanitas terram dedecore foedat. Id autem minus fuit tolerabile in Iudaea, quam Deus haereditatem dederat electo populo, ut sancte et caste illic, reiecta omni profanatione, coleretur. Maledictio autem Dei vocatur suspensus, quia genus ipsum supplicii per se detestabile est. Non vetat quidem Deus crucifigi vel ad furcas suspendi sceleratos, quin potius hanc poenam subscriptione sua probat, tantum suo exemplo Israelitas hortatur, ut ab omni atrocitate abhorreant. Quamvis ergo poenam non improbet, se tamen abominari dicit in ligno suspensos, ut statim tollatur offensio: neque enim maledictos vocat, ac si desperata esset eorum salus, sed quia maledictionis nota est suspensio. Hunc vero locum Paulus (Gal. 3, 13) ad Christum accommodat, ut doceat pro nobis factum esse *κάθαρμα*, quo nos a legis maledictione solveret. Nam quum omnes rei sint transgressionis, atque ita maledictione implicitum sit totum humanum genus: non alia fuit liberationis ratio quam si se Christus in locum nostrum substitueret. Nec vero suae sententiae oblitus erat Deus dum filium suum unigenitum passus est crucifigi. Unde sequitur, vices nostras illum obiisse, ut a Deo benedicamur: sicuti pro nobis factus est peccatum ut in eo simus Dei iustitia (2. Cor. 5, 19).

EX DEUT. XXV.

1. *Si fuerit lis inter aliquos, et accesserint ad iudicium, et iudicaverint eos: iustificaverintque iustum, et impium condemnaverint:* 2. *Si quidem caedendus fuerit impius, tunc prosternet eum iudex, et caedere iubebit illum coram se secundum iniquitatem eius ad numerum.* 3. *Quadraginta plagis caedere iubebit illum, non addet: ne forte si addat caedere eum ultra plagis multis, vilescat frater tuus in oculis tuis.*

Quia hic praecipitur moderatio et humanitas, appendix est sexti mandati. Summa est, si quis verberibus caedendus sit in indicio, ne castigatio modum excedat. Agitur autem de poena quae apud iureconsultos vocatur modica correctio: quam moderatam esse convenit, ne flagellis laceratum corpus reddatur mutilum vel deforme. Quum ergo sontibus eousque pepercerit, ut fraenaret iustam severitatem, multo magis rationem haberi voluit sanguinis innoxii: et quum iudices prohibuerit a nimio rigore, multo minus toleranda erit intemperies privati hominis si vim fratri suo inferat. Sic autem cohibendus fuit fervor, quia saepe iudices alioqui non mali, in delicta non secus atque in scelera excandescunt. Aequalis [quidem non] praefigitur modus, [ut pariter omnes verberentur: tantum interdicitur], ne [ad summum] pro delicto ultra plagas quadraginta iudices infligere iubeant. Ita sensim verberati fuerunt sontes, non autem tumultuose, quum ictus numerare necesse esset, deinde in futurum tempus non ita laesi, quin omnibus membris integris vigerent. Huc pertinet quod iudices Deus spectatores constituit, qui sua gravitate omnem excessum temperent. Ratio adducitur, ne vilescat frater, quia ultra modum percussus fuerit. Quod duobus modis exponi potest: Ne dehonestetur corpus stigmatibus, et ita reddatur deforme: vel, Ne ignominia et dedecore in perpetuum notatus animum deiiciat. Scimus enim quam gravis sit et acerba insultandi petulantia. Tertius sensus quem afferunt quidam, nimis remotus est: Ne moriatur tanquam vile et abiectum animal: tantum enim consulit Deus misero homini ut castigatus fiat melior, non autem callum ex infamia contrahat. Porro ut semper Iudaei in rebus minutis pietatis studium ostentarunt, excogitata ab ipsis fuit puerilis cautio, quo sanctius legem hanc observarent. Religio enim illis fuit ad quadragesimum usque ictum progredi, sed unum detrahendo, inanem clementiae laudem captarunt, ac si plus saperent ipso Deo, vel eum mansuetudine vincerent. Eo semper amentiae labuntur homines, dum ex suo cerebro comminisci audent quod verbo Dei opponant. Haec superstitio iam invaluerat Pauli tempore, ut ex eius verbis colligitur, ubi refert se quinquies quadraginta plagis fuisse affectum, una minus (2. Cor. 11, 24).

EX DEUT. XXIV.

16. *Non interficientur patres pro filiis, neque filii interficientur pro patribus: quisque in peccato suo morietur.*

Hic quoque ostendit quantam humanae vitae curam gerat, ne promiscue grassentur caedes, ubi vetat filios involvi cum parentibus. Lex autem minime supervacua fuit, quia saepe ob unius crimen in totam sobolem fuit saevitum. Ergo non frustra se opponit Deus ad innoxios protegendos, nec permittit longius poenam vagari, quam ubi crimen residet. Et certe communis sensus naturae dictat, barbari furoris esse in patrum odium filios interfici. Si quis obiiciat quod ante vidimus, Deum ultorem esse in tres et quatuor aetates: solutio in promptu est, eum sibi esse legem, nec caeco impetu ruere in exercenda vindicta, ut insontes reprobis commisceat: sed ita reiicere iniquitatem patrum in filios, ut summum rigorem optima aequitate temperet. Quin etiam non ita se necessitate obstrinxit quin liberum esset, ubi ita placuit, a lege discedere: quemadmodum totam sobolem Chanaan radicitus tolli iussit, quia non aliter purgata esset terra quam inquinamentis illis exterminatis: et quum reprobi essent omnes, iusto exitio non minus filii quam patres fuerunt destinati. Imo legimus (2. Sam. 21, 2), post mortem Saulis, expiatum fuisse eius scelus filiorum nece: hoc tamen privilegio non abrogavit summus legislator quod mandaverat: sed admirabili suo consilio locum dari voluit, ex quo fonte prodeunt omnes leges.

EX DEUT. XX.

10. *Quum accesseris ad urbem ut expugnes illam, clamabis ad eam pacem.* 11. *Et erit, si pacem responderit tibi, et aperuit tibi, universus populus qui fuerit repertus in ea, erunt tibi tributarii, servientque tibi.* 12. *Si vero pacem non fecerit tecum, sed faciat tecum praelium, obsederisque eam:* 13. *Et dederit eam Iehova Deus tuus in manu tua: tunc percuties omnem masculum eius acie gladii.* 14. *Tantum mulieres, et parvulos, et animalia, et quidquid fuerit in urbe, omnia spolia eius praedaberis tibi: comedesque spolia inimicorum tuorum, quos dederit tibi Iehova Deus tuus.* 15. *Sic facies omnibus urbibus longinquis a te valde, quae non sunt de urbibus gentium istarum.* 16. *Tantum de urbibus populorum istorum quos Iehova Deus tuus dat tibi in haereditatem, non vivificabis ullam animam:* 17. *Sed perdendo perdes eos, Hitthaeum, Amorrhaeum, Chananaeum et Perisaeum, Hivaeum, et Iebusaeum: quemadmodum praecepit tibi Iehova Deus tuus.* 18. *Ne doceant vos facere secundum abominationes suas quas faciunt diis suis: et peccetis in Iehovam Deum vestrum.*

10. *Quum accesseris ad urbem ut expugnes.* Iam in legitimis quoque bellis docet esse obviam eundum saevitiae, et a caedibus abstinendum quoad fieri poterit. Iubet ergo, quum ad oppugnandam urbem venerint, ante omnia hortari cives ut deditione facta pacem redimant: quod si factum fuerit, incolumes servare, et imposito tributo esse contentos. Haec aequitas naturaliter indita fuit cunctis gentibus: inde creati feciales, nec iustum bellum duxerunt absque solenni indictione. Denique quum nomen hostis olim significaret peregrinum, eius lenitate tristitiam rei mitigarunt Romani. Hac ratione censuerunt hosti quoque praestandam esse fidem. Ac vox illa Ciceronis laude digna: Non suscipienda esse bella, nisi ut sine iniuria in pace vivatur. Quod si Deus in medio armorum strepitu vult suos humanitatis esse memores, hinc colligitur quantopere ei displiceant homicidia. Quos autoritate sua armavit, vult tamen ad clementiam esse propensos, eorumque impetum cohibet, ne gladios suo permissu datos sanguine imbuant. Quomodo igitur homini privato licebit gladium arripere in fratris necem? Nunc tenemus finem huius doctrinae, et quam apte ad sextum praeceptum quadret.

12. *Si vero pacem non fecerit.* Videtur haec nimis licentiosa concessio. Nam quum profani scriptores victis quoque consulere iubeant, et eos qui armis positis ad imperatoris fidem confugiunt, recipiendos esse doceant, quamvis murum aries percusserit: quomodo Deus misericordiarum pater promiscuis caedibus indulget? Verum iam ante dictum fuit plus Iudaeis pro cordis duritie fuisse concessum quam iure ipsis liceret. Certe pro caritatis regula etiam armatis hominibus parcendum fuit, si abiecto gladio veniam peterent: saltem non alios interficere licuit quam qui deprehensi essent cum armis et gladio. Ergo longe a perfectione distat occidendi permissio quae ad omnes mares extenditur. Verum quia vix pro sua ferocia passi fuissent Iudaei sibi praescribi quod aequissimum erat, saltem fraenare eorum intemperantiam voluit Deus, ne ad extremum crudelitatis descenderent. Agitur de urbibus vi captis, ubi interdum contingit nullum haberi sexus vel aetatis discrimen: haec immanitas compescitur, ne mulieres vel pueros trucident.

15. *Sic facies omnibus.* Inseritur exceptio, ne communi belli iure utantur Iudaei contra gentes Chanaan de quibus abolendis lata erat sententia. Neque enim ad bellum modo cum ipsis gerendum armavit Deus Iudaeos, sed ministros et exsequutores suae vindictae constituit. Alibi autem exposuimus iustas fuisse causas cur radicitus evelli totum illud

semen ac memoriam deleri vellet: praesertim quum eas iam quadringentis annis tolerasset, prava autem obstinatione in deterius ruere non cessassent: unde apparuit perdita earum impietas. Iterum tamen repetitur quod alibi dictum fuit, quoniam consecrata erat ad Dei cultum terra illa, exterminandos esse incolas, qui nihil aliud quam eam contaminare poterant: adeoque id utile esse Israelitis, ne eorum decipulis trahantur ad falsas superstitiones.

EX DEUT. XXIII.

15 [1]). *Non trades servum domino suo, qui se ad te eripuerit a domino suo.* 16. *Tecum habitabit in medio tui, in loco quem elegerit in una urbium tuarum prout placuerit, nec vim inferes ei.*

Quanquam haec lex ad humanitatem et clementiam spectat, tamen videtur non omni ex parte iusta esse. Quum tyrannica superbia multi domini servos premerent, coegit eorum improbitas miseros aliquo solatio levare. Itaque servis permissum fuit in templa confugere: Romae etiam ad statuas Caesarum, ut si probarent se indigne et inhumaniter fuisse tractatos, causa cognita, venditi ad mansuetiores dominos transirent. Hoc quidem tolerabile fuit, sed perfugium quod hic servis datur, dominos iure suo fraudat: quoniam causa incognita libertas illis datur habitandi in terra Chanaan: hoc etiam modo violatur ius gentium, dum terra quibuslibet fugitivis patet. Ad haec quum servi perfugi, ut plurimum nequam sint et scelerati, quicunque locus erit eorum receptaculum, multis inquinamentis replebitur. Quod existimant quidam privilegio exemptos esse servos a priore iugo, ut se in obsequium Deo traderent, atque ita propagaretur vera religio: nescio an satis firmum sit. Certe consentaneum non videtur, in ecclesiam receptas fuisse quaslibet sordes ac quisquilias: quia tandem omne genus corruptelis fuisset referta: deinde si quid sceleris alibi fuisset admissum, Dei nomine obtegi minime decebat. Quid enim si fur, si adulter, vel homicida, relicto domino asylum in terra sancta quaesiisset? tales hospitio recipere ac tueri quid aliud fuisset quam eversis legibus et iudiciis foedam barbariem statuere? Ego itaque plus intelligendum esse arbitror quam sonent verba, nempe, si compertum esset servos fugisse non maleficii causa, sed ob nimiam dominorum truculentiam, ne populus eos abigeret: quod tantundem erat atque ad lanienam proiicere. Et certe iudicium interpositum fuisse colligitur, quia datur electio, in quacunque urbe habitare velint. Valuit quidem ad favorem religio, quia nomen vero Deo eos dare oportuit, et in eius cultum initiari qui sedem et domicilium petebant in terra Chanaan: nunquam tamen passus est Deus, impios sine delectu recipiendo, nomen suum profanari. Quare (ut initio attigi) humanitatem populo suo Deus commendat, ne profugos servos dedendo, alieno furori subscribat: quia domini futuri erant carnifices. Et quum populum a vi inferenda prohibet, subindicat his verbis tantum se miseris consulere, ut liberum sit suam innocentiam defendere in iudicio: unde hanc legem in appendices sexti praecepti referre visum est.

1) Hebr. 16. 17.

EX DEUT. XXII.

6. *Quum occurrerit tibi nidus avium in via in quavis arbore, aut super terram ubi pulli vel ova, et mater cubet super pullos aut super ova: non accipies matrem cum filiis: sed dimittendo dimittes matrem, pullos autem capies tibi, ut bene sit tibi et producas dies.*

Hoc praecepto quum instituerit Deus populum suum ad mansuetudinem, appendix est sexti praecepti. Fuit quidem sobolis habita ratio, deinde aves quamdiu incubant, ut sunt macie confectae, certum est non esse salubrem cibum: dubium tamen non est quin propositum fuerit Deo suos ad humanitatem fovendam assuefacere. Nam si qua misericordiae gutta in nobis viget, nunquam in mentem veniet miseram aviculam interficere, quae vel generandi studio, vel pullorum amore sic flagrat, ut vitae suae oblita, periclitari malit quam ova aut pullos deserere. Quare non dubium est quin hoc rudimento populum suum Deus a feritate et saevitia prohibuerit.

EX EXODI XXIII.

5. *Si videris asinum inimici tui decumbentem sub onere suo, et cessaveris ab auxiliando ei, auxiliando auxiliaberis cum eo.*

EX DEUT. XXII.

4. *Non videbis asinum fratris tui aut boves eius iacentes in via, et abscondes te ab eis: erigendo eriges cum eo.*

Hac etiam lege suos hortatur Deus ad praestanda humanitatis officia brutis animalibus, quo magis sint ad fratres suos iuvandos propensi. Memoria enim tenendum est quod docet Paulus (1. Cor. 9, 9), ubi Deus boves sublevari iubet, non tam de ipsis esse sollicitum quam hominum curam suscipere. Alibi praecipit Deus ut qui viderit fratris sui bovem vel asinum, adeoque inimici, errantem, colligat et restituat domino: verum hic alius finis propositus fuit, ut testentur fideles se inimicis ignoscere, dum erga eorum animalia sunt misericordes. Si dictum simpliciter fuisset, iuvandos esse inimicos, et beneficiis certandum esse ad vincendam eorum malitiam, satis damnata fuisset omnis crudelitas, atqui ubi Deus non modo inimicis succurrere iubet, errantibus viam commonstrare, et lapsos colligere, sed his omnibus beneficiis vult animalia prosequi: magis emphatice et vehementius exprimit quantopere ab odio et vindictae libidine remotos esse velit filios suos. Quod ergo postea discipulis suis praecepit Christus, videbimus in lege fuisse traditum ut inimicos nostros diligamus (Matth. 5, 44). Neque enim hic tantum compescitur ulciscendi affectus, sed plus aliquid exigitur, ut vincant fideles beneficiis hostium suorum malitiam: reducere enim bovem vel asinum erraticum, testimonium est sinceri amoris. Verum his duobus locis magis ad vivum repraesentatur quod ad sextum praeceptum pertinet, ut auxilium feratur bovi vel asino laboranti sub onere. In verbis non consentiunt interpretes, a quibus longe discessit Hieronymus. Alii autem qui fidelius reddere cupiunt, interrogative legunt: Si videris animal sub onere suo, etc. an cessabis auxiliari? Videtur alter sensus aptior: Si videris et cessaveris auxiliari, auxiliare tamen. Occupat autem hoc modo Deus, si forte quispiam primo odio impulsus gravetur inimicum suum iuvare, et tunc perversum affectum corrigere iubet. Sensus ergo erit, si aspectus inimici te moretur quominus animal eius subleves, deposita malevolentia cum eo te coniunge, ut simul humani et misericordes sitis erga miserum animal. Sic data fuit materia inimicis ut se mutuo reconciliarent. [Alia est difficultas in verbo עזב, quod etsi relinquere significat, hic tamen meo iudicio sumitur pro auxiliari vel opem ferre: quanquam non male vertitur, dimittere vel solvere: nisi forte magis libeat, roborare: quo sensu interdum reperitur].

EX NUMER. XXXV.

9. *Et loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 10. *Alloquere filios Israel, et dicas eis: Quum transieritis Iordanem in terra Chanaan,* 11. *Constituetis vobis urbes: urbes autem refugii erunt vobis, quo fugiet homicida qui percusserit aliquem per errorem.* 12. *Et erunt vobis urbes illae in refugium a propinquo, et non morietur homicida, donec steterit ipse ante congregationem ad iudicium.* 13. *Et ex urbibus quas dabitis, sex urbes refugii erunt vobis.* 14. *Tres urbes dabitis citra Iordanem, et tres urbes dabitis in terra Chanaan: urbes refugii erunt.* 15. *Filiis Israel, et peregrino, et incolae in medio eorum, erunt sex urbes illae in refugium, ut fugiat illuc quicunque percusserit aliquem per errorem.* 16. *Si instrumento ferreo percusserit eum, et mortuus fuerit, homicida est: moriendo morietur homicida.* 17. *Si vero lapide manus, quo moriatur, percusserit eum, et mortuus fuerit, homicida est: moriendo morietur homicida.* 18. *Aut instrumento ligneo manus, quo moriatur, percusserit eum, et moriatur, homicida est: moriendo morietur homicida.* 19. *Propinquus sanguinis ipse interficiet homicidam: quum ipse obviaverit illi, ipse interficiet eum.* 20. *Si per odium, inquam, impulerit eum, aut proiecerit aliquid in eum per insidias, et mortuus fuerit,* 21. *Aut per inimicitiam percusserit eum manu sua, mortuusque fuerit: moriendo morietur percussor, homicida est: propinquus sanguinis interficiet homicidam quum ipse occurrerit illi.* 22. *Si autem casu absque inimicitiis impulerit eum, vel proiecerit in eum quodvis instrumentum absque insidiis,* 23. *Aut quemvis lapidem quo moriatur quem prius non videbat, et cadere fecerit super illum mortuusque fuerit, et ipse non erat ei inimicus, neque quaerebat malum eius,* 24. *Tunc iudicabit congregatio inter percussorem et propinquum sanguinis secundum iudicia ista.* 25. *Et eruet congregatio homicidam e manu propinqui sanguinis, et reverti faciet eum congregatio ad urbem refugii sui ad quam confugerat: habitabitque in ea donec moriatur sacerdos magnus qui unctus est oleo sanctitatis.* 26. *Quod si egrediendo egressus fuerit homicida terminum urbis refugii sui ad quam confugerat:* 27. *Et invenerit eum propinquus sanguinis extra terminum urbis refugii sui, atque occiderit propinquus ille homicidam: non erit obnoxius morti.* 28. *In civitate enim refugii sui habitabit donec moriatur sacerdos magnus: posteaquam autem mortuus fuerit sacerdos magnus, revertetur homicida in terram possessionis suae.* 29. *Et erunt ista vobis in statutum iudicii per generationes vestras, in omnibus habitationibus vestris.* 30. *Quicunque percusserit aliquem, ad verbum testium occidet homicidam: solus enim testis non testificabitur in animam ut moriatur.* 31. *Neque accipietis pretium pro anima homicidae qui est sceleratus, ut moriatur: sed moriendo morietur.* 32. *Sed nec accipietis pretium ut fugiat ad urbem refugii sui, ut revertatur habitare in ea terra donec moriatur sacerdos.* 33. *Et non polluetis terram in qua fueritis, quia sanguis iste polluet terram: neque terra expiabitur propter sanguinem qui effusus est in ea nisi per*

sanguinem illius qui effudit illum. 34. *Ne ergo polluatis terram in qua habitatis, et in cuius medio ego habito: ego enim Iehova habito in medio filiorum Israel.*

EX DEUT. XIX.

1. *Quum exciderit Iehova Deus tuus gentes quarum ipse Iehova Deus tuus dat tibi terram, et possederis eas, habitaverisque in urbibus earum et in domibus earum,* 2. *Tres urbes separabis tibi in medio terrae tuae quam Iehova Deus tuus dat tibi ut possideas eam.* 3. *Praeparabis tibi itinera, et in tres partes divides terminum terrae tuae, quam in haereditatem daturus est tibi Iehova Deus tuus: eritque ut fugiat illuc omnis homicida.* 4. *Haec autem est res homicidae qui fugiet illuc, et vivet: qui percusserit proximum suum ignoranter, neque oderat eum ab heri et nudiustertius.* 5. *Quicunque abierit cum proximo suo in sylvam ad caedenda ligna, et impulsa fuerit manus eius in securim ad caedendum lignum, elapsum autem fuerit ferrum e ligno, inveneritque proximum suum, et moriatur: is fugiet ad unam urbium istarum, et vivet:* 6. *Ne persequatur propinquus sanguinis homicidam illum, quum incaluerit cor eius, et assequatur eum, quod longior fuerit via: et percutiat eum anima, quum tamen non sit reus mortis, quod non odisset eum ab heri et nudiustertius:* 7. *Idcirco ego praecipio tibi, dicendo: Tres civitates separabis tibi.* 8. *Quod si dilataverit Iehova Deus tuus terminum tuum quemadmodum iuravit patribus tuis, et dederit tibi universam terram quam dixit patribus tuis se daturum:* 9. *Quum custodieris omnia praecepta ista, ut facias ea quae ego praecipio tibi hodie, nempe ut diligas Iehovam Deum tuum et ambules in viis eius omnibus diebus: tunc addes tibi adhuc tres urbes ultra tres istas:* 10. *Ut non effundatur sanguis innocens in medio terrae tuae quam Iehova Deus tuus dat tibi in haereditatem, neve sint super te sanguines.* 11. *At quum fuerit quispiam qui oderit proximum suum, et insidiatus fuerit ei, insurrexeritque in eum, et percusserit eum anima, et mortuus fuerit, fugerit autem ad unam urbium istarum:* 12. *Tunc mittent seniores urbis illius, et abstrahent eum inde, dabuntque eum in manu propinqui sanguinis, et morietur.* 13. *Non parcet oculus tuus ei, et auferes sanguinem innocentem ex Israele, et bene erit tibi.*

Numer. 35, 10. *Alloquere filios Israel.* Urbes refugii constituit Deus non modo ut discerneret inter scelus et errorem, sed ne temere funderetur innoxius sanguis. Hactenus vidimus quam severe homicidia puniri voluerit. Sed quia minime aequum fuisset, qui non sponte, sed fortuito proximum occiderat, rapi ad eandem poenam cui subiiciebantur homicidae voluntarii, exceptio nunc additur, ut sit extra noxam qui nesciens et praeter animi sententiam quempiam occiderit. Quanquam longius respexit Deus (ut dictum est) ne caedes aliae super alias fierent, atque ita pollueretur terra. Nunc ordine singula excutiamus. Tametsi initio nonnisi de urbibus trans Iordanem sitis meminit, ex progressu tamen colligitur, sex in eum usum fuisse delectas, quarum tres erant cis Iordanem. Vult autem ita esse dispositas ut singulae regionis partes aliquam ex ipsis vicinam habeant, ne miseris qui extra culpam sunt, tristius sit exsilium ob itineris distantiam. Porro ante attigimus, urbes illas fuisse in sorte tribus leviticae, ut sacerdotii dignitas exsules melius protegeret, deinde, quia probabile erat plus in Levitis prudentiae et gravitatis fore, ne perfugium insontibus concessum sceleratos quoque reciperet.

16. *Si instrumentum.* Videtur paulo post secum pugnare Deus, ubi homicidas absolvit non voluntarios, quamvis ferro vel lapide vulnus inflixerint: hic autem simpliciter reos esse mortis pronunciat quicunque ligno, vel ferro, vel lapide ferierint: sed facilis solutio est si ad Dei consilium attendas. Postquam enim errori dedit veniam, ne quis ad criminis impunitatem traheret, mature occurrit, et quod ante visum est rursus inculcat. Quod autem ferri, ligni, et lapidis fit mentio, hac distinctione clarius explicat, nullis caedibus voluntariis esse ignoscendum: alioqui, ut solent variis cavillis leges eludi, restringere forte tentassent ad speciem unam quod de poena homicidarum dictum fuit: nempe, si quis gladio percussus foret. Non abs re ergo Deus morti addicit quemlibet caedis autorem, sive telo, sive lapide proiecto, sive fuste percusserit: quia ad poenam sufficit conceptum esse maleficium. Qui telum gestaverit hominis occidendi causa reum lege Cornelia fuisse certum est: et citat Martianus responsum Adriani: Qui hominem occiderit, si hoc fecerit non occidendi animo absolvi posse: et qui hominem non occiderit, sed vulneraverit ut occidat, pro homicida damnandum: sicuti etiam Paulus docet in eadem lege Cornelia dolum pro facto accipi. Et verissimum est illud Adriani responsum, in maleficiis voluntatem non exitum spectari. Unde illa Ulpiani sententia: Nihil interest occidat quis an causam mortis praebeat. Hic ergo non aliud fuit Dei consilium quam omnes tergiversandi ansas homicidis praecidere, siquidem impiae voluntatis convicti essent, praesertim ubi effectus vel conatus accesserat: quia nihil interest gladione an malleo vel lapidis iactu.

19. *Propinquus sanguinis.* Quum interfici iussit homicidas, voluit a iudicibus causa cognita dam-

nari. Quod autem nunc mortui hominis consanguineum armat ad sumendam vindictam, videtur barbariem sapere: quia pessimi exempli res est, privatis dare gladii potestatem: idque in propria causa. Permissum quidem olim fuit fures nocturnos occidere, ut suo loco videbimus: adulterum quoque in scelere deprehensum, marito vel patri stupratae feminae occidere licuit: ut vero quis ulciscatur fratris sui mortem, absurdum est lege permitti. Nec vero putandum est hanc licentiam unquam Deo probatam fuisse ut quilibet publica autoritate neglecta, de fratris sui percussore poenam exigeret ubi obviam factus esset: sic enim laxatum esset fraenum subito fervori, ut sanguis sanguinem traheret. Quare probabile est periculum hic magis denunciari quam aperiri ianuam privatae vindictae: quasi dictum esset, nisi prospiceretur innoxiis, vix posse compesci eorum furorem quorum occisi fuerint cognati: non quod licitum ipsis esset vim retaliare, sed quod crimen esse non ducerent, et impunitas etiam eos incitaret, eo quod iusto dolori ignosceretur. Tenendum est ergo, ubi quis per dolum et scelus interemptus fuerat, caedem a cognato vindictae causa perpetratam, non fuisse punitam: quia durum erat, eum capitaliter tanquam sceleris damnari, qui tantum impulsus sanguinis sui amore, naturaliter omnibus indito, homicidam poenae capitali iam obnoxium percusserat: tolerantia id quidem, non approbatione, quia (ut iam dixi) publico iudicio non privato arbitrio exigendae sunt poenae. Sed quum haec indulgentia ob populi duritiem concessa esset, hic admonet Deus, quam necessarium sit asylum dare innoxiis: quia alioqui tanquam in homicidas impetus promiscue fieret. In summa, fit comparatio inter sceleratos et insontes, quia nisi positum esset iustum discrimen, perinde omnes ad mortem essent expositi: Homicida, inquit, morte dignus est si forte propinquo eius qui mortuus est occurrerit. Ergo adhibendum est remedium, ne in eandem poenam incidat qui scelus non admisit. Hinc tandem colligitur alios ab aliis iusto iudicio esse discernendos. Ratio autem simul praescribitur, ut consessus eum absolvat qui nesciens alium interfecit. Verum quia in verbis est aliquid perplexum, tenendum est, simulac quis alium percusserat, repente se contulisse ad locum refugii, ac illic fuisse professum se tutum domicilium quaerere: hac contestatione facta, liberum fuisse cognatis mortui accusare: demum utrisque auditis interpositum fuisse iudicium. Alioqui manifesta esset repugnantia in contextu, quandoquidem paulo post subiicitur: Reverti facient eum ad urbem refugii ad quam se contulerat. Unde apparet, ex quo se obtulerat exsul ad causam dicendam et se purgandum, diem edici solitum quo venirent accusatores. Summa est, ne usquam asylum reperiat homicida nisi crimine solutus. Haec optima fuit moderatio, ne eadem errori et sceleri statueretur poena, simulque temporali exsilio testatum fieret quantopere a caedibus cavendum esset. Quanquam simul Deus pepercit eorum oculis quorum occisus fuerat frater, ne continuo aspectu recrudesceret dolor: quod ex vicesimo sexto versu colligitur, ubi datur cognatis impunitas si eum qui e medio subducere se debuit, extra fines refugii sui deprehensum occiderint: non quod apud Deum excusatus fuerit indignationis fervor, sed quia ulciscendi impetum ex sensu humanitatis profectum, aliter cohibere difficile fuit.

20. *In civitate enim refugii.* Exsilii tempus praefigitur ad mortem usque sacerdotis, quia misero exsuli spes omnes reditus abscindi minime humanum fuisset, quum autem novus succederet sacerdos ad reconciliandum Deo populum, debuit haec gratiae renovatio placare omnes offensas. Quare non abs re Deus in integrum restituit eos qui tantum erroris poenas dabant.

30. *Quicunque percusserit.* Iam redit ad homicidas voluntarios, quibus vetat quidem parcere, sed eos ad supplicium rapi non vult nisi legitimis testimoniis convictos. Ad verbum est: Omnis qui percusserit animam, ad os testium occidet eum qui occidit. Quae sententia propter brevitatem obscura erit, nisi subaudiatur nomen quod respondeat secundo verbo. Potest autem hoc tam de indicibus quam de accusatore exponi: in re tamen nulla est ambiguitas, neminem esse damnandum nisi legitime convictus fuerit. Porro unum testem non sufficere pronunciat, quia nimis iniquum esset unius linguae arbitrio vitam hominis subiici. Iam ante similem recitavi locum, ubi docebat Moses, nullam causam capitalem nisi duorum vel trium testimonio definiendam esse: et quia generales sunt eiusmodi sententiae, consulto proprium locum illis dedi. Nunc iterum quod ad damnandos homicidas spectat, per occasionem attingit, duos testes requiri, quia nihil magis proclive esset quam insontes calumniis et periuriis obruere, si unius cuiuslibet testimonio staretur. Ubi autem duo prodeunt in medium, si qua sit perfidia, multis rationibus deprehendi potest, ut iam dictum est: quia seorsum interrogati vix per omnia convenient. Caeterum ut ad sceleris poenam requiritur certa probatio, ita ubi de caede cognitum fuerit, severe Deus exigit ac denunciat ne maneat impunita. Nominatim vetat ne ius asyli sit venale, quia periculum erat ne alioqui operimentum esset multis sceleribus. Quod ergo vetat accipere pretium ne quis concedat in urbem refugii, huc tendit, ne quis beneficio fruatur donec probe comperta fuerit eius innocentia, ne misericordia qua sublevantur insontes, corruptelis subiaceat.

33. *Et non polluetis terram.* Hac clausula rursus admonet, nisi severa iudicia exerceant contra

homicidas, sacrilegii reos fore: quia terra humano sanguine effuso polluitur, et maledictioni obnoxia est, donec expiata fuerit. Deinde quum in terra Chanaan habitet Deus, qui sibi domicilium elegit inter filios Israel, simul profanatur eius sanctitas. Summa est, modis omnibus occurrendum esse, ne terra quae Deo sacra est, caedibus contaminetur.

Deut. 19, 1. *Quum exciderit Iehova.* Eadem quae nuper vidimus praecepta iterat Moses, ut in homicidiis populus errorem discernat a scelere. Hac ratione sex urbes assignat ubi tuto lateant et quiescant qui suam innocentiam probaverunt iudicibus. Uno autem verbo definit quisnam eximendus sit a poena, qui scilicet nesciens proximum occiderit, sicuti antea visum est, et recte: quia principium et causa maleficii sola est voluntas: ideoque sine perverso affectu nullum est crimen. Verum ne praetextu erroris culpam effugiant qui sibi male conscii sunt, nota discriminis additur: nempe si nullum odium praecesserit: cuius etiam rei ponitur exemplum, si duo amici in sylvam simul profecti sint, et absque lite vel iurgio ferrum securis, quod exciderit a manu unius, alterum feriat. Fontem ergo sceleris merito iubet Deus investigari, et quomodo reperiendus sit ostendit: nempe si qua fuerit simultas, vel si qua exorta fuerit contentio. Neque enim credibile est quempiam usque adeo esse improbum ut gratis ad scelus abominabile prosiliat. Notandum vero est, huic coniecturae locum non esse nisi in re dubia: nam si quis stricto gladio transfodiat proximum, vel iaculum in cor eius vibret, supervacua erit inquisitio: quia satis superque scelesta voluntas detecta est.

SEPTIMUM PRAECEPTUM.

EX EXODI XX.

14. *Non committes adulterium.*

REPETITIO PRAECEPTI.

EX DEUT. V.

18. *Non committes adulterium.*

Etsi una tantum impudicitiae species attingitur, ex principio tamen posito liquet fideles in genere ad castitatem institui: nam si lex iuste vivendi perfecta est regula, plus quam absurdum esset scortandi licentiam dare, exceptis tantum adulteriis. Deinde extra controversiam est, minime Deo probari, vel excusari apud eius tribunal quod dictat communis hominum sensus obscoenum esse. Etsi enim passim omnibus saeculis grassatae sunt libidines, nunquam tamen penitus deleri potuit opinio, scortationem esse flagitium vel nequitiam. Certe ab initio viguit quod docet Paulus (Tit. 2, 12), tres bene vivendi esse partes, temperantiam, iustitiam, et pietatem: atqui temperantia quam commendat, a castitate non separatur. Adde quod tam Christus quam apostoli, ubi de vitae perfectione disserunt, semper ad legem fideles revocant. Nam sicut olim a Mose dictum est: Haec est via, ambulate in ea: idem Christus confirmat (Matt. 19, 17): Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Subscribit et Paulus (Rom. 13, 10): Qui diligit alterum, legem implevit. Interea non desinunt subinde sententiam maledictionis ferre in omnes scortatores. Singulos locos recitare operae pretium non est. Porro si Christus et apostoli fidelissimi legis interpretes pronunciant, non minus scortando quam furando violari Dei legem, certo inde colligimus sub una specie in hoc praecepto totum genus comprehendi. Quare nihil aliud quam inscitiam suam cum dedecore prodiderunt qui ex praepostera curiositate captarunt acuminis laudem, dum confessi sunt in novo quidem testamento satis clare et frequenter damnari scortationem, sed non in lege. Nam si prudenter ratiocinati essent, ex quo legimus Deum benedixisse coniugio, ex opposito statuere promptum erat, maledictum esse congressum viri et mulieris, nisi in coniugio. Hanc rationem sequutus est autor Epistolae ad Hebraeos (13, 4), ubi res inter se contrarias comparans, Honorabile, inquit, inter omnes coniugium, et cubile impollu-

tum: scortatores autem et adulteros iudicabit Deus. Iam ubi vetat Deus sacerdotem cum scorto coniugium contrahere, aperta foeditas notatur: quod si filiabus Israel scortari fas non fuit, eadem in masculis valere debuit ratio (Lev. 21, 14; Deut. 23, 17). Nec vero aliunde Oseas quam ex lege reprehensionem illam sumpsit. Scortatio et vinum auferunt cor (Oseae 4, 11). Sicuti dum prophetae gentis suae corruptelas metaphorice exagitant, non semper utuntur verbo נאף quod hic ponit Moses, sed eas scortationibus comparant, quod si per se licita esset scortatio, minime translatio illa quadraret. Iussus fuit Oseas scortum sumere in uxorem, adulterii nulla fit mentio, et tamen probrum et turpitudo populi traducitur: quis nunc vitio carere dicat scortationem, cui non vulgarem ignominiae notam inurit Deus? Quod si quis pertinacius contendat, falsi Paulum insimulet, qui exemplum in lege testatur propositum esse, Ne scortemur, dum uno die ceciderunt viginti tria millia (Num. 25, 9). Certe nisi legem transgressi essent, non tam horribilis in eos saeviisset vindicta. Si quis accipiat simul admistum fuisse idololatriae crimen, manet tamen firma Pauli sententia, Deum in hoc poenae exemplo fuisse scortationis ultorem (1. Cor. 10, 9): quod non conveniet nisi sit legis transgressio. Et sane ubi suo decreto apostoli gentes a scortatione prohibent apud Lucam (Act. 15, 21), simul additur ratio, quia in synagogis legatur Moses. Iam nisi vitium esset legi contrarium, nulla inde concepta fuisset offensio. Caeterum cur sub voce adulterii omnem impuram libidinem damnaverit, ante exposuimus. Scimus quam effraenis scortandi licentia fuerit apud gentes: etsi enim nunquam passus est Deus pudorem simul cum pudicitia exstingui, suffocatus tamen quodammodo fuit honesti respectus, ut sceleris gravitatem facetiis et scurrilibus iocis eluderent. Minime certe cognita fuit illa Pauli doctrina, qui stupris indulgent, in corpus suum peccare. Quoniam ergo indulgentia sopitae erant omnium mentes, criminis atrocitate expergefieri necesse fuit, ut ab omnibus inquinamentis cavere discerent. Nec tantum hic damnantur vagae libidines, sed Deus populum suum ad colendam pudicitiam et castitatem instituit. Summa est, ut qui se Deo probare cupiunt, puri sint ab omni sorde carnis et spiritus. Nec enim dubium est quin Paulus (2. Cor. 7, 1) his verbis legem interpretari velit: sicuti alibi dum hortatur vas suum quemque possidere cum sanctificatione et honore, non in affectu concupiscentiae, sicuti gentes quae Deum non noverunt (1. Thess. 4, 4).

EX LEVIT. XVIII.

20. *Uxori proximi tui non dabis concubitum tuum in semine, ut polluaris cum ea.*

Eadem huius loci ratio est quae superiorum. Etsi enim quaelibet scortatio hominem polluit, in adulterio foedior est impuritas: quia violatur coniugii sanctitas, et seminis mixtura inducitur spuria et aliena soboles. Ergo hoc flagitium merito Deus inter gentium abominationes recensuit, sicuti clarius videre licet ex capitis praefatione, unde sumpta est haec sententia.

APPENDICES SEPTIMI PRAECEPTI.

EX LEVIT. XVIII.

22. *Cum masculo ne concumbas concubitu mulieris: abominatio est.* 23. *Cum animali non coibis ut polluaris cum eo: nec mulier prostituet se animali ut coeat cum eo: turpitudo est.* 24. *Ne polluamini in omnibus his: nam in his omnibus polluerunt se gentes quas ego eiiciam a facie vestra.* 25. *Polluta fuit terra, et visitavi iniquitatem eius super eam, evomuitque terra habitatores suos.* 26. *Vos ergo custodite statuta mea, et iudicia mea: et ne faciatis ex omnibus abominationibus istis, indigena, vel peregrinus qui peregrinatur in medio vestri.* 27. *Omnes enim abominationes istas fecerunt homines terrae qui fuerunt ante vos, et polluta fuit terra.* 28. *Ne evomat vos terra quod contaminetis eam, quemadmodum evomuit gentem quae fuit ante vos.* 29. *Quisquis enim fecerit ex omnibus abominationibus istis, animae quae fecerint excidentur e medio populi sui.* 30. *Custodite custodias meas, nec facietis e statutis abominationum quae facta sunt ante vòs, neque polluatis vos in illis: ego Iehova Deus vester.*

EX EXODI XXII. [1])

19 [2]). *Quisquis concubuerit cum animali, morte moriatur.*

EX LEVIT. XX.

13. *Quicunque coierit cum masculo coitu mulieris, abominationem fecerunt ambo: morte morientur, sanguis eorum super eos.*

EX EODEM CAPITE.

15. *Si quis intulerit coitum suum in brutum, moriendo morietur, et iumentum occidetis.* 16. *Si mulier accesserit ad unum animal ad coeundum cum eo, occides mulierem et animal, moriendo morientur, sanguis eorum super eos.*

Discimus ex his locis non tantum ab adulteriis prohibitum fuisse populum, sed a flagitiis omnibus quae pugnant cum ipsa naturae verecundia. Porro quo magis detestabilis sit omnis impudicitia, duas prodigiosae libidinis species commemorat, ex quibus patet, dum sibi homines indulgent in hac parte, plus quam belluino impetu ad se nefando dedecore foedandos rapi. Belluae coitu naturali contentae sunt: discrimen itaque hoc ab homine ratione praedito confundi nimis indignum est. Quorsum enim iudicium et intelligendi facultas, nisi ut maior in nobis quam in brutis animalibus vigeat continentia? Horribili igitur modo excaecatos esse apparet qui se ita probrose contaminant, quemadmodum dicit Paulus (Rom. 1, 28). Varia tamen monstra praeter naturam excogitavit libidinis furor: quorum nomina sepulta esse praestaret: nisi quod Deus pudenda monumenta exstare voluerit quae metum et horrorem nobis incuterent. Tandem eo prorupit intemperies, ut homines ad imaginem Dei creati, tam viri quam feminae brutis se animalibus miscerent.

Levit. 18, 24. *Ne polluamini.* Veteri proverbio dicitur, ex malis moribus natas fuisse bonas leges: hac causa se induci admonet Deus ut de rebus alioqui foedis et nefandis diserte verba faciat: portenta enim quorum meminit, aeterno silentio tegenda erant, nisi cogeret necessitas ea in lucem proferre. Verum quia eousque licentiae proruperant gentes Chanaan, ut prodigia quae melius latuissent, perverso usu nimis familiariter essent cognita, populum suum admonet Deus ut sibi caveat ab exitialibus exemplis. Primo quum dicit abominationes illas fuisse grassatas in gentibus, significat nihil ad excusationem valere malam consuetudinem, imo ex publico consensu male quaeri patrocinium vitiis. Verum quo melius ab imitatione deterreat, statuit ante oculos quam Deus sumpturus erat vindictam. Verum quidem est aliis de causis populos Chanaan fuisse deletos, sed inter alias non frustra hanc proponit: quia haud dubie talibus inquinamentis offensus fuerat Deus.

26. *Vos ergo custodite.* Hic gentium corruptelis legem suam opponit. Sufficere quidem ad ipsos erudiendos poterat quod nunc protulit severitatis exemplum: quo tamen eos acrius urgeat, simul adiungit viam illis in lege ostensam, quae eos erratico cursu vagari non sinat, modo ne recusent Deum sequi. Nam gentes quum luce destituerentur, huc illuc abstractas fuisse mirum non est: sed dum errando caecitatem suam demonstrant, fideles ex opposito testari convenit se non tenebrarum sed lucis esse filios. Atque huc alludere videtur Paulus (Eph. 4, 17), dum fideles hortatur ne ambulent sicuti gentes in vanitate sensus sui. Hac ratione Deus nunc non tantum praecepta et statuta sua commendat, sed etiam custodias: quia nihil in lege sua omiserit quod ad regendam hominum vitam esset utile. Summa est, nisi in doctrina quae ipsis praelucet, se contineant, eundem qui gentibus instabat interitum ipsos quoque manere.

Levit. 20, 13. *Quicunque coierit cum masculo.* Antehac Deus quid rectum esset docuit, ut a scelere populum retraheret, non tantum poenae metu, sed etiam propter conscientiam. Quia autem non omnes sponte animum adiiciunt ad parendum, contra impios contemptores quibus nullum est pietatis studium, severe animadvertit. Ac mirum est ita gentes fere omnes obtorpuisse in bruta socordia, ut praeposteri coitus, et ipso nomine detestabiles, impune fere tolerati fuerint. Nequissimos etiam quosque puduit (fateor) tantum crimen excusare, sed quum eius fieret licentia, vulgare convicium fuit obiicere in faciem, imo in ipsis publicis iudiciis, quod durius vindicandum erat quam alia scelera quibus non parcebant. Poenae autem non minus subiicitur qui muliebria passus est quam stuprator: quia tale inquinamentum nullo modo ferri debet. Imo si vir aut mulier coitum appetat bruti anima-

---

1) *Abhinc magna est discrepantia inter exemplaria latina et versionem gallicam quoad ordinem pericoparum. In hac enim series ita constituitur:* Lev. 18, 22 ss.; 19, 29; Deut. 23, 18; Lev. 18, 19; 18, 1 ss. *et* Deut. 22, 30; Deut. 25, 11 sq.; 22, 12; 22, 5; Ex. 22, 19 et Lev. 20, 13 sq.; Lev. 20, 10 et Deut. 22, 22 ss.; Lev. 19, 20 sq.; 20, 18; 20, 11 ss. 19 ss.; Ex. 22, 16. 17. 21, 7 ss. Deut. 24, 5; Num. 5, 11 ss.; Deut. 22, 13 ss.; 24, 1 ss. *Ita nihil omnino desideratur.*

2) Hebr. 18.

lis, quo magis portentum omnes exhorreant, et ab eo caveant, ad innoxium usque animal transit poena: sicuti ante vidimus bovem cornupetam morti addici si hominem occiderit. Hinc autem colligimus quantopere displiceat hoc genus sceleris Deo, dum animalium quae extra culpam sunt morte sancitur.

EX LEVIT. XIX.

29. *Non pollues filiam tuam prostituendo eam: neque scortetur terra, et impleatur ipsa scelere.*

Clarius demonstrat hic locus vagos omnes concubitus semper coram Deo fuisse illicitos. Allegorice trahere ad spiritualem fornicationem quod hic dicitur, coactum est atque insulsum. Nimis etiam legem restringunt qui putant solum interdici publica lenocinia, quum potius generaliter praecipiat Deus parentibus, ut sub pura castaque educatione filias suas custodiant. Verum ut demus non aliud vetari quam ut ne parentes filiarum sint lenones, tamen ex polluendi verbo colligitur ipsas ex stupro maculam contrahere: [frigide enim quidam verbum חלל vertunt publicare] et ratio addita satis superque confirmat, quamlibet scortationem esse Deo exosam: Neque scortetur terra, inquit, et impleatur scelere. Hic certe non de adulteriis agitur. Atqui si extra coniugium coeant vir et femina, scelus esse pronunciat Deus. Unde sequitur, septimo praecepto populum doceri, ut sibi ab omni impudicitia caveat.

EX DEUT. XXIII.

18. *Non erit meretrix e filiabus Israel, neque erit scortum masculum e filiis Israel.*

Hic locus superiori est affinis, priore enim membro puellas vetat prostitui ad stuprum. קדשה existimant hebraice vocari meretricem, quia ad flagitium exposita sit ac parata: quanquam per antiphrasin videtur notari pollutio sanctitati contraria. Utcunque sit, praeceptum castitatis datur, ne puellis liceat extra coniugium viros admittere. In secundo membro nonnulla est ambiguitas, Ne sit קדש in filiis Israel: quia aliis locis certum est pro cinaedis vel scortis masculis accipi: nulla tamen obstat ratio quominus vertere liceat, Scortatores. Quo sensu positum videtur hoc nomen in libro Iob[1]), ubi dicitur, hypocritam moriturum in adolescentia vel flore aetatis, vitam autem eius fore inter קדשים: quod tantundem valet atque infamem probrosamque fore in vita. Caeterum si de cinaedis accipere placeat, per synecdochen damnatur omnis impuritas.

1) *Laudatur ad marginem Cap.* 19. *Verum locus extat C.* 36, 14.

EX LEVIT. XX.

10. *Vir qui adulterium commiserit cum uxore alterius, qui adulterium commiserit cum uxore proximi sui, moriendo morientur adulter et adultera.*

EX DEUT. XXII.

22. *Si quis deprehensus fuerit coiisse cum muliere coniugata marito, morientur etiam ambo ipsi, vir qui coierit cum muliere, et mulier ipsa: atque auferes malum ex Israele.* 23. *Quum fuerit puella virgo desponsata viro, et invenerit eam aliquis in urbe, coieritque cum ea:* 24. *Adducetis utrumque ad portam urbis eius, et lapidabitis eos lapidibus, ac morientur: puellam quidem, quod non clamaverit in urbe: et virum, propterea quod afflixit uxorem proximi sui: atque ita auferes malum e medio tui.* 25. *At si in agro invenerit vir puellam desponsatam, et apprehenderit eam vir ille, et coierit cum ea morietur vir qui coierit cum ea, solus.* 26. *Puellae vero non facies quidquam: non est puellae peccatum mortis, nam quemadmodum insurgit quis in proximum suum, et occidit eum anima, sic se habet res ista.* 27. *In agro invenit eam, clamavit puella desponsata, et nemo adfuit qui servaret eam.*

22. *Si quis deprehensus.* Appendix politica, ex qua patet quantopere abominetur Deus adulteria, dum moechis capitalem poenam irrogat. Et certe quum sacrum sit Dei foedus coniugium, nullo modo tolerabilis est eius profanatio: ac sanctior esse debet coniugalis fides quam ut impune violetur: et immanis est perfidia eripere e sinu viri uxorem quae instar vitae est, vel saltem pars eius dimidia. Unde etiam adulteros ignominiose propheta (Ier. 5, 8) equis adhinnientibus comparat: quia ubi talis exsultat lascivia, homines in belluas quodammodo degenerant. Quanquam hic spectatur alia ratio: neque enim si quis cum pellice scortando uxorem suam fraudasset, lethale fuit crimen: verum si quis etiam caelebs, moechatus esset cum aliena uxore, quia et maritus gravi contumelia afficitur, et dedecus transit ad posteros, et adulterinus partus supponitur pro legitimo, et transfertur ad alienos haereditas, adeoque familiae nomen furantur spurii. Haec ratio gentes etiam ante legem impulit, ut severe in adulteria animadverterent: sicuti patet ex historia

Iudae et Thamar. (Gen. 38, 14). Imo communi iure gentium mortis poena semper adulteriis inflicta fuit: quo turpius est magisque pudendum Christianis, non imitari saltem profanos homines. Lege Iulia non minus graviter quam ipsius Dei punitur adulterium: qui se venditant Christi nomine, adeo molles sunt ac remissi, ut vix levi castigatione tam exsecrabile flagitium coercent. Ac ne legem Dei abrogent absque colore, obtendunt Christi exemplum, qui uxorem adulteram, quum esset lapidanda, liberam dimisit (Ioh. 8, 11): nempe, sicuti se in montem subduxit, ne rex crearetur a turba. Quod si reputamus quas partes iniunxit pater unigenito filio suo, non mirabimur vocationis suae finibus fuisse contentum, ne iudicis officio fungeretur. Atqui hoc exemplum praepostere aemulati sunt qui divinitus gladio erant armati ad punienda scelera: ergo poenae relaxatio ex crassa inscitia manavit. Caeterum quamvis in foro terreno non aeque puniatur viri ac mulieris perfidia: quia tamen mutuo inter se obstricti sunt, utriusque vindex erit Deus. Ideoque apud coeleste tribunal valet Pauli sententia, Ne se invicem fraudent coniuges: quia sicut uxor proprii corporis ius non habet, ita nec vicissim maritus (1. Cor. 7, 4).

25. *Quum fuerit puella virgo.* Iam latius extenditur poenae severitas, dum sponsa censetur loco uxoris: idque optima ratione, quia iam fidem dedit: et perditae incontinentiae signum est, puellae animum a sponso, cui devincta est, sic alienari, ut alieno virginitatem suam prostituat libandam. Verum quia extra noxam est quae vi stuprata fuerit, absolvitur quae in agro oppressa fuit, quia probabile est invitam succubuisse, eo quod procul abesset auxilium. Etsi autem ad captum rudis populi accommodatur sermo, consilium tamen Dei fuit, vim a consensu distinguere. Itaque si in aedium recessu unde clamor exaudiri non posset, oppressa fuerat puella, liberari haud dubie voluit Deus, si modo idoneis indiciis ac coniecturis innocentiam suam probaret.

EX LEVIT XIX.

20. *Vir si coierit cum muliere coitu seminis quae fuerit ancilla desponsata viro, nec redimendo redempta fuerit, nec fuerit manumissa: vapulatio erit, non morientur, quia non est libertate donata.* 21. *Adducet autem oblationem, pro delicto suo Iehovae ad ostium tabernaculi conventionis, arietem pro delicto.* 22. *Et expiabit eum sacerdos per arietem pro delicto coram Iehova, proper peccatum suum quod peccavit: et remittet ei peccatum suum quod peccavit.*

Etsi coram Deo nullum est inter servos et liberos discrimen, in forensibus tamen iudiciis diversa est eorum conditio: nec vero ex ancillae adulterio tantum malorum consequitur. Ergo quamvis morte dignum sit crimen, pro infirmitate tamen populi mitigatur poena, ut si quis ancillam corruperit viro desponsatam, ambo vapulent. Unde colligitur, si concubina quae iam marito cohabitavit, fuerit stuprata, censeri capitale adulterium. Porro ne ex legis facilitate vel indulgentia falso statuerent leve esse delictum, huic errori tempestive occurritur expiatione superaddita. Nam si verberibus caesus adhuc reconciliatione indiget, sequitur non aestimandum esse modum delicti ex poena.

EX EXODI XXI.

7. *Quum vendiderit quispiam filiam suam in ancillam, non egredietur quemadmodum egredi solent servi.* 8. *Si displicuerit hero suo, nec sibi desponderit eam, redimendam curabit: populo alieno non habebit potestatem vendendi eam, quum spreverit eam.* 9. *Quod si filio suo desponderit eam, secundum morem filiarum faciet ei.* 10. *Si aliam acceperit sibi, alimentum illius, operimentum illius, et constitutionem illius non diminuet.* 11. *Quod si tria haec non fecerit illi, egredietur gratis absque argento.*

Ex hoc loco, sicuti et ex aliis similibus, patet quam multa vitia in populo illo toleranda fuerint. Liberos vendere ut patres inopiae suae succurrerent, prorsus barbarum fuit, non potuit tamen illud corrigi ut optandum erat. Deinde sanctior esse debuit coniugii fides, quam ut liberum esset domino, postquam sibi ancillam in uxorem desponderat, eam abiicere: similiter eam ubi filio desponderat, irritum facere pactum, quod inviolabile est. Semper enim vigere debuit principium illud: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Atqui horum omnium facta fuit libertas veteri populo: tantum hic miseris puellis cavetur, ne cum infamia et damno repulsam ferant. Etsi autem in exigenda poena remissior est Deus, quatenus tamen ferebat durities populi, castitatem sibi placere ostendit. Primum hero non permittit ancillam pretio emptam stuprare: verum si eius concubitu potiri optat, vult coniugium intercedere. [Etsi enim disertis verbis id non explicat, ex eo tamen quod damnat, contrarium probari colligere licet]. Quo refellitur eorum commentum qui scortationem sub lege licitam fuisse volunt. Sed verba propter ambiguitatem propius excutienda sunt. Primo sublevatur sexus, ut paulo humanior sit puellae quam masculi conditio: quia alioqui imbecillitas iniuriis et probris obnoxias redderet. Sequitur deinde explicatio in qua tamen variant interpretes. Nam particulam לא quae proprie

negativa est, quidam pro לו accipiunt, unde emanant duo sensus contrarii: Si eam desponderit sibi, vel Si non. Si affirmative accipere placeat, finis praecepti erit: Si dominus quam amavit et sibi destinavit uxorem repudiet, ut eam manumittat. Etsi enim ad verbum est: Redimere faciet eam: ex circumstantia tamen elicitur illius liberandae onus iniungi. Nec obstat quod tantum eripitur potestas eam vendendi alieno populo: [quandoquidem id non de solis exteris intelligo, sed de reliquis popularibus: ut vocantur interdum alieni qui sunt ex diversa tribu vel familia. Nam alioqui] quamvis nulla esset coniugii pactio, servos tamen ex sancto et electo populo genitos exteris addicere fas non fuit. Adde quod apud Israelitas nonnisi temporalis erat servitus. Verum, ut alia omnia praeteream, sufficiat tantum notari absurditatem, si herus tanquam mancipium venalem habet suam sponsam: [si eorum opinio recipitur, qui putant verba fieri de repudio post contracta sponsalia]. Caeterum mihi magis probatur diversa sententia, [quamvis herus ad coniugium non adspiraverit], si displiceat forma, ut eam nolit sibi habere uxorem, saltem redimendam curet: quia periclitaretur eius pudicitia si innupta apud eum maneret: [nisi forte significet Moses, postquam compressa fuerit, herum non dignari eam sponsae honore. Verum quod iam retuli simplicius est]. Cavetur ergo puellis ne pro libidine stuprum offerant illis domini. Ita spernendi verbum non intelligitur de repudio, sed gratiae vel amori coniugali opponitur. Secundum est, ut eam filio suo despondeat: in quo etiam pudori et honestati eius consulitur, ne dominii iure oppressa, scortum fiat. Tertio loco cavetur, si repudiata fuerit, ne iniqua sit eius conditio. Itaque si nurum sibi destinet, ac filio suo despondeat, iubetur cum ea liberaliter agere. Nam pro more filiarum tantundem valet atque dotare, vel saltem tractare quasi ingenuam. Subiicit demum, si filio aliam eligat uxorem, ne quae reiecta fuit victu et vestitu fraudetur. De tertio non satis convenit. Vertunt quidam Tempus: sed non video quid significet tempus diminuere: alii reddunt debitum coniugale, nimis licentiose, alii rectius afflictionem: quia in repudio humiliata fuit puella. Dura tamen est loquutio: Minuere afflictionem pro iniuriae compensatione. Expendant ergo lectores an non ענה pro pacto vel condicto sumatur: sic enim optime fluet contextus, si filius aliam duxerit uxorem, ut puella repulsam ignominiae passa ius suum in victu et vestitu dotisque constitutione obtineat: alioqui Deus gratis manumitti iubet, ut libertas fraudem ei factam compenset.

EX EXODI XXII.

16[1]. *Quum seduxerit quispiam virginem quae non est desponsata, et coierit cum ea, dotando dotabit sibi in uxorem.* 17. *Si renuendo renuerit pater eius ei dare ipsam, pecuniam appendet secundum dotem virginum.*

Hinc etiam liquet, quamvis poenam forensem remittat Deus, scortationem ei non placere. Quoad spirituale iudicium conscientiae, erant piacula ad eum placandum: hic prospicit tantum puellis, ne deceptae, amissa virginitate, fiant prostibula: atque ita terra stupris inquinetur. Remedium autem est, ut qui puellam corrupit, cogatur uxorem ducere: et quidem eam dotáre de suo, ne si deinde eam repudiet, vacua ab eius thoro discedat. Quod si patri puellae non placeat coniugium, poena stupratori imponitur ut dotem assignet.

EX DEUT. XXIV.

5. *Quum quis acceperit uxorem novam, non egredietur ad bellum, neque iniungetur ei munus: immunis erit in domo sua anno uno, et delectabit uxorem suam quam accepit.*

Haec immunitas ad conciliandum mutuum amorem spectat, qui maritum et uxorem in fide contineat. Periculum enim est, si maritus uxore ducta alio statim discedat, ne mulier nuper virum experta antequam ei probe assueverit, nimium sit proclivis ad alterius amorem et desiderium. Simile et in viro esset periculum: nam in bello et aliis expeditionibus multa occurrunt quae viros ad flagitium sollicitent. Vult ergo Deus totius anni consuetudine foveri amorem viri et feminae, ut hoc modo stabiliatur fides inter eos mutua, et constanter sibi postea ab impudicitia caveant. Porro quod novae uxori permittit Deus se oblectare cum marito, non vulgare indulgentiae suae specimen in eo demonstrat. Fieri certe non potest quin concubitum viri cum uxore aliquo vitio inficiet carnis intemperantia: atqui Deus non solum ignoscit, sed velum opponit sancti coniugii, ne imputetur quod per se vitiosum erat: imo ultro concedit, ut maritus et uxor se oblectent. Huic mandato respondet illud Pauli (1. Cor. 7, 3), ut vir debitam benevolentiam uxori reddat, et similiter uxor viro: ne se invicem fraudent, nisi ex consensu ad tempus, ut vacent precibus et ieiunio.

1) Hebr. 15. 16.

EX NUMER. V.

11. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 12. *Alloquere filios Israel, et dicas illis: Quum diverterit uxor cuiuspiam, et praevaricata fuerit praevaricatione:* 13. *Et coierit aliquis cum ea coitu seminis, absconditum autem fuerit ab oculis viri sui et delituerit, ipsaque polluta fuerit: testis vero non fuerit contra eam, neque ipsa fuerit deprehensa,* 14. *Et transierit super eum spiritus zelotypiae, zelatusque fuerit uxorem suam, et ipsa polluta fuerit: vel transierit super eum spiritus zelotypiae, zelatusque fuerit uxorem suam, et ipsa non fuerit polluta:* 15. *Tunc adducet vir uxorem suam ad sacerdotem, et afferet oblationem eius cum illa, nempe decimam partem epha farinae hordeaceae: non fundet super eam oleum, neque ponet super eam thus, quia oblatio zelotypiarum est, oblatio memoriae revocans in memoriam iniquitatem.* 16. *Et appropinquare faciet eam sacerdos, statuetque eam coram Iehova.* 17. *Tolletque sacerdos aquam sanctam in vase testaceo, de pulvere quoque qui fuerit in pavimento tabernaculi tollet sacerdos, et mittet in aquam illam.* 18. *Tum statuet sacerdos mulierem coram Iehova, et discooperiet caput illius mulieris, ponetque super manus eius oblationem memoriae, quae oblatio zelotypiarum est: et in manum sacerdotis erunt aquae amarae maledictae.* 19. *Et adiurabit eam sacerdos, dicetque illi: Si non coierit quispiam tecum, et si non declinaveris ad immunditiam sub viro tuo, munda esto ab aquis istis amaris maledictis:* 20. *Si vero declinaveris sub viro tuo, et polluta fueris, dederitque aliquis in te semen suum praeter virum tuum.* 21. (*Adiurabit, inquam, mulierem illam sacerdos adiuratione maledictionis, et dicet mulieri*)*: Det te Iehova in maledictionem et adiurationem in medio populi tui, quum dederit Iehova femur tuum cadens, et uterum tuum tumescentem.* 22. *Ingredianturque aquae maledictae istae in interiora tua, ut tumescere faciant uterum, et cadere faciant femur. Et dicet mulier illa: Amen, amen.* 23. *Et scribet maledictiones istas sacerdos in libro, et delebit postea illas cum aquis amaris:* 24. *Tum ad potandum dabit mulieri aquas amaras maledictas, et ingredientur in eam aquae maledictae in amaras.* 25. *Postea capiet sacerdos e manu mulieris oblationem zelotypiarum, et elevabit illam coram Iehova, offeretque eam super altare.* 26. *Tollet etiam sacerdos pugillum plenum de oblatione memoriam eius, adolebitque illud super altare, et postea ad potandum dabit mulieri aquas:* 27. *Ad potandum, inquam, dabit ei aquas illas: et erit, si polluta fuerit, praevaricataque fuerit praevaricatione in virum suum, tunc ingredientur in illam aquae maledictae versae in amaritudinem, intumescetque uterus eius, et cadet femur eius: et erit mulier illa in maledictionem in medio populi sui.* 28. *Quod si non fuerit polluta mulier, sed munda fuerit, munda erit, seminabiturque semine.* 29. *Haec est lex zelotypiarum, quum diverterit mulier sub viro suo, et polluta fuerit:* 30. *Aut viri super quem transierit spiritus zelotypiae, et zelatus fuerit uxorem suam, statueritque mulierem coram Iehova, ac fecerit ei sacerdos secundum omnem legem hanc.* 31. *Et innocens erit vir ille ab iniquitate, mulier vero illa portabit iniquitatem suam.*

11. *Loquutus est Iehova ad Mosen.* Quanquam videtur caeremonia haec pars esse cultus legalis: quia tamen ad observationem septimi mandati pertinet, in hunc locum differre visum est. Finis est, ne impunitatis fiducia mulieres se ad impudicitiam prostituant, vel ne zelotypia dissidium generet, et animum mariti alienando ab uxore, vinculum casti amoris solvat: quia hoc modo ianua multis sceleribus aperiretur. Porro hoc ritu testatus est Deus se fidei coniugalis praesidem esse ac vindicem. Unde apparet quam boni odoris sacrificium sit coram ipso mulierum nuptarum castitas: cui dignatur custodem se profiteri. Unde non leve maritis solatium, ubi Deus occultae fraudis cognitionem suscipit, si forte uxores perfide se gesserint. Verum singula ordine tractare expediet. Quum initio dicit: Si mulier fidem violaverit, et crimen lateat, videtur implicita esse absurditas: ac si hoc modo nullas vocaret in iudicium nisi convictas: atqui re comperta supervacuum esset examen. Verum haec conditio: Si transgressa fuerit, non significat mulierem in adulterio fuisse deprehensam, sed refertur ad opinionem mariti: ideoque sic resolvi debent verba: Si quis existimet uxorem suam coiisse cum alieno, nec aliter possit levari ab anxietate qua torquetur, iudicium quod hominibus ablatum est, ad Deum ipsum deferat. Videtur tamen consulto Deus crimen posuisse, ne promiscue mariti dedecore aspergerent innoxias uxores. Scimus multos temere esse suspicaces: ubi autem semel animum occupavit zelotypia, nullus superest moderationi vel aequitati locus. Quare inhumanum fuisset, morosis et importunis maritis permittere ut ob leves quaslibet suspiciones, uxores suas traherent ad horribile Dei iudicium. Iam si impius ac crudelis esset maritus, tantum licentiae dare absque ullo delectu, fuisset quasi gladium furioso in manum porrigere, Subindicat ergo Deus, prudenter considerandum esse ne sacerdos quaerimonias omnes nimis facile admittat. Quanquam Deus postea se clarius exprimit in altera parte disiunctivae: Si zelotypia accensus fuerit vir, nec tamen polluta fuerit mulier.

15. *Tunc adducet.* Oblatio haec a reliquis differt quarum ante facta fuit mentio: quia contestationis est species qua se maledictioni subiicit mulier. Pura igitur farina absque thure et oleo offertur, quia exsecrationi non quadraret litandi ritus. Iam

quo magis periurium exhorreat mulier, sistitur coram facie Dei, et quidem aperto capite ac si eam sacerdos extraheret e latebris. Nam quod quidam ignominiae causa velum ex capite ablatum fuisse putant, non videtur consentaneum: quia hoc modo damnata fuisset ante causam cognitam. Aperto igitur capite producitur coram facie Dei, ut serio contremiscat. Sequitur postea absolutionis vel damnationis modus. Iubetur sacerdos aquam sanctam accipere in vase fictili, iniicere pulverem ex pavimento, deinde libellum vel chartulam ubi scripta fuerint exsecrationis verba, ut liturae in aqua maneant, et tandem mulieri porrigere calicem. Aquam sanctam interpretantur quidam quae custodiebatur in labro aeneo, ut semper ablutio parata esset sacris rite peragendis. Considerent tamen lectores annon potius aquam intelligat cui cinis vaccae rufae aspergebatur, ex qua fiebat solennis purgatio (Num. 19): ut ante visum fuit. Sic enim admonita fuit mulier, si peierasset, nullum amplius piaculum restare. Pulvis etiam in pavimento collectus detestationis fuit symbolum. Denique tota actio ad eam humiliandam composita fuit, ne crimen periurio duplicaret. Ad haec, verba imprecationis concipere iubetur sacerdos, ne mulier oblique tergiversando effugium captet. Quaeritur tamen cur malum sibi cogatur imprecari, potius quam alii qui vel caedis vel atrocium scelerum suspecti sunt: existimo hac de causa, quod nullum aliud crimen tam facile potest occultari. Ergo ne ex vafritie et malis artibus audaciam concipiant mulieres, fallaciis omnibus adhibetur remedium: atque ita ostendit Deus, sub fide sua et patrocinio esse thorum coniugalem. Porro tenendum est non inane fuisse hoc terriculamentum, quia Deus haud dubie apparuit manifestus perfidiae ultor, sicuti pronunciabat. Neque enim frustra subiicitur comminatio: Si fefellerit mulier, fore in maledictionem populi, quia uterus intumescet, et femur defluet. Rursus non frustra promittit, si fuerit innoxia, non modo fore incolumem, sed foecundam: ut Dei benedictio sit absolutionis sigillum. Id enim valet loquutio: Seminificabitur semine: sicuti ex opposito dictum fuit, femur diffluere quum mulier in sterilitate contabescit. Iam quum eiusdem aquae contrarii fuerint effectus, colligimus, sub externo symbolo Deum arcana sua virtute, prout causa ferebat, fuisse operatum.

EX DEUT. XXII.

13. *Quum acceperit quis uxorem, et ingressus fuerit ad eam, et odio habuerit eam,* 14. *Et imposuerit ei occasiones verborum, et traduxerit eam, dicendo: Uxorem hanc accepi, et accessi ad eam, et non inveni in ea virginitatem:* 15. *Tunc accipiet pater puellae et mater eius, et proferent signa virginitatis puellae coram senioribus urbis ad portam.* 16. *Dicetque pater puellae senioribus: Filiam meam dedi viro huic in uxorem, et odio habet eam.* 17. *Et ecce, imposuit occasiones verborum, dicendo: Non inveni in filia tua virginitatem. Ecce autem signa virginitatis filiae meae. Et expandent vestimentum coram senioribus urbis:* 18. *Tunc apprehendent seniores urbis virum, et castigabunt eum.* 19. *Et mulctabunt eum centum argenteis, quos dabunt patri puellae, quoniam traduxit virginem Israelis: habebitque eam uxorem, nec poterit dimittere omnibus diebus suis.* 20. *Quod si vera fuit accusatio ista, et non inventa fuerit virginitas in puella,* 21. *Tunc educent puellam ad ostium domus patris sui, et lapidabunt eam homines urbis eius lapidibus, donec moriatur: quia perpetravit nequitiam in Israele, fornicando in domo patris sui: et auferes malum e medio tui.*

13. *Quum acceperit.* Hic quoque locus ad pudicitiae commendationem pertinet. Deus autem in utramque partem providet ne puellae castae et innoxiae probrum iniuste maritus inferat, vel ne puella, postquam corrupta fuerit, si pro virgine se venditet, effugiat poenam. Tertius etiam finis notandus est, quia hoc modo admoniti fuerunt parentes, ut magis attenti essent ad custodiendas filias. Est quidem immanis haec feritas, ut maritus sciens et volens ex probro et infamia uxoris falsum eius repudiandae praetextum quaerat: sed quia non raro contingit, ut libidinosis obrepat fastidium, deinde omnia excogitent ad se expediendos, necesse fuit hoc vitium corrigi, modumque praescribi quo tuta esset puellae integritas contra calumnias impii et crudelis mariti. Interea aequum fuit probo viro succurri, ne scortum a quo deceptus esset, in sinu fovere cogeretur. Est enim ingenuis naturis valde acerbum tantam contumeliam tacite perpeti. Hic autem optima ponitur moderatio, ut si qua mulier accusetur a marito, liberum sit parentibus signa castitatis proferre quae eam absolvant: sin minus, ut ne maritus ab alio corruptam domi invitus alat. Patet autem ex hoc loco, linteo excepta fuisse prima nocte virginitatis indicia, quae fidem castitatis in posterum facerent. Credibile etiam est, adhibitis testibus repositum fuisse linteum instar pignoris, ut integris et honestis puellis certa esset defensio. Nimis enim licentiae datum fuisset parentibus, si creditum simpliciter fuisset ipsorum iudicio, sed Moses quasi de more recepto loquitur.

18. *Tunc apprehendent seniores urbis virum.* Triplex calumniae poena, ut verberibus caedatur qui falsum crimen confinxit, deinde centum argenteos solvat patri puellae, tertio, ne unquam repudiare liceat. Ratio exprimitur: Quod infamaverit virginem

Israelis. Ubi ostendit Deus, se virginibus patronum esse, quo melius animentur puellae ad colendam pudicitiam. Si quis obiiciat, male fuisse consultum miserae feminae, dum tyrannico imperio in perpetuum addicta fuit: respondeo, id esse factum, quia nulla eius liberandae esset ratio. Nam etsi divortium (ut paulo post videbimus) cum uxoribus facere permissum viris fuit, ius tamen et fas non fuit evertere primam Dei institutionem. Adde quod fraudi mariti occurrere necesse fuit, qui repudio facto gloriatus fuisset tanquam voti compos.

20. *Quod si vera fuerit accusatio ista.* Si cui saevior videtur animadversio, perpendat nullum esse genus fraudis minus tolerabile. Falsa venditio agri aut domus crimen censebitur, similiter falsae monetae suppositio: ergo quae sacro coniugii nomine abutitur ad fraudandum, et corpus impurum pro casto tradit, multo minus veniae meretur. Quanquam latius patet quae exprimitur severitatis causa, quod scilicet perpetraverit nequitiam vel foeditatem in Israel. Quod alii vertunt stultitiam, frigidum est: etsi enim deducitur nomen a נבל, aliquid tamen atrocius designat quam stultitiam: sicuti Simeon et Levi, dum caedem Sichemitarum (Gen. 34, 7), excusant, stuprum sororis suae vocant נבלה, hoc est foeditatem in Israele. Unde rursus apparet quantopere Deo placeat castitas.

EX DEUT. XXIV.

1. *Si acceperit quis uxorem, et coierit cum ea, non autem invenerit gratiam in oculis eius, eo quod invenerit in ea maculam aliquam, et scripserit ei libellum repudii, ac tradiderit in manum eius, et emiserit e domo sua,* 2. *Illa vero egressa e domo eius, abierit et nupserit alteri viro,* 3. *Vir deinde hic posterior oderit eam, et scripserit libellum divortii, tradideritque in manum eius, et emiserit e domo sua, aut si vir iste posterior mortuus fuerit qui sumpserit eam sibi uxorem:* 4. *Non poterit maritus eius prior, quia eam a se dimisit, reverti, et ducere eam sibi uxorem, posteaquam polluta est: quia abominatio est coram facie Iehovae: et non inquinabis peccato terram quam Iehova Deus tuus tradet tibi in haereditatem.*

Quod ad divortium spectat, quamvis per indulgentiam concessum fuerit Iudaeis, pronunciat tamen Christus nunquam fuisse legitimum, quia primae Dei institutioni, ex qua perpetua et inviolabilis petenda est regula, palam repugnat. Vulgo dicitur, iura naturae insolubilia esse: atqui semel pronunciavit Deus, arctius esse coniunctionis vinculum viri cum uxore quam filii cum patre. Quare si filius iugum patris excutere non potest, quam habet cum uxore societatem solvere nulla ratio patitur. Hinc apparet quanta fuerit gentis illius pervicacia, quae cohiberi non potuit quin sacrosanctum et insolubile vinculum dissiparet. Interea ex impunitate perperam Iudaei licitum esse duxerunt quod propter duritiem cordis eorum Deus non puniebat: quia reputare potius debebant responsum Christi, non esse in arbitrio hominis quos Deus coniunxit separare (Matt. 19, 6). Interea prospicere voluit Deus mulieribus inique oppressis, quibus satius fuit semel dimitti liberas, quam tota vita sub crudeli tyrannide gemere. Itaque apud Malachiam (2, 14) polygamiae repudium praefertur, quia minus tolerabilis erat conditio pellicem et aemulum ferre quam reiici. Et certe scheda vel libellus divortii sicuti mulierem purgabat omni infamia, sic marito nonnihil aspergebat dedecoris: qui enim fatetur se uxorem dimittere quia non placeat, culpam in se recipit tam morositatis, quam inconstantiae. Cuius enim levitatis est, et quam indigni fastidii, sic offendi maritum aliqua uxoris macula vel morbo, ut dimidiam sui partem a se avellat? Videmus itaque maritos libello repudii fuisse oblique damnatos, quod probis alioqui et castis uxoribus iniuriam facerent. Qua ratione Deus apud Isaiam (50, 1), ut Iudaeis omnem querimoniam eripiat, proferre iubet libellum repudii, si quem dederit matri ipsorum: quasi diceret, sibi iustam fuisse reiectionis causam, quia perfide ad impietatem defecerant. Caeterum quidam interpretes non legunt hos tres versus uno contextu, sed plenam sententiam esse volunt, ut maritus testetur se divortium facere cum uxore, non ob crimen, sed quia formae venustas eius libidini non satisfaciat. Si quis tamen propius attendat, facile videbit unum esse duntaxat legis caput, nempe, ubi quis uxorem repudiaverit, fas non esse iterum eam ducere si alteri nupserit. Cuius legis ratio est, quia uxorem prostituendo eius leno fuit quantum in se erat. Hoc sensu dicitur fuisse polluta, quia corpus illius contaminavit: libertas enim quam dabat, primam Dei institutionem non poterat abolere (sicuti docet Christus Matt. 5, 31 et 19, 9) quin daret causam adulterio: Ita admoniti fuerunt Israelitae, quamvis impune uxores reiicerent, licentiam tamen hanc minime coram Deo excusari.

EX LEVIT. XVIII.

19. *Ad mulierem in segregatione immunditiae suae non accedes, revelando turpitudinem eius.*

EX LEVIT. XX.

18. *Quicunque dormierit cum meretrice*[1]) *aegra, et revelaverit turpitudinem eius, fontem eius discooperuerit, ipsa etiam revelaverit fontem sanguinis sui: succidentur ambo e medio populi sui.*

Non alio tendit hoc praeceptum nisi ut ab omni spurcitia remoti sint fideles, ac ut inter eos vigeat castitas. Verum quidem est, mulierem quae menstruis laborat, ipsa morbi foeditate arceri a viri concubitu: accedit contagionis periculum: sed Deus apud suos magis esse voluit pudicitiae magister quam fungi medici officio. Tenendum igitur est: revocari homines ab omni turpitudine, a qua naturae quoque sensus abhorret. Ac per synecdochen monentur coniuges ut sibi temperent ab omni pudenda lascivia, ac verecunde maritus se oblectet uxoris complexu.

18. *Quicunque dormierit.* Ex poenae rigore cognoscitur sceleris atrocitas: et sane ubi se ad tantum dedecus proiiciunt vir et mulier, nihil pudoris in ipsis residuum esse apparet. Itaque non modo facinus ipsum spectat Deus, sed brutum libidinis impetum, quo sic rapiuntur homines ut ab ipsa natura degenerent. Quid enim nequitiae fugeret qui ad tantam intemperantiam delabitur, ut obstaculum quod retinet ipsas bestias furore suo perrumpat? Ne miremur ergo Deum tantae obscoenitatis severum esse ultorem.

EX LEVIT. XVIII.

1. *Loquutus est autem Iehova ad Mosen, dicendo:* 2. *Alloquere filios Israel et dic eis: Ego Iehova Deus vester.* 3. *Secundum opus terrae Aegypti in qua habitastis, ne feceritis: neque secundum opus terrae Chanaan in quam ego introduco vos, feceritis: et in statutis eorum ne ambuletis.* 4. *Iudicia mea facite, et statuta mea observate, ut in ipsis ambuletis: ego Iehova Deus vester.*

EX EODEM CAPITE.

6. *Nemo ad propinquam carnis suae accedat ad revelandam turpitudinem: ego Iehova.* 7. *Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuae non revelabis: mater tua est, non revelabis turpitudinem eius:* 8. *Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis: turpitudo patris tui est.* 9. *Turpitudinem sororis tuae, filiae patris tui, aut filiae matris tuae, quae genita est domi vel genita est foris, non revelabis turpitudinem earum.* 10. *Turpitudinem filiae filii tui, vel filiae filiae tuae non revelabis, quia turpitudo tua sunt.* 11. *Turpitudinem filiae uxoris patris tui, prolis patris tui, quae soror tua est, non revelabis.* 12. *Turpitudinem sororis patris tui non revelabis: nam consanguinea patris tui est.* 13. *Turpitudinem sororis matris tuae non revelabis, nam consanguinea matris tuae est.* 14. *Turpitudinem fratris patris tui non revelabis, ad uxorem eius non accedes: nam uxor fratris patris tui est.* 15. *Turpitudinem nurus tuae non revelabis: uxor filii tui est, non revelabis turpitudinem eius.* 16. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est.* 17. *Turpitudinem mulieris et filiae eius non revelabis: filiam filii eius et filiam filiae eius non accipies ad revelandam turpitudinem eius: consanguineae sunt, scelus est.* 18. *Mulierem quoque cum sorore sua non accipies ad affligendum et revelandum turpitudinem eius contra*[1]) *eam in vita sua.*

1) *Sic edd. latinae. Lege:* muliere.

EX DEUTER. XXII.

30[2]). *Non accipiet quisquam uxorem patris sui, neque discooperiet oram patris sui.*

Levit. 18, 1. *Loquutus est.* Hanc sententiam inter alias similes non retuli quae ad praeparandos animos spectabant, ut reverenter legem exciperent, quia, utcunque verba conveniant, in re magnum est discrimen: illae enim fuerunt generales, haec vero peculiariter ad caput unum restringitur. Neque enim simpliciter nunc Deo propositum est populum ad legis studium hortari, sed ad praesentem causam dirigitur sermo de servandis statutis: sicuti sua et gentium statuta non quaelibet indifferenter notat, sed restringit ad subiectam materiam, ut loquuntur: atque ita per statuta gentium corruptelas intelligit quae puram Dei institutionem in sacro coniugio perverterant. Primo autem vetat ne Aegypti morem sequantur, deinde comprehendit omnes populos Chanaan. Nam ut libidinosi sunt Orientales, nunquam ulla apud eos religio fuit se polluere incestis coniugiis. Quam vero hac in parte effraenes fuerint Aegyptii, ex historiis plus satis patet. Coniugium sororis germanae non exhorruit frater, neque patruus vel avunculus neptis suae: denique pudoris obliti, dum post intemperantiam suam rapiuntur, omnia iura naturae calcarunt. Haec ratio est cur incestus hic Deus recenseat, quorum alioqui supervacua fuisset mentio.

1) *In margine:* Vel, super eam.
2) Hebr. 23, 1.

4. *Iudicia mea facite.* Quia non minus difficile est vitia quibus assueverint homines corrigere, quam diuturnos sanare morbos: praesertim vero quia malis exemplis vulgus pertinaciter adhaeret: statuta sua in medium Deus profert, quae populum ab errore malae consuetudinis in viam revocent. Nihil enim absurdius quam ad hominum facta attendere, non autem ad Dei sermonem, ubi quaerenda est bene vivendi regula. Perinde igitur est ac si prosterneret Deus quidquid longo usu receptum erat, atque doctrinae suae autoritate aboleret totius mundi consensum. Hoc consilio non semel tantum, ut ante vidimus, legem suam considerari iubet, ne se ad obscoenas libidines prostituant Israelitae: sed diligenter inculcat, ut se intra metas custodiae legis, omni abusu valere iusso contineant. Huc etiam spectat quod dicit: Ego Iehova Deus vester: quia subest tacita inter ipsum comparatio et profanas gentes, a quibus populum suum subduxerat, quasi interposita maceria.

6. *Nemo ad propinquam.* Non omnes consanguineas hoc nomen complectitur, quia patrueli vel consobrino permittitur amitinam vel consobrinam ducere: sed restringi debet ad species quas continuo post enumerat: nam breviter praefatur Deus certos esse cognationis gradus, qui incestuosa coniugia faciunt. Propinquas ergo sanguinis recte definies, de quibus continuo post agitur, nempe, ne filius cum matre, privignus cum noverca, patruus et avunculus cum nepte, avus etiam cum nepte, frater cum sorore germana, nepos cum amita vel matertera, vel cum uxore patrui, vel socer cum nuru, ne levir cum uxore fratris, ne vitricus cum privigna se misceat. Ordini divinitus praescripto consentiunt romanae leges, ac si ex Mose didicissent earum autores quid honestum sit et naturae consentaneum. Forma vero loquendi qua subinde utitur Deus, revelare turpitudinem, ad gignendam detestationem valet, quo diligentius sibi caveant Israelitae ab omni incestu. Vox quidem hebraica ערוה nuditatem significat, ideo quidam active exponunt, Nuditatem patris: uterum quem discooperuit pater: verum sensus hic non quadraret nuditati filiae, vel nurus, vel sororis. Ergo non dubium est quin Moses foedum aliquid et pudendum notet. Porro tenendum est quod iam attigi, non tantum damnari incestuosos coitus extra coniugium, sed gradus designari in quibus illicita sunt coniugia. Verum quidem est hanc esse partem ordinis politici quem in veteri populo statuit Deus: tenendum tamen simul est, quidquid praecipitur, ex ipso rectitudinis fonte sensuque nobis divinitus ingenito esse sumptum. Itaque praeposterum acumen affectant quidam in scriptura male exercitati, dum iactant, lege abrogata solutum esse vinculum quo suos adstrinxit Moses. Neque enim simpliciter politicam esse hanc doctrinam, vel debere censeri, ex praefatione nuper exposita colligitur. Quoniam enim omnes vicinas gentes abripuerat libido ad incestus, ut pudicitiam Deus populo suo commendet: Ego, inquit, sum Iehova Deus vester, statuta mea servate, secundum morem terrae Aegypti et Chanaan ne ambuletis. Mox vero subiicit, quinam et quot gradus cognationis vel affinitatis viros et feminas arceant a coniugio. Si quis rursus excipiat, non habendum esse pro iure gentium quod in multis regionibus contemptum fuit, prompta est responsio: barbariem quae in oriente grassata fuit, non exstinguere verecundiam quae gentium abominationibus opponitur: nam quod naturale est, nullo consensu vel more potest deleri. In summa, prohibitio incestuum de qua nunc agitur, minime est ex legum numero, quae pro temporum et locorum circumstantiis abrogari solent: quandoquidem fluit ab ipso naturae fonte, et fundata est in generali omnium legum principio, quod perpetuum est ac inviolabile: Deus certe morem qui apud profanos invaluerat, sibi displicere asserit. Unde id? nisi quod foeditatem, licet hominum suffragiis probatam, repudiat natura ipsa atque aspernatur? Ergo quum Deus hac nota electum populum separet a profanis gentibus, certo statuere licet, incestus, quos vitari iubet, mera esse inquinamenta. Paulus in re minima nobis obiicit ante oculos ipsam naturae legem: nam ubi docet turpe esse et indecorum, mulieres in publicum prodire nisi velatas, consulere naturam iubet, an deceat ipsas tonso capite in publico versari (1. Cor. 11, 14). Et tandem subiicit: Natura id non patitur. Quare non video cur praetextu legis politicae abolenda sit naturae integritas, ex qua emergit discrimen inter statuta Dei, et gentium corruptelas. Si doctrina haec vel in unius populi utilitate, vel in usu certi temporis, vel in praesenti necessitate, vel in aliis circumstantiis fundata esset, abrogari possent leges inde elicitae novis de causis, aut solvi posset earum observatio in certis personis, privilegio singulari: verum quia in illis ferendis tantum spectata fuit perpetua naturae honestas, ne dispensatio quidem esset tolerabilis. Impune quidem ut liceat statui potest, sicuti in arbitrio principis est poenas remittere: verum ut vitiosum non sit quod vitiosum esse natura dictat, nullus legislator efficiet: quod si quis tyrannica superbia id audeat tentare, emerget tamen oppressum naturae lumen ac praevalebit. Olim quum Claudius imperator uxorem sibi sumpsisset Agrippinam neptem suam, tollendi probri causa, senatus consultum fieri curavit, quo dabatur talibus coniugiis libertas: nemo tamen repertus est qui exemplum imitari vellet, excepto duntaxat liberto uno. Unde agnoscent aequi et moderati homines, etiam apud profanas gentes hoc ius fuisse habitum insolubile, ac si fixum esset et insculptum hominum cordibus.

Hac ratione Paulus, quo acrius incestum privigni cum noverca exagitet, dicit tale exemplum ne inter gentes quidem audiri (1. Cor. 5, 1). Si obiicitur, non prohiberi nos in novo Testamento a talibus coniugiis: respondeo, neque inter patrem et filiam coniugium vetari, neque matri interdici ne filio suo nubat: an ideo promiscue licebit consanguineis inter se coire? Atqui quamvis unam speciem incestus exprimat Paulus, dedecus tamen nobis statuit in exemplo gentium, ut saltem nos pudeat si plus in illis verecundiae et modestiae cernitur. Et certe ad hanc rem altera eiusdem Pauli admonitio mihi sufficit, qui ad Philippenses (4, 8) scribens: Quaecunque, inquit, sunt vera, quaecunque honesta, quaecunque iusta, quaecunque pura, quaecunque accommoda, quaecunque boni nominis, si qua virtus et si qua laus, haec cogitate. Quod ad eos qui ascendunt vel descendunt per rectam lineam, prodigiosa obscoenitas in complexu patris et filiae, vel matris et filii, satis apparet. Lascivus poeta furiosum Myrrhae incestum referre volens: Dira canam, inquit, procul hinc natae, procul este parentes [1]). Iam in linea transversa patruus et avunculus patrem, amita et matertera matrem repraesentant: unde sequitur, a cohabitatione excludi quae ad similem deformitatem accedit. Eadem est affinitatis ratio, quia et noverca vel socrus matris loco, et privigna vel nurus filiae loco reputatur: uxor quoque patrui vel avunculi pro matre habenda est. Et quanquam non fit expressa eorum mentio, ex similitudine tamen iudicium facere convenit quid liceat. Diserte hic non vetatur patruus vel avunculus neptem suam ducere in uxorem: sed quum nepoti interdicitur materterae vel amitae coniugium, valere debet mutua relatio gradus inferioris ad superiorem. Quod si quis differre contendat, ratione apud Mosen addita refellitur cavillum: dicitur enim: Consanguinea patris tui est, vel matris tuae. Unde sequitur, neptem, si avunculo vel patruo nubat, incestu pollui. Quantum ad germanos fratres, etiamsi soror non sit uterina, eius tamen nuptias Deus illicitas esse pronunciat: neque enim vetat solum revelare turpitudinem sororis quae sit patris, sed etiam quae sit matris filia.

16. *Turpitudinem uxoris fratris.* Mali sunt interpretes qui de hoc loco controversiam movent ac exponunt, non esse rapiendam e thoro fratris coniugem, vel, si repudiata fuerit, illicitas esse nuptias vivente adhuc marito. Neque enim convenit torquere in diversos sensus quae uno in loco iisdem verbis pronunciantur. Vetat Deus retegere turpitudinem uxoris patris, et patrui, et filii: quum de fratris uxore eandem sententiam totidem profert verbis, absurdum est diversos sensus fingere. Itaque si fas non est patris vel filii, patrui vel nepotis in matrimonio uxorem habere: unum et idem de fratris uxore sentire convenit, de qua similis prorsus lex uno contextu et tenore perlata est. Nec ignoro unde occasionem errandi sumpserint qui ita sentiunt: nam quia alio loco iubet Deus, si quis absque liberis decesserit, fratrem qui superstes erit, viduam accipere, ut ex ea semen mortuo suscitet: hoc perperam et inscite restrinxerunt ad germanos fratres: quum Deus alios cognationis gradus potius designet. Nota est phrasis linguae hebraicae, quae in genere consanguineos omnes fratrum nomine complectitur, quin etiam Latini olim sic vocarunt patrueles et amitinos. Lex ergo cuius nunc fit mentio, de uxore fratris mortui ducenda, ad eos tantum cognatos dirigitur qui alioqui non impediuntur a tali coniugio: quia Deo propositum non fuit, ne intercidat nomen mortui, incestuosa coniugia permittere, quae alibi damnaverat. Quare haec duo probe simul conveniunt, germanum fratrem prohiberi a coniugio viduae fratris, et tamen propinquos iure cognationis obstringi ad semen mortuis suscitandum: ubi liberum alioqui ex praescripto legis coniugium est. Hac ratione Booz uxorem duxit Ruth quae ante nupta fuerat eius consanguineo: et ex historia satis patet, legem ad omnes consanguineos spectasse. Quod si quis adhuc contendat, fratres germanos in hoc numero comprehendi, eadem ratione ducenda socero in uxorem fuisset nurus, et uxor nepotis patruo, imo et privigno noverca: quod dictu pudendum est. Si quis obiiciat filios Iudae Her, et Honan, et Sela, fuisse germanos, Thamar tamen duobus nupsisse: solutio in promptu est, Iudam ex communi et recepto gentium more hac licentia non recte fuisse usum. Satis patet omnium temporum historiis, apud gentes orientales foedas mixturas, neglecto pudore, fuisse in coniugiis. Mala igitur consuetudine (ut fieri solet) tractus fuit Iuda ut eandem daret uxorem filio secundo, quae ante fuerat uxor primogeniti. Et hoc etiam flagitium inter gentes grassatum esse exprimit Deus, ubi incestus damnat. Hoc igitur tanquam indubium retineo, lege Mosis vetitum esse coniugium cum vidua fratris germani.

18. *Mulierem quoque cum sorore.* Hoc loco freti quidam protervi homines, licere volunt, si quis uxore privatus sit, germanam eius sororem ducere, quia restrictio addita est: Ne viva priore alteram accipiat. Unde colligunt non prohiberi quin succedat in demortuae locum. Verum expendere decebat legislatoris consilium, ex disertis eius verbis: quia non tantum incestus, vel turpitudinis fit mentio, sed zelotypiae et rixarum quae inde oriuntur. Si tantum dictum esset: Ne discooperias turpitudinem, non sine colore obtenderent: viduitate liberum fieri maritum ad ducendam alteram uxorem: verum

1) *Ovid. Metam* X. 300.

ubi exprimitur diversus legis finis, ne iurgiis et contentionibus vexetur quae bona fide nupsit, certum est hac exceptione fraenari polygamiae licentiam, ut Israelitae contenti una iniuria, saltem sorores non committerent in hostile certamen. Iam nimis iniqua erat primae uxoris conditio ubi cogebatur aemulam et pellicem ferre, sed assidue rixari cum sua consanguinea minus tolerabile erat. Itaque nomen sororis non restringitur solum ad germanas, sed propinquas etiam comprehendi existimo, quarum alioqui incestuosae non fuissent nuptiae. In summa, non tam incestus damnatur quam mariti crudelitas, si velit cognatam uxoris suae superducere. Nec vero aliter ex verbis Mosis statuere licet: nam si retegitur fratris turpitudo, ubi frater eius viduam ducit, non minus retegitur turpitudo sororis, quum eius marito post viduitatem nubit altera soror. Caeterum hinc perspicitur diabolica papae superbia, qui novos excogitando propinquitatis gradus, supra Deum sapere voluit. Astutia quoque eius se prodit, quod ex hoc genere aucupii uberem fecit quaestum. Quia tamen longo usu receptum est ne consobrinus vel patruelis sororem suam ducat, offensionis habenda nobis ratio est, ne importuna libertas evangelium exponat multis probris: ac tenenda Pauli admonitio, ut abstineamus etiam a licitis, nisi ita expediat (1. Cor. 9, 25).

Deuter. 22, 30. *Non accipiet quisquam.* Quia hoc loco nullos alios incestus attingit Moses, sed de noverca seorsum praecipit, verisimile est quae prolixe tradiderat, breviter sub una specie in mentem revocasse Israelitis. Certe unius sceleris prohibitio aliis inquinamentis ianuam non aperit. Quod addit, Ne retegas oram patris, tantundem valet ac nudari patris opprobrium, ubi abiecta verecundia, privignus ad novercam ingreditur: Forte ad factum Cham alludit, qui patris ignominiam vulgando, suam impietatem prodidit.

EX LEVIT. XX.

11. *Quicunque concubuerit cum uxore patris sui, turpitudinem patris sui revelavit: moriendo morientur ambo, sanguis eorum super eos.* 12. *Vir qui coierit cum nuru sua, moriendo morientur ambo: flagitium admiserunt, sanguis eorum super eos.*

EX EODEM CAPITE.

14. *Qui acceperit mulierem et matrem eius, scelus est: igni comburent illum et illas, ne sit scelus in medio vestri.*

EX EODEM CAPITE.

17. *Quisquis acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suae, et viderit turpitudinem eius, ipsaque viderit turpitudinem illius, foeditas est: propterea succindentur ambo coram oculis populi sui: turpitudinem sororis suae revelavit, iniquitatem suam feret.*

EX EODEM CAPITE.

19. *Turpitudinem sororis matris tuae et sororis patris tui non discooperies: quia propinquam suam nudavit, iniquitatem suam portabunt.* 20. *Quisquis dormierit cum uxore fratris patris sui, turpitudinem fratris patris sui revelavit, iniquitatem suam portabunt, orbati morientur.* 21. *Qui acceperit uxorem fratris sui, opprobrium est, turpitudinem fratris sui revelavit, orbati erunt.* 22. *Custodite itaque omnia statuta mea, et omnia iudicia, et facite ea, ut non evomat vos terra in quam ego introduco vos ut illic habitetis.* 23. *Neque ambuletis in statutis gentis quam ego eiiciam a facie vestra: omnia enim ista fecerunt, et detestatus sum eas.* 24. *Vobis autem dixi: Possidebitis terram eorum, quam ego daturus sum vobis ut haereditate eam possideatis, terram fluentem lacte et melle: ego Iehova Deus vester qui separavi vos a populis.*

Nihil hic novum occurrit, quia Mosis consilium fuit, poenis iniunctis, doctrinam nuper expositam sancire. Incestuosa coniugia ante damnando, Israelitas coram Deo sistere voluit, ut a scelere abhorrerent eorum conscientiae, quamvis nullum a terrenis iudicibus metum incuteret. Nunc vero poenae quoque metu eôs terret, si qui nimis secure sibi indulgeant. Verberibus autem non castigat incestuosos: ac si levi tantum delicto obstricti essent: sed crimen pronunciat capitale esse si quis a iure naturae desciverit: ac primo quidem novercam et privignum morti addicit si inter se coierint. Idem quoque statuit de socero et nuru. Tertio de vitrico et privigna. Quod vero [ubi matri et filiae quispiam simul se permiscet], poenam ad matrem quoque extendit, intellige, si ipsa quoque in nefandam permistionem consenserit. Nam si quis invita matre filiam alliciat in societatem thori, quae resistere non potuit quum vellet, extra culpam est. Eadem iniungitur poena fratri et sorori germanis, similiter nepoti et materterae, vel amitae. Praeterea ad affinitatem extenditur, si quis cum uxore patrui sui vel fratris sui germani cohabitet. Alibi autem exposuimus quid valeat haec loquutio: Sanguis eorum super eos, nempe causam mortis non aliis

esse imputandam, quam tanti sceleris autoribus, ne iudices, humanitatis praetextu, severitatem refugiant: ut saepe contingit eos ad inanem clementiae speciem deflectere qui non satis expendunt atrocitatem mali. Interea oblique subindicat Moses, si venia detur noxiis, provocari hoc modo vindictam in totum populum: quia impunitate fovetur iniquitas, donec instar diluvii exundet. Iam poena orbitatis crimini respondet, quia iustum est steriles e mundo exterminari, qui adulterino semine sanctum Abrahae genus corrumpere tentarunt.

22. *Custodite itaque.* Iam tertio Israelitas a gentium imitatione retrahit, atque ut se contineant intra fines legis hortatur. Quod non temere fieri admonui, quia alioqui proclivis fuisset lapsus in approbationem malae consuetudinis. Porro ne iugum excutiant, postquam dixit gentes Chanaan ob eiusmodi inquinamentum deleri, adiungit, hac conditione ipsos fieri terrae haeredes, ut separentur a profanis illarum moribus.

EX DEUT. XXV.

11. *Quum rixati fuerunt viri simul alter cum altero, et accesserit uxor unius ut eruat maritum suum e manu percutientis eum, et immiserit manum suam, apprehenderitque pudenda eius:* 12. *Tunc abscindes manum illius, nec oculus tuus parcet.*

Dura lex in speciem, sed ex cuius rigore apparet quantopere placeat Deo verecundia, et rursus impudentiam abominetur. Quod si in pugnae fervore, ubi animi perturbatio intemperiem excusat, mulieri capitale fuit pudenda alieni viri arripere, multo minus ignosci voluit Deus lasciviae, si qua mulier libidine impulsa tale aliquid tentasset. Neque enim dubium est quin iudices, in vindicanda obscoenitate, ratiocinari debuerint a minori ad maius. Additur etiam comminatio ne poenae asperitas animos inflectat, ut molles sint atque remissi in exsequenda hac vindicta. Nec vero excusabilis fuit protervia, consulto invadere partem illam, cuius aspectum et contactum castae omnes feminae naturaliter refugiunt.

EX DEUT. XXII.

12. *Fimbrias facies tibi in quatuor oris operimenti tui, quo operies te.*

Haec quoque fuit pars castitatis, vel accessio, curam habere pudoris in vestitu. Nam quia tunc femoralium usus non erat, si forte retectae essent partes pudendae, ianua multis flagitiis aperiebatur, et multi hac licentia quasi per errorem abusi fuissent ad libidinis illecebras: quin etiam videmus eo intemperantiae quosdam ruere ut suam lasciviam cum dedecore iactent. Deus ergo lacinias vestium sic voluit ligulis vel laqueolis adstringi, ut ne casu quidem posset discooperiri quod honeste et verecunde non aspicitur. Quod si ad vestitum usque divinitus provisum fuit, ut pudicitiam coleret electus populus, et sedulo caveret ab omni probro, satis aperte liquet non modo adulteria fuisse damnata, sed quidquid purae castitati repugnat. Perperam locus hic de fimbriis exponitur quae ad renovandam legis memoriam vestibus assuebantur: quia hic decorum solummodo et honestas spectantur.

EX DEUT. XXII.

5. *Mulier non feret arma viri, nec induet vir muliebre vestimentum: quia abominatio Iehovae Dei tui est quicunque haec facit.*

Haec etiam sententia in genere pudicitiam commendat, ubi periculo Deus occurrit, ne mulier audaciam colligat excutiendae modestiae, aut vir in mollitiem natura sua indignam degeneret. Vestitus per se non adeo esset magni momenti: sed quia viros effeminari turpe est, sicuti mulieres appetere virile in gestu et habitu robur, continentia et modestia praecipitur, non tantum decoris causa, sed ne genus unum licentiae aliquid tandem deterius gignat. Verissimum namque est illud profani poetae [1]):

Quem praestare potest mulier galeata pudorem
Quae fugit a sexu?

Optima igitur pudicitiae custodia est, honesta vestitus forma.

---

1) *Iuvenal. Sat.* VI. 252.

OCTAVUM PRAECEPTUM.

EX EXODI XX.

15. *Non furaberis.*

REPETITIO EIUSDEM PRAECEPTI. EX DEUT. V.

19. *Non furaberis.*

Quando caritas est finis legis, inde petenda est definitio. Haec porro caritatis regula est, ut ius suum cuique salvum maneat, nec quisquam alteri faciat quod sibi non vult fieri. Unde sequitur, non solum eos furari qui res alienas clam surripiunt, sed qui ex aliorum damno lucrum captant, illicitis artibus opes accumulant, magis ad privatam utilitatem quam ad aequitatem attenti sunt. Ita sub furto comprehenduntur rapinae, quia nihil interest fraudene an violentia proximum quis spoliet. Verum quo melius suos Deus prohiberet ab omni iniusta fraudatione, furandi verbum posuit: quod ut probrosum, omnes naturaliter exhorrent. Scimus enim quam variis integumentis maleficia sua homines sepeliant, neque id modo, sed etiam falsis coloribus in laudem vertant. Vafrities et prava calliditas vocatur prudentia: providus ac circumspectus dicitur qui alios astute circumvenit, qui illaqueat simplices, ac miseros insidiose opprimit. Quum ergo mundus vitia pro virtutibus venditet, atque ita libere sibi omnes indulgeant, Deus fucum omnem abstergit, quaslibet iniquas lucrandi artes pronuncians totidem esse furta. Quod ius ne miremur apud coeleste tribunal statui, quando a philosophis eadem prope tradita est doctrina. Iam memoria tenendum est, prohibitioni annexum esse affirmativum praeceptum, ut loquuntur: quia si ab omni maleficio abstinuerimus, non ideo protinus satisfactum erit Deo, qui homines mutuo inter se obstrinxit, ut alii aliis prodesse, consulere, et opitulari studeant. Quare minime dubium est quin liberalitatem ac beneficentiam, aliaque quibus humana societas fovetur officia, commendet. Ac proinde ne pro furibus apud Deum damnemur, quoad licebit danda erit opera ut cuique salvum maneat quod possidet, et procuranda fratrum utilitas non minus quam nostra.

EXPOSITIO PRAECEPTI. EX LEVIT. XIX.

11. *Non furabimini et non negabitis, neque mentiemini quisque proximo suo.*

EX EODEM CAPITE.

13. *Non opprimes proximum tuum, neque rapies: nec morabitur opus mercenarii apud te usque mane.*

Hic paulo clarius mentem suam et consilium Deus explicat, quia furandi species enumerat, ubi fallaciter agitur, vel grassatur violentia. Duo verba, quorum alterum negare, alterum mentiri vertimus, etiam fallere significant: sicut mentiri, vel spem frustrari. Non dubium igitur est quin ab omni astu et fraude suos revocet Deus, ut sincere et bona fide mutuo inter se versentur: sicuti Paulus scite consilium spiritus sancti exponit, dum fideles hortatur ut deposito mendacio loquatur quisque veritatem cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra (Ephes. 4, 25). Secundo loco modeste et temperanter versari iubet cum proximis, ut ab omni iniusta oppressione abstineant. Quod Hieronymus et alii post eum pro verbo עשק reddunt Calumniari, alienum est: passim enim accipitur pro opprimere, spoliare, praedari, et occupare aliorum bona. Certum igitur est, sicuti ante fraudibus remedium adhibuit Moses, ita nunc improbitati occurrere, ne quis a proximo suo extorqueat quod aequum non est. Quanquam altero verbo גזל violentia magis exprimitur, vel aperta direptio: sunt enim (meo iudicio) haec duo verba tanquam genus et species. Postquam ergo vetuit quovis modo fratres opprimere, et involare in eorum bona, simul addit, ne vim afferant ad eos inique spoliandos. Tandem modum unum iniustae oppressionis designat, ubi fraudatur sua mercede qui operam suam locavit, non modo si vacuus eiicitur, negata laboris mercede, verum si differtur in crastinum. Scimus enim mercenarios ut plurimum in diem vivere, ideoque si tantillum morae iniicitur, redigi ad inediam. Ergo si dives miserum et inopem hominem, cuius sudore abusus est, suspensum teneat, quodammodo ipsum iugulat dum privat illum quotidiano victu. Summa est, ita colendam esse humanitatem, ne

quis gravetur, vel ex maligna solutione damnum accipiat.

EX DEUT. XXIV.

14. *Non opprimes mercenarium pauperem et egenum e fratribus tuis, et ex peregrinis tuis qui sunt in terra tua, intra portas tuas.* 15. *Die suo reddes mercedem eius, neque occumbet super eam sol: quia pauper est, et ea sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Iehovam, et sit in te peccatum.*

EX DEUT. XXV.

4. *Non obligabis os bovi trituranti.*

14. *Non opprimes.* Praeceptum hoc proximo est affine. Interpretatur autem Moses, pauperem qui mercede conductus fuerit, opprimi nisi statim pro labore satisfiat, quandoquidem haec duo coniunctim legenda sunt: Ne opprimas, sed statim persolvas mercedem. Unde sequitur, si penuria laboret mercenarius, quia non solvimus quod meritus est, in sola dilatione nos iam iniustitiae convinci. Clarius nunc exprimitur ratio, quia vitam sustentat diurnis operis. Etsi autem hic pauperibus tantum consulitur, ne esuriant divitum negligentia vel superbia: commendatur tamen in genere humanitas, ne ubi pauperes in nostram utilitatem desudant, fastuose tanquam mancipiis abutamur, nec simus nimis restricti vel tenaces: quia nihil magis indignum, quam ubi nobis servierint, non saltem habere unde tenuiter victitent. Tandem admonet Moses non impune divitibus cessuram esse tyrannidem, nisi victum suppeditent operariis: tametsi in foro terrestri apud homines reddenda non sit ratio. Unde colligimus, hanc legem non esse politicam, sed prorsus spiritualem, quae conscientias obstringit apud coeleste Dei tribunal. Quamvis enim non litiget pauper, ac nemo causam eius suscipiat, sufficere docet Moses si Dei fidem imploret. Quare ubi nos centies iudex terrenus absolverit, ne ideo putemus nos esse elapsos: quia e coelo semper reposcet Deus quod nobis inique in terra fuerit remissum. Hic tamen quaeritur, si obmutescat qui oppressus est, an eius silentio crimen evanescet. Videtur enim Moses id suis verbis innuere, ubi reos fore pronunciat divites si ad Deum clament pauperes, et de illorum iniquitate querantur. Responsio facilis est, nihil aliud Mosi fuisse propositum quam superbis contemptoribus excutere inanem confidentiam, qua incitantur ad maiorem peccandi audaciam, et ad maleficia obdurescunt. Dicit igitur, quamvis per homines liberum sit praedari et rapere, metuendum tamen esse gravius iudicium: quia Deus inopum querimonias exaudit, qui nullum in mundo patronum aut vindicem reperiunt. Et certe quo placidius feret iniuriam qui spoliatus est, eo paratior erit Deus ad suscipiendam eius causam: nec alius magis est sonorus clamor apud ipsum quam tolerantia. Si autem quis obiiciat, clamorem de quo hic agitur, pugnare cum Christi praecepto, ut bene precemur inimicis: etiam in promptu solutio est, Deum non semper vota probare quae tamen exaudit. Venit imprecatio Ioathan filii Gedeon super Sichemitas (Iudic. 9, 20): quam tamen ex immodico iracundiae fervore conceptam fuisse certum est. Adde quod interdum miseri, quamvis pia mansuetudine iniurias perferant, non tamen desinunt dolores suos et gemitus deponere in sinum Dei. Porro hinc non vulgare solatium pauperibus, quod, si nemo illis in terra succurrit, quia vilis est et abiecta eorum conditio, Deus tamen futurus est causae ipsorum cognitor.

25, 4. *Non obligabis os.* Proprie quidem hic locus est ex appendicibus praecepti, sed quia proximae sententiae confirmatio est, visa fuit apta connexio: praesertim quum Paulus idoneus interpres exponat non aliud fuisse Dei consilium quam ne operarius fraudetur iusta mercede. Nam ubi de alendis evangelii ministris disserit, testimonium hoc ad causam accommodat (1. Cor. 9, 10). Ac ne quis exciperet aliam esse boum rationem quam hominum, subiicit boves Deo non esse curae, sed propter eos qui laborant id esse dictum. Interea tenendum est: ita homines institui ad aequitatem, ut in ea colenda se erga bruta quoque animalia exerceant. Scite enim Solomo (Prov. 12, 10) iniustitiam qua proximus laeditur, hac comparatione amplificat, quod vir iustus habet curam iumenti sui. Summa est, ut quod aequum est sponte et liberaliter solvamus, et sibi quisque exactor sit ad praestandum officium: quia si brutis animalibus debentur alimenta, multo minus, ut ius suum obtineant homines, exspectanda est eorum flagitatio.

EX EXODI XXII.

21 [1]). *Peregrinum non opprimes, neque spoliabis: quia peregrini fuistis in terra Aegypti.* 22. *Nullam viduam nec pupillum affligetis.* 23. *Si affligendo afflixeritis eum, certe si clamando clamaverit ad me, audiendo audiam clamorem eius.* 24. *Irasceturque*

1) Hebr. 20 ss.

furor meus, et occidam vos gladio, eruntque uxores vestrae viduae, et filii vestri pupilli.

EX LEVIT. XIX.

33. *Si peregrinatus tecum fuerit peregrinus in terra vestra, non opprimetis illum.* 34. *Tanquam indigena ex vobis, erit vobis peregrinus qui peregrinatur apud vos, et diliges eum sicut te ipsum: quia peregrini fuistis in terra: ego Iehova Deus vester.*

Levit. 19, 33. *Si peregrinatus.* Antequam ad alias iniquitates transeam, praeceptum hoc inserere visum est, ubi iubetur populus sine exceptione cum omnibus colere aequitatem. Nam si nulla peregrinorum facta fuisset mentio, putassent Israelitae, modo ex sua gente neminem laesissent, se prorsus officio esse defunctos: dum autem hospites, et inquilinos perinde atque consanguineos illis commendat Deus, inde agnoscunt aequitatem semper et cum omnibus colendam esse. Nec vero temere Deus se ac suum patrocinium opponit, ne peregrinis fiat iniuria. Nam quia neminem habent qui odium subire velit pro ipsorum defensione, improborum violentiae et oppressionibus quibuslibet magis sunt obnoxii, quam si domesticis praesidiis muniti essent. Eadem in pupillis et viduis mulieribus ratio: mulier ob infirmitatem sexus, nisi lateat sub mariti umbra, exposita est variis noxis: pupillis quibus nihil consilii suppetit, multi insidiantur, ac si essent eorum praeda. Quoniam itaque ita destituti sunt humanis auxiliis, succurrit Deus ad opem ferendam: ac si iniuste vexentur, vindicem se fore pronunciat. Priore loco peregrinis adiungit pupillos, et viduas, in altero nominat solos peregrinos: summa tamen eodem redit, eos omnes qui orbati sunt et nudati terrenis opibus, sub Dei tutela et patrocinio esse, protegique eius manu: ut ita compescatur eorum audacia qui sibi impune cessurum confidunt scelus quodlibet, modo nemo in terra resistat. Nulla quidem iniquitas manebit inulta apud Deum, sed peculiaris est ratio cur Deus peregrinos, viduas et pupillos se recipere in fidem suam testetur: quia ubi magis grassatur malum, praesentiore remedio opus est. Peregrinos hoc nomine commendat, quod populus qui peregrinatus fuerat in Aegypto, antiquae suae conditionis memor, humanius erga hospites se gerere debebat. Etsi enim indigna tyrannide oppressi tandem fuerant, exordium tamen illis considerandum fuit: quod scilicet illuc patres eorum compulerat penuria et fames, et quum alienae opis essent indigi, hospitaliter accepti fuerant. Ubi denunciat, si viduae afflictae et pupilli clamaverint, eorum clamorem auditum iri, non intelligit se desidem fore si taciti perferant iniurias: sed pro communi more loquitur, quia ad ipsum provocare solent qui nusquam alibi reperiunt solatium. Interea sciamus, quamvis abstineant a querimoniis qui laesi sunt, Deum tamen partium suarum minime oblivisci, ut ad scelera conniveat. Imo nihil acrius eum ad sumendam de improbis vindictam exstimulat quam servorum suorum tolerantia. Exprimitur etiam poenae genus: qui viduis et pupillis molestiam intulerint, gladio perituros, ut eorum viduae et pupilli improborum audaciae, violentiae et fraudibus subiaceant. Porro notandum est quod secundo loco iubentur exteros et inquilinos perinde ac se ipsos diligere. Nam inde apparet nomen proximi non restringi ad consanguineos vel similes quibuscum propior est necessitudo, sed patere ad totum humanum genus: sicuti ostendit Christus in persona Samaritani, qui hominis incogniti misertus, officium humanitatis praestitit, a Iudaeo atque etiam Levita neglectum (Luc. 10, 30).

EX DEUT. X.

17. *Deus non accipit personam, neque recipit munus.* 18. *Faciens iudicium pupillo et viduae, diligens peregrinum, dando et panem et vestimentum.* 19. *Diligite igitur peregrinum, quia peregrini fuistis in terra Aegypti.*

Confirmat superiorem sententiam ab ipsius Dei natura. Facit enim vilis et abiecta conditio eorum quibuscum nobis negotium est, ut petulantius eos vexemus: quia videntur prorsus deserti. Atqui Deus negat miseram eorum sortem obstaculo esse quominus ipsis succurrat, quia personas non respicit. Nomine vero personae intelligitur vel splendor, vel obscuritas, ac externa species, quam vulgo apparentiam nominant, quemadmodum ex multis locis colligitur. In summa, Deus se facit hominibus dissimilem, quos rapit exterior conspectus, ut divites honore prosequantur, inopes odio: pulchris vel disertis faveant, contemnant deformes. Ergo προσωποληψία est perversum iudicium quod nos a causa abducit, dum mentes nostras praeoccupat quod non debebat venire in rationem. Ideo Christus rectum iudicium esse docet quod non fertur secundum personas: quia nunquam dominatur veritas et rectitudo nisi dum ad rem ipsam attendimus. Sequitur, non impune laedi contemptibiles, quia si destituuntur humano auxilio, Deus qui in excelso sedet, humilia respicit (Psal. 138, 6). Quoad peregrinos, [eos sibi curae esse probat Deus, quod in illis alendis et vestiendis sit beneficus: deinde] specialis rursum adducitur ratio, quia Israelitae olim quum inqui-

lini essent in Aegypto, indiguerint aliena misericordia.

EX LEVIT. XIX.

35. *Non facietis iniquitatem in iudicio, in dimensione, in pondere et mensura.* 36. *Statera iusta, pondera iusta, epha iustum, et hin iustum erit vobis.*

EX DEUT. XXV.

13. *Non erit tibi in sacculo tuo pondus et pondus, maius et minus:* 14. *Non erit tibi in domo tua modius et modius, maior et minor.* 15. *Pondus perfectum et iustum erit tibi, modius perfectus et iustus erit tibi, ut proroges dies tuos super terram quam Iehova Deus tuus dat tibi.* 16. *Quia abominatio Iehovae Dei tui est quicunque facit haec, omnis faciens iniquitatem.*

Levit. 19, 35. *Non facietis iniquitatem.* Si iudicium stricte accipias, speciale erit praeceptum, ut iudices fideliter cuique ius suum reddant, neque evertant bonas causas favore vel odio. Verum quia nomen משפט pro rectitudine saepe capitur, non male conveniet, in genere damnari omnes iniquitates integritati contrarias: deinde ad species descendi, quas altero loco prosequitur: ubi furta commemorat prae aliis maxime noxia, et quae crassam publici iuris violationem secum trahant. Corruptio enim quae ad evertenda iudicia tendit vel rectitudinem [labefactando, contractus omnes vitiat], nihil relinquit salvum: falsitas autem in ponderibus et mensuris omnes legitimas contrahendi rationes tollit et abolet. Porro corrupto vendendi et emendi iure, quodammodo dissipatur hominum societas, ut parum differat qui in aequalitate ponderis vel mensurae fallit, ab eo qui supponit nummos adulterinos. Quare inter falsarios numeratur qui mensuras publice probatas, vini, frumenti, vel rei cuiuslibet corruperit, sive emptor sive venditor. Ac in duplum quidem legibus Romanis damnatur: verum decreto suo Adrianus in insulam relegat [1]). Quare non abs re iterum eandem sententiam repetit Solomo (Prov. 20, 10), quo melius eam defigat in omnium cordibus. Etsi autem pestis haec minime ferenda est, sed acriter vendicanda, Deus tamen, etiamsi cessent legum poenae, conscientias ad tribunal suum revocat: idque tam promittendo quam minando. Pondus aequum, inquit, et iusta mensura prorogabunt homini vitam: qui vero in his deceperit, abominatio est coram me. Improprie quidem iustis ponderibus et mensuris adscribitur vitae diuturnitas: sed quia avari impium lucrum captando, nimis attenti sunt ad caducam hanc vitam, Deus ut suos a caeca illa et praecipiti cupiditate retrahat, longam vitam promittit, si a dolo malo et perverso quaestu sibi caveant. Caeterum ex fine cognoscitur, non modo in una hac parte, sed in omnibus negotiis damnari fallacias omnes quibus proximi fraudantur. Postquam enim dixit Deum abominari qui haec faciunt, mox explicandi causa subiicit: Quisquis facit iniquitatem. Videmus ergo, ut malis omnibus et illicitis lucrandi artibus occurrat.

1) Modestin. ad legem Corn. de falsis.

EX DEUT. XIX.

14. *Non transferes terminum proximi tui quem finierint maiores in haereditate tua, quam haereditate accipies in terra quam Iehova Deus tuus dat tibi ut possideas eam.*

Hic damnatur furti genus quod severe Romanis legibus vindicatum est. Nam ut certa sit cuique sua possessio, terminos finiendis agris positos manere intactos oportet, ac si sacri essent. Qui terminum fraudulenter avellit, hoc uno sceleris satis convictus est, quod dominum legitimum ex quieta agri possessione deturbat: qui vero metas agri sui cum alterius dispendio longius producit, crimen duplicat, falsitate furtum tegendo. Unde etiam colligitur, fures esse non modo qui rem alienam manu auferunt, qui pecuniam tollunt ex arca, vel ex cellis et horreis praedantur, sed etiam qui fundos alienos iniuste occupant.

EX EXODI XXII.

26 [1]). *Si in pignus acceperis vestimentum proximi tui, antequam occubuerit sol restitues illud ei.* 27. *Quia ipsum solum est operimentum eius, illud vestimentum eius est cuti suae in quo dormiat, et erit quum clamaverit ad me, tunc exaudiam: sum enim misericors.*

EX DEUT. XXIV.

6. *Non accipiet quisquam pro pignore metam et catillum, quia animam ipse acciperet pro pignore.*

1) Hebr. 25. 26.

EX EODEM CAPITE.

10. ***Quum mutuabis proximo tuo aliquid mutuum, non ingredieris domum eius ut capias pignus eius.*** 11. ***Foris subsistes, et vir cui mutuabis afferet ad te pignus foras.*** 12. ***Quod si vir pauper fuerit, non dormies cum pignore eius.*** 13. ***Restituendo ei restitues pignus dum sol occumbit: ut dormiat in vestimento suo, et benedicat tibi: eritque tibi in iustitiam coram Iehova Deo tuo.***

EX EODEM CAPITE.

17. ***Non pervertes iudicium pupilli et peregrini, non capies in pignus vestimentum viduae.*** 18. ***Recordare quod servus fueris in Aegypto, et redemerit te Iehova Deus tuus inde: idcirco praecipio tibi ut hoc facias.***

Deut. 24, 6. *Non accipiet.* Alteram nunc aequitatem in ratione mutuandi commendat in pignoribus exigendis, ubi saepe ultra modum gravantur pauperes. Primo autem loco vetat accipere in pignus quidquid ad vitam tolerandam pauperibus necessarium est. Nam in vocibus catilli et metae, vel molae superioris et inferioris, per synecdochen alia quoque instrumenta designat, quibus ad victum quotidie quaerendum carere nequeunt opifices. Quemadmodum si quis agricolae aratrum, ligonem, rastrum, aliaque extorqueat, vel officinam exinaniat sutoris, sive figuli, sive alterius cuiuspiam, qui artem suam exercere non poterit, instrumentis privatus: quod satis elicitur ex ipso contextu, ubi subiicitur: Una cum molis animam oppignorari. Crudelis ergo est quisquis in pignus sumit quod pauperis vitam sustinet, ac si victum eriperet famelico, adeoque vitam ipsam, quae ut labore fovetur, ita ablatis mediis exciditur quodammodo etiam ipsa.

10. *Quum mutuabis.* Alteram iniquitatem in captando pignore compescit, ne creditor domum excutiat, et suppellectilem fratris sui, ut inde pignus suo arbitrio deligat. Nam si detur optio divitibus avaris, nulla mediocritate contenti in optima quaeque involabunt, ac si impetum facerent in viscera inopum: totas denique domos diripient, vel saltem fastidiose hoc vel illud respuendo, miseros propro et pudore afficient. Non vult ergo Deus aliud pignus exigi, nisi quod sponte, pro sua commoditate, debitor extra domum proferet. Ultra etiam progreditur, ne pignus recipiat creditor quod pauperi necessarium esse cognoscet. Exempli gratia, si culcitram in qua dormit, aut vestem stragulam, aut pallium, vel mantile oppignoret. Neque enim aequum est spoliari ut algeat, vel privari aliis subsidiis, quorum usus sine iactura et molestia auferri non potest. Ideo additur promissio, humanitatem hanc Deo gratam fore, quum pauper in veste sibi reddita dormiet. Distinctius tamen loquitur: Benedicet tibi pauper, inquit, atque id tibi in iustitiam reputabitur. Significat autem Deus se exaudire miseri et egeni hominis vota, ne putet dives perditum esse beneficium quod apud hominem abiectum contulerit. Plus quam autem ferrei sumus nisi hoc ad liberalitatem nos propensos reddat, ubi intelligimus, quamvis inopes deficiat facultas bene de nobis merendi in mundo, habere tamen coram Deo quod nobis rependant: nempe, ut nobis gratiam concilient suis precibus. Subest autem tacita comminatio, si duriter cubet pauper, vel si frigeat nostra culpa, Deum exauditurum eius gemitus, ne impunita maneat nostra crudelitas. Quod si ingratus fuerit pauper cui pepercimus: eo tacente clamabit nostra beneficentia ad Deum: sicuti rursum ad provocandam Dei vindictam sufficiet tyrannicus noster rigor, quamvis iniquitatem patienter devoret qui asperius tractatus fuerit. Esse in iustitiam tantundem valet ac Deo probari, vel gratum esse opus. Nam quum legis observatio vera sit iustitia, id etiam elogium extenditur ad singulas obedientiae partes. Quanquam notandum est, hanc iustitiam defluere et evanescere, nisi numeris omnibus compleamus quaecunque Deus praecipit. Iustitiae quidem pars est, reddere pignus egeno: verum si quis in hac tantum parte beneficus sit, aliis modis praedetur suos fratres: vel si purus ab avaritia, violentiam exerceat, libidini sit deditus vel crapulae, particularis iustitia, quamvis per se Deo placeat, non veniet tamen in rationem. Ac omnino tenendum est illud axioma, nullum opus coram Deo censeri iustum, nisi profectum a puro et integro homine: neminem vero talem reperiri. Unde sequitur non aliter imputari opera in iustitiam, nisi quia Deus fideles gratuito favore dignatur. Per se quidem verum esset, quamcunque obedientiae partem Deo praestemus, id pro iustitia reputari: nempe si totus vitae contextus respondeat: verum a nobis nullum opus prodit quod non vitietur aliquo defectu. Ita ad misericordiam Dei confugiendum est, ut nobis reconciliatus, opera quoque nostra accepta habeat. Quod de pauperibus ante praeceperat, tandem ad solas viduas transfert: sic tamen ut sub earum nomine omnes inopes commendet. Quod tam ex principio versus, ubi ex bono et aequo agendum esse docet cum peregrinis et pupillis, quam ex ratione addita colligitur: nempe, ut cogitent se servos fuisse in terra Aegypti. Conditio enim illa non patiebatur, ut miseris superbe insultarent: et consentaneum est, alterius malis magis affici qui eadem expertus est. Porro quum generalis sit haec ratio, generale quoque praeceptum esse apparet, ut humani sint erga quoslibet egenos.

EX EXODI XXII.

25.[1]) *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui est tecum, non eris ei sicut usurarius: non imponetis ei usuram.*

EX LEVIT. XXV.

35. *Si attenuatus fuerit frater tuus, et vacillaverit manus eius apud te, fulcies*[2]) *illum: peregrinum et advenam: et vivet tecum.* 36. *Non accipies usuram ab eo et augmentum sed timebis Deum tuum: vivetque frater apud te.* 37. *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, nec cum augmento dabis escam tuam.* 38. *Ego Iehova Deus vester qui eduxi vos de terra Aegypti, ut darem vobis terram Chanaan, ac essem vobis in Deum.*

EX DEUT. XXIII.

19.[3]) *Non foenerabis fratri tuo foenus pecuniae, foenus cibi, foenus cuiuscunque rei in qua foenus exercetur.* 20. *Extraneo foenerabis, ac fratri tuo non foenerabis: ut benedicat tibi Iehova Deus tuus in omni applicatione manus tuae super terram ad quam ingrederis, ut possideas eam.*

His locis docemur non sufficere si quis ab alieno sibi temperet, nisi vigeat humanitas, et misericordia ad pauperes sublevandos. Viderunt id quoque profani scriptores, licet non satis dilucide: quum omnes hominum causa geniti sint, non recte coli vitae communitatem, nisi inter se officia conferant. Ergo, ne proximos fraudemus, atque ita reputemur coram Deo fures, discamus quoad feret cuiusque facultas, in eos qui ope nostra indigent, esse benefici. Pars enim iustitiae est liberalitas, ubi merito iniustus censeri debeat qui fratrum necessitati non succurrit ubi potest. Huc pertinet Solomonis exhortatio (Prov. 5, 15), ut bibamus aquam e fontibus nostris, et deriventur rivi ad proximos. Postquam enim iussit singulos suo contentos esse, nec copiam appetere ex aliorum dispendio, simul adiungit, non recte suis operibus frui qui abundant, nisi cum pauperibus communicent ad levandam eorum inopiam. Ideo enim obviant sibi dives et pauper, quemadmodum alibi dicit Solomo (Prov. 22, 2), et utrisque communis est creator Deus.

Exodi 22, 25. *Si pecuniam.* In ratione mutuandi maxime vigere debet humanitas, praesertim ubi quis ad extrema redactus, divitis misericordiam implorat. Haec enim vera demum est caritatis probatio, ubi secundum Christi praeceptum (Luc. 6, 34) absque spe mutuum damus. Non agit illic de usuris, ut falso putarunt, ac si gratis et sine spe quaestus mutuum dare iuberet. Sed quia ut plurimum mutuando captatur privata utilitas, ideoque neglectis pauperibus beneficium non locamus nisi apud divites, unde speratur aliqua compensatio: admonet Christus, si divitum gratiam venamur, nullum hoc modo nos specimen caritatis et misericordiae edere. Ideoque aliam largitionis materiam proponit in pauperibus iuvandis, quae plane gratuita est: non solum quia sors periclitatur, sed quia paria facere nequeunt. Antequam tamen ad usuras descendat, egestatem ac miseriam profert, qua flectantur ad misericordiam animi. Si pauperie quis prematur, iubet eius necessitati succurri. Utitur tamen metaphora, ut qui trepidat, roboretur, quasi apprehensa manu. Quod sequitur de peregrino et advena, meo iudicio amplificat vel extendit superiorem sententiam: ac si diceret, quando ne advenis quidem neganda est humanitas, multo magis ferendam esse opem fratribus. Nam quum voluit Deus peregrinis habitationem concedi, pro iure hospitali benigne tractandi fuerunt: vivere enim datur exteris, dum aequa et tolerabilis permittitur conditio. Atque ita oblique subindicat Deus, expelli et abigi miseros ne vivant, si iniustis oneribus premuntur. Haec igitur summa est primae sententiae, ut dives cui suppetit facultas, pauperem collapsum opitulando erigat, vel nutantem confirmet. Additur praeceptum mutuandi absque foenore, quod tametsi politicum est, pendet tamen ex caritatis regula: quia fieri vix potest quin foenoris exactione exhauriantur inopes, et prope exsugatur eorum sanguis. Nec vero alium finem respexit Deus quam ut mutuo vigeret fraterna dilectio apud Israelitas. Hanc quidem politiae iudaicae fuisse partem liquet, quia permittitur gentibus foenerari: quod discrimen lex spiritualis non admittit. Caeterum ita abrogatum est ius forense quod veteri populo Deus praescripsit, ut tamen maneat quod dictat caritas, non esse gravandos fratres qui nostra ope indigent. Porro quia diruta est maceria qua olim discernebantur Iudaei a gentibus, ratio nostra hodie diversa est: ideoque tam in foenore quam in aliis expilationibus parcendum est omnibus sine exceptione, et erga extraneos quoque servanda aequitas. Primum quidem gradum obtinent domestici fidei (sicuti Paulus iubet peculiariter illis benefacere [Gal. 6, 10]): postulat tamen communis generis humani societas, ne ditescere

1) Hebr. 24.
2) *In margine:* vel, Apprehendes ut sustineas.
3) Hebr. 20. 21.

appetamus ex aliorum dispendio. Quod autem ad ius forense spectat, nihil mirum si populo suo permiserit Deus foenus ab extraneis exigere: quia alioqui servata non fuisset mutua aequabilitas, sine qua alteram partem gravari necesse est. Mandat suis Deus ne foenerentur, ac proinde solos Iudaeos hac lege, non exteras gentes, obstringit. Ergo ut vigeat ratio analogica, idem libertatis populo suo concedit quod gentes sibi sumpturae erant: quia haec demum tolerabilis est mediocritas, ubi par est atque aequalis utriusque partis conditio. Nam Plato ubi foeneratores in republica bene composita ferendos esse negat, longius non progreditur quam ut cives ab illo turpi et inhonesto commercio inter se abstineant. Quaeritur nunc an foenerari per se malum sit. Et certe minime videtur licitum filiis Dei quod profani quoque homines detestati sunt. Scimus ubique et semper exosum et infame fuisse foeneratorum nomen. Itaque Cato agriculturam laudare volens, fures dicit a veteribus dupli fuisse condemnatos, foeneratores quadrupli: unde colligit, hos illis deteriores fuisse habitos. Et interrogatus quid de foenoribus sentiret, respondit: Quid hominem occidere? Quo docere voluit, nihilo honestius esse quaestum facere ex usuris quam hominem iugulare. Hoc unius hominis privati fuit dictum, sumptum tamen ex omnium fere gentium dictis, et hominum suffragiis. Et certe hac de causa Romae saepius exorti sunt graves tumultus, et exitialibus discordiis inter plebem et locupletes certatum: quemadmodum vix fieri potest quin foeneratores instar hirudinum populi sanguinem exsugant. Si tamen de re ipsa certo pronunciandum est, non aliunde quam ex communi aequitatis regula sumenda est definitio, ac praesertim ex Christi sententia, ex qua pendent lex et prophetae (Matt. 7, 12): Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Semper enim excogitant homines astuti captiunculas quibus Deum illudant. Sic quum foenoris nomen omnes detestarentur, suppositum fuit alterum quod honesto colore odium effugeret: usuram enim vocarunt quasi compensationem damni, quanti intererat pecuniae suae usu carere. Atqui nullum est foenoris genus cui speciosum hunc titulum obtendere non liceat. Nam quisquis praesentem habet pecuniam, ubi eam mutuo daturus est, utilem sibi fore causabitur si quid emat, et singulis momentis lucrandi materiam offerri. Ita semper erit compensationi locus, quando nemo creditor sine damno pecuniam alteri numerabit. Ita nomen usurae, quum re ipsa tantundem valeat ac foenus, integumentum est rei odiosae: quasi vero talibus cavillis se a Dei iudicio expediant, ubi sola integritas ad defensionem valet. Similis prope apud Israelitas tergiversandi fuit ratio. Nomen נשך quod a mordendo deductum est, male sonabat. Quum ergo nemo censeri vellet canis famelicus, qui alios mordendo se ipsum pasceret, quaesitum fuit probri effugium: תרבית vocarunt, quasi incrementum, quidquid lucri praeter sortem dabatur. Deus autem ut talibus fallaciis occurrat, utrumque nomen coniungit, et pariter damnat augmentum cum morsione. Nam ubi de iniustis praedandi et furandi rationibus conqueritur apud Ezechielem (18, 12), et utrumque, sicuti nunc apud Mosen, nominat, minime dubium est quin vanas excusationes consulto antevertat. Ergo ne quis exciperet se, quamvis emolumentum ex pecunia acciperet, non ideo tamen foenerari, hanc ansam mature Deus abscindit, ac generaliter damnat quamlibet sortis accessionem. Certe locus uterque clare demonstrat nihil aliud quam frustra nugari qui ad criminis excusationem novas voces fabricant. Ideo rem potius simpliciter reputandam esse admonui, quia Deo semper iniqui omnes quaestus displicent, quoscunque colores tentemus obducere. Quod si ex aequitate iudicium facere convenit, usuras quaslibet absque exceptione damnare, nulla patitur ratio. Debitor si tergiversando tempus extraxerit cum dispendio et molestia creditoris, an consentaneum erit eum ex mala fide et frustratione lucrum capere? Nemo certe (ut arbitror) negabit usuras creditori solvendas esse praeter sortem, ut pensetur eius iactura. Si quis locuples qui erit in suis nummis, fundum emere volens partem aliquam summae ab altero mutuetur, qui pecuniam numerat, annon poterit ex fundi reditu fructum aliquem percipere, donec sors repraesentata fuerit? Multa eius generis quotidie accidunt, ubi, quod ad aequitatem spectat, usura nihilo deterior erit quam emptio. Nec vero arguta illa ratio Aristotelis consistit, foenus esse praeter naturam, quia pecunia sterilis est, nec pecuniam parit: poterit enim ille quem dixi frustrator, ex aliena pecunia quaestum uberem facere negotiando, fundi emptor metet ac vindemiabit. Verum excipient qui contra sentiunt, simpliciter standum esse Dei iudicio, qui generaliter omne foenus populo suo interdicit. Respondeo, nonnisi de pauperibus haberi sermonem, ideoque si cum divitibus negotium sit, liberum ius foenerandi permitti: quia legislator rem unam notando, alteram de qua subticet, videtur non damnare. Si rursus obiiciant, foeneratores a Davide et Ezechiele in totum damnari (Ps. 15, 5. Ezech. 18, 13), sententias illas ad normam caritatis exigi debere arbitror: ideoque non damnari nisi improbas exactiones, quibus creditor, posthabita aequitate, debitorem suum onerat ac premit. Nolim quidem meo patrocinio usuras fovere, atque utinam nomen ipsum abolitum esset e mundo: sed non audeo de re magni momenti plus pronunciare quam Dei verba sonant. Clare patet veterem populum ab usuris fuisse prohibitum, sed hanc fuisse partem ordinis politici fateri necesse est. Unde sequitur usuras

hodie non esse illicitas, nisi quatenus cum aequitate et fraterna coniunctione pugnant. Ita se quisque ad Dei tribunal sistat, nec proximo suo faciat quod sibi fieri nollet: unde certa et quae nunquam fallet definitio sumi poterit. Foenus quidem exercere, quum inter pudendos et turpes quaestus duxerint profani scriptores, multo minus tolerabile est inter filios Dei: sed quando et quousque usuram ex mutuo percipere liceat, melius praescribet lex aequitatis quam longae disputationes. Nunc verba expendamus. Primo loco ubi vertimus, Non eris sicut foenerator, in voce Hebraica נשה aliqua est ambiguitas: quia verbum נשה interdum generaliter accipitur pro mutuum dare, absque sinistra nota: hic vero dubium non est quin pro foeneratore sumatur, qui miseros arrodit: quemadmodum et in Psalmo (109, 11): Illaqueet foenerator omnia quae sunt eius. Summa est, liberaliter iuvandos esse pauperes, nec gravandos esse duris exactionibus. Itaque continuo post explicationis causa addit: Ne foenus imponant. Quum iterum repetit: Si attenuatus etc., videmus ut pauperum ratio ubique habeatur: quia etsi interdum foenoribus exhauriuntur qui latifundia possident, (sicut dicit Cicero [1]) quosdam sui temporis luxuriosos ac prodigos cum usuris certasse fructibus praediorum: quia omnes eorum proventus vorabant creditores:) digni tamen misericordia fuerunt soli pauperes, quos egestas, non luxuria mutuari cogebat. Tertius vero locus optime explicat Dei mentem, dum foenus extendit ad vinum, triticum, et quaecunque alias res. Multi enim contractus ab hominibus vafris excogitati fuerunt, quibus opes expilarent sine ignominia vel dedecore: atque hodie nulla crudelior est rapacitas quam ubi absque mentione foenoris, vectigal debitoribus imponitur. Modios frumenti sex si pauper commodari sibi postulet, volet creditor septem sibi reddi: idem in vino continget. Haec lucri accessio foenus non vocabitur, quia non numeratur pecunia. Deus vero astum hunc oblique subsannans, variis in rebus ac fere in omnibus commerciis foenebre malum grassari docet: unde clare apparet, non aliud praecipi Israelitis nisi ut alii alios humaniter sublevent. Porro quia homines excaecat et transversum rapit cupiditas ad improbos quaestus, opponit Deus benedictionem omnibus perversis artibus, quae sunt veluti lucri aucupia, et opes a se uno bonorum omnium autores sperare iubet potius quam rapinis vel fraudibus venari.

---

1) *Alludit ad ea quae leguntur in Orat. II. in Catilinam* c. 8.

EX DEUT. XXII.

1. *Non videbis bovem fratris tui aut pecudem errantes, et abscondes te ab eis: reducendo reduces ad fratrem tuum.* 2. *Etiam si non fuerit frater tuus propinquus tibi, neque noveris eum, colliges tamen illos in domum tuam, et erunt tecum donec requirat frater tuus ut restituas ei.* 3. *Sic facies de asino eius, sic facies de vestimento eius, sic facies de omni re amissa fratris tui quae perierit ab ipso: si inveneris eam, non occultabis te.*

EX EXODI XXIII.

4. *Si occurreris bovi inimici tui, et asino eius erranti, reducendo reduces ad illum.*

Exodi 23, 4. *Si occurreris.* Ex his duobus locis satis patet, qui a maleficio abstinuerit, non protinus coram Deo immunem esse a culpa, nisi etiam prodesse studeat. Si enim curae nobis esse debet fratrum utilitas ut ultro citroque simus ad auxiliandum propensi, quoad facultas et opportunitas feret. Haec porro doctrina valde necessaria est: quia dum quisque ad res suas curandas plus aequo est attentus, ab aliis iuvandis se libenter subducit. Deus autem furti reum facit qui sua negligentia damnum intulerit proximis: et merito, quia nonnisi per eum stetit quin salva res esset, quam sciens et volens perire sinit. Ad inimicos autem extenditur hoc officium: quo minus excusabilis est inhumanitas, si amicis non praestetur. Summa igitur est, ut benefici sint fideles, quo patrem suum coelestem imitentur: nec operam modo suam bonis qui digni sunt impondant, sed indignos quoque beneficiis prosequantur. Iam quia multi tergiversandi colores fingi poterant, occurrit Deus, et animal hominis incogniti servari iubet donec a suo domino quaeratur: idem ius de aliis omnibus amissis rebus statuit.

EX NUMER. V.

5. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 6. *Alloquere filios Israel: Vir sive mulier quum fecerint ex omnibus peccatis hominum, transgrediendo transgressione in Iehovam, et deliquerit anima illa:* 7. *Fatebuntur peccatum suum quod fecerunt: et restituet delictum suum in solidum, et quintam eius partem superaddet, dabitque ei in quem peccaverit.*

5. *Loquutus est.* Quanquam videtur principio delicta omnia comprehendere, ex contextu tamen

elicitur nonnisi de rebus furtim ablatis vel de fraude admissa praecipi: ut qui sibi male conscius est, iacturam sarciat. Notandum vero est, legem ad occultiora furta spectare, quae in iudicium trahi non solent: hac de causa dicitur: Si peccaverint more hominum, ne subterfugium captent ex communi more et usu. Quamvis ergo plurimos habeant socios, negat tamen Deus id ad excusationem valere: ideoque sponte reddere iubet quod fraudulenter vel inique ad se traxerunt. At de poena quidem furti mox disseret: nunc tantum praecipit, quamvis nemo legibus compellet eos qui fraudarunt, nec deprehendi possit eorum crimen, ut diligenter tamen suas conscientias examinent, et delictum quod latebat ingenue ipsi proferant: damnum etiam illatum compensent, quia sine restitutione lusoria esset confessio. Quod postea additur apud Mosen: Si nemo exstet haeres cui reddatur furtum, ut sacerdoti offerant, quia alibi exposui, nunc praetereo: nisi quod inde colligimus, ex fraudibus et rapinis labem contrahi quae nunquam eluitur, nisi domo rebus male partis bene purgata. Sed oblatio illa inter iura sacerdotum tractata fuit: nunc de restitutione sic habendum est, quintam partem superaddi, non tam ut ditescat qui iacturam passus est, quam ut sibi omnes eo diligentius caveant ab omni noxa, quam audiunt fore non modo sibi inutilem, sed damnosam quoque. Adde quod ubi quispiam spoliatus est, pluris quam pro quinta parte saepe interest rei suae usu caruisse.

EX EXODI XXIII.

8. *Ne accipias munus: quia munus excaecat videntes, et pervertit verba iustorum.*

EX LEVIT. XIX.

15. *Non facies iniquitatem in iudicio, non suscipies faciem pauperis, neque honorabis causam magni: in iustitia iudicabis proximum tuum.*

EX DEUT. XVI.

19. *Non inflectes iudicium, non agnosces personam, neque capies munus: quia munus excaecat oculos sapientum, et pervertit verba iustorum.* 20. *Iustitiam, iustitiam sequeris, ut vivas, et possideas terram quam Iehova Deus tuus dat tibi.*

Exodi 23, 8. *Ne accipias.* Hoc genus furandi omnium est deterrimum, ubi iudices vel mercede vel gratia corrupti, fortunis evertunt quos tueri debebant. Nam quum eorum tribunal quasi sacrum sit asylum quo confugiant quicunque inique sunt oppressi, nihil indignius quam si illic in praedones incidant. Creantur iudices qui maleficia et noxas omnes compescant: ergo si favent improbis, furum sunt receptatores: qua peste nihil magis exitiale est. Deinde quia omne aliud remedium excludit eorum autoritas, violenti quoque sunt praedones. Quo itaque maior illis est nocendi licentia, et plus damni afferunt iniquae eorum sententiae, eo diligentius monendi sunt ut sibi ab iniquitate caveant. Quare peculiari doctrina in officio retineri necesse fuit, ne suo patrocinio furta tegerent et alerent. Iam ut avaritia radix est omnium malorum, ita ubi iudicum animos occupat, nulla vigere potest integritas. Sed quia procul omnes a se reiiciunt hoc vitium, quamvis eo maxime laborent, crassius et magis populariter agit Deus, ut iudices manus contineant ab omni munere: nullum enim magis exitiale venenum est ad exstinguendam omnem rectitudinem quam ubi iudex muneribus se deliniri patitur. Excusent quantum libuerit qui dona accipiunt, se nihilominus manere integros: res ipsa clare demonstrat, venales esse, ac meritorium quaestum facere quicunque lucro ducuntur. Atque hoc satis olim ad iudices infamandos valuit, nummarios vocari. Sed pluribus de hac re disserere supervacuum est, quando omnes tergiversandi ansas uno verbo Deus praecidit: Munera, inquit, excaecant oculos videntis, et pervertunt iudicium rectorum. Ergo si Dei iudicio acquiescimus, nullum est tantum perspicaciae lumen quod non suffocent munera, neque ulla tanta probitas quam non labefactent: denique sanam mentem ante inficiunt munera quam manus contaminent. Ea intelligo quae ob rem iudicandam quis accipit: neque enim de beneficiis nunc habetur sermo, quibus ultro citroque inter se communicant homines. Itaque in Deuteronomio antequam de muneribus verbum faciat Deus, vetat inflectere iudicium, vel agnoscere personam: unde colligitur, tantum damnari aucupia quae tenduntur ad captandum favorem. Notandum autem quod in Levitico Iudicare in iustitia opponitur acceptioni personarum: unde sequitur, simul ac tantillum iudex oculos a causa deflectit, rectitudinis oblivisci. Ad haec Iudicium inflectere tantundem valet ac facere iniquitatem in iudicio: sed quia non semper iniquitas palam manifesta est, quin potius multis artificiis fucatur: postquam Deus in Levitico damnavit iniqua et perversa iudicia, ut vanos omnes colores discutiat, verbum inclinandi usurpat in Deuteronomio.

Deuter. 16, 20. *Iustitiam, iustitiam.* Empha-

tica repetitione inculcat Deus, ut inflexibili constantia iudices aequitati studeant: nec frustra, quia nihil proclivius quam favore vel odio obtenebrari hominum mentes. Deinde quum innumerae sint captiones ad pessumdanda iudicia, nisi valde attenti sint ipsi iudices ad insidias cavendas, subinde illaqueari continget.

EX EXODI XXIII.

3. *Pauperem non honorabis ex sua causa.*

EX EODEM CAPITE.

6. *Non inflectes iudicium pauperis tui in lite eius.*

6. *Non inflectes.* Quoniam ad reprimenda quae saepe contingunt vitia, feruntur leges, non mirum est si pauperes Deus commendet, quibus non raro accidit succumbere in bonis causis, dum et favore destituuntur, et propter contemptum expositi sunt iniuriae, nec pretio certare possunt cum divitibus. Merito itaque prospicitur eorum tenuitati, ne exiguum quod possident illis auferat iudicum iniquitas. Verum quod sequitur, supervacuum videri posset: Ne pauperibus faveat iudex: quod vix fieri solet: deinde non convenit reprehendi quod alibi praecipit Deus, ac laudi ducit. Respondeo, tantopere Deo placere rectitudinem, ut nullo modo excusabilis sit iudex, quocunque praetextu vel tantillum ab ea declinet, atque hunc esse finem huius doctrinae: quia etsi ut plurimum tyrannice opprimitur pauper, ambitio tamen interdum iudicem impellet ad perversam misericordiam, ut largus sit de alieno, atque haec tentatio eo periculosior est, quod fallit iniustitia sub specie virtutis. Nam si oculos tantum dirigit iudex ad miseriam litigantis, simul obrepet inanis metus, ne pessumdet sua sententia quem cuperet esse salvum. Ita quod unius erat, alteri adiudicabit. Maior est interdum pauperum temeritas, audacia, et pertinacia ad lites movendas et persequendas quam divitum: ubi causae diffidunt, solenne est ad lacrymas et lamentationes confugere, quibus iudices minus cautos circumveniunt, qui causae obliti, tantum de levanda miseria et egestate cogitant. Atqui dum pro nihilo ducunt iacturam divitum (eo quod illis toleratu sit facilis) secure in gratiam pauperum ab aequitate excidunt. Hinc vero melius apparet quam indigne ferat Deus pauperes opprimi, ubi ne ipsis quidem succurri patitur cum damno divitum.

APPENDICES POLITICAE [1]).

EX EXODI XXII.

1 [2]). *Quum furatus fuerit quis bovem aut pecudem, et iugulaverit, aut vendiderit, quinque boves reddet pro illo bove, et quatuor pecudes pro pecude illa: 2. (Si in effossione inventus fuerit fur, et percussus fuerit, et inde mortuus, non erit ei in sanguinem. 3. Si ortus fuerit sol super eum, erit in ei sanguinem) reddendo reddet: si non sit ei, vendetur propter furtum suum. 4. Si deprehendatur in manu eius furtum a bove usque ad asinum, usque ad pecudem: viva duo reddet.*

Hactenus iniquitatum vindicem se fore asseruit Deus, furesque citando ad suum tribunal, aeternam mortem illis minitatus est. Nunc sequuntur leges forenses, quarum non tam exacta est et perfecta ratio: quia Deus in iis ferendis iustum rigorem ad populi duritiem inflexit. Caeterum quod Deus populo suo tradiderat, mutuati sunt deinde profani legislatores. Asperior quidem fuerat Draco, sed nimia eius severitas tacito populi Atheniensis consensu obsolevit. A Solone autem mutuati sunt decemviri partem iuris quod in suas tabulas retulerunt: quanquam in distinctione poenae dupli et quadrupli variarunt: tandem successu temporis aliquid postea mutatum est. Verum quisquis prudenter omnia expenderit, reperiet tam Solonem quam decemviros, ubi a lege Dei deflexerunt, in deterius prolapsos esse. Primo discrimen hic ponitur quale statuitur legibus romanis inter fures manifestos et nec manifestos: illic enim fur nec manifestus in duplum damnatur, manifestus vero in quadruplum.

1) *Rubrica in editione principe non legitur, eam tamen Gallus habet.*
2) Heb. 21, 37; 22, 1–3.

furor meus, et occidam vos gladio, eruntque uxores vestrae viduae, et filii vestri pupilli.

EX LEVIT. XIX.

33. *Si peregrinatus tecum fuerit peregrinus in terra vestra, non opprimetis illum.* 34. *Tanquam indigena ex vobis, erit vobis peregrinus qui peregrinatur apud vos, et diliges eum sicut te ipsum: quia peregrini fuistis in terra: ego Iehova Deus vester.*

Levit. 19, 33. *Si peregrinatus.* Antequam ad alias iniquitates transeam, praeceptum hoc inserere visum est, ubi iubetur populus sine exceptione cum omnibus colere aequitatem. Nam si nulla peregrinorum facta fuisset mentio, putassent Israelitae, modo ex sua gente neminem laesissent, se prorsus officio esse defunctos: dum autem hospites, et inquilinos perinde atque consanguineos illis commendat Deus, inde agnoscunt aequitatem semper et cum omnibus colendam esse. Nec vero temere Deus se ac suum patrocinium opponit, ne peregrinis fiat iniuria. Nam quia neminem habent qui odium subire velit pro ipsorum defensione, improborum violentiae et oppressionibus quibuslibet magis sunt obnoxii, quam si domesticis praesidiis muniti essent. Eadem in pupillis et viduis mulieribus ratio: mulier ob infirmitatem sexus, nisi lateat sub mariti umbra, exposita est variis noxis: pupillis quibus nihil consilii suppetit, multi insidiantur, ac si essent eorum praeda. Quoniam itaque ita destituti sunt humanis auxiliis, succurrit Deus ad opem ferendam: ac si iniuste vexentur, vindicem se fore pronunciat. Priore loco peregrinis adiungit pupillos, et viduas, in altero nominat solos peregrinos: summa tamen eodem redit, eos omnes qui orbati sunt et nudati terrenis opibus, sub Dei tutela et patrocinio esse, protegique eius manu: ut ita compescatur eorum audacia qui sibi impune cessurum confidunt scelus quodlibet, modo nemo in terra resistat. Nulla quidem iniquitas manebit inulta apud Deum, sed peculiaris est ratio cur Deus peregrinos, viduas et pupillos se recipere in fidem suam testetur: quia ubi magis grassatur malum, praesentiore remedio opus est. Peregrinos hoc nomine commendat, quod populus qui peregrinatus fuerat in Aegypto, antiquae suae conditionis memor, humanius erga hospites se gerere debebat. Etsi enim indigna tyrannide oppressi tandem fuerant, exordium tamen illis considerandum fuit: quod scilicet illuc patres eorum compulerat penuria et fames, et quum alienae opis essent indigi, hospitaliter accepti fuerant. Ubi denunciat, si viduae afflictae et pupilli clamaverint, eorum clamorem auditum iri, non intelligit se desidem fore si taciti perferant iniurias: sed pro communi more loquitur, quia ad ipsum provocare solent qui nusquam alibi reperiunt solatium. Interea sciamus, quamvis abstineant a querimoniis qui laesi sunt, Deum tamen partium suarum minime oblivisci, ut ad scelera conniveat. Imo nihil acrius eum ad sumendam de improbis vindictam exstimulat quam servorum suorum tolerantia. Exprimitur etiam poenae genus: qui viduis et pupillis molestiam intulerint, gladio perituros, ut eorum viduae et pupilli improborum audaciae, violentiae et fraudibus subiaceant. Porro notandum est quod secundo loco iubentur exteros et inquilinos perinde ac se ipsos diligere. Nam inde apparet nomen proximi non restringi ad consanguineos vel similes quibuscum propior est necessitudo, sed patere ad totum humanum genus: sicuti ostendit Christus in persona Samaritani, qui hominis incogniti misertus, officium humanitatis praestitit, a Iudaeo atque etiam Levita neglectum (Luc. 10, 30).

EX DEUT. X.

17. *Deus non accipit personam, neque recipit munus.* 18. *Faciens iudicium pupillo et viduae, diligens peregrinum, dando et panem et vestimentum.* 19. *Diligite igitur peregrinum, quia peregrini fuistis in terra Aegypti.*

Confirmat superiorem sententiam ab ipsius Dei natura. Facit enim vilis et abiecta conditio eorum quibuscum nobis negotium est, ut petulantius eos vexemus: quia videntur prorsus deserti. Atqui Deus negat miseram eorum sortem obstaculo esse quominus ipsis succurrat, quia personas non respicit. Nomine vero personae intelligitur vel splendor, vel obscuritas, ac externa species, quam vulgo apparentiam nominant, quemadmodum ex multis locis colligitur. In summa, Deus se facit hominibus dissimilem, quos rapit exterior conspectus, ut divites honore prosequantur, inopes odio: pulchris vel disertis faveant, contemnant deformes. Ergo προσωποληψία est perversum iudicium quod nos a causa abducit, dum mentes nostras praeoccupat quod non debebat venire in rationem. Ideo Christus rectum iudicium esse docet quod non fertur secundum personas: quia nunquam dominatur veritas et rectitudo nisi dum ad rem ipsam attendimus. Sequitur, non impune laedi contemptibiles, quia si destituuntur humano auxilio, Deus qui in excelso sedet, humilia respicit (Psal. 138, 6). Quoad peregrinos, [eos sibi curae esse probat Deus, quod in illis alendis et vestiendis sit beneficus: deinde] specialis rursum adducitur ratio, quia Israelitae olim quum inqui-

lini essent in Aegypto, indiguerint aliena misericordia.

EX LEVIT. XIX.

35. *Non facietis iniquitatem in iudicio, in dimensione, in pondere et mensura.* 36. *Statera iusta, pondera iusta, epha iustum, et hin iustum erit vobis.*

EX DEUT. XXV.

13. *Non erit tibi in sacculo tuo pondus et pondus, maius et minus:* 14. *Non erit tibi in domo tua modius et modius, maior et minor.* 15. *Pondus perfectum et iustum erit tibi, modius perfectus et iustus erit tibi, ut proroges dies tuos super terram quam Iehova Deus tuus dat tibi.* 16. *Quia abominatio Iehovae Dei tui est quicunque facit haec, omnis faciens iniquitatem.*

Levit. 19, 35. *Non facietis iniquitatem.* Si iudicium stricte accipias, speciale erit praeceptum, ut iudices fideliter cuique ius suum reddant, neque evertant bonas causas favore vel odio. Verum quia nomen משפט pro rectitudine saepe capitur, non male conveniet, in genere damnari omnes iniquitates integritati contrarias: deinde ad species descendi, quas altero loco prosequitur: ubi furta commemorat prae aliis maxime noxia, et quae crassam publici iuris violationem secum trahant. Corruptio enim quae ad evertenda iudicia tendit vel rectitudinem [labefactando, contractus omnes vitiat], nihil relinquit salvum: falsitas autem in ponderibus et mensuris omnes legitimas contrahendi rationes tollit et abolet. Porro corrupto vendendi et emendi iure, quodammodo dissipatur hominum societas, ut parum differat qui in aequalitate ponderis vel mensurae fallit, ab eo qui supponit nummos adulterinos. Quare inter falsarios numeratur qui mensuras publice probatas, vini, frumenti, vel rei cuiuslibet corruperit, sive emptor sive venditor. Ac in duplum quidem legibus Romanis damnatur: verum decreto suo Adrianus in insulam relegat [1]). Quare non abs re iterum eandem sententiam repetit Solomo (Prov. 20, 10), quo melius eam defigat in omnium cordibus. Etsi autem pestis haec minime ferenda est, sed acriter vendicanda, Deus tamen, etiamsi cessent legum poenae, conscientias ad tribunal suum revocat: idque tam promittendo quam minando. Pondus aequum, inquit, et iusta mensura prorogabunt homini vitam: qui vero in his deceperit, abominatio est coram me. Improprie quidem iustis ponderibus et mensuris adscribitur vitae diuturnitas: sed quia avari impium lucrum captando, nimis attenti sunt ad caducam hanc vitam, Deus ut suos a caeca illa et praecipiti cupiditate retrahat, longam vitam promittit, si a dolo malo et perverso quaestu sibi caveant. Caeterum ex fine cognoscitur, non modo in una hac parte, sed in omnibus negotiis damnari fallacias omnes quibus proximi fraudantur. Postquam enim dixit Deum abominari qui haec faciunt, mox explicandi causa subiicit: Quisquis facit iniquitatem. Videmus ergo, ut malis omnibus et illicitis lucrandi artibus occurrat.

1) Modestin. ad legem Corn. de falsis.

EX DEUT. XIX.

14. *Non transferes terminum proximi tui quem finierint maiores in haereditate tua, quam haereditate accipies in terra quam Iehova Deus tuus dat tibi ut possideas eam.*

Hic damnatur furti genus quod severe Romanis legibus vindicatum est. Nam ut certa sit cuique sua possessio, terminos finiendis agris positos manere intactos oportet, ac si sacri essent. Qui terminum fraudulenter avellit, hoc uno sceleris satis convictus est, quod dominum legitimum ex quieta agri possessione deturbat: qui vero metas agri sui cum alterius dispendio longius producit, crimen duplicat, falsitate furtum tegendo. Unde etiam colligitur, fures esse non modo qui rem alienam manu auferunt, qui pecuniam tollunt ex arca, vel ex cellis et horreis praedantur, sed etiam qui fundos alienos iniuste occupant.

EX EXODI XXII.

26 [1]). *Si in pignus acceperis vestimentum proximi tui, antequam occubuerit sol restitues illud ei.* 27. *Quia ipsum solum est operimentum eius, illud vestimentum eius est cuti suae in quo dormiat, et erit quum clamaverit ad me, tunc exaudiam: sum enim misericors.*

EX DEUT. XXIV.

6. *Non accipiet quisquam pro pignore metam et catillum, quia animam ipse acciperet pro pignore.*

1) Hebr. 25. 26.

EX EODEM CAPITE.

10. ***Quum mutuabis proximo tuo aliquid mutuum, non ingredieris domum eius ut capias pignus eius.*** 11. ***Foris subsistes, et vir cui mutuabis afferet ad te pignus foras.*** 12. ***Quod si vir pauper fuerit, non dormies cum pignore eius.*** 13. ***Restituendo ei restitues pignus dum sol occumbit: ut dormiat in vestimento suo, et benedicat tibi: eritque tibi in iustitiam coram Iehova Deo tuo.***

EX EODEM CAPITE.

17. ***Non pervertes iudicium pupilli et peregrini, non capies in pignus vestimentum viduae.*** 18. ***Recordare quod servus fueris in Aegypto, et redemerit te Iehova Deus tuus inde: idcirco praecipio tibi ut hoc facias.***

Deut. 24, 6. *Non accipiet.* Alteram nunc aequitatem in ratione mutuandi commendat in pignoribus exigendis, ubi saepe ultra modum gravantur pauperes. Primo autem loco vetat accipere in pignus quidquid ad vîtam tolerandam pauperibus necessarium est. Nam in vocibus catilli et metae, vel molae superioris et inferioris, per synecdochen alia quoque instrumenta designat, quibus ad victum quotidie quaerendum carere nequeunt opifices. Quemadmodum si quis agricolae aratrum, ligonem, rastrum, aliaque extorqueat, vel officinam exinaniat sutoris, sive figuli, sive alterius cuiuspiam, qui artem suam exercere non poterit, instrumentis privatus: quod satis elicitur ex ipso contextu, ubi subiicitur: Una cum molis animam oppignorari. Crudelis ergo est quisquis in pignus sumit quod pauperis vitam sustinet, ac si victum eriperet famelico, adeoque vitam ipsam, quae ut labore fovetur, ita ablatis mediis exciditur quodammodo etiam ipsa.

10. *Quum mutuabis.* Alteram iniquitatem in captando pignore compescit, ne creditor domum excutiat, et suppellectilem fratris sui, ut inde pignus suo arbitrio deligat. Nam si detur optio divitibus avaris, nulla mediocritate contenti in optima quaeque involabunt, ac si impetum facerent in viscera inopum: totas denique domos diripient, vel saltem fastidiose hoc vel illud respuendo, miseros propro et pudore afficient. Non vult ergo Deus aliud pignus exigi, nisi quod sponte, pro sua commoditate, debitor extra domum proferet. Ultra etiam progreditur, ne pignus recipiat creditor quod pauperi necessarium esse cognoscet. Exempli gratia, si culcitram in qua dormit, aut vestem stragulam, aut pallium, vel mantile oppignoret. Neque enim aequum est spoliari ut algeat, vel privari aliis subsidiis, quorum usus sine iactura et molestia auferri non potest. Ideo additur promissio, humanitatem hanc Deo gratam fore, quum pauper in veste sibi reddita dormiet. Distinctius tamen loquitur: Benedicet tibi pauper, inquit, atque id tibi in iustitiam reputabitur. Significat autem Deus se exaudire miseri et egeni hominis vota, ne putet dives perditum esse beneficium quod apud hominem abiectum contulerit. Plus quam autem ferrei sumus nisi hoc ad liberalitatem nos propensos reddat, ubi intelligimus, quamvis inopes deficiat facultas bene de nobis merendi in mundo, habere tamen coram Deo quod nobis rependant: nempe, ut nobis gratiam concilient suis precibus. Subest autem tacita comminatio, si duriter cubet pauper, vel si frigeat nostra culpa, Deum exauditurum eius gemitus, ne impunita maneat nostra crudelitas. Quod si ingratus fuerit pauper cui pepercimus: eo tacente clamabit nostra beneficentia ad Deum: sicuti rursum ad provocandam Dei vindictam sufficiet tyrannicus noster rigor, quamvis iniquitatem patienter devoret qui asperius tractatus fuerit. Esse in iustitiam tantundem valet ac Deo probari, vel gratum esse opus. Nam quum legis observatio vera sit iustitia, id etiam elogium extenditur ad singulas obedientiae partes. Quanquam notandum est, hanc iustitiam defluere et evanescere, nisi numeris omnibus compleamus quaecunque Deus praecipit. Iustitiae quidem pars est, reddere pignus egeno: verum si quis in hac tantum parte beneficus sit, aliis modis praedetur suos fratres: vel si purus ab avaritia, violentiam exerceat, libidini sit deditus vel crapulae, particularis iustitia, quamvis per se Deo placeat, non veniet tamen in rationem. Ac omnino tenendum est illud axioma, nullum opus coram Deo censeri iustum, nisi profectum a puro et integro homine: neminem vero talem reperiri. Unde sequitur non aliter imputari opera in iustitiam, nisi quia Deus fideles gratuito favore dignatur. Per se quidem verum esset, quamcunque obedientiae partem Deo praestemus, id pro iustitia reputari: nempe si totus vitae contextus respondeat: verum a nobis nullum opus prodit quod non vitietur aliquo defectu. Ita ad misericordiam Dei confugiendum est, ut nobis reconciliatus, opera quoque nostra accepta habeat. Quod de pauperibus ante praeceperat, tandem ad solas viduas transfert: sic tamen ut sub earum nomine omnes inopes commendet. Quod tam ex principio versus, ubi ex bono et aequo agendum esse docet cum peregrinis et pupillis, quam ex ratione addita colligitur: nempe, ut cogitent se servos fuisse in terra Aegypti. Conditio enim illa non patiebatur, ut miseris superbe insultarent: et consentaneum est, alterius malis magis affici qui eadem expertus est. Porro quum generalis sit haec ratio, generale quoque praeceptum esse apparet, ut humani sint erga quoslibet egenos.

EX EXODI XXII.

25.[1]) *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui est tecum, non eris ei sicut usurarius: non imponetis ei usuram.*

EX LEVIT. XXV.

35. *Si attenuatus fuerit frater tuus, et vacillaverit manus eius apud te, fulcies*[2]) *illum: peregrinum et advenam: et vivet tecum.* 36. *Non accipies usuram ab eo et augmentum sed timebis Deum tuum: vivetque frater apud te.* 37. *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, nec cum augmento dabis escam tuam.* 38. *Ego Iehova Deus vester qui eduxi vos de terra Aegypti, ut darem vobis terram Chanaan, ac essem vobis in Deum.*

EX DEUT. XXIII.

19.[3]) *Non foenerabis fratri tuo foenus pecuniae, foenus cibi, foenus cuiuscunque rei in qua foenus exercetur.* 20. *Extraneo foenerabis, ac fratri tuo non foenerabis: ut benedicat tibi Iehova Deus tuus in omni applicatione manus tuae super terram ad quam ingrederis, ut possideas eam.*

His locis docemur non sufficere si quis ab alieno sibi temperet, nisi vigeat humanitas, et misericordia ad pauperes sublevandos. Viderunt id quoque profani scriptores, licet non satis dilucide: quum omnes hominum causa geniti sint, non recte coli vitae communitatem, nisi inter se officia conferant. Ergo, ne proximos fraudemus, atque ita reputemur coram Deo fures, discamus quoad feret cuiusque facultas, in eos qui ope nostra indigent, esse benefici. Pars enim iustitiae est liberalitas, ubi merito iniustus censeri debeat qui fratrum necessitati non succurrit ubi potest. Huc pertinet Solomonis exhortatio (Prov. 5, 15), ut bibamus aquam e fontibus nostris, et deriventur rivi ad proximos. Postquam enim iussit singulos suo contentos esse, nec copiam appetere ex aliorum dispendio, simul adiungit, non recte suis operibus frui qui abundant, nisi cum pauperibus communicent ad levandam eorum inopiam. Ideo enim obviant sibi dives et pauper, quemadmodum alibi dicit Solomo (Prov. 22, 2), et utrisque communis est creator Deus.

Exodi 22, 25. *Si pecuniam.* In ratione mutuandi maxime vigere debet humanitas, praesertim ubi quis ad extrema redactus, divitis misericordiam implorat. Haec enim vera demum est caritatis probatio, ubi secundum Christi praeceptum (Luc. 6, 34) absque spe mutuum damus. Non agit illic de usuris, ut falso putarunt, ac si gratis et sine spe quaestus mutuum dare iuberet. Sed quia ut plurimum mutuando captatur privata utilitas, ideoque neglectis pauperibus beneficium non locamus nisi apud divites, unde speratur aliqua compensatio: admonet Christus, si divitum gratiam venamur, nullum hoc modo nos specimen caritatis et misericordiae edere. Ideoque aliam largitionis materiam proponit in pauperibus iuvandis, quae plane gratuita est: non solum quia sors periclitatur, sed quia paria facere nequeunt. Antequam tamen ad usuras descendat, egestatem ac miseriam profert, qua flectantur ad misericordiam animi. Si pauperie quis prematur, iubet eius necessitati succurri. Utitur tamen metaphora, ut qui trepidat, roboretur, quasi apprehensa manu. Quod sequitur de peregrino et advena, meo iudicio amplificat vel extendit superiorem sententiam: ac si diceret, quando ne advenis quidem neganda est humanitas, multo magis ferendam esse opem fratribus. Nam quum voluit Deus peregrinis habitationem concedi, pro iure hospitali benigne tractandi fuerunt: vivere enim datur exteris, dum aequa et tolerabilis permittitur conditio. Atque ita oblique subindicat Deus, expelli et abigi miseros ne vivant, si iniustis oneribus premuntur. Haec igitur summa est primae sententiae, ut dives cui suppetit facultas, pauperem collapsum opitulando erigat, vel nutantem confirmet. Additur praeceptum mutuandi absque foenore, quod tametsi politicum est, pendet tamen ex caritatis regula: quia fieri vix potest quin foenoris exactione exhauriantur inopes, et prope exsugatur eorum sanguis. Nec vero alium finem respexit Deus quam ut mutuo vigeret fraterna dilectio apud Israelitas. Hanc quidem politiae iudaicae fuisse partem liquet, quia permittitur gentibus foenerari: quod discrimen lex spiritualis non admittit. Caeterum ita abrogatum est ius forense quod veteri populo Deus praescripsit, ut tamen maneat quod dictat caritas, non esse gravandos fratres qui nostra ope indigent. Porro quia diruta est maceria qua olim discernebantur Iudaei a gentibus, ratio nostra hodie diversa est: ideoque tam in foenore quam in aliis expilationibus parcendum est omnibus sine exceptione, et erga extraneos quoque servanda aequitas. Primum quidem gradum obtinent domestici fidei (sicuti Paulus iubet peculiariter illis benefacere [Gal. 6, 10]): postulat tamen communis generis humani societas, ne ditescere

1) Hebr. 24.
2) *In margine:* vel, Apprehendes ut sustineas.
3) Hebr. 20. 21.

appetamus ex aliorum dispendio. Quod autem ad ius forense spectat, nihil mirum si populo suo permiserit Deus foenus ab extraneis exigere: quia alioqui servata non fuisset mutua aequabilitas, sine qua alteram partem gravari necesse est. Mandat suis Deus ne foenerentur, ac proinde solos Iudaeos hac lege, non exteras gentes, obstringit. Ergo ut vigeat ratio analogica, idem libertatis populo suo concedit quod gentes sibi sumpturae erant: quia haec demum tolerabilis est mediocritas, ubi par est atque aequalis utriusque partis conditio. Nam Plato ubi foeneratores in republica bene composita ferendos esse negat, longius non progreditur quam ut cives ab illo turpi et inhonesto commercio inter se abstineant. Quaeritur nunc an foenerari per se malum sit. Et certe minime videtur licitum filiis Dei quod profani quoque homines detestati sunt. Scimus ubique et semper exosum et infame fuisse foeneratorum nomen. Itaque Cato agriculturam laudare volens, fures dicit a veteribus dupli fuisse condemnatos, foeneratores quadrupli: unde colligit, hos illis deteriores fuisse habitos. Et interrogatus quid de foenoribus sentiret, respondit: Quid hominem occidere? Quo docere voluit, nihilo honestius esse quaestum facere ex usuris quam hominem iugulare. Hoc unius hominis privati fuit dictum, sumptum tamen ex omnium fere gentium dictis, et hominum suffragiis. Et certe hac de causa Romae saepius exorti sunt graves tumultus, et exitialibus discordiis inter plebem et locupletes certatum: quemadmodum vix fieri potest quin foeneratores instar hirudinum populi sanguinem exsugant. Si tamen de re ipsa certo pronunciandum est, non aliunde quam ex communi aequitatis regula sumenda est definitio, ac praesertim ex Christi sententia, ex qua pendent lex et prophetae (Matt. 7, 12): Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Semper enim excogitant homines astuti captiunculas quibus Deum illudant. Sic quum foenoris nomen omnes detestarentur, suppositum fuit alterum quod honesto colore odium effugeret: usuram enim vocarunt quasi compensationem damni, quanti intererat pecuniae suae usu carere. Atqui nullum est foenoris genus cui speciosum hunc titulum obtendere non liceat. Nam quisquis praesentem habet pecuniam, ubi eam mutuo daturus est, utilem sibi fore causabitur si quid emat, et singulis momentis lucrandi materiam offerri. Ita semper erit compensationi locus, quando nemo creditor sine damno pecuniam alteri numerabit. Ita nomen usurae, quum re ipsa tantundem valeat ac foenus, integumentum est rei odiosae: quasi vero talibus cavillis se a Dei iudicio expediant, ubi sola integritas ad defensionem valet. Similis prope apud Israelitas tergiversandi fuit ratio. Nomen נשך quod a mordendo deductum est, male sonabat. Quum ergo nemo censeri vellet canis famelicus, qui alios mordendo se ipsum pasceret, quaesitum fuit probri effugium: תרבית vocarunt, quasi incrementum, quidquid lucri praeter sortem dabatur. Deus autem ut talibus fallaciis occurrat, utrumque nomen coniungit, et pariter damnat augmentum cum morsione. Nam ubi de iniustis praedandi et furandi rationibus conqueritur apud Ezechielem (18, 12), et utrumque, sicuti nunc apud Mosen, nominat, minime dubium est quin vanas excusationes consulto antevertat. Ergo ne quis exciperet se, quamvis emolumentum ex pecunia acciperet, non ideo tamen foenerari, hanc ansam mature Deus abscindit, ac generaliter damnat quamlibet sortis accessionem. Certe locus uterque clare demonstrat nihil aliud quam frustra nugari qui ad criminis excusationem novas voces fabricant. Ideo rem potius simpliciter reputandam esse admonui, quia Deo semper iniqui omnes quaestus displicent, quoscunque colores tentemus obducere. Quod si ex aequitate iudicium facere convenit, usuras quaslibet absque exceptione damnare, nulla patitur ratio. Debitor si tergiversando tempus extraxerit cum dispendio et molestia creditoris, an consentaneum erit eum ex mala fide et frustratione lucrum capere? Nemo certe (ut arbitror) negabit usuras creditori solvendas esse praeter sortem, ut pensetur eius iactura. Si quis locuples qui erit in suis nummis, fundum emere volens partem aliquam summae ab altero mutuetur, qui pecuniam numerat, annon poterit ex fundi reditu fructum aliquem percipere, donec sors repraesentata fuerit? Multa eius generis quotidie accidunt, ubi, quod ad aequitatem spectat, usura nihilo deterior erit quam emptio. Nec vero arguta illa ratio Aristotelis consistit, foenus esse praeter naturam, quia pecunia sterilis est, nec pecuniam parit: poterit enim ille quem dixi frustrator, ex aliena pecunia quaestum uberem facere negotiando, fundi emptor metet ac vindemiabit. Verum excipient qui contra sentiunt, simpliciter standum esse Dei iudicio, qui generaliter omne foenus populo suo interdicit. Respondeo, nonnisi de pauperibus haberi sermonem, ideoque si cum divitibus negotium sit, liberum ius foenerandi permitti: quia legislator rem unam notando, alteram de qua subticet, videtur non damnare. Si rursus obiiciant, foeneratores a Davide et Ezechiele in totum damnari (Ps. 15, 5. Ezech. 18, 13), sententias illas ad normam caritatis exigi debere arbitror: ideoque non damnari nisi improbas exactiones, quibus creditor, posthabita aequitate, debitorem suum onerat ac premit. Nolim quidem meo patrocinio usuras fovere, atque utinam nomen ipsum abolitum esset e mundo: sed non audeo de re magni momenti plus pronunciare quam Dei verba sonant. Clare patet veterem populum ab usuris fuisse prohibitum, sed hanc fuisse partem ordinis politici fateri necesse est. Unde sequitur usuras

hodie non esse illicitas, nisi quatenus cum aequitate et fraterna coniunctione pugnant. Ita se quisque ad Dei tribunal sistat, nec proximo suo faciat quod sibi fieri nollet: unde certa et quae nunquam fallet definitio sumi poterit. Foenus quidem exercere, quum inter pudendos et turpes quaestus duxerint profani scriptores, multo minus tolerabile est inter filios Dei: sed quando et quousque usuram ex mutuo percipere liceat, melius praescribet lex aequitatis quam longae disputationes. Nunc verba expendamus. Primo loco ubi vertimus, Non eris sicut foenerator, in voce Hebraica נשה aliqua est ambiguitas: quia verbum נשה interdum generaliter accipitur pro mutuum dare, absque sinistra nota: hic vero dubium non est quin pro foeneratore sumatur, qui miseros arrodit: quemadmodum et in Psalmo (109, 11): Illaqueet foenerator omnia quae sunt eius. Summa est, liberaliter iuvandos esse pauperes, nec gravandos esse duris exactionibus. Itaque continuo post explicationis causa addit: Ne foenus imponant. Quum iterum repetit: Si attenuatus etc., videmus ut pauperum ratio ubique habeatur: quia etsi interdum foenoribus exhauriuntur qui latifundia possident, (sicut dicit Cicero [1]) quosdam sui temporis luxuriosos ac prodigos cum usuris certasse fructibus praediorum: quia omnes eorum proventus vorabant creditores:) digni tamen misericordia fuerunt soli pauperes, quos egestas, non luxuria mutuari cogebat. Tertius vero locus optime explicat Dei mentem, dum foenus extendit ad vinum, triticum, et quascunque alias res. Multi enim contractus ab hominibus vafris excogitati fuerunt, quibus opes expilarent sine ignominia vel dedecore: atque hodie nulla crudelior est rapacitas quam ubi absque mentione foenoris, vectigal debitoribus imponitur. Modios frumenti sex si pauper commodari sibi postulet, volet creditor septem sibi reddi: idem in vino continget. Haec lucri accessio foenus non vocabitur, quia non numeratur pecunia. Deus vero astum hunc oblique subsannans, variis in rebus ac fere in omnibus commerciis foenebre malum grassari docet: unde clare apparet, non aliud praecipi Israelitis nisi ut alii alios humaniter sublevent. Porro quia homines excaecat et transversum rapit cupiditas ad improbos quaestus, opponit Deus benedictionem omnibus perversis artibus, quae sunt veluti lucri aucupia, et opes a se uno bonorum omnium autores sperare iubet potius quam rapinis vel fraudibus venari.

---

1) *Alludit ad ea quae leguntur in Orat. II. in Catilinam c.* 8.

EX DEUT. XXII.

1. *Non videbis bovem fratris tui aut pecudem errantes, et abscondes te ab eis: reducendo reduces ad fratrem tuum.* 2. *Etiam si non fuerit frater tuus propinquus tibi, neque noveris eum, colliges tamen illos in domum tuam, et erunt tecum donec requirat frater tuus ut restituas ei.* 3. *Sic facies de asino eius, sic facies de vestimento eius, sic facies de omni re amissa fratris tui quae perierit ab ipso: si inveneris eam, non occultabis te.*

EX EXODI XXIII.

4. *Si occurreris bovi inimici tui, et asino eius erranti, reducendo reduces ad illum.*

Exodi 23, 4. *Si occurreris.* Ex his duobus locis satis patet, qui a maleficio abstinuerit, non protinus coram Deo immunem esse a culpa, nisi etiam prodesse studeat. Si enim curae nobis esse debet fratrum utilitas ut ultro citroque simus ad auxiliandum propensi, quoad facultas et opportunitas feret. Haec porro doctrina valde necessaria est: quia dum quisque ad res suas curandas plus aequo est attentus, ab aliis iuvandis se libenter subducit. Deus autem furti reum facit qui sua negligentia damnum intulerit proximis: et merito, quia nonnisi per eum stetit quin salva res esset, quam sciens et volens perire sinit. Ad inimicos autem extenditur hoc officium: quo minus excusabilis est inhumanitas, si amicis non praestetur. Summa igitur est, ut benefici sint fideles, quo patrem suum coelestem imitentur: nec operam modo suam bonis qui digni sunt impendant, sed indignos quoque beneficiis prosequantur. Iam quia multi tergiversandi colores fingi poterant, occurrit Deus, et animal hominis incogniti servari iubet donec a suo domino quaeratur: idem ius de aliis omnibus amissis rebus statuit.

EX NUMER. V.

5. *Loquutus est Iehova ad Mosen, dicendo:* 6. *Alloquere filios Israel: Vir sive mulier quum fecerint ex omnibus peccatis hominum, transgrediendo transgressione in Iehovam, et deliquerit anima illa:* 7. *Fatebuntur peccatum suum quod fecerunt: et restituet delictum suum in solidum, et quintam eius partem superaddet, dabitque ei in quem peccaverit.*

5. *Loquutus est.* Quanquam videtur principio delicta omnia comprehendere, ex contextu tamen

elicitur nonnisi de rebus furtim ablatis vel de fraude admissa praecipi: ut qui sibi male conscius est, iacturam sarciat. Notandum vero est, legem ad occultiora furta spectare, quae in iudicium trahi non solent: hac de causa dicitur: Si peccaverint more hominum, ne subterfugium captent ex communi more et usu. Quamvis ergo plurimos habeant socios, negat tamen Deus id ad excusationem valere: ideoque sponte reddere iubet quod fraudulenter vel inique ad se traxerunt. At de poena quidem furti mox disseret: nunc tantum praecipit, quamvis nemo legibus compellet eos qui fraudarunt, nec deprehendi possit eorum crimen, ut diligenter tamen suas conscientias examinent, et delictum quod latebat ingenue ipsi proferant: damnum etiam illatum compensent, quia sine restitutione lusoria esset confessio. Quod postea additur apud Mosen: Si nemo exstet haeres cui reddatur furtum, ut sacerdoti offerant, quia alibi exposui, nunc praetereo: nisi quod inde colligimus, ex fraudibus et rapinis labem contrahi quae nunquam eluitur, nisi domo rebus male partis bene purgata. Sed oblatio illa inter iura sacerdotum tractata fuit: nunc de restitutione sic habendum est, quintam partem superaddi, non tam ut ditescat qui iacturam passus est, quam ut sibi omnes eo diligentius caveant ab omni noxa, quam audiunt fore non modo sibi inutilem, sed damnosam quoque. Adde quod ubi quispiam spoliatus est, pluris quam pro quinta parte saepe interest rei suae usu caruisse.

EX EXODI XXIII.

8. *Ne accipias munus: quia munus excaecat videntes, et pervertit verba iustorum.*

EX LEVIT. XIX.

15. *Non facies iniquitatem in iudicio, non suscipies faciem pauperis, neque honorabis causam magni: in iustitia iudicabis proximum tuum.*

EX DEUT. XVI.

19. *Non inflectes iudicium, non agnosces personam, neque capies munus: quia munus excaecat oculos sapientum, et pervertit verba iustorum.* 20. *Iustitiam, iustitiam sequeris, ut vivas, et possideas terram quam Iehova Deus tuus dat tibi.*

Exodi 23, 8. *Ne accipias.* Hoc genus furandi omnium est deterrimum, ubi iudices vel mercede vel gratia corrupti, fortunis evertunt quos tueri debebant. Nam quum eorum tribunal quasi sacrum sit asylum quo confugiant quicunque inique sunt oppressi, nihil indignius quam si illic in praedones incidant. Creantur iudices qui maleficia et noxas omnes compescant: ergo si favent improbis, furum sunt receptatores: qua peste nihil magis exitiale est. Deinde quia omne aliud remedium excludit eorum autoritas, violenti quoque sunt praedones. Quo itaque maior illis est nocendi licentia, et plus damni afferunt iniquae eorum sententiae, eo diligentius monendi sunt ut sibi ab iniquitate caveant. Quare peculiari doctrina in officio retineri necesse fuit, ne suo patrocinio furta tegerent et alerent. Iam ut avaritia radix est omnium malorum, ita ubi iudicum animos occupat, nulla vigere potest integritas. Sed quia procul omnes a se reiiciunt hoc vitium, quamvis eo maxime laborent, crassius et magis populariter agit Deus, ut iudices manus contineant ab omni munere: nullum enim magis exitiale venenum est ad exstinguendam omnem rectitudinem quam ubi iudex muneribus se deliniri patitur. Excusent quantum libuerit qui dona accipiunt, se nihilominus manere integros: res ipsa clare demonstrat, venales esse, ac meritorium quaestum facere quicunque lucro ducuntur. Atque hoc satis olim ad iudices infamandos valuit, nummarios vocari. Sed pluribus de hac re disserere supervacuum est, quando omnes tergiversandi ansas uno verbo Deus praecidit: Munera, inquit, excaecant oculos videntis, et pervertunt iudicium rectorum. Ergo si Dei iudicio acquiescimus, nullum est tantum perspicaciae lumen quod non suffocent munera, neque ulla tanta probitas quam non labefactent: denique sanam mentem ante inficiunt munera quam manus contaminent. Ea intelligo quae ob rem iudicandam quis accipit: neque enim de beneficiis nunc habetur sermo, quibus ultro citroque inter se communicant homines. Itaque in Deuteronomio antequam de muneribus verbum faciat Deus, vetat inflectere iudicium, vel agnoscere personam: unde colligitur, tantum damnari aucupia quae tenduntur ad captandum favorem. Notandum autem quod in Levitico Iudicare in iustitia opponitur acceptioni personarum: unde sequitur, simul ac tantillum iudex oculos a causa deflectit, rectitudinis oblivisci. Ad haec Iudicium inflectere tantundem valet ac facere iniquitatem in iudicio: sed quia non semper iniquitas palam manifesta est, quin potius multis artificiis fucatur: postquam Deus in Levitico damnavit iniqua et perversa iudicia, ut vanos omnes colores discutiat, verbum inclinandi usurpat in Deuteronomio.

Deuter. 16, 20. *Iustitiam, iustitiam.* Empha-

tica repetitione inculcat Deus, ut inflexibili constantia iudices aequitati studeant: nec frustra, quia nihil proclivius quam favore vel odio obtenebrari hominum mentes. Deinde quum innumerae sint captiones ad pessumdanda iudicia, nisi valde attenti sint ipsi iudices ad insidias cavendas, subinde illaqueari continget.

EX EXODI XXIII.

3. *Pauperem non honorabis ex sua causa.*

EX EODEM CAPITE.

6. *Non inflectes iudicium pauperis tui in lite eius.*

6. *Non inflectes.* Quoniam ad reprimenda quae saepe contingunt vitia, feruntur leges, non mirum est si pauperes Deus commendet, quibus non raro accidit succumbere in bonis causis, dum et favore destituuntur, et propter contemptum expositi sunt iniuriae, nec pretio certare possunt cum divitibus. Merito itaque prospicitur eorum tenuitati, ne exiguum quod possident illis auferat iudicum iniquitas. Verum quod sequitur, supervacuum videri posset: Ne pauperibus faveat iudex: quod vix fieri solet: deinde non convenit reprehendi quod alibi praecipit Deus, ac laudi ducit. Respondeo, tantopere Deo placere rectitudinem, ut nullo modo excusabilis sit iudex, quocunque praetextu vel tantillum ab ea declinet, atque hunc esse finem huius doctrinae: quia etsi ut plurimum tyrannice opprimitur pauper, ambitio tamen interdum iudicem impellet ad perversam misericordiam, ut largus sit de alieno, atque haec tentatio eo periculosior est, quod fallit iniustitia sub specie virtutis. Nam si oculos tantum dirigit iudex ad miseriam litigantis, simul obrepet inanis metus, ne pessumdet sua sententia quem cuperet esse salvum. Ita quod unius erat, alteri adiudicabit. Maior est interdum pauperum temeritas, audacia, et pertinacia ad lites movendas et persequendas quam divitum: ubi causae diffidunt, solenne est ad lacrymas et lamentationes confugere, quibus iudices minus cautos circumveniunt, qui causae obliti, tantum de levanda miseria et egestate cogitant. Atqui dum pro nihilo ducunt iacturam divitum (eo quod illis toleratu sit facilis) secure in gratiam pauperum ab aequitate excidunt. Hinc vero melius apparet quam indigne ferat Deus pauperes opprimi, ubi ne ipsis quidem succurri patitur cum damno divitum.

APPENDICES POLITICAE [1]).

EX EXODI XXII.

1 [2]). ***Quum furatus fuerit quis bovem aut pecudem, et iugulaverit, aut vendiderit, quinque boves reddet pro illo bove, et quatuor pecudes pro pecude illa:*** 2. *(Si in effossione inventus fuerit fur, et percussus fuerit, et inde mortuus, non erit ei in sanguinem.* 3. *Si ortus fuerit sol super eum, erit in ei sanguinem) reddendo reddet: si non sit ei, vendetur propter furtum suum.* 4. *Si deprehendatur in manu eius furtum a bove usque ad asinum, usque ad pecudem: viva duo reddet.*

Hactenus iniquitatum vindicem se fore asseruit Deus, furesque citando ad suum tribunal, aeternam mortem illis minitatus est. Nunc sequuntur leges forenses, quarum non tam exacta est et perfecta ratio: quia Deus in iis ferendis iustum rigorem ad populi duritiem inflexit. Caeterum quod Deus populo suo tradiderat, mutuati sunt deinde profani legislatores. Asperior quidem fuerat Draco, sed nimia eius severitas tacito populi Atheniensis consensu obsolevit. A Solone autem mutuati sunt decemviri partem iuris quod in suas tabulas retulerunt: quanquam in distinctione poenae dupli et quadrupli variarunt: tandem successu temporis aliquid postea mutatum est. Verum quisquis prudenter omnia expenderit, reperiet tam Solonem quam decemviros, ubi a lege Dei deflexerunt, in deterius prolapsos esse. Primo discrimen hic ponitur quale statuitur legibus romanis inter fures manifestos et nec manifestos: illic enim fur nec manifestus in duplum damnatur, manifestus vero in quadruplum.

1) *Rubrica in editione principe non legitur, eam tamen Gallus habet.*
2) Heb. 21, 37; 22, 1–3.

Fur autem dicitur manifestus qui deprehensus est antequam rem furtivam perferret quo destinaverat. Autores poenae rationem hanc sequutos esse existimo, quod insignior esset eius improbitas qui tam avide et ferventer praedae inhiabat, ut flagitium non reformidaret. Et certe qui pudorem negligit, audacior est ad peccandum. Atqui Deus contra eos in duplum damnat, apud quos repertum fuerit furtum: in quadruplum vero qui occiderunt aut vendiderunt. Et merito, quia maior in scelere obstinatio se prodit, ubi res furtiva in quaestum conversa est, nec spes est ulla resipiscentiae, atque ita continuo progressu duplicatur malae fidei crimen. Fieri potest ut fur statim post delictum contremiscat: qui vero animal furtivum occidere ausus est, aut vendere, prorsus in maleficio obduruit. Iam quo difficilior est investigandi ratio, graviorem poenam meretur dolus malus. Interea tenendum est, mulctam pecuniae quae furibus imposita fuit, non liberasse eos a culpa. Nam, ut ait Marcellus: Ne praeses quidem provinciae officere poterit quin furti damnatum sequatur infamia: sed ea de re in quam naturaliter omnes consentiunt, legem ferri necesse non fuit. Itaque Deus fures mulctando, ignominia notatos reliquit. Quod autem maiore summa mulctatur qui bovem furatus est quam qui ovem vel capram, vel alias pecudes, nescio an causam vere assignent qui dicunt aestimari domini iacturam, cui ad agriculturam maxime utilis est bovis labor. Quod enim de bove traditur, ad [vaccas quoque et] totum armentum extendo. Propius ad verum accedere videntur qui furis audaciam puniri dicunt, qui animal magis procerum auferendo, testium conspectum veritus non est. Quanquam mihi magis placet, ex rerum pretio diversum iudicium fieri. Et certe magis consentaneum est, ut quisque magis nocuit, graviori poenae esse obnoxium.

2. *Si in effossione.* Membrum hoc seorsum legendum est, et per parenthesin inseritur. Postquam enim poenam iniunxit, uno contextu addit: Reddendo reddet: quod si non fuerit solvendo, vendetur. Exceptio autem haec interponitur de fure nocturno. Etsi autem non satis diserte singula sunt expressa, consilium tamen Dei minime ambiguum est, si in tenebris occisus fuerit fur, percussori id impune fore, quia tunc a latrone vix discerni potest (praesertim quum vi et manu grassatur): quando noctu alienam domum ingredi non potest, quin vel parietem transfodiat, vel perfringat ianuam. Duodecim tabulae paulo aliter: furem enim nocturnum occidere permittunt, diurnum vero, si se cum telo defenderit. Verum quoniam aliis legibus caedes et violentos impetus satis Deus compescuerat, hoc loco de praedonibus tacuit, qui gladio armati ad rapinas prosiliunt. Recte igitur morti eos addicit Deus qui furtum homicidio ulti fuerint clara luce.

3. *Reddendo reddet.* Cohaerent (ut dixi) haec verba cum primo versu: quia hic tantum iniungitur poenae exsequutio: ac si Deus vetaret furibus parcere, quin cogantur ad solvendum duplum, vel quadruplum, vel etiam quintuplum, pro modo delicti. Quod si solvendo pares non erunt, addici in servitutem iubet: quod etiam Romae observatum fuit. Unde illud Catonis: Fures privatos in nexu et compedibus vivere, publicos vero in auro et purpura. Et quoniam dura erat haec conditio, nominatim cavendum fuit ne ob penuriam absolverentur. Si quis roget an domino rei ablatae licuerit reposcere duplum vel quadruplum: respondeo, quod Deus adiudicat, id optimo iure deberi: interea pro aequitate videndum singulis fuisse ne ditescerent ex alieno dispendio: quin potius quidquid lucri fecerant, conferrent in usus pios et sanctos.

EX EXODI XXII.

9 [1]) *Super omni causa praevaricationis, super bove, super asino, super pecude, super vestimento, super omni re amissa: quum dixerit quispiam hoc esse, usque ad iudices veniet causa utriusque: et quem damnaverint iudices, is reddat duplum proximo suo.*

9. *Super omni causa.* Hic furti actio datur, sed cum mulcta, si quis temere proximum suum accuset. Dubitari enim alioqui poterat qua tandem ratione, vel quando exigenda esset restitutio in duplum vel quadruplum. Permittit ergo, ut quisquis suspectum habet aliquem furti, eum citet ad causam dicendam: si reum peragat, ut duplum recuperet rei amissae: si vero pronuncient iudices eum temere litigasse, ut vicissim poenam calumniae luat. Nam quia haec actio non prorsus est civilis, sed notam infamiae secum trahit, iniquum esset sinistra suspicione gravari quem iudices cognoscunt esse purum a crimine. Hic pro iudicibus ponitur אלהים, quod proprie deos significat, quia est pluralis numeri: saepe tamen pro Deo capitur. Transfertur autem ad iudices ornandae vocationis causa: quoniam in sua functione Dei personam sustinent, in cuius unius manu est omne imperium et potestas. Ideo Christus (Iohan. 10, 34) dicit vocari deos, quia ad eos sermo Dei factus est: nempe, ut praesint eius nomine, et super alios emineant. Qua de re dictum fuit in quinto praecepto.

1) Hebr. 22, 8.

EX EXODI XXII.

5 [1]). *Si depasci fecerit quispiam agrum aut vitem, et immiserit iumentum suum ut depasceretur agrum alterius: bonum agri eius et bonum vineae eius restituet.* 6. *Quum egressus fuerit ignis, et invenerit spinas: absumptusque fuerit acervus, vel seges, vel ager, reddendo reddet qui ignem accendit, rem combustam.* 7. *Quum dederit quispiam proximo suo argentum, vel vasa ad custodiendum, et furto ablatum fuerit e domo viri illius: si inventus fuerit fur, reddet duplum.* 8. *Si non inventus fuerit fur, tunc applicabitur dominus domus ad iudices, annon miserit manum suam in substantiam proximi sui.*

EX EODEM CAPITE.

10 [2]) *Si dederit quispiam proximo suo asinum, vel bovem, vel pecudem, aut quodcunque animal ad custodiendum, et mortuum fuerit, aut contractum, aut ab hostibus captum nemine vidente,* 11. *Iuramentum Iehovae erit inter utrumque, annon miserit manum suam in substantiam proximi sui, et iuramentum suscipiet dominus eius, et non reddet.* 12. *Quod si furto ablatum fuerit ei, reddet domino eius.* 13. *Si vero rapiendo raptum fuerit, adducet ei testem: raptum non reddet.*

5. *Si depasci.* Merito inter furta numeratur hoc genus fraudis: Si quis animal suum immiserit in agrum alterius aut vitem ad pascendum. Nam si quis ad furandum abusus sit servi opera, tenetur ipse reus delicti, etiamsi manu nihil attrectet: non minus autem nocet, qui per animal brutum causae noxam dederit. Quanquam Deus temperat poenam quoad dupli satisfactionem, quia certo statui non potest an fraudulenter ac data opera damnum inferre voluerit dominus animalis. Iubet tamen Deus damnum sarcire quanti maximo aestimatum fuerit. Sic enim bonitatem agri et vineae interpretor, ut loco inspecto, liberaliter domino adiudicetur quantum probabile fuerit in summa foecunditate illic fuisse productum.

6. *Quum egressus fuerit.* Haec noxa aliquantum superiori dissimilis est, quia iubetur qui ignem accendit damnum ex eo factum rependere, quamvis nulla nocendi voluntas intercesserit. Nam incendiarius qui dolo malo vel segetem vel vineam corrupisset, longe gravius plectendus fuit, hic autem punitur sola incuria. Etsi autem domus vel areae nulla fit mentio, lex tamen species omnes comprehendit, satisfactionem ab eo exigens qui vel in campo aperto ignem accenderit. Videtur autem is esse extra culpam, quia praevidere vix potuit an ignis spinas corriperet: verum ut quisque eandem rei alienae curam quam propriae sustineat, supinae vel crassae securitatis eam poenam luere iubet Deus.

7. *Quum dederit.* Hic discernitur quousque competat actio furti in deposito: nempe, si res inanimis data fuerit in custodiam, ut vestis, aut supellex, ac excipiat depositarius eam furto ablatam esse: iubet Deus, si fur compertus fuerit, in duplum damnari: sin minus, iusiurandum ab eo exigendum qui rem sibi ablatam dicit. Si vero depositum fuerit animal in custodiam, ius decernitur paulo diversum: nempe si raptum violenter fuerit vel a feris dilaceratum, liberetur custos: furto autem ablatum restituat. Cuius legis ratio ut nobis constet, notare convenit, non ultra urgendos esse depositarios quam ut rem sibi commissam fideliter servent: perinde ut providus et sedulus paterfamilias ad sua servanda attentus est. Ubi hac diligentia defuncti sunt, iniquum esset plus ab ipsis postulari: alioqui dum onus gratuiti officii suscipiunt, fraudi ipsis esset sua liberalitas. Verum quia non adeo facile est animal e caulis vel pastoris manibus subripere, negligentia pastoris se prodit in amisso iumento, si nulla vis intervenerit. Recte igitur utrumque: Ne vas, aut pecuniam, aut vestem restituat depositarius: quia hoc esset quodammodo eum substituere in locum furis. Si vero abactum fuerit animal, pretium solvat qui se ab incuria purgare non potest. Si quis putet nimium concedi depositario, ubi Deus ex illius iureiurando litem vult finiri: responsio in promptu est, nos alterius fidei non committere aliquid servandum, nisi de cuius probitate sumus persuasi. Qui ergo rei suae custodem elegit, suo praeiudicio testatus est eum esse bonum et integrum virum. Atque ita paulo post, ob rem perditam furti crimine absque probatione onerari, absurdum esset. Quamobrem non abs re Deus dominum rei ablatae acquiescere vult eius iuramento quem fidum sibi amicum esse duxit. Adde quod tunc demum absolvitur qui se Deo teste adhibito purgat, si nulla sinistra suspicio in eum profertur, et se ipse excusat probabili coniectura.

[10. *Si dederit quispiam.* Quoniam in eo loco unde istos quatuor versus sumpsi, depositi fit mentio, et Moses fraudibus, rapinis, et furtis ex professo occurrit: in ea classe reponere placuit. Spectat quidem aliquatenus ad tertium praeceptum, quia legitimum usum iurisiurandi ostendit: nempe ut in rebus occultis ad Dei testimonium confugiant homines, ac interposito sacro eius nomine lis inter ipsos dirimatur. Quum autem ex Dei reverentia pendeat quae defertur autoritas iuramentis, simul in ipsis commendatur fides et religio, ut inter se

1) Hebr. 4—7.
2) Hebr. 9—12.

omnia respondeant. Verum quod praecipuum erat spectavi: quomodo in rebus occultis dirimi controversiae debeant ad pacem et aequitatem fovendam. Vult ergo absolvi depositarium, si iuret, animal quod in custodiam acceperat, periisse, quamvis eius rei testem non producat: quia iniquum est ut culpam sustineat, nisi fraus vel crassius aliquod delictum intervenerit. Ideo in fine dicitur: Suscipiet possessor iuramentum: quod tantundem valet atque cogetur acquiescere, ne ultra molestiam facessat. Notanda autem loquutio est: Erit iusiurandum Iehovae inter ambos: quia iurandi religio et sanctitas commendatur, dum admonet Moses Deum esse autorem sacrae testificationis, ideoque iudicem ac vindicem praesidere [1])].

EX EXODI XXII.

14 [2]). *Si commodato acceperit quispiam a proximo suo, et confractum fuerit aut mortuum domino eius absente, reddendo reddet.* 15. *Si dominus eius fuerit cum eo, non reddet: si conductum fuerit, veniens pro mercede sua.*

Docet nunc Moses, si animal commodatum perierit, vel sit mutilatum aut vitiatum, quid iuris. Est autem alia longe commodati ratio quam depositi: nam qui commodat, beneficium confert. Ergo qui sibi aliquid commodari rogat, se obstringit ad id salvum praestandum quantum in se erit. Distinctio autem ponitur, si dominus ipse animalis adsit testis oculatus, mortis vel fracturae damnum ipse perferat: si autem eo absente mortuum sit animal, aut deterius factum, pretii solutio ei adiudicatur. Porro tantundem valet eius praesentia ac si dictum esset, si oculis suis conspexerit, vitium non accidisse eius culpa cui commodavit, ne sit ei molestus. Exempli gratia, si equum mihi commodato dederis, et una mecum iter facias, quamvis aliquid adversi accidat (modo scias nec temeritate, nec negligentia, nec mala tractatione esse factum), liber sum ac immunis a damno. Quod autem de animali hic statuitur, ad alias etiam res commodatas transferri debet.

EX LEVIT. XXIV.

18. *Qui percusserit animam animalis, restituet illud: animam pro anima.*

1) *Totum hoc comma abest ab ed. principe, non vero ipse textus ad quem refertur. Antea legitur:* Versum unum [*scil.* 9, *hebr.* 8], ubi generaliter agitur de iuramentis, consulto in nonum praeceptum reieci.

2) Hebr. 13. 14.

EX EODEM CAPITE.

21. *Qui percusserit animal, reddet illud.*

Hic praecipit Deus, ut qui damnum intulit, satisfaciat: quamvis in rem suam non verterit. Neque enim in furto spectandum est lucrum, sed nocendi affectus, vel etiam alia quaelibet culpa. Fieri enim potest, ut qui alterius bovem occidit, non appetat consulto iniuriam facere, sed ira percitus, vel inconsiderato impulsu, damnum nihilominus inferat. Quocunque igitur modo quispiam deliquerit unde alter pauperior sit factus, iubetur damnum sarcire. Unde patet furti coram Deo teneri quicunque non ita sibi temperant, ut fratrum suorum commoda perinde curent atque sua. Finis enim legis est, ne cui a nobis iactura proveniat: quod tunc demum fiet si nobis curae sit fratrum utilitas.

EX EXODI XXI.

33. *Quum aperuerit quis cisternam, vel foderit quis cisternam, et non cooperuerit eam: cecideritque illuc bos vel asinus,* 34. *Dominus cisternae reddet pecuniam, et restituet domino eius: et quod mortuum est, erit illius.* 35. *Si percusserit bos alicuius bovem proximi sui, mortuusque fuerit, tunc vendent bovem vivum, et partientur pretium eius: mortuum quoque partientur.* 36. *Quod si notum fuerit bovem esse cornupetam ab heri et nudiustertius, et non custodierit eum dominus eius, reddendo reddet bovem pro bove, et mortuus erit illius.*

33. *Quum aperuerit.* Alias adhuc damni facti species enumerat, in quibus restitutio exigi debet ab eo qui dedit causam noxae. Primo dicitur: Si quis puteum aut cisternam effoderit, neque operuerit, atque illuc ceciderit animal, teneri ad solvendum pretium: et merito, quia eius incuria ad latam culpam accedit. Ubi rursus perspicimus Deum velle singulos de fratrum suorum utilitate esse sollicitos: quoniam tamen nihil fraudis vel malitiae intercessit, soluto pretio, cadaver ut ad se recipiant permittitur. Si vero bos unius ab alterius bove fuerit occisus, aequissimum fertur iudicium: si praeter opinionem et repentino casu id acciderit, ut partiantur inter se bovem mortuum, et altero vendito, quisque dimidiam partem pretii accipiat: sin vero bos fuerit cornupeta, ut dominus eius maiorem poenam luat, totum pretium solvendo: quia malum praecavere debuit: ideoque parum humanus fuit, detrimenti causam dando.

EX DEUT. XXIII.

24 [1]). *Quum ingressus fueris vineam proximi tui, comedes uvas pro desiderio tuo ad satietatem tuam: at in vase tuo non pones.* 25. *Quum ingressus fueris segetem proximi tui, decerpes spicas manu tua: at falcem non attolles in segetem proximi tui.*

Quoniam hic pauperibus admodum Deus indulget, restringunt quidam ad messores, et vindemiatores: quasi permitteret Deus spicas manu vellere, et colligere racemos duntaxat in cibum, ac ne quid exportent. Ego vero non dubito sermonem de omnibus haberi: neque tamen plus concedi licentiae quam ferat humanitas. Neque enim praecise urgenda sunt verba, sed attendere convenit ad legislatoris consilium. Vetat Deus falcem tollere in messem alienam: nunc si quis tantum spicarum manibus vellat, quantum humeris gestare poterit, vel equo imponere, an puerili hoc cavillo se excusabit, quod falce non fuerit usus? Quod si sensus ipse communis adeo crassam impudentiam repudiat, certum est legem alio spectare: ne quis scilicet vel spicam attingat ex alterius segete, nisi pro usu praesenti. Quod Christi discipulis contingit, quum inedia coacti sunt spicas manibus conterere, ne deficerent in via (Mat. 12, 1). Idem et de racemis sentiendum. Si quis data opera perrumpat in alterius vineam, seque illic ingurgitet, quidquid obtendat, pro fure habebitur. Ergo dubium non est quin lex viatoribus famelicis permittat se reficere uvarum esu, ubi non suppetit alius cibus. Quanquam autem libertas comedendi datur usque ad saturitatem, non tamen licuit hoc praetextu ingluviem explere. Adde quod vineae maceriis septae erant, et custodiebantur: unde apparet, helluonibus non fuisse uvas expositas. Verum haec summa est, non imputari in furtum si quis viator ad famem levandam manum extenderit ad fructus pendentes, donec hospitium nactus panem et vinum emat.

EX LEVIT. XIX.

9. *Quum messueritis messem regionis vestrae, non finies metere angulum agri tui, et collectionem messis tuae non colliges.* 10. *Et vineam tuam non racemabis, neque grana vineae tuae colliges: pauperi et peregrino relinques ea: ego Iehova Deus vester.*

EX LEVIT. XXIII.

22. *Quum metetis messem regionis vestrae, non absolves usque ad angulum agri tui: nec collectionem messis tuae colliges: pauperi et peregrino relinques eam: Ego Iehova Deus vester.*

1) Hebr. 25. 26.

EX DEUT. XXIV.

19. *Quum messueris messem in agro tuo, et oblitus fueris manipulum in agro, non reverteris ad eum tollendum, peregrino, pupillo, et viduae erit: ut benedicat tibi Iehova Deus tuus in omni opere manuum tuarum.* 20. *Quum excusseris olivam tuam, non scrutaberis ramos post te: peregrino, pupillo, et viduae erit.* 21. *Quum videmiabis vineam tuam, non colliges racemos post te: peregrino, pupillo, et viduae erunt.* 22. *Memento quod servus fueris in terra Aegypti: idcirco praecipio tibi ut hoc facias.*

Hic beneficentiam Deus commendat agrorum possessoribus, ubi eorum fructus colligitur. Nam eius liberalitas ubi versatur nobis ante oculos, ad imitationem nos invitat: et signum est ingratitudinis, quod nobis ex eius benedictione provenit, maligne et inhumaniter supprimere. Non vult quidem Deus eos qui abundant ita profuse largiri ex suo proventu, ut alios ditando se ipsos spolient. Et certe Paulus eleemosynis modum hunc definit, ne pauperum relaxatio locupletibus qui benigne erogant angustiam afferat (2. Cor. 8, 13). Permittit ergo Deus cuique triticum suum metere, vindemiare, et sua copia frui: modo suis vindemiis et sua messe contenti divites inopibus racemationem et spicilegium non invideant. Non quod pauperibus simpliciter adiudicet quidquid residuum erit, ut tanquam suum occupent: sed ut precario exigua quaedam portio ex divitum munificentia ad eos usque defluat. Nominat quidem pupillos, viduas, et peregrinos: sed dubium non est quin tenues et egenos designet, quibus nulli sunt fundi in quibus serant vel metant. Continget enim interdum ut pupilli minime indigeant, quin potius ad largiendum suppetat facultas: neque semper esuriunt viduae et hospites: verum cur tres istos ordines ponat, alibi exposui.

EX DEUT. XV.

1. *Septimo quoque anno facies remissionem.* 2. *Haec autem est ratio remissionis, ut remittat omnis qui mutuum dederit manu sua, id quod mutuum dederit amico suo: non reposcet ab amico suo, aut a fratre suo, quia proclamata est remissio Iehovae.* 3. *Ab alienigena reposces, at quod fuerit tibi apud fratrem tuum, remittet manus tua:* 4. *Nisi quia non*

sit[1]) *in te mendicus: quia benedicendo benedicet tibi Iehova in terra quam ipse Deus tuus dat tibi in haereditatem ut possideas eam.* 5. *Sed ita duntaxat, si obediendo obedieris voci Iehovae Dei tui, ita ut custodias, faciendo omne praeceptum istud quod ego praecipio tibi hodie.* 6. *Nam Iehova Deus tuus benedixit tibi, quemadmodum dixit tibi: tum mutuo accepto pignore dabis gentibus multis, tu autem non accipies mutuo: et dominaberis gentibus multis, at tibi non dominabuntur.* 7. *Si fuerit apud te mendicus quispiam e fratribus tuis, in una e portis tuis, in terra tua quam Iehova Deus tuus dat tibi: non indurabis cor tuum, neque claudes manum tuam a fratre tuo mendico.* 8. *Sed aperiendo aperies illi manum tuam, et mutuando mutuabis ei ad sufficientiam usque, id quo indiguerit.* 9. *Cave tibi ne sit quidpiam in corde tuo impium, dicendo: Propinquus est annus septimus, annus remissionis: et malignus sit oculus tuus in fratrem tuum mendicum, ita ut non des ei: clamet autem contra te ad Iehovam, et erit in te peccatum.* 10. *Dando dabis ei, neque malignum erit cor tuum quum dederis ei: quia huius rei gratia benedicet tibi Iehova Deus tuus in omnibus operibus tuis, et in omni extensione manuum tuarum.* 11. *Non enim deerit mendicus de medio terrae: idcirco praecipio tibi, dicendo: Aperiendo aperies manum tuam fratri tuo, id est pauperi tuo et mendico tuo in terra tua.*

1. *Septimo quoque anno.* Hic Iudaeis peculiaris inter se humanitas praecipitur, ut septimo quoque anno frater fratri quod debitum fuerit remittat. Etsi autem hac lege hodie non obstringimur, ac ne expedit quidem in usu esse: finis tamen quo tendebat vigere debet, ne in flagitandis nominibus nimium rigidi simus exactores: praesertim si cum egenis negotium est, qui sub paupertatis onere fatiscunt. Veteris populi (ut dixi) conditio fuit diversa. Originem ducebant ab una stirpe, terra Chanaan communis erat illis haereditas, fraterna illis societas invicem erat colenda, non secus ac si eiusdem familiae essent. Et quia eos Deus semel manumiserat, ut perpetuo liberi essent, ad fovendum mediocrem statum optima fuit ratio, ne pauci immensis opibus multitudinem opprimerent. Quoniam ergo si divitibus semper crescere permissum esset, tyrannice dominati essent, immodicam potentiam hac lege fraenavit Deus. Adde, quum terrae daretur quies, et ab eius cultura feriarentur homines, aequum fuisse ut totus populus (cuius causa institutum erat sabbathum) aliquid relaxationis sentiret. Quanquam remissio de qua nunc agitur, meo iudicio, nonnisi temporalis fuit. Volunt quidem alii aes alienum tunc prorsus fuisse sublatum, ac si annus sabbatharius tabulas omnes accepti et expensi deleret. Atqui id ex contextu refellitur, quia ubi instat annus sabbatharius, benigne tamen mutuare Deus iubet: ridiculus autem fuisset contractus, nisi reposcere tandem licuisset. Certe si nulla unquam sequuta fuisset solutio, simpliciter donare oportuit. Quorsum enim attinet inanem mutui titulum obtendere, si nunquam ad dominum reditura est quae numeratur pecunia? Verum Deus anno illo lites omnes cessare voluit, ne quis molestus esset suo debitori. Iam quia anno illo libero et immuni spes non erat recipiendae pecuniae, occurrit Deus, et restrictos esse vetat: quamvis non nihil iacturae afferat mora. Primum ergo iubet septimo anno remissionem facere, nempe ut supersedeant ab exigendis nominibus, et pauperibus inducias aut vacationem, sicuti terrae, concedant. Qua ratione exprobrat Iudaeis Isaias (58, 13), male eos sabbathum colere, dum exigunt sua nomina, et ieiunant ad lites et contentiones. Subiicitur forma remissionis: Ne quispiam proximum vexet anno illo quo remissio Dei promulgata est.

3. *Ab alienigena.* Exceptio additur, ut liceat extraneos in ius vocare, et cogere ad solvendum: idque optima ratione: quia minime aequum fuisset sabbathi beneficio frui contemptores legis, praesertim quum de solo electo populo privilegium Deus tulisset. Quod sequitur versu proximo: Nisi quia non erit mendicus, varie torquent interpretes. Vertunt quidam: Verumtamen non sit apud te mendicus: ac si prohibitio esset, ne sinant miseros fratres pauperie obrui, quin opitulentur. Porro ne obiiciant, si ita ad largiendum sint faciles, statim se exhaustum iri, praevenit Deus, ac in suam benedictionem recumbere iubet. Alii vero promissionem esse volunt: sed ita contexunt, neminem fore apud eos mendicum, si modo legem servent, quia tunc illis benedicet Deus. Atque hic quoque sensus non adeo male quadrat. Quid sibi voluerint qui exponunt: In tantum ne sit tibi mendicus, nescio. Expendant tamen lectores annon אפס כי melius vertatur: Nisi quod: at tunc per parenthesin legendum esset membrum illud, ac si dictum esset: Quoties erunt ex fratribus vestris aliqui inopes, vobis offertur benefaciendi materia. Ergo toleranda vobis est fratrum inopia, ut vobis Deus benedicat. Verum ut clarior sit sententia, exclusive accipio duas voces אפס כי, ac si esset: Prorsus ne sit mendicus. Vel: Quidquid sit, ne patiamini vestra culpa quemquam esse inter vos mendicum. Vult enim omnes inanes excusandi praetextus discutere, atque ita prout necessitas tulerit, vult ad succurrendum esse propensos, ne pauperes, inopia et egestate, miseriis succumbant. Non ergo generaliter intelligit quoslibet pauperes, sed penitus afflictos, quales Amos propheta conqueritur venditos fuisse pro calceamentis (Amos 2, 6). Porro ut alacriter miseriis subveniant, pro-

1) *In margine:* Vel, prorsus certe non erit.

mittit suam benedictionem fore instar uberioris proventus. Atque hinc sumpsisse videtur Paulus (2. Cor. 9, 10) suam ad Corinthios exhortationem: Qui seminat in benedictionibus etiam de benedictionibus metet. Potens est Deus facere, ut affluat in vobis gratia, ut in omnibus semper sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Qui administrat semen seminanti, multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae, ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem. In summa, Deus anxios esse vetat, quia si largiendo pauperibus aliquid e suo diminuant, sua benedictione copiose sarciet.

6. *Nam Iehova Deus tuus.* Confirmat proximam sententiam, sed a specie ad genus conscendit. Postquam enim docuit ex Dei benedictione esse longe plus sperandum quam pauperibus erogaverint, nunc eos ad foedus ipsum revocat: quasi diceret, quidquid habent manare a primo illo fonte gratiae Dei, quando eos terrae Chanaan haeredes constituit. Commemorat etiam Deum tunc pollicitum illis fuisse uberes proventus. Quibus verbis admonet, si restricti fuerint ac tenaces, reddere terram sterilem. Quod autem dicitur, daturos mutuo cunctis gentibus, ad amplificationem facit: sicuti proximum membrum, dominaturos gentibus: unde sequitur, si qui inter ipsos indigeant, fieri populi ipsius malitia, et pravitate.

7. *Si fuerit apud te mendicus.* Idem est nomen quod paulo ante vidimus אביון. Neque tamen secum pugnat, quum opem ferre mendicis iubet, quos ante vetuit esse in populo: prohibitio enim huc tendebat, si quis ad mendicitatem redactus esset, ne eum abiicerent ac desererent. Iam vero modum explicat, nempe, si apertae sint divitum manus ad ferendas suppetias. Caeterum, ut ad misericordiam flectat eorum animos, rursus mutuae fraternitatis eos admonet, eiusque pignus vel tesseram proponit terram in qua simul habitant Dei beneficio. Deinde, quo voluntarii sint ac prompti ad humanitatem, vetat cor suum obdurare: quo significat avaritiam semper esse crudelem. Tandem doctrinam hanc ad annum remissionis accommodat, nempe, ut perinde subveniant egenis fratribus circiter illius anni principium, ac si paucis post diebus recepturi essent pecuniam, quae apud pauperem usque ad finem remissionis manebit.

11. *Non enim deerit mendicus.* Quod subaudiunt quidam, ideo fore pauperes quia legem non servabunt, ac si ob eorum malitiam terra exaresceret, longe petitum est. Id quidem verum esse fateor: sed hic causam non adscribit Deus eorum peccatis, cur futuri sint aliqui mendici: tantum admonet nunquam illis defore materiam beneficentiae, quia Deus oblatis pauperibus, probabit quo sint animo. Nam (ut alibi retuli) ideo occurrunt sibi pauper et dives, et utriusque creator est Deus, quia non aliter vigerent caritatis officia nisi dum se alii in aliis iuvandis exercent. Ergo ut divitum pigritiam excitet Deus, nihil se praecipere testatur nisi quod flagitabit continua necessitas.

EX EXODI XXI.

1. *Haec sunt iudicia quae propones eis.* 2. *Si emeris servum Hebraeum, sex annis serviet: septimo egredietur gratis.* 3. *Si cum corpore suo ingressus fuerit, cum corpore suo egredietur, si maritus mulieris erat, egredietur et uxor eius cum ipso.* 4. *Si herus eius dederit ei uxorem, et pepererit ei filios, vel filias, uxor et filii eius erunt heri sui: ipse vero egredietur cum corpore suo.* 5. *Quod si dicendo dixerit servus: Diligo herum meum, et uxorem meam, et filios meos, non egredietur liber:* 6. *Tunc adducet eum herus eius ad iudices, et applicabit eum ad ostium, vel ad postem, perforabitque herus eius aurem eius subula, et serviet ei in saeculum.*

EX DEUT. XV.

12. *Si venditus fuerit tibi frater tuus Hebraeus, vel Hebraea, et servierit tibi sex annis: anno septimo dimittes eum liberum a te.* 13. *Et quum dimittes eum liberum a te, non dimittes eum vacuum.* 14. *Onerando onerabis eum, de pecudibus tuis, et de area tua, et de torculari tuo: in quibus benedixerit tibi Iehova Deus tuus, dabis ei.* 15. *Et recordaberis quod servus fuisti in terra Aegypti, et redemerit te Iehova Deus tuus: idcirco ergo praecipio tibi hoc hodie.* 16. *Quod si dixerit tibi: Non egrediar a te: propterea quod diligat te et domum tuam, et quod bene sit ei tecum.* 17. *Tunc accipies subulam, et adiges in aurem eius in porta: eritque tibi servus in saeculum: sic etiam ancillae tuae facies.* 18. *Non sit durum in oculis tuis quum dimittes eum liberum a te, quia duplo secundum mercedem mercenarii servivit tibi sex annis: et benedicet tibi Iehova in omnibus quae facies.*

Exodi 21, 1. *Haec sunt iudicia.* Uterque locus idem continet, nempe apud Hebraeos servitutem finiri debere anno septimo. Nam filios Abrahae, quamvis se vendere coacti essent, voluit tamen Deus a profanis et vulgaribus mancipiis differre. Manumissio itaque praecipitur, sed cum exceptione: quam exprimit Moses in priore loco, in secundo autem omittit: nempe, si duxerit uxorem servam, et genuerit liberos, ut maneant apud herum, solus autem ipse liber fiat. Unde apparet quam dura

fuerit servilis conditio, quae sine prodigio temperari non potuit. Nihil enim magis praeter naturam, quam ut maritus, relicta uxore, et liberis abiectis, alio migret. Atqui non aliter solvi potuit vinculum servitutis, quam divortio, hoc est impia coniugii violatione. Fuit ergo in hac divulsione foeda quaedam barbaries, quum vir a dimidia sui parte et propriis visceribus separatus est. Nec tamen potuit aliud esse remedium: quia si uxor cum liberis fuisset manumissa, eos secum educere, fuisset spoliare iustum dominum, non modo ancilla quae erat in eius mancipio, sed etiam teneris adhuc puellis, in quorum educationem sumptus fecerat. Ita iuri privato cessit coniugii sanctitas hac in parte. Unde hoc vitium inter alia numerandum est quae toleravit Deus ob populi duritiem, quia vix corrigi poterat: si quis tamen casto amore retentus, nollet uxorem eiusque foetus deserere, remedium additum est, ut se quoque in servitutem perpetuam addiceret. Forma in Exodo clarius quam in Deuteronomio explicatur: nam in hoc secundo loco tantum dicitur, ut dominus ad servum perpetuo vindicandum, aurem eius perforet. In Exodo autem additur circumstantia, ut interveniat publica cognitio: nam si privatim quisque eius rei fuisset arbiter, divitum aedes carnificinae fuissent ad miseros servos torquendos. Legimus apud Ieremiam (34, 11), hac lege contempta Iudaeos praeter ius et fas dominatos perpetuo fuisse servis suis. Imo quum graviter sub Zedechia increpati fuissent, et de integro promulgata libertas, statim tyrannice sub iugum retracti sunt miseri homines, ac si per ludibrium fuissent manumissi. Cavendum ergo fuit ne occultis tormentis invitos ad obeundam servitutem adigerent: cuius mali remedium fuit, libera apud iudices confessio: auris autem perfossio stigmatis instar fuit. Nam Orientales servos vel fugitivos, vel nequam, et sceleratos, vel qui aliquo modo suspecti erant, solebant stigmatibus notare: hanc ignominiae notam noluit Deus suorum frontibus inuri: si quis tamen sponte in perpetuam servitutem consenserat, eum voluit obligationis suae symbolum in aure gestare. Tenendum tamen est, hanc quoque servitutem (quamvis dicatur in saeculum durare) finitam fuisse in Iubilaeo: quia tunc renovata fuit terrae et hominum conditio.

Deut. 15, 13. *Et quum dimittes eum liberum.* Hic vero non tantum manumissio iniungitur, sed exhortatio quoque accedit ad liberalitatem, ut servos non sine mercede dimittant: neque enim lex est forensis quae extorqueat ab avaris plus quam dare velint. Atque hic valet Pauli regula: Unusquisque prout destinavit in corde suo, nec ex tristitia vel necessitate: quia hilarem datorem diligit Deus (2. Cor. 9, 7). Sed quia fratres erant servi Hebraei, Deus passus non est eos deteriore loco haberi quam mercenarios. Quod autem illis dari iubet ex torculari, area, et caulis pecudum, non significat his verbis, locupletandos esse, vel suppetitandam ipsis largam annonam: sed divites proprie compellat, quibus multiplex copia suppetit ex qua sint liberales: ac si ostenderet unde accipiant gratuitum munus, quod tamen simul esset iusta laborum compensatio.

18. *Non sit tibi durum.* Nuper retuli quam difficilis fuerit vel molesta Iudaeis huius legis observatio, quare non abs re hic Deus morosam et malignam eorum superbiam obiurgat, si aegre servos manumittant. Et primo quidem, aequitate proposita, eos ad parendum inducit, deinde spe remunerationis. Admonet enim sex annis servum promereri duplicem mercedem mercenarii, vel quia magis laboriosa fuerit eius vita (quia pensum a servis exactius requiritur quam ab hominibus liberis, qui operas suas locant): vel quia duplex temporis spatium confecerit, quo solebant mercenarii conduci. Colligunt enim Hebraei ex hoc loco, mercenariis praefixum fuisse triennium: atque ita conferri putant sex annos. Sed quoniam haec mera est divinatio, nescio an melius conveniat quod attuli, per sex annos duplo utiliores fuisse eius operas quam liberi hominis qui serviliter non cogitur.

EX LEVIT. XXV.

39. *Si attenuatus fuerit frater tuus apud te, ita ut vendat se tibi, non uteris opera eius tanquam servi opera.* 40. *Tanquam mercenarius, tanquam colonus erit tecum: usque ad annum Iubilaei serviet tibi.* 41. *Egredietur autem a te ipse, et liberi eius cum eo, ac revertetur ad familiam suam, et ad possessionem patrum suorum revertetur.* 42. *Sunt enim servi mei quos eduxi e terra Aegypti: non vendentur venditione servili.* 43. *Non dominaberis illis dure sed timebis a Deo tuo.* 44. *Servus autem tuus et ancilla tua qui erunt tibi, de gentibus erunt quae sunt in circuitu vestro, ex eis emetis servum et ancillam.* 45. *Et etiam de filiis incolarum qui versantur apud vos, emetis: et de familia eorum qui apud vos sunt, quos procreaverunt in terra vestra: eruntque vobis in possessionem.* 46. *Et iure haereditario possidebitis eos pro filiis vestris post vos, ad possidendum possessionem: in perpetuum utemini opera eorum: fratribus autem vestris filiis Israel quisque fratri suo non dominabitur dure.* 47. *Si autem apprehenderint manus peregrini et advenae qui est apud te, et attenuatus fuerit frater tuus qui apud illum versatur, seque vendiderit peregrino et advenae qui est apud te, vel stirpi familiae peregrini:* 48. *Postquam vendiderit se, redemptio erit ei: unus e fratribus eius redimet eum:* 49. *Aut patruus eius,*

aut filius patrui eius redimet eum, aut propinquus carnis eius e familia eius redimet eum: aut si apprehenderit manus eius, tunc redimet se ipsum. 50. *Et supputabit cum eo qui emit ipsum, ab anno quo se vendidit illi, usque ad annum Iubilaei, aestimabiturque pecunia venditionis eius secundum numerum annorum: et secundum dies mercenarii fiet cum eo.* 51. *Si adhuc multi fuerint anni, secundum eos restituet redemptionem suam de argento venditionis suae.* 52. *Quod si parum reliquum sit ex annis usque ad annum Iubilaei, tunc supputabit cum eo: et secundum annos suos restituet redemptionem suam.* 53. *Tanquam mercenarius annuus erit cum illo: non dominabitur ei dure in oculis tuis.* 54. *Si non se redemerit in illis, egredietur in anno Iubilaei ipse et filii eius:* 55. *Quia mihi sunt filii Israel servi, servi mei sunt quos eduxi e terra Aegypti: ego Iehova Deus vester.*

39. *Si attenuatus fuerit.* Longius nunc progreditur, ut, qui fratrem suum emerit, eum tractet humaniter, non secus ac mercenarium. Vidimus quidem paulo ante aestimari servi laborem duplo amplius, quia nunquam eo perveniet domini humanitas, ut servo suo perinde indulgeat, vel parcat, ac si esset homo conductitius. Non ergo frustra Deus temperat imperium illud, quod exempla docent fuisse tyrannicum. Et tamen non aliud praecipit quam profani philosophi, ut servis suis heri utantur tanquam mercenariis. Atque haec aequitas sine exceptione erga omnes valere debuit: verum quia difficile fuit de exteris idem praecipere quod de fratribus, lex specialis lata est, ut saltem moderationem servarent erga fratres suos, quibuscum illis communis erat haereditas et conditio. Primum ergo servis Hebraeis consulitur ne contumeliose et duriter tractentur quasi mancipia: deinde ut servitus finem accipiat anno Iubilaei. Sed hic exoritur quaestio, quum ante septimo anno data fuerit illis libertas, cur nunc differatur in annum quinquagesimum. Quidam hunc nodum solvunt, si in sex annos incurrat Iubilaeus, tunc liberum dimitti, quamvis integrum tempus non absolverit: quod nimis coactum est. Mihi itaque magis probatur vocem יבל longius extendi ad septenarios quosque annos, aut certe nominatim moderationem erga servos praecipi, qui magis obnoxii erant violentiae et omnibus iniuriis. Neque enim ausi fuissent pro libidine servos opprimere qui paulo post futuri erant liberi. Sed qui aure perforata se addixerant in longum tempus, fuissent petulantius vexati nisi Deus intercessisset. Atque hanc sententiam libenter amplector, quamvis ad annum usque Iubilaei duraret servitus, moderate tamen et humaniter exercendam in eos dominationem. Idque confirmatur proximo contextu, ubi prolem iubet liberam una cum patre dimitti: quod septimo anno fieri non solebat.

42. *Sunt enim servi mei.* Hic pronunciat Deus ius suum sibi eripi, ubi rapiuntur in alienum dominium quos sibi in peculium vendicat. Dicit autem se populum acquisiisse, quando eum redemit ex Aegypto. Unde colligit ius suum violari, si quis in homines Hebraeos perpetuum dominium sibi usurpet. Si quis obiiciat, hoc idem valere ubi nonnisi ad tempus serviunt: respondeo, quamvis Deus sibi uni merito imperium asserere potuerit, hoc tamen symbolo fuisse contentum: ideoque per indulgentiam passum fuisse subiici ad praefixum tempus, modo residuum aliquod maneret liberationis vestigium. Denique remedium simpliciter adhibere voluit, ne servitus gratiae suae memoriam prorsus exstingueret: quamvis permiserit eam suffocari. Itaque ne confidant heri truculenti, impune cessuram sibi quam exercuerint tyrannidem: admonet Moses negotium illis esse cum Deo, qui ultor tandem apparebit. Etsi autem hodie cessant apud nos leges politicae Mosis: anagoge tamen tenenda est, ne deterior sit eorum conditio apud nos qui sanguine Christi redempti sunt, quam olim fuerit veteris populi. Quo spectat Pauli exhortatio: Vos domini servis remittite minas, scientes quod vester et illorum dominus est in coelis (Ephes. 6, 9).

44. *Servus autem tuus.* Quod hic Deus in exteros permittit, passim tritum erat apud omnes gentes, ut dominis maneret sua in servos potestas, non modo usque ad mortem, sed continua successione in liberos ab ipsis genitos. Id enim valet loquutio: Possidebitis pro filiis vestris, ius dominii transire ad ipsos haeredes. Nec solum in perpetuitate ponitur discrimen, sed in ipso etiam imperii modo. Notanda est enim antithesis: Utemini opera eorum, fratri autem suo nemo dominabitur duriter. Unde apparet fraenum iniici, ne tam imperiose urgeant filios Abrahae, quin dimidia illis maneat libertas, comparatione gentium. Non quod tyrannica vel immanis potestas in extraneos licita fuerit, sed quia privilegio quodam Deus genus Abrahae, cuius erat liberator, eximi voluit a sorte vulgari.

47. *Si autem apprehenderit.* Hic cavetur Israelitis qui se in servitutem exteris tradiderint. Exteros autem eos duntaxat intellige qui habitabant in terra Chanaan: quia si quis in alias regiones fuisset tractus, frustra legem Deus tulisset de ipsorum redemptione. Datur ergo redimendi servi potestas cognatis, vel, si ipse nactus fuerit pretium, eadem facultas ei conceditur. Exprimitur deinde ratio et forma, ut supputetur quod residuum est temporis ad Iubilaeum usque, et subducatur e summa tempus quod iam elapsum fuerit: nempe, si quinquaginta siclis esset venditus, anno quadragesimo, nonnisi decem siclos solveret, quia quinta tantum portio temporis restabat. Quod si nemo ex consanguineis succurreret, ac misero spes adempta esset redemp-

tionis: anno tamen Iubilaei liberum dimitti iubet, quo generalis fiebat manumissio, quantum ad filios Abrahae. Finis autem legis fuit, ne quis eorum quos Deus adoptaverat alienaretur a genere suo, atque hoc modo desciseeret a genuino Dei ipsius cultu. Id totum comprehenditur versu ultimo, ubi iterum pronunciat Deus filios Abrahae esse suum peculium, quoniam eos eduxit e terra Aegypti, et vicissim se peculiarem esse ipsorum Deum. Nam ut Dei beneficio ipsos frui aequum fuit, sic vicissim integros servari oportuit in recto puroque eius cultu: si vero fuissent gentium mancipia, non modo diminuebatur electus populus, sed polluebatur circumcisio, et impiae defectioni ianua aperiebatur. Porro legem suam Deus ita temperat ut inquilinos nullo iniquo dispendio gravet, quum plus ipsis, quantum ad servos Hebraeos, largiatur quam indigenis. Exibant enim liberi anno septimo si se fratribus vendiderant: sub inquilinis vero extendebatur servitus ad annum quinquagesimum. Illa tantum exceptio fuit addita, ut quos emerat alienigena servos, accepto pretio manumitteret. Caeterum quum antehac pollicitus fuerit Deus populo suo largam et multiplicem bonorum omnium copiam, non aliunde contigit inopia, cuius nunc fit mentio, quam ex Dei maledictione. Videmus ergo ut pro incomparabili sua bonitate manum porrigat legis suae transgressoribus: et dum eos pauperie castigat, simul illis prospiciat, quamlibet sint indigni, et aerumnis medeatur quas sua culpa contraxerunt.

EX LEVIT. XXV.

23. *Terra autem non vendetur absolute, quia mea est terra: vos enim peregrini, et advenae estis apud me.* 24. *In universa autem terra possessionis vestrae redemptionem dabitis terrae.* 25. *Quum attenuatus fuerit frater tuus, et vendiderit de possessione sua: tunc veniet redemptor eius propinquus ipsi: et redimet venditionem fratris sui.* 26. *Et, si non fuerit viro redemptor, sed apprehenderit manus eius, et invenerit quod sufficit ad eius redemptionem,* 27. *Tunc supputabit annos venditionis suae, et restituet quod superest viro cui vendidit, et revertetur ad possessionem suam.* 28. *Si vero non invenerit manus eius quod sufficiat ad reddendum illi, tum erit venditio eius in manu eius qui emit illum, usque ad annum Iubilaei: at egredietur in Iubilaeo, reverteturque ad possessionem suam.* 29. *Vir autem quum vendiderit domum habitationis in urbe murata, erit redemptio eius donec compleatur annus venditionis eius: anno uno erit redemptio eius.* 30. *Quod si non redimatur donec impleatur illi annus integer, remanebit domus quae fuerit in civitate cui est murus, absolute ementi illam in generationibus eius: non egredietur in Iubilaeo.* 31. *Domus autem villarum quibus non est murus in circuitu, secundum agrum terrae aestimabitur, redemptio erit ei, et in Iubilaeo egredietur.* 32. *Urbium autem Levitarum, et domorum urbium possessionis eorum, redemptio perpetua erit Levitis.* 33. *Qui autem emerit a Levitis, egredietur venditio domus, et urbis possessionis eius in Iubilaeo, quia domus urbium Levitarum est possessio eorum in medio filiorum Israel.* 34. *Ager autem suburbii urbium eorum non vendetur, quia possessio perpetua est illis.*

23. *Terra autem.* Quia legis huius ratio peculiaris fuit filiis Abrahae, vix usus aptari potest ad reliquos populos. Sic enim aequalis sub Iosue facta erat terrae partitio, ut in singulas tribus et familias distributa haereditas esset. Imo quo sanctior maneret unicuique sua possessio, sorte divisa fuerat terra, ac si Deus manu sua eos locaret in certa statione. Denique sortitio illa perinde erat ac decretum inviolabile ipsius Dei, ut semper vigeret foederis memoria, quo terrae haereditas promissa fuerat Abrahae et eius posteris. Atque adeo terra Chanaan arrha erat, vel symbolum, vel speculum adoptionis in qua fundata erat eorum salus. Quare mirum non est si illud inaestimabile beneficium Deus noluerit unquam intercidere. Id autem ne fieret, tanquam providus paterfamilias fraenum iniecit filiis suis, ne prodigi fierent nimia licentia. Nam qui suspectum habet haeredem, vetat alienare quod relinquit patrimonium. Talis itaque fuit veteris populi conditio, quae promiscue ad alias gentes transferri nequit, quibus data non fuit communis haereditas. Aliquod in iure redimendi vestigium apparet: sed quia id pendet ex partium consensu, deinde specialis est contrahendi ratio, nihil ad legem Mosis quae tam homines quam agros in integrum restituit. Iam quod terra Chanaan Dei vocatur, perinde est ac si directum eius dominium (ut loquuntur) ipse sibi uni assereret, sicuti continuo post clarius mentem suam explicat, ubi filios Israel dicit in ea peregrinari tanquam suos hospites. Etsi enim optima illis fuit quae iustis et perpetuis possessoribus conditio esse potest: Dei tamen respectu non nisi coloni erant, quia precario tantum illic quiescebant. In summa, Deus fundum sibi vendicat, ne unquam efflueret donationis memoria.

24. *In universa terra.* Antequam ad iubilaeum veniat, agrum a paupere venditum, non tantum consanguineis redimere permittit, sed ipsi quoque venditori, si nemo interveniat redemptor. Cognatis eadem apud alias quoque gentes data fuit libertas, sed in diversum finem, ut nomen familiae conservaretur: venditor autem ad redimendum admissus non fuit, nisi diserte id exceptum esset, in contractu. Agros autem manere voluit Deus pos-

sessoribus legitimis, ut quam minimum deflecteret populus a partitione sub Iosue facta. Consuluit interea privatim singulis: sed in perpetua successione se ipsum magis respexit quam homines, ut nunquam intercideret beneficii sui memoria. Tandem iubet anno iubilaei agros omnes redire ad suam originem, et venditiones omnes finem accipere: ac si quinquagesimo quoque anno sortem renovaret in dividenda terra.

29. *Vir autem quum vendiderit domum.* Hic domos ab agris distinguit, ne redimendi libertas extendatur ultra annum: deinde ut emptio etiam in iubilaeo rata maneat. Quanquam additur secunda distinctio inter ipsas domos, ut aedes in oppidis prorsus alienare liceat: villarum autem eadem sit quae agrorum conditio, quia illis annexae sunt ut partes. Quoad domos urbanas, quia interdum pauperibus dominis erant onerosae, utile fuit transire ad divites, qui ferendis aedificandi sumptibus pares essent. Adde quod domus quotidiana alimenta non suppeditat ut ager, et domo carere magis tolerabile est quam agro, ubi te exerceas, et ex eius cultura victum tibi acquiras et familiae. Villas autem excipi oportuit tanquam agrorum accessiones. Quid enim iuvaret fructus colligere, locum vero non habere ubi reponas? Imo quid prodesset agrum possidere quem colere non posses? quomodo enim arabunt boves quibus stabulum non erit agro vicinum? Quia ergo agri sine tuguriis vel casis fere sint inutiles, nec commode separantur, merito statuit Deus ut anno iubilaei quaelibet rusticana possessio ad dominum priorem rediret.

32. *Urbium autem Levitarum.* Alia exceptio, ut Levitae domos venditas vel iure redemptionis, vel anno iubilaei gratis recuperent. Quod non modo in eorum gratiam statuitur: sed quia totius populi interfuit, dispositos esse quasi in excubiis, ubi locum ipsis Deus assignaverat. Quod ad suburbia spectat, vel agros pecori alendo destinatos, vetat Deus alienari: quia hoc modo relicta propria statione subinde alio migrassent. Hanc vero dissipationem non accidere, totius populi interfuit.

EX DEUT. XX.

19. *Si obsederis urbem, diebus multis pugnando adversus eam, ut capias eam, non disperdes arbores eius, impellendo in eas securim: quia ex illarum fructibus vesceris, propterea ipsas non succides: quia an homo arbor agri ut ingrediatur a facie tua in munitionem? 20. Verumtamen arbores quas noveris non esse fructiferas, disperdes, et succides: et aedificabis munitionem adversus urbem illam quae tecum dimicat, donec descendat ipsa.*

19. *Si obsederis.* Hanc doctrinam non dubitavi annectere octavo praecepto, quia quum Deus in medio bellorum fervore nocendi licentiam fraenet, quoad perdendas arbores, multo magis populum suum voluit in pace abstinere ab omnibus maleficiis. Summa est, quamvis spoliationibus et rapinis ianuam aperiat ius bellicum, cavendum tamen esse, quoad licet, ne terra in vastitatem redacta in futurum tempus sit sterilis: denique praedam sic agendam esse de hostibus, ut curae nobis sit generis humani utilitas, ac posteri alimenta reperiant in arboribus, quae non tam cito adolescunt ad ferendum fructum. Arboribus vero frugiferis primum hac ratione parcere iubet, quod victum cunctis hominibus suppeditant: atque ita in ipsis se profert Dei benedictio. Adiungit deinde secundam causam, quod arbores quibuslibet sint expositae, qua significat non esse gerendum cum ipsis bellum sicuti cum hominibus. Varie quidem exponitur hic locus, verum sensus quem elegi optime fluit, et genuinus videtur. Nam quamvis litera ה demonstrativa sit, secundum rationem grammaticam, atque ita hostem designet: meo tamen iudicio interrogative legenda est sententia. מצור vero munitionem potius quam obsidionem significat. Oblique ergo stolidum furorem perstringit Deus, dum vim suam exserunt homines armati contra arborem quae loco non movetur, sed obvios quosque exspectat. Ita ager qui undique apertus est, munitioni opponitur. Interea permittit Deus ex arboribus infrugiferis confici aggeres, vallos, aliasque ad oppugnandum machinas: tantum prospicit, ne armorum procella, quae momentanea esse debet, terram ornatu suo in multos annos denudet. Porro non iniicitur religio quin excidatur arbor fructuosa, si ita necessitas postulet: sed cohibet Deus Israelitas, ne odio vel iracundia impulsi ad perdendum et vastandum se proiiciant, quasi humanitatis obliti.

EX DEUT. XXI.

14. *Si non placuerit tibi uxor captiva, dimittes eam pro desiderio suo: nec vendendo vendes eam pecunia, neque negotiaberis de ea, quod afflixeris eam.* 15. *Quum fuerint viro duae uxores, una dilecta et altera exosa, et pepererit ei filios dilecta et exosa, fuerit autem filius primogenitus exosae:* 16. *Die quo haeredes instituet filios suos eorum quae habuerit, non poterit dare ius primogeniturae filio dilectae ante filium exosae primogenitum.* 17. *Sed primogenitum filium exosae agnoscet, ut det ei mensuram duorum ex omnibus quae habuerit: ipse enim principium fortitudinis eius, ipsius est ius primogeniturae.*

14. *Si non placuerit.* Hanc sententiam a superiori contextu quem alibi exposui, dividere coactus sum. Illic enim docuit, si forma mulieris captivae viro Iudaeo placeret, quomodo ducenda esset uxor. Lex ergo illa ad castitatem et coniugalem fidem spectabat, praesertim vero cultus Dei puritatem: nunc autem praecipit Moses, si quis muliere captiva fuerit abusus, ne eam vendat, sed potius liberam dimittat, ac satisfactione aboleat iniuriam, vel saltem extenuet. Unde colligimus, hanc aequitatem pendere ex octavo praecepto: Ne quis alterum fraudet. Fuit autem haec conditio captivae mulieris saltem tolerabilis: quia etsi pudicitia singularis est thesaurus, libertas tamen (quae merito vocatur inaestimabile bonum) solatii non vulgaris loco fuit. Haec autem fuit poena libidinis, ut praedam victor amitteret.

15. *Quum fuerint viro.* Quia hic cavetur ne pater quod unius filii est ad alterum iniuste transferat, pars et accessio est octavi praecepti: cuius summa est, ut suum cuique ius salvum maneat: nam si pater in locum primogeniti alium subrogasset, non obscura erat furti species. Quia autem raro contingit ut pater gradu honoris contra naturam deiiciat primogenitum, si omnes ex eadem matre sint geniti, admonet Deus, se non ferre legem hanc de nihilo: quia ubi polygamia permissa fuit, propensior ut plurimum fuit animus mariti in secundam uxorem: quia si primam vero amore complexus esset, ea vitae et thori socia contentus, non cogitasset de secunda. Quum ergo fastidio primae uxoris maritus secundam appeteret, potuit eius blanditiis deliniri, ut a liberis primi coniugii averteret quod naturaliter in eos competebat. Hinc ergo remedii necessitas, dum patri arbitrium tollitur mutandi iuris primogeniturae. Quanquam autem obtendere poterant, se nonnisi de suo largiri, fuit tamen hoc impiae superbiae, quem Deus honore dignatus erat, reiicere. Nam qui sibi arrogat tantum licentiae ut primogenituram assignet cui libuerit, parum abest quin ad se rapiat creandi potestatem. Ius autem illud fuit duplex portio in paterna haereditate, quemadmodum versu decimo septimo exprimitur. Ratio quae additur, tantundem valet ac si dictum esset, primogenitum esse praecipuum decus ac ornamentum patris. Porro si ratio iusta erat exhaeredandi primogeniti, potuit substitui in eius locum alter successor: sicuti exemplo suo docuit Iacob, quum Ruben abdicavit (Gen. 49, 4). Quod dicitur: Ante filium exosae, quidam exponunt, ipso superstite: alii retinent hebraicam phrasim: Coram facie eius. Probabilis autem est eorum sententia qui comparative accipiunt hanc particulam, ac vertunt: Prae filio. Iam exosa dicitur uxor, non cui maritus palam sit hostis: sed quam minus diligit: quia odii loco ducitur contemptus, et inimicus vocatur qui coniugalem benevolentiam non praestat.

EX DEUT. XX.

5. ***Quum bellandum erit, alloquentur praefecti populum, dicendo: Quis est vir qui aedificavit domum novam, et non dedicavit eam? abeat, et revertatur ad domum suam, ne forte moriatur in proelio, et alius dedicet eam.*** 6. ***Et quis est vir qui plantavit vineam, et non fecit eam communem? abeat et revertatur ad domum suam: ne forte moriatur in proelio, et alius communem eam faciat.*** 7. ***Et quis est vir qui despondit mulierem, et non accepit eam? abeat et revertatur ad domum suam ne forte moriatur in proelio, et alius eam accipiat.*** 8. ***Addent praefecti alloqui populum, dicendo: Quis est vir timidus et mollis corde? abeat, et revertatur ad domum suam, ne dissolvatur cor fratrum eius, sicut cor illius.***

5. *Quum bellandum erit.* Hoc principium addidi, ut scirent lectores qua de re illic agatur. Etsi autem videtur haec doctrina aliquanto remotior a furandi prohibitione, apte tamen cohaeret, ac prorsus annexa est. Nam hac indulgentia ostendit Deus quam rectum sit unumquemque suis bonis pacate frui. Quia si durum est, etiam ob militiam homines privari novarum aedium usu, ac proventu vineae, quanto inhumanius ac minus ferendum erit, spoliari fortunis, vel ex agris quos iuste possident extrudi? Ergo quoniam reipublicae interest, vineas seri vel plantari, domosque exstrui: ad haec autem officia nemo satis alacriter se accingeret, nisi spe fruendi animaretur: privilegio Deus a conflictu eximit novarum aedium dominos, quousque in illis habitaverint. Idem et de vinitoribus statuit, qui nondum gustarunt laboris sui fructum, sponsos etiam non vult a futuris uxoribus avelli, donec earum complexu potiti sint. Quarti ordinis diversa ratio, quia indigni sunt molles et ignavi quorum timiditati subveniat Deus, ubi discrimen pro salute communi refugiunt. Verum quia totius populi interest, milites omnes prompto animo ad bellandum descendere, non vult Deus plus a quoquam exigi quam sit ferendo. Nunc tenemus summam huius loci, nempe ubi singulis asseritur quod possident, eousque patere ut qui domum aedificavit non trahatur invitus ad proelium, donec ex sumptibus impensis fructum aliquem habitando perceperit. Vineam communem facere, vel profanare, tantundem valet ac vindemias vertere in communem vitae usum, neque enim licuit primos fructus colligere, ac si fuisset adhuc incircumcisa, ut vidimus in primo praecepto. Ergo merces industriae et sedulitati

rependitur, dum iis qui vites plantarunt libera datur missio, donec proventu potiti fuerint. Quantum ad sponsos attinet, tametsi videtur in gratiam coniugii datum illis esse ut redirent ad uxores quas nondum attigerant, consentaneum tamen est non fuisse abreptos a possessione omnium carissima, ut suum cuique maneret. Adde quod hoc modo, spe sobolis ablata, transferebatur ad alienos haereditas: quod perinde erat ac si iusto domino fuisset extorta. Diximus autem pigros et timidos domum remissos fuisse, ut discerent Israelitae nullos urgere ultra quam ferret facultas. Et hoc etiam ex aequitate pendet, quae dictat ab omni iniusta oppressione abstinendum esse.

EX DEUT. XXV.

5. *Quum habitaverint fratres pariter, et mortuus fuerit unus ex ipsis, nec fuerit ei filius, non abnubet uxor mortui viro extraneo: cognatus eius ingredietur ad eam, et capiet eam sibi in uxorem, et affinitatem contrahet cum ea.* 6. *Atque ita primogenitus quem pepererit, surget nomine fratris eius defuncti: ne deleat nomen eius ex Israele.* 7. *Quod si noluerit vir ille accipere affinem suam, tunc ascendet ipsa ad portam ad seniores, et dicet: Renuit affinis meus suscitare fratri suo nomen in Israele, nec vult affinitatem contrahere mecum.* 8. *Tunc accersent illum seniores urbis illius, et loquentur cum eo: et ubi steterit, ac dixerit: Non placet accipere eam:* 9. *Accedet postea cognata eius ad ipsum in oculis seniorum, et solvet calceamentum eius a pede ipsius, et spuet in faciem eius: loqueturque, ac dicet: Sic fiet viro qui non aedificaverit domum fratris sui.* 10. *Et vocabitur nomen eius in Israel: Domus discalceati.*

5. *Quum habitaverint.* Habet haec lex aliquid simile cum ea quae sponso permittit redire ad uxorem adhuc intactam: quia utriusque finis est, singulis servare quod possident, dum id non coguntur extraneis relinquere, sed haeredes habent ex se genitos. Nam ubi succedit filius qui patrem repraesentat, nulla fere videtur fieri mutatio. Hinc autem apparet quantopere Deo placeat neminem privari suis fortunis, ubi etiam morientibus consulit, ut penes eorum sobolem resideat quod aegre nec sine moerore aliis resignarent. Itaque nisi cognatus mortui orbitati eius succurrat, haec inhumanitas, quaedam censetur species furti. Nam quum maledictio Dei fuerit sterilitas, orbitatis solatium fuit, sperare precariam sobolem, ne prorsus nomen exstingueretur. Nunc postquam tenemus finem legis, notandum simul est fratrum nomine non intelligi germanos, sed patrueles, et alios consanguineos, quorum incestuosum coniugium non esset cum viduis fratrum uxoribus: alioqui Deus secum pugnaret. Verum haec optime inter se conveniunt: Ne quis discooperiat pudenda fratris sui germani, nec tamen abnubat mulier vidua extra mariti familiam, donec semen sustulerit ex cognato aliquo. Et sane Booz Ruth non duxit uxorem, quod frater germanus esset defuncti mariti, sed tantum consanguineus. Si quis excipiat, non congruere quibuslibet cognatis habitationem communem: respondeo, perperam hunc locum accipi de contubernio, ac si in iisdem aedibus agerent: quia simpliciter dirigitur mandatum ad cognatos, quibus propter viciniam commodum fuerit viduas ad se recipere. Si quis enim procul habitaret, libertas utrique data fuit conditionem alibi quaerere. Certe probabile non est, Deum incestuosi coniugii (quod ante abominatus est) nunc esse autorem. Nec vero dubium est (ut nuper attigi) quin mulieri eadem imposita fuerit necessitas, ut se offerret prioris mariti cognato. Quod tametsi durum fuit, illius tamen memoriae visa fuit tantum debere, ut libenter sobolem pareret mortuo: si quis tamen aliter sentiat, non contendam. Quanquam nisi fuisset obstricta, absurdum erat eam sponte se obtrudere: nec vero alia de causa in iudicium vocare debuit cognatum a quo repulsam passa fuerat, nisi ut sibi libertatem acquireret in alia familia nubendi. Caeterum probabile est, non ante ignominiae fuisse damnatum quam ad defensionem admissus foret: quia iustae interdum afferri poterant recusandi causae. Ergo in dedecore tantum punita fuit inhumanitas, vel avaritia. Calceum vero suum tradens, iure propinquitatis se abdicabat, ut alteri cederet, quia tam maligne se gerendo erga mortuum, indignus erat ad quem perveniret ullus propinquitatis fructus.

NONUM PRAECEPTUM.

EX EXODI XX.

16. *Non dices adversus proximum tuum falsum testimonium* [1]).

EX DEUT. V.

20. *Non dices in proximum tuum falsum testimonium.*

Hic Deus cuiusque famae et existimationi consulit, ne quis calumniis et falsis criminibus immerito gravetur. Eadem tamen est synecdoche quam observandam esse admonui in superioribus praeceptis: quia sub uno capite plura Deus complectitur. Quod ad verba spectat, quia עד proprie testem significat: ad verbum legi potest: Non respondebis testis falsus contra proximum tuum: tunc vero subaudienda erit particula Ut, quam inserui. Frigide enim exponunt Hebraei vocandi casu: Non loquaris o testis mendax. Quanquam autem videtur tantum Deus praecipere ne quis opprimendi insontis causa in forum prodeat, et publice contra eum testetur: certum tamen est falsas omnes criminationes interdici fidelibus, nec tantum quae sparguntur in compitis et circulis: sed quae in privatis aedibus, secretisque angulis agitantur. Absurdum enim esset, quum ante ostenderit Deus sibi curae esse omnium fortunas, famam, quae longe pretiosior est, neglexisse. Quocunque itaque modo proximos laedamus, iniuste eos infamando, coram Deo censemur falsi testes. Iam a prohibitione ad praeceptum affirmativum debet transitus fieri. Neque enim satis fuerit linguam fraenare ne maledicamus, nisi humani simus et aequi erga proximos, candidique factorum et dictorum interpretes: nec falsis probris, quantum in nobis est, onerari sinamus. Adde quod non tantum crimina vetat Deus fingere adversus innoxios, sed etiam probra et sinistros sermones iactare malevolentia vel odio. Dignus erit fortasse quispiam qui male audiat, et hoc vel illud crimen vere exprobrabimus: verum si convicium ebulliat ex iracundiae fervore, vel accusatio ex maligno affectu nascatur: frustra excusabimus, nonnisi vera crimina nos protulisse. Quia ubi dicit Solomo (Prov. 10, 12) caritatem operire multa peccata, odium vero probra detegere: tanquam fidelis huius praecepti interpres, significat non aliter a falsitate nos esse puros quam si salva proximis sua existimatio per nos maneat: quia si obtrectandi libido caritatem violat, legi Dei adversatur. In summa tenendum est his verbis fraenari omnem linguae virulentiam, quae ad dedecus fratribus aspergendum tendit: omnem quoque petulantiam qua laceratur bonum eorum nomen: omnes obtrectationes quae vel ex livore, vel ex invidia et aemulatione, vel alio quolibet perverso affectu manant. Longius etiam progredi oportet, ne suspiciosi simus, vel etiam nimis curiosi in vitiis observandis: quia nimis anxia inquisitio malevolentiam prodit, vel certe malignitatem. Nam si dilectio non est suspicax, qui de nihilo vel levibus coniecturis proximum damnat, vel de eo male sentit, huius praecepti haud dubie transgressor est. Hinc sequitur, claudendas esse aures falsis obtrectationibus: quia perinde in fratrem iniurius est qui sinistros de eo sermones cupide admittit, sicuti qui linguam exserit ad maledicendum. Porro quam necessaria sit haec doctrina, quisque suo ingenio aestimet. Vix enim centesimus reperietur qui aliorum famae ita clementer parcat, ut sibi cupiat etiam in manifestis vitiis ignosci: imo obtrectatio zeli et severitatis praetextu saepe laudatur. Hinc fit ut sanctis quoque se insinuet hoc vitium, atque obrepat virtutis nomine. Ad haec, facit linguae lubricitas, ut leve putemus delictum, lethale dedecoris vulnus fratri infligere, cui tamen pluris est sua aestimatio quam vita. Summa est, ut non minus in candore et obtrectandi abstinentia quam in aliis officiis caritatem nostram testemur.

1) *In margine:* Vel, non loqueris contra proximum tuum ut testis mendacii.

EXPOSITIO PRAECEPTI.
EX EXODI XXIII.

1. *Non suscipies vocem mendacii, neque adiicias manum tuam impio ut sis testis mendax.* 2. *Non eris post multos ad mala, neque respondebis in causa, ut declines post multos ad pervertendum.*

EX EODEM CAPITE.

7. *A sermone mendacii longe aberis: nec occides innocentem et iustum: quia non iustificabo impium.*

EX LEVIT. XIX.

16. *Non incedes obtrectator in populis tuis, nec stabis contra sanguinem proximi tui: ego Iehova.* 17. *Corripiendo corripies proximum tuum, neque excitabis super eum crimen.*

Exodi 23, 1. *Non suscipies.* Verti etiam posset: Non attolles, vel suscitabis: quod si placet, vetabit Deus calumnias fabricare. Quod si legimus: Non suscipies, longius progreditur: ne quis suffragio suo foveat ac confirmet alterius mendacium. Dictum enim fuit, duobus modis hic peccari, vel dum improbi excogitant falsa crimina, vel dum alii nimis creduli cupide se consociant: atque uterque sensus optime conveniet, vel damnari primos autores qui falsum rumorem attollunt, vel qui adiuvant eorum improbitatem, et accedunt velut subscriptores: verum quia mox sequitur: Ne iungas manum tuam, quo melius inter se cohaereant duo membra, libenter amplector illam versionem: Ne suscipias. Et aptissime hoc verbo utitur Moses, quia mendacium sua vanitate sponte difflueret, vel excideret, nisi perverso aliorum consensu exceptum fulciretur. Ergo ab hac conspiratione suos Deus revocat ne operas sociando circumferant ficta crimina: ac eos qui manum improbis porrigendo, proximos traducunt, falsos testes nominat: quia parum interest excitesne crimen an sustineas. Secundus versus, si eum ad iudices restringere placeat, appendix esset tam sexti quam octavi praecepti, ne quis scilicet perversis aliorum sententiis volens cedat, sive in facultatibus, sive in vita iustum opprimant. Caeterum quia vitium nimiae crudelitatis perstringitur, quo fit ut mendacium praevaleat, dum tenebras clarae luci obducunt calumniatores, apte ad hunc locum accommodatur.

7. *A sermone mendacii longe aberis.* Quoniam de periuriis loqui videtur quae insontibus mortem accersunt: quibusdam forte magis placeret, locum hunc sexto praecepto fuisse annexum: sed facilis solutio est, Mosen ex professo damnare falsa testimonia, et simul speciem unam proferre, ex qua appareat quam detestabile crimen sit, calumnia fratrem obruere: nempe, quia falsus testis lingua magis occidit quam carnifex gladio. Quamvis ergo in genere mentiri adversus fratrem scelesta sit inhumanitas, augetur tamen atrocitas, si periurio iuguletur frater: quia ad perfidiam accedit homicidium. Additur comminatio qua Deus falsos testes ad tribunal suum citat, ubi impune non evadent qui suis mendaciis periculum bonis conflaverint.

Levit. 19, 16. *Non incedes.* Eadem ratio secundi membri quae in proximo versu, quia generali praecepto subiicitur quo vetantur obtrectationes: sed multo magis nos ab illis deterrere debet, dum agnoscimus linguam scilicet hoc modo armari ad innoxium sanguinem crudeliter fundendum. Vocem רכיל quidam metaphorice sumptam esse volunt a negotiatoribus, quia non minus satagit delator aut susurro in aucupandis falsis rumoribus quos postea disseminet, quam sedulo attentus est mercator ad vendendum et emendum. Alii permutationem esse volunt literae ג cum כ: atque ita deducendum esse nomen a pedibus: quia assidue oberrant calumniatores, vel circumeunt ad aucupandum criminandi materiam: ideoque semper coniungitur ambulandi verbum. Ego vero non eodem ubique sensu accipi existimo: quia quum Iudaeis exprobrat Ezechiel (22, 9), apud eos fuisse viros רכיל, ut effunderent sanguinem, viros fraudis intelligo, vel fraudulentos, qui bonis insidiati sunt ad machinandam illis perniciem. Quidam etiam exploratores vertunt. Interea non dubito quin Moses hoc loco errones designet, qui nimis cupide huc illuc cursitant, et maligna curiositate penetrant in arcana cuiusque ad vexandos homines quietos. In summa, docemur coram Deo censeri falsos testes quicunque linguae suae virulentia molestiam ac periculum creant suis fratribus.

17. *Corripiendo corripies.* Quia multi severitatis praetextu, non tantum morosi sunt censores, sed ad proferenda vitia ebulliunt, praepostero huic fervori occurrit Moses ostendens qua ratione sibi, optime temperent, ne connivendo vel tacendo peccatis indulgeant, et tamen procul absint a maledicentia. Solent enim excipere qui carpendi et vituperandi morbo laborant, taciturnitate ali peccata, nisi ea certatim omnes exagitent. Hic illis clamandi et insultandi calor. Atqui utilius remedium ostendit Moses, ut privatis castigationibus errantes in viam reducant, non autem divulgent eorum probra. Quisquis enim de fratris infamia triumphos agit, quantum in se est, praecipitat in exitium. Atqui zelus bene compositus, saluti eius qui se perdebat, consulit. Proinde iubemur errantes corripere, et fratres non habere pro inimicis. Similis ratio a Christo praescribitur (Math. 18, 15). Si peccaverit in te frater, corrige eum inter te et ipsum. Denique immodica criminandi affectatio semper reperietur superba et crudelis. Hic autem נשא haud dubie tantundem valet ac in medium producere quod latebat, atque ita eos qui alioqui essent sanabiles, traducendo ad desperationem adigere.

APPENDIX.

EX DEUT. XIX.

16. *Quum steterit testis mendax contra aliquem, ut testificetur contra eum verbum perversum:* 17. *Tunc stabunt duo illi homines quibus est lis, coram Iehova, id est coram sacerdotibus et iudicibus qui fuerint in diebus illis.* 18. *Et inquirent iudices diligenter, et si testis ille est testis mendax, mendacium testificatus est contra fratrem suum:* 19. *Facietis ei, quemadmodum cogitavit facere fratri suo, et auferes malum e medio tui.* 20. *Et qui remanserint, audient ac timebunt, nec addent facere ultra malum simile huic in medio tui.* 21. *Neque parcet oculus tuus: animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.*

16. *Quum steterit.* Quia non ita viget in omnibus timor Dei ut sponte a maledicendi cupidine abstineant, praecipit Deus poenam de periuriis sumi. Nam contra impios et immorigeros feruntur leges politicae, ut qui Dei iudicium spernunt, trahantur ad hominum tribunal. Caeterum etsi non aliter in cognitionem iudicum vocantur periuria, quam si exstet accusator qui se falso testimonio iniuste fuisse gravatum queratur, ratio tamen dictat, si quis a falsis testibus tractus esset ad mortem, iudicibus minime fuisse cessandum, quin ex officio inquirerent. Quoniam tamen ut plurimum attenti sunt homines ad suam innocentiam asserendam, hanc partem sumere satis habuit Deus, si delata fuerit querimonia, ut diligenter investigent iudices, ac crimine deprehenso, poenam talionis irrogent. Unde apparet eodem apud Deum loco haberi falsos testes atque homicidas. Quod autem examen fieri mandat non tantum a iudicibus, sed etiam a sacerdotibus, tanquam Deo praesente, hac circumstantia diligentiam requirit solito maiorem: quia occultum crimen, nisi exactissima cura, non facile detegitur.

DECIMUM PRAECEPTUM.

EX EXODI XX.

17. *Non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, neque servum eius, neque ancillam eius, neque bovem eius, neque asinum eius, neque quidquam eorum quae sunt proximi tui.*

REPETITIO.

EX DEUT. V.

21. *Neque concupisces uxorem proximi tui, neque concupisces domum proximi tui, agrum eius, aut servum eius, aut ancillam eius, bovem eius, aut asinum eius: neque quidquam eorum quae sunt proximo tuo.*

Exodi 20, 17. *Non concupisces.* Hoc praeceptum ad alia superiora extendi obscurum non est. Satis antea vetuit Deus inhiare rebus alienis, sollicitare alienas uxores, vel ex alieno incommodo et iactura, lucrum captare. Nunc, dum tam boves et asinos et alia quaelibet, quam uxores, et servos et ancillas enumerat: clare liquet iisdem de rebus praecipere, sed diverso modo: nempe, ut improbas omnes cupiditates vel scortandi, vel furandi coerceat. Obiicitur tamen quaestio, quum antea dictum sit pro legislatoris natura ubique requiri interioris cordis puritatem, ideoque sub adulterio notari non tantum omnes lascivias, sed occultam quoque impudicitiam: sub furto, illicitos lucrandi appetitus: quorsum nunc Deus suos a furandi et scortandi cupiditate prohibeat? Videtur enim supervacua esse repetitio: quod valde absurdum esset in decem verbis, quibus totam vivendi regulam complexus est Deus, ut ipsa brevitas lectores sua facilitate melius alliceret ad discendum. Verum simul ex opposito tenendum est, quamvis Dei consilium fuerit, omnes hominum sensus tota lege formare ad sinceram eius obedientiam: quae tamen est hominum hypocrisis et securitas, acrius fuisse stimulandos, et propius urgendos, ne sub umbra obscurioris doctrinae latebras quae-

rerent. Nam si tantum audissent: Non occides, non scortaberis, non furaberis, putassent externa observatione se pulcre defunctos. Non frustra itaque Deus, postquam de pietate et iustitia disseruit, seorsum admonuit non tantum a maleficio abstinendum esse, sed sincero animi affectu praestandum esse quod prius iusserat. Atque ex hoc praecepto colligit Paulus (Rom. 7, 14), totam legem esse spiritualem, quia Deus, cupiditates damnando, satis ostenderit se non manus et pedes tantum in obsequium cogere, sed animis fraenum imposuisse, ne appeterent quidquid illicitum esset facere. Fatetur etiam Paulus, quum ante fallacibus blanditiis indormiret, se hoc uno verbo fuisse expergefactum. Nam quum irreprehensibilis esset in oculis hominum, persuasus erat se coram Deo iustum esse. Dicit se aliquando vixisse quasi lege absente vel mortua, eo quod iustitiae confidentia inflatus, salutem ex operibus petebat: verum ex quo animadvertit quid sibi vellet praeceptum: Non concupisces, quasi lege a morte in vitam suscitata, se fuisse mortuum: nempe, quia transgressionis convictus, certam maledictionem instare sibi vidit. Atqui non unius tantum vel alterius peccati reum se fuisse intelligit, sed tunc demum sibi excussum fuisse torporem, ubi cupiditates omnes quarum sibi conscius erat, in iudicium Dei vocari agnovit, quum prius acquiesceret in externa virtutum specie. Nunc ergo tenemus, non inepte distincto praecepto concupiscentiam generaliter damnari: quia ubi Deus populariter et crasso stylo mores ad integritatem composuit, tandem ascendit ad fontem ipsum, et simul quasi digito radicem demonstrat ex qua nascuntur omnes mali et vitiosi fructus. His tamen addendum est, plus aliquid concupiscendi, et optandi, vel desiderandi verbis exprimi, quam desiderium formatum, ut vulgo loquuntur. Saepe enim nos sollicitat caro ad hoc vel illud optandum, ut se prodat mala concupiscentia, quamvis nondum accedat consensus. Quum ergo antehac damnata fuerit mala voluntas, iam ultra progreditur Deus, malisque desideriis, antequam praevaleant, fraenum iniicit. Hos gradus Iacobus observat ubi dicit (1, 15) concupiscentiam concipere antequam pariat peccatum: deinde peccatum, ubi perfectum est, mortem gignere. Partus enim de quo loquitur, non tantum est in externo actu, sed in ipsa voluntate, postquam tentationi acquievit. Fateor quidem pravas cogitationes quae temere occurrunt, et sponte evanescunt antequam animos afficiant, non venire in rationem coram Deo: verum quamvis non plane acquiescamus desiderio, si tamen nos titillat, sufficit ad reos peragendos. Id ut clarius intelligatur, tentationes quaelibet, totidem sunt quasi flabella: si nos ad consensum usque abripiant, ignis est accensus: si autem cor impellunt ad pravos appetitus, concupiscentia in illis scintillis se prodit quamvis neque ardorem plenum concipiat, neque emergat in flammam. Concupiscentia ergo nunquam est sine affectu, quamvis non prorsus succumbat voluntas. Unde apparet quam exacta iustitiae perfectio afferenda sit ut legi satisfiat, quando non tantum nobis mandatur ne quid velimus nisi quod rectum est ac Deo placet, sed etiam ne quis impurus appetitus animos nostros incitet. Nec vero tantopere exaggeraret Paulus hoc verbum, si lex nullam damnaret concupiscentiam, nisi quae animum hominis sic occupat ut in eo dominetur. Nam a profanis quoque philosophis, imo a terrenis legislatoribus semper damnabitur impia voluntas. Paulus autem dicit, dum lex concupiscentiae obsistit, peccatum fieri supra modum peccans (Rom. 7, 13). Iam quo tempore se nescisse fatetur quid esset concupiscentia, credibile non est adeo socordem fuisse et stupidum, ut velle hominem occidere, vel libidine ferri ad stuprandam fratris uxorem, pro nihilo duceret. Quod si Paulum non latuit quin vitiosa esset peccandi voluntas: sequitur, concupiscentiam, in qua nullam culpam deprehendebat, morbum fuisse magis occultum. Hinc vero perspicitur quibus praestigiis fascinaverit Satan scholas omnes papales, in quibus personat axioma istud: Concupiscentiam in baptizatis non esse peccatum: quia stimulus est ad exercendam virtutem. Quasi vero non aperte Paulus damnationi subiiciat concupiscentiam, quae suis illecebris nos inescat, quamvis non omnino assentiamur.

SUMMA LEGIS.

EX DEUT. X.

12. *Nunc ergo Israel, quid Iehova Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Iehovam Deum tuum, ut ambules in omnibus viis eius, ut diligas eum, colasque Iehovam Deum tuum in toto corde tuo, et tota anima tua?* 13. *Custodiendo praecepta Iehovae, et statuta eius, quae ego praecipio tibi hodie, ut bene sit tibi.*

EX DEUT. VI.

5. *Diliges Iehovam Deum tuum toto corde tuo, tota anima tua, et tota fortitudine tua.*

EX LEVIT. XIX.

18. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Deut. 10, 12. *Nunc ergo.* Postquam singula praecepta ordine exposuimus, videndum nunc restat quid lex summatim contineat, et quorsum tendat eius doctrina. Nam inde elicit Paulus (1. Tim. 1, 5) verum eius usum, ubi finem eius esse docet caritatem ex corde puro, conscientia bona, et fide non ficta. Erant enim tunc perversi eius interpretes, quos dicit ad vaniloquium deflexisse, quoniam ab illo scopo aberraverant. Porro sicuti duabus tabulis continetur, ita eam ad duo capita redigit Moses, ut Deum diligamus ex toto corde, et proximum sicut nos ipsos. Etsi autem non uno in loco utrumque coniungit, Christus tamen, ex cuius spiritu loquutus est, ad explicandum eius consilium sufficere nobis debet. Rogatus autem quod esset praecipuum legis mandatum: respondit (Matth. 22, 37) primum quidem esse ut diligatur Deus, alterum vero affine de proximo diligendo: perinde ac si diceret, totam iustitiae perfectionem quae in lege traditur, in duabus partibus consistere, ut vera pietate Deum colamus, et innoxie versemur cum hominibus, secundum caritatis regulam. Idem est verborum Pauli sensus, quia fides quae illic vocatur fons et origo caritatis, dilectionem Dei in se complectitur. Fixa quidem maneat Christi sententia, nihil a nobis in lege exigi, nisi ut Deum cum proximis amemus. Unde brevis et clara definitio sumi potest, ad bene vivendum nihil requiri nisi pietatem et iustitiam. Videtur quidem Paulus (Tit. 2, 12) tertium membrum addere, ubi tradit apparuisse Dei gratiam, ut abnegata impietate et mundanis concupiscentiis, temperanter, pie et iuste vivamus in hoc saeculo: verum σωφροσύνη illic additur tanquam condimentum iustae et piae vitae. Et certe nisi caste honesteque et continenter vivendo, nemo probabit sanctitatis et integritatis studio se esse addictum. Caeterum, ubi praeterito Dei cultu, doctrina legis ad solam proximi dilectionem restringitur, non tam sepelitur religio, quam profertur eius testimonium ex serio examine. Nam quum hypocritis mos sit, dum superbia turgent, rapacitate et avaritia flagrant, referti sunt invidia et aemulatione, crudelitatem spirant et minas, ad foedas libidines sunt proiecti, obtendere tamen larvam sanctimoniae in caeremoniis: tales ostentationis nebulas ut discutiat Christus, clamat praecipua legis capita esse misericordiam, iudicium, et fidelitatem (Matth. 23, 23). Et alibi de iustitia legis disserens, nullam prioris tabulae mentionem facit (Matth. 19, 18). Eodem consilio Paulus caritatem vocat legis complementum, ut alibi vinculum perfectionis (Rom. 13, 8. Col. 3, 14). Interea nihil minus fuit illis propositum quam nos abducere a timore Dei, ut officia nostra hominibus addicerent: sicuti iam ex alio loco ostendi, dum legem integram perstringit Christus, exordium facere ab amore Dei. Et Paulus ubi nos omnibus numeris completos esse docet, si fides in nobis per caritatem operatur, non omittit causam ipsam et principium bene vivendi (Gal. 5, 14). Atque ita conciliantur quae videri possent in speciem contraria, perfici sanctificationem in timore Dei ubi nos mundamur ab omni inquinamento carnis et spiritus (2. Cor. 7, 1): et totam legem compleri uno verbo: Diliges proximum tuum sicut te ipsum (Rom. 13, 9): nempe: quia non aliter certo experimento liquere potest nostra pietas, nisi dum iuste et innoxie cum hominibus versamur: deinde quia ad Deum non pervenit nostra beneficentia, ideo in officiis secundae tabulae perspici qualis sit animus noster: sicut dicitur in Psalmo (16, 2): Bonum meum nihil ad te, sed ad sanctos qui habitant in terra, voluntas mea. Quomodo enim, ut dicit Iohannes, iactabit quisquam Deum se diligere quem non videt, si proximum cui familiariter coniunctus est, non diligit (1. Ioan. 4, 20)? Quia ergo hinc deprehenditur mendacium: Deus in mutua caritate ad pietatem praestandam nos exercet. Hinc colligit Iohannes, mandatum nobis dari, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum (1. Ioh. 3, 11). Porro antequam

plura de utroque praecepto dicam, notandus est finis legis qui a Mose describitur: Nunc Israel quid a te petit Deus nisi ut ipsum timeas, ambules in viis eius, diligas eum, et colas toto corde? Etsi enim rursus legem commendat, quia nihil praecipiat quod non ipsa natura dictet certissimum et aequissimum esse, et quo nihil nobis esse utilius vel magis optabile experientia demonstret, simul tamen admonet quaenam sit eius servandae ratio. Itaque timorem Dei, simul et amorem nobis proponit, nam quatenus Dominus est, merito pro imperii sui iure vult timeri: quatenus autem pater, amari postulat: sicuti apud Malachiam (1, 2) dicitur. Discamus ergo, si ad legem servandam nos accingere volumus, incipiendum esse a timore Dei, qui ideo vocatur caput sapientiae (Psal. 111, 10. Prov. 1, 7 et 9, 10). Verum quia Deum non oblectant extorta et coacta obsequia, mox subiicitur dilectio. Atque hoc prudenter expendere convenit, quum nihil suavius sit quam Deum diligere, primas tamen partes tenere in toto eius cultu. Plus quam enim ferreum esse oportet quem non alliciat tanta dulcedo: quando non alia de causa nos invitat et hortatur ad sui amorem, nisi quia nos amat ipse: imo sua dilectione iam praevenit, ut dicitur apud Iohannem (1. Iohan. 4, 10). Interea colligere simul licet, nihil Deo placere quod offertur ex tristitia, vel necessitate, quia hilarem datorem quaerit (2. Cor. 9, 7). Agit quidem illic Paulus de eleemosynis: sed extendi debet ad omnes vitae actiones voluntarium et liberale parendi studium, quale in probis et ingenuis filiis cernitur, quibus iucundum est parentibus subesse. Et certe non aliunde manat quae Deo reverentia defertur, quam ex gustu paterni eius erga nos amoris, quo ad ipsum redamandum trahimur: sicuti in Psalmo (130, 7): Apud te est propitiatio, ut timearis. Quoties ergo audimus quod subinde inculcat scriptura: Diligite Iehovam omnes mansueti eius (Psal. 31, 24), veniat nobis in memoriam, Deum se nobis amabilem reddere, ut libenter, et qua decet alacritate amplectamur quidquid iubet. Iam vero quae exigitur perfectio, satis clare demonstrat quam procul absimus omnes a solida legis observatione. Iubemur Deum amare ex toto corde et anima, totisque viribus. Quamlibet enitamur, mutilum est ac debile nostrum studium, nisi omnes sensus nostros occupet amor Dei, et ad ipsum penitus ferantur vota nostra et cogitationes, ad eundem quoque se applicent omnes nostri conatus. Atqui satis superque convincitur quisque propria experientia quam variis modis abstrahantur mentes nostrae ad vanitatem, quam multi pravi affectus nobis obrepant, quam difficile sit nobis compescere et subigere pravos carnis motus. Optimus certe quisque athleta vix summa strenuitate consequitur, ut in hac spirituali militia pergat. Quod si magna virtus est non prorsus fatiscere, nemo certe iactare audebit se ad scopum qui in lege proponitur accedere. Denique quoties mundi illecebrae, vanique appetitus se insinuant, toties sentire nos oportet, aliquam animae nostrae partem vacuam esse amore Dei, alioqui nihil illuc contrarium penetraret. Cordis nomen hoc loco, ut alibi, non pro sede affectuum, sed pro intelligentia sumitur. Itaque supervacuum fuisset addere διάνοιαν quod fecerunt evangelistae, nisi ambiguitatis tollendae causa. Nam quia Graecis non perinde usitata est haec significatio, non dubitarunt explicandi causa vocem unam de suo addere. Qui vero in doctrina Mosis exercitati sunt, non ignorant cor tantundem valere ac mentem: alibi enim dicitur: Non dedi tibi hactenus oculos ad videndum, nec cor ad intelligendum. Verum Graecis obscura fuisset loquutio, quia eorum linguae est insolita.

Deut. 6, 5. *Diliges proximum.* Quo quisque animo esse debeat erga proximos, non potuit melius multis paginis exprimi quam hoc uno verbo. Ad nos amandos non modo plus aequo singuli sumus propensi, sed toto impetu rapimur: imo φιλαυτία ita nos excaecat ut omnium iniquitatum sit mater. Quoniam ergo dum ad nos amandos nimium sumus attenti, fratres nostros obliviscimur ac negligimus, non aliter potuit nos Deus ad caritatem reflectere, quam si vitiosum illum affectum qui nobis ingenitus est, ac penitus insidet, ex cordibus nostris revelleret: quod rursus fieri non potuit, quin amorem qui intus residet, alio transferret. Qua in parte se prodidit non minor improbitas, quam inscitia et fatuitas eorum qui amorem nostri volunt ordine praecedere. Regula, inquiunt, est superior suo regulato. Atqui secundum Dei praeceptum caritas qua debemus alios prosequi, ad amorem nostri tanquam ad suam regulam formatur: quasi vero consilium Dei fuerit, ignem qui plus aequo flagrat, magis accendere. Naturaliter (ut dictum est) immodico nostri amore caecutimus: hinc ut nos avertat Deus proximos substituit, quos non minus amemus quam nos ipsos. Quod enim de caritate docet Paulus, eam non quaerere quae sua sunt (1. Cor. 13, 4), nemo unquam praestabit, donec sibi renunciaverit. Proximi vero dicuntur, non modo quibuscum aliqua nobis necessitudo est, sed omnes sine exceptione: quia totum humanum genus corpus unum efficit, cuius ut singuli sunt membra, ita mutua coniunctione inter se cohaereant oportet. Tenendum enim est, alienissimos esse etiam quosque nobis fovendos et iuvandos, non secus ac propriam carnem, nam et alibi vidimus in eodem gradu statui advenas et peregrinos: Christus sub persona Samaritani id satis confirmat (Luc. 10, 30).

FINIS ET USUS LEGIS.

Quatenus in lege ostenditur discrimen boni et mali, ad formandam hominum vitam data est, ut merito vocetur bene et iuste vivendi regula. Atque hic finis legis omnibus fere notus est: quia sine controversia fatentur omnes Deum illic praescribere quid rectum sit, ne incerti tota vita erremus: quia ut eius voluntas perfecta est lex iustitiae, ita solus nos dirigere in scopum potest. Naturaliter quidem insculpta est boni et mali notitia hominibus, quo reddantur inexcusabiles: nec ulla unquam barbaries lucem hanc adeo exstinxit, quin ubique viguerit aliqua legum forma: verum quum praecipuum iustitiae caput sit obedire Deo, singulari privilegio, recte vivendi doctrinam in electo populo, tanquam adoptionis suae pignus, deposuit. Hinc sententiae quae toties apud Mosen occurrunt: Praecipio tibi, ut custodias, et facias. Caeterum quia carnales sumus, venumdati sub peccato, tantum abest, ut suppetat nobis facultas ad legem, quae spiritualis est, implendam, ut eius iustitiae repugnent omnes nostrae cogitationes: sicuti alibi docet Paulus (Rom. 8, 7). Ergo qui solo docendi usu contenti sunt, male subsistunt in una parte: quia nulla inde proveniet utilitas, quamdiu manebimus in natura corrupta. Imo simulac prodit lex in medium, capitibus nostris incumbit maledictio Dei, ac si e coelo fulminaret. Non congeram quaecunque in hanc rem faciunt testimonia, sufficiat unus prae aliis insignis locus (Rom. 7, 12): lex, inquit Paulus, sancta est, et praeceptum iustum et bonum: sed peccatum, ut appareat peccatum, per id quod bonum erat mortem gignit. Asperum quidem est quod alibi dicit (Rom. 4, 15), legem iram operari, et propter transgressiones esse positam: nempe hominibus profanis qui tantum philosophice iudicant. Ille vero legis usus theologicus est, quia nihil aliud potest quam detegendo nostram iniustitiam, mortem duntaxat afferre (Gal. 3, 10). Hic autem emergunt tumultuosae quaestiones, quorsum attineat praecipere quae praestando non sumus: cur miseris illudat Deus, onus imponens quo prorsus obruantur: quomodo conveniat legem dari, ut eam observemus, et tamen viribus destitui: si non est nobis libera boni et mali electio, cur vitio nobis vertatur, peccato cui naturaliter sumus addicti, succumbere. In coacervandis talibus calumniis valde ingeniosi sunt Dei hostes, et ad eas amplificandas facundi: verum ubi omnia evomuerint quae illis furiosa improbitas dictaverit, semper eos satis superque refutabit propria conscientia: quia fateri cogentur legem esse iustam, et quum voluntatio affectu eam transgrediuntur, merito se damnari. Obstrepant Deo, ut libuerit, inique plus oneris imponere quam pares sint ad ferendum, convictos tenebit naturae sensus, Deo, quidquid sibi praestari iubet, deberi. Iam videndum est ubinam resideat culpa, quod solvendo non sunt. Certe eam a se frustra reiicere tentabunt, quia rursus conscientia se ex opposito ingeret, ac constringet insolubili reatu. Docet autem tota scriptura, naturae nostrae corruptione factum esse ut legi repugnent omnes nostri affectus, et ipsa vicissim nobis adversetur. Adam enim a Deo omnis iustitiae fonte alienatus, se et nos perdidit. Hinc fit ut non tantum ad praestandum Deo obsequium nos vires deficiant, sed ut caeco et praecipiti impetu ad excutiendum eius iugum ferantur. Hinc colligit Paulus nos esse maledictos, quia lex maledictos pronunciat omnes transgressores (Gal. 3, 10). Ridicula enim erit obiectio, in libero cuiusque arbitrio esse non transgredi, quia nihil in nobis reperietur nisi vitiosum. Et certe nimis pudenda fuit eorum socordia qui putarunt nihil impossibile praecipi: quando in minimis quibusque se prodit non modo debilitas, sed ἀδυναμία. Etsi autem Paulus dicit (2. Cor. 3, 6), legem nobis esse mortiferam, eam tamen ab omni probro vindicat, ubi malum illud accidentale esse docet, ideoque nobis imputandum. Fixum itaque maneat, legem non solum docendi causa esse positam, ut homines quod rectum esse didicerint, sequantur: sed ad ipsos coarguendos propriae iniquitatis, ut se perditos agnoscant: ac si interitum suum ex iusta Dei vindicta in speculo cernerent. Atque haec quidem cognitio per se horribili desperatione omnes obrueret, nisi ex profunda illa abysso emergerent. Quoniam enim vesana confidentia turgidi laudem iuste vivendi sibi arrogant, prosterni eos necesse est: primum ut damnati discant confugere ad Dei misericordiam: deinde ut suae infirmitatis convicti, spiritus sancti auxilium implorent, quod secure prius negligebant. Unde apparet ipsos utiliter a lege occidi, et mortem quae irrogatur esse vivificam. Id autem fit duobus modis, quia caeca iustitiae propriae opinione qua superbiebant exuti, quod falso putabant apud se reperiri posse, in Christo quaerere incipiunt, ut gratuita reconciliatione placeant Deo, quem placare ante volebant operum meritis. Secundo discunt ne ad minimum quidem apicem legis praestandum se esse idoneos, nisi regeniti Dei spiritu iustitiae vivant, qui peccato erant mancipati. Atque hinc demum se profert utilitas et fructus doctrinae, quia donec renovati simus, et Deus

pro cordibus lapideis carnea nobis indiderit, frustra praeceptis verberantur aures, quae pro ingenii nostri pravitate toto affectu respuimus. Ubi autem intus cordibus legem suam insculpsit, simul prodest exterior doctrina: sic enim filios suos gubernat spiritu regenerationis, ut simul tamen velit ad vocem quoque suam esse attentos et dociles. Caeterum quia longe semper absunt a perfecta eius observatione non tantum ex ea discunt quid rectum sit, sed gratuita misericordia opus esse, ut per indulgentiam et veniam placeant, quamvis multae infirmitatis sibi adhuc sint conscii. Porro quia videtur Paulus legem abrogare, ac si hodie ad fideles non pertineat, quousque id pateat videndum est. Ac primo quidem colligere promptum est, non simpliciter de lege eum disputare, sed eam proponere suis qualitatibus vestitam, quatenus evangelio opponitur. Nam quum certamen haberet cum malis eius interpretibus, non potuit effugere quin tanquam res inter se contrarias committeret legem et evangelium: non quod inter se pugnent, si quis dextre utriusque doctrinam ad propriam fidem accommodet: sed quia ex praepostera mixtione, quam ingerebant pseudoapostoli, oriebatur talis conflictus. Volebant homines iustificari operibus legis: quod si fuisset receptum, abolebatur fidei iustitia, atque hoc modo evangelium concidebat. Urgebant praeterea iugum veteri populo impositum, ac si nulla Christi sanguine parta fuisset libertas. In hac disceptatione necesse habuit Paulus tantum sumere quod Mosi peculiare est, et a Christo separatum. Quamvis enim inter se optime consentiant in summa doctrinae Christus et Moses, ubi tamen alter cum altero confertur, seorsum distinguere convenit quid sit cuique proprium. Hoc respectu Paulus legem vocat literalem (2. Cor. 3, 7), quia nihil Mosi iniunctum fuit quam ut loqueretur Dei nomine: quod per se non modo inutile est, sed etiam mortiferum: quia ubi vox tantum in auribus personat, nonnisi damnationem gignit. Deinde, legem considerat promissionibus et minis implicitam. Unde sequitur, salutem ex ea aliter non posse comparari, quam si omni ex parte satisfactum fuerit eius praeceptis. Vita quidem illic promittitur, sed non nisi impletum fuerit quidquid iubet: contra vero mortem denunciat transgressoribus, ut ad quemlibet damnandum et perdendum sufficiat, in minimo apice lapsum esse: ita fit ut omnes desperatione obruat. Postremo quia caeremoniae, quibus Deus veterem populum, tanquam rudimentis puerilibus, ad fidem evangelii formavit, legi fuerunt annexae, eas etiam Paulus complectitur in comparatione legis et evangelii. Hinc sequitur, quatenus discernitur Moses a Christo, ministerium eius cessasse, quamvis eandem qua tandem perfunctus est Christus, legationem obierit. De caeremoniis sic habendum, finem ipsis impositum fuisse Christi adventu, ut earum veritas melius stabilita fuerit quam si usus adhuc maneret. Nam in illis tanquam in speculo agnoscimus olim fuisse ostensum patribus quod nunc re ipsa nobis exhibitum est. Unde apparet multum eos errare qui partem hanc doctrinae quae apud Mosen legitur, tanquam inutilem prorsus repudiant, nec magis ferendas esse eorum delitias qui eam fastidiunt. Caetera quae ad huius loci explicationem faciunt, ex libro secundo Institutionis, capite septimo petant lectores.

BRUNSVIGAE, TYPIS M. BRUHNII.